Digitized by Google

Enc. 95 (1.2
Fl 10 4651

Philos. Logica. Scr. part. 608. d.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

COMMENTARIA

# IN SYNTAXES ARTIS MIRABILIS, PER QVAS DE OMNIBVS DISPVtatur habeturque ratio,

*IN QVATVOR TOMOS, Octo libros continentes, digesta.*

In quibus plura omnino scitu necessaria pro illarum explanatione tractantur: quorum Elenchum habes proximè sequenti pagella:

*Auctore*

PETRO GREGORIO THOLOSANO I.V. Doctore, Professore & Decano in Academia Lotharingica Pontimussana.

*COLONIÆ,*
Sumptibus LAZARI ZETZNERI, Bibliop.

*Anno M. DC. X.*

# ELENCHUS LIBRORUM Commentariorum in Syntaxes Artes mirabilis.

## TOMUS PRIMUS.

Liber I.
Liber II. } quibus continentur prolegomena.
Liber III.

## TOMUS SECUNDUS.

Liber IIII. de Transcendentibus.
Liber V. de Prædicamentis.

## TOMUS TERTIUS.

Liber VI. de Deo.

## TOMUS QUARTUS.

Liber VII. de Angelis.
Liber VIII. de Immortalitate Animæ: & subdividitur in tres libros Syntaxeos artis mirabilis nono libro promissos.

IM-

Digitized by Google

IMMORTALI, OMNIPOTENTI, INEFFABILI,

*DEO OPTIMO MAXIMO:*

BENEFICIORUM TESTANDORUM ET GRATITUDINIS ERGO,

GREGORIVS THOLOSANVS INDIGNUS EJUS ALUMNUS, HOSCE

*COMMENTARIORUM TOMOS SYNTAX. ARTIS MIRABILIS,*

VT ANTE CÆTERA QUÆ BONA ESSE POSSUNT OMNIA,

*DEDICAVIT ET CONSECRAVIT*

CUI OMNIS HONOR ET GLORIA *AMEN*

*Doctorum.*

NOs infrascripti in Alma Parisiensi Academia S. Theologiæ Doctores affirmamus, nos vidisse & attento animo legisse libros inscriptos, *Commentaria in I. II. III. IV. & V. Syntax. artis mirabilis &c. authore P. Gregorio Tholosano, &c.* in quibus nihil fidei Catholicæ aut sacrosanctis Ecclesiæ Apostolicæ & Romanæ decretis contrarium inuenimus, aut quod Catholicis fidelibus in vsum non cedat. in cuius rei fidem sigillum nostrum apposuimus. LVGDVNI die 24. Mensis Aprilis, M. D. XXCVI.

F. Franciscus Goracæus Ord. Prædicatorum Pœnitentiarius S. Eccles. Viennensis.
F. Iacobus Berjon Ord. Prædicatorum.
F. Petrus de Bollo Prior Prædicatorum Lugdunensis.

NOs Ioannes Laurencin I. V. Doctor, Canonicus & Obedientiarius Ecclesiæ collegiatæ Sancti Iusti, Officialis Lugdunensis substitutus vicarius generalis Reuerendiss. Archiepiscopi Lugdunensis Galliarum Primatis, testamur hunc librum, cui Titulus est, *Commentaria in I. II. III. IIII. & V. Syntax. Artis mirabilis, &c. Auctore P. Gregorio Tholosano, &c.* à nobis visum, & à tribus almæ Parisiensis Academiæ S. Theologiæ doctoribus approbatum nihil Dogmatibus fidei nostræ repugnans continere, & ob id dignum esse qui typis commendetur, & publicè in lucem edatur: in cuius rei testimonium chirographum nostrum apposuimus. Lugduni 5. Maij 1586.

LAVRENCIN Vicarius generalis substitutus.

CLA-

Digitized by Google

# CLARISSIMO VIRO

## VNDIQUE ABSOLVTO, NICOLAO A BAVFFREMONT, BARONI ET Domino à Seneſcey, Equiti Regio torquato, & à ſecretis Regis Conſiliario digniſſimo, magno Galliarum domusq; Regiæ Prætori, nec non Baliſuo Cabillionenſi, &c. P. Gregorius, nunc in noua Academia Lotharingica Pontis Camaſſonij Iuris Cæſarei publicus Profeſſor S. D.

*QVum typũ excudi curarem Syntaxes Artis mirabilis, Illuſtriſſ. duci non tam ex relatione virorũ doctiorum, quàm ex tuĳpſius colloquio, inter proceres heroesq; aulicos, te ſingulari quadam Muſarum familiaritate, & bonarum artium praſtantia, vt luna pollet inter ignes minores, multũ præclariſſimus viris anteire. Mirũ quidem primùm & ferè incredibile viſum, hominem tot negotĳs occupatum, curuq; grauioribus Reipubl implicitum, literarum ſtudĳs & ſcientiarum in labyrinthis vel aliquantulam, impendere poſſe operam: tandem tamen admonitus fui, quod cum maiori admiratione admirationẽ ſuſtulit, te quas genio cæteri dant horas, Muſis & literis conſecraſſe, & a bellorum ſtrepitu defeſſam mentem, ſolitum continuata lectione reficere: adhæc tanto ingenĳ dotatum acumine, vt quæ alĳ, velut ſortis diſſimilis, ſeiungunt ob laborem, quis eorſum totũ videtur deuorare hominem, poſſis exiguo tempore & leui moleſtia, ſua pertractare. Quamobrem cum ob id, tum ob tuam in viros literatos humanitatem, qua etiam me dignatus es, decreui hoſce primos in Artem noſtram Commentarios, qui tunc cum te noui, etiam pralum expectabant, oculis tui perpoliti ingenĳ ſubĳcere: ſperans ſi tibi probentur, eò magis cæteris eruditis probandos: neq; parua laus mihi accedit, magis placuiſſe viro. Vellem autem eorum munus eo ſuſcipias animo, quo ij, qui tui eſt obſeruantiſſimus, offert. Vale. Lugduni, Pridie Non. Nouemb. 1574.*

# ELENCHUS CAPITUM HUJUS Primi Tomi Commentariorum in Syntaxes Artis Mirabilis.

## LIBER I.


I. Cap. I. De omnibus posse disputari, & omnium cognitionem quandam haberi. pag. 1

II. Esse debere aliquam artem generalem adhuc docetur. 11

III. Quid sit ars nostra magna 16

IIII. De Potentia & actu 19

V. Quo pacto in homine, scientiæ generalis semina potentia insita sint, cùrue alij alijs doctiores: & unde animalibus quadam cognitio. 22

VI. Rationes adferuntur cur non omnibus cognoscendi eadē facultas, cur diuersi nō similia sciant 46

VII. De Viris illustribus, qui de omnibus disputandi artem professi sunt 56

VIII. Cur tantopere rerū cognitione homo delectetur 59

IX. Rursum à dignitate luminis alia ratio 63

X. Scientiā nobis submministrare et iā conscientiam 69

XI. Ratio alia, cur discere expediat ducta ab eo, quod se homo nosse debeat: & alia 77

XII. De mediis & modis discendi & sciendi prater communem ordinem & humanum 82

XIII. De gradibus quibus perficitur via ordinaria 108

XIIII. De sensuali cognitione, & unde error ex iis qua per sensus cognoscimus 112

XV. De Phantasia, cogitatione, ratione, mente 122


## LIBER II.


I. Cap. I. Ante omnem tractationem quæstionum vel dubiorum Deum inuocandum 161

II. Animam eorum, qui scire desiderant mundā à peccato, quantum potest esse debere 167

III. Quomodo in negotio se præparet dicturus, & quid in eo ante consideret 171

IIII. Omnia fere esse sub quæstione: & de quæstione in genere, quid sit, eius q; partitione, & diuisione 177

V. De modo quærendi per Vtrum vel an 180

VI. De quæstionibus per Quid, Quis, Qua, Quod 183


De Pra-

VII. De Predicabilibus 198
VIII. De Genere 200
IX. De Specie 204
X. Differentia 207
XI. De proprio 208
XII. De accidente 209
XIII. Quæ sint cõmunia, propria & differentia predicabilium quinq; Porphyrio, Aristotele, Cæsario, Titelmano, Pichanero, Damasceno, D. Thoma, Trapezuntio, & alijs 212
XIIII. Predicatum, Predicamentum, Predicabile, Subiectum quid sint 213
XV. De individuo 214
XVI. De Quæstione, Quotuplex, & Quantum 217
XVII. Quæstionibus duabus de quo, & ex quo 220
XVIII. Quæstionibus vnde & per quem 221
XIX. De Quæstione iuxta quod, vel secundum quod 223
XX. Quæstione cuius 231
XXI. De Quæstione propter quid 234
XXII. De Quæstione quare 236

## LIBER III.

I. Cap. I. De diuisione & consideratione principiorum examinatiuorum in genere pag. 238
II. De Differentia 241
III. De concordia 255
IIII. De cõtrarietate vel oppositione vel repugnãtia 264
V. De Principio 285
VI. De causarum diuisione, tractatione 297
VII. Quòd diuina voluntas omnium essentiam habentium, causa & principium primum 300
VIII. De 4. causis propriè generalibus, generaliter 301
IX. De modis causarum 306
X. De initijs causarum in genere, & deinceps in specie, de initio causæ à Deo & necessitate 308
XI. De natura initio 309
XII. De causa à fato & fortuna 311
XIII. De principio à voluntate, & appetitu 316
XIV. Axiomata causarum 317
XV. De medio 319
XVI. De fide 325
XVII. Axiomatum finis 338
XVIII. De maioritate & minoritate 339

# ELENCHVS CAPITVM HVIVS II. Tomi COMMENT. SYNTAX. Mirabilis Artis.

## LIBER QVARTVS.


| | | |
|---|---|---|
| I. | CAPVT I. De bonitate & malitia vtrum sint | pagina 343 |
| II. | Quid bonitas & malitia | 353 |
| III. | Quòd bonitas sit essentia rerum à vere existente Deo procedens | 365 |
| IIII. | Vnde mala sint | 380 |
| V. | De Vltimis Verbis finitionis bonitatis | 393 |
| VI. | Docetur acceptabile bonum esse | 400 |
| VII. | De accommodato | 403 |
| VIII. | De æquo | 411 |
| IX | De benemerito | 434 |
| X. | De communicatione | 444 |
| XI. | De desiderabili | 448 |
| XII. | De donis Dei | 450 |
| XIII. | De digno | ibid. |
| XIV. | De essentia | 454 |
| XV. | De fœlicitate | 456 |
| XVI. | De grato | 473 |
| XVII. | De honesto | 489 |
| XVIII. | De libertate | 514 |
| XIX. | De mortis cogitatione | 521 |
| XX. | De Nobilitatis bono | 539 |
| XXI. | De pacis bono | 544 |
| XXII. | De bono perfecti | 547 |
| XXIII. | De rationis bono | 548 |
| XXIV. | De sancti bono | 550 |
| XXV. | Verum quod bonum sit | 554 |
| XXVI. | Vtile quod sit bonum | 555 |
| XXVII. | Quare bonitatis fiat disquisitio | 557 |
| XXVIII. | De axiomatibus electionis boni | 561 |
| XXIX. | De magnitudine Transcendente | 564 |
| XXX. | De distinguenda magnitudine | 567 |
| XXXI. | Regula Magnitudinis | 577 |
| XXXII. | De durationis sive permanentia | 580 |
| XXXIII. | De Abacis explicatione eorum qua durationem | |

tionem referunt 587
XXXIIII. De potentia 611
XXXV. De distinctionibus, & diuisione potentiæ 615
XXXVI. De Abaco potentiæ & eius explicatione 625
XXXVII. Regula potentiæ & potestatu 635
XXXVIII. De potentijs & principijs rerum, agitur facilbori via 639
XXXIX. De cognitione 641
XL. De definitionibus nominis & rei cognitionis 643
XLI. De diuisione seu partitione cognitionis 645
XLII. De Abaco cognitionis, & eius explicatione 660
XLIII. De appetitu & voluntate 679
XLIV. De Abaco appetitus & eius explicatione 695
XLV. De regulis appetitus 725
XLVI. De virtute 727
XLVII. Explicatio summaria diuisionis virtutis 732
XLVIII. De Abaco eorum quæ virtutem referunt, & de regulis 740
XLIX. De veritate ibid.
L. De definitione veritatis 745
LI. De partitione veritatis 752
LII. De veritate assequenda 755
LIV. De finitione & diuisione mendacij 769
LV. De hypocrisi, simulatione & dolo 771
LVI. De iactantia 778
LVII. De falso 779
LVIII. De calumnia, tergiuersatione, & prauaricatione 780
LIX. De periurio 783
LX. De ambitione, arrogantia, ironia, & ostentatione 785
LXI. De proditione 786
LXII. De susurronibus, & adulatoribus 790
LXIII. De gloria & quòd omnia quandam gloriam desiderent 798
LXIV. De definitione & diuisione gloriæ 800
LXV. De inani & falsa gloria latius 813
LXVI. De Abaco gloriæ 822
LXVII. De luce & lumine 831

## LIBER QVINTVS.

I. CAPVT I. Generaliter de prædicamentis pag. 839

| | | |
|---|---|---|
| II. | De substantia | 843 |
| III. | De diuisione substantiæ | 847 |
| IV. | Axiomata substantiæ ex Aristotelis Categoriis & aliorum sententia | 854 |
| V. | De quantitate | 856 |
| VI. | De relatione siue ad aliquid | 859 |
| VII. | De agere vel actione & passione, & de opere | 862 |
| VIII. | De vbi prædicamento | 868 |
| IX. | De loco & vacuo | 870 |
| X. | De positione vel situ | 873 |
| XI. | De quando | 875 |
| XII. | De tempore | 876 |
| XIII. | De habitu | 884 |
| XIV. | De qualitate | 887 |


Elenchi huius secundi Tomi

FINIS.

# COMMENTARIA IN PROLEGOMENA SIVE PRIMVM LIBRVM ΣΥΝΤΑΞΕΩΝ artis mirabilis.

## LIBER PRIMVS.

### *De omnibus posse disputari, & omnium cognitionem quandam haberi.*

### CAP. 1

PRINCIPIORVM principio inuocato, atque artiũ, scientiæ, & bonorum omniũ largitore placato Deo, suffragiis Deiparæ sanctissimæ, & aliorum piorum cœlitum accitis: moneri expedit, initio Deum Optimum Maximumq;, creasse rerum thou & banu, materiam scilicet & formam, ac vniuersi ornatum: vltimum autem creationis sex dierum opus fuisse hominem, vt omnium quæ in cœlo, quæve in terra, naturam, & vim, in vnam veluti epitomem referret eximiam: non secus ac periti artifices faciunt, qui totius operis molem prius mente agitant, partibusque conuenientibus distinguũt, deinceps reipsa consummatũ in lucẽ educunt opus. Vt non immerito in hoc homine & cœlestia, inuisibilia, & terrena, & visibilia, quæve ex his cõponuntur, quodãmodo naturã propriã recognoscant, eiq; vt affini & cognato inseruiant, sicuti latius, cum de homine tractabimus, Deo iuuante, explicabitur. Quod in primis persuadere potest, omnium rerum cognitionem homini esse necessariam: quin etiam illi fuit imperatum, seipsum nosse: & Moses olim quemque sæpe admonuit his verbis, Attende tibi. Quæ quidem sui notitia, est rerum omnium absolutissima disputatio, per quam paulatim & perfectiori certioríve ordinato tramite ad Dei notitiam perueniamus: etsi illa sit perdifficilis, quandiu corporis huius pondere & vinculis deprimitur. Corpus quippe, vt ait Salomon, *Sap 9. d.* quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem: ex quo homo in turpe prolapsus delictum, contumax legi impositæ de non edendo fructu ligni vitæ, caliginem ignorantiæ subiuit, vt nec

minimum quiduis planè cognoscat: & quod anteà infusa cognitione perfectè nouisset, nunc nō nisi summo cum labore discere, idq; imperfectè & lippis oculis cernere potest. Proinde lucubrationes & vigiliæ, quæ in studia impenduntur, ab Ecclesiaste *Eccles. 1.* dicuntur nomine occupationis pessimæ. Et proposui, inquit, in animo meo quærere & inuestigare sapienter de omnibus: hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparētur in ea. Additq; quod in doctrina & sapientia, prudentia, stultitiaq; dignoscenda nihil aliud versetur, quam labor & afflictio spiritus: atq; in multa sapientia maximam esse indignationem: & addentem scientiam, addere & laborem. Quamobrem in hac parte egemus necessariò arte aliqua & methodo: alioquin non possumus à tam implexo labyrintho nos explicare, nec quæstionem propositam D. Ioanni Baptistæ à Iudæis, dissoluere. *Ioan. 1.* Tu quis es? Porro si ignoras te, ô pulcherrima anima inter mulieres, hoc est inter alia opera Dei, egredere & expergiscere à graui ignorantiæ somno, & abi post vestigia gregum tuorum, contemplare, inquam, ordinem rerum creatarum, in quibus discres rationem tuæ præstantiæ, admirabilem rerum nexum, altitudinem & profundum scientiæ & sapientiæ incomprehensibilis demiurgi & architecti omnium Dei, vt admonet Salomon, *Cant. cap. 1.* Sic proprium dicitur hominis scire per causas: quas quidem probè cognoscemus, si nos ipsos perfectè cognouerimus. Quod vt assequamur, nobis explicanda multis antè seculis incognita ars, certis legibus & præceptis concludenda erit. Verùm antè remouendus est vulgi erroris scrupulus, dū nouum putant, & ferè inauditum, artem & scientiam aliquam esse, qua in omnibus eruditamur, & per quā ratio de omnibus aliquā reddi possit. Cùm scriptum sit, *Eccles. c. 1.* Cunctæ res difficiles: non potest homo eas explicare sermone. Et rursum, Ego Ecclesiastes fui Rex in Hierusalem, & proposui in animo meo sapienter inuestigare de omnibus, quæ fiunt sub Sole, &c. Vidi cūcta quæ fiunt, & ecce vniuersa vanitas. Addit Plin. *lib. 2 hist. nat c. 12.* omnium rerum posse adferre causas, non minùs mirum esse, quàm constare in aliquibus. Et Virgil. *In carm. de Aethna.*

*Quæ mortalis spes est, quæ amentia maior,*
*In louis errantem regno perquirere Celle.*

Suffragatur Saluius Iulianus, cognomento Seuerus Mediolanensis iuris peritissimus, Iaboleni discipulus, qui inter respon-

responsa, frequentatum illud edidit *l. non omnium. l. 19. de legibus lib. 1. Pand. tit 3.* tritum apud iuris vtriusque studiosos. Non omnium quæ à maioribus nostris constituta sunt, rationem reddi posse. Sunt aliorum testimonia, qui subscribunt huic sententiæ, non tam excusandæ ignorantiæ gratia, quam quia ita rerum experientia cognouerint, seriò de rebus diuinis philosophati: docueruntq; mortaliũ cognitionem, ad illum conscendere gradum non posse, vt omnia Dei opera, imò nec minima, possit plenè indagare. Et tanquam curiosam & extra cãcellos infirmitatis humanæ, discendi nimiam cupiditatem, potiùs mortalibus inutilem & noxiam, procul ablegauerunt. Suadet & ratio, quæ eũ qui non inuenerit omnium causam moneat, & cogitare debere se hominem esse, Deo ipso sine proportione inferiorẽ, Deique ad mensuram sapientiæ participem, non illi æqualem, non similem: tantoq; Dei cognitione minorem, quanto excellentia naturæ eius vincitur: & limitatam cùm habeat & circumscripram naturam, cognitionis infinitæ non esse capacem, vt doctè scribit D. Irenæus, *lib. 2. contra Haret. c. 43.* Accedit non tantùm vanum esse cognitioni rerum omnium se immiscere, sed & impium de aliquibus disputare velle: veluti de Dei essentia incomprehensibili dogmata velle ratione humana explicare: non aliter, quàm si quis vellet mare omne cribro includere, globum vniuersi pugno constringere. Cùm finiti ad infinitum nulla sit proportio. Stultè omninò hæc proculdubiò videtur quis moliri: stultiùs autem creaturam cum creatore de cognitionis similitudine certare, dignumq; potiùs diuina animaduersione & vindicta: scrutator enim diuinę maiestatis opprimetur ab ea. Nec bonum est multum mel comedere: vt habetur in Prouerbiis hagiographis: *Prouerb. cap 25. d.* & omnis bestia quæ tetigerit montem, scilicet celsitudinem Dei, lapidabitur, vt ait Deus in Exodo *cap. 19. c.* Sed neque ratio reddi potest, nec expedit quidem, de omnibus mysteriis actibúsve diuinis. Incomprehensibilia enim sunt iudicia Dei: quod D. Paulus *2. ad Cor. cap 12 a.* admonuit, dum raptus ad tertium vsq; cœlum ingenuè professus est, se ibi diuina & arcana audiuisse, quæ non liceret hominibus eloqui, vt multò magis non liceat de his rationem veluti de dubijs reddere: cùm diuina, veluti indubitata credi debeant, & non agitari. Ideò idem D. Paulus animo voluens supereminentem Dei essentiam, totus in admirationem raptus exclamat *ad Rom. c. 11.* Altitu-

Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quã incomprehensibilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ eius: quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? Hoc & Moses iussu oraculi erigens tabernaculum Deo figuris inuolutè explicauit, *Exod. 25. b.* dum duos Cherubinos ad latera propitiatorij adiecit, qui expansis alis velabãt oraculum: & Isaias, *cap. 6 1.* Seraphim dixit in throno altissimi velare alis faciem & pedes Domini: indicantes per hæc adyta, incomprehensibilem Dei maiestatem esse. Diuus etiam Cyrillus Archiepiscopus Hierosol. *Catech. 1. illuminat.* proprietates, inquit, Dei eloqui non licet, nec possumus: & in his quæ de Deo dicuntur hæc maxima scientia est, ignorantiam fateri. Magnus item ille Basilius Cæsarienſis Episcopus, *lib 1 contra Eunomium, de quali. Spirit. san.* docendo Dei proprietates, eas esse ait humano ingenio incomprehensibiles, & arrogantiam summam de illis disputare: quæ rursum alibi repetit, *Super Ps. 115, de subst. an.* idq; ob nostræ mentis infirmitatem. Vnde & Dionysius Areopag. testatur, *lib. 1. de cæl. hier. ar. cap. 1.* non esse possibile aliter illucere diuinum radium nobis, nisi per varietatem velaminum sacrorum anagogice circumuelatum: & nisi prius sit secundum nos, vt ait, hoc est accommodatè, prouidentia paterna connaturaliter & propriè præparatum. Additq; *cap. 2.* idcirco in uisionibus sacrosanctis Spirituũ figuras effingi imagine boum, aquilarum, rotarum, leonum, volatilium, & huiusmodi. Subscribit D. Ioan. Damascenus. *li. orthod fid. c. 1.* ἄῤῥητον τὸ θεῖον καὶ ἀκατάληπτον: θεὸν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, id est, effari nequit vel comprehendi diuinitas: Deum namq; nemo vidit vnquã, eò quod, vt ait D. Paulus, *1. ad Tim cap. 6.* Deus inhabitat lucem inaccessibilem: & nubes, & caligo, vt Dauid, *Psal. 96.* in circuitu eius. & rursum, *Psalm 17. b & 2 Reg. cap. 5. d.* caligo sub pedibus eius. Cum hac & apparuit Mosi: *Exod 19. b.* & in horrore magno & tenebroso, Abrahamo, pactum cum illo initurus. *Genes. cap. 15.* Et quid diutius immorer in singulis persequendis, quæ sacrosanctæ narrant literæ, cum nobiscum gentilium authores consentiant? Inter quos insignis anteſignanus erit Corn. Tacitus, *lib de moribus German.* Sanctius & reuerentius, inquit, visum est gentilitati, de actis Deorum credere, quàm scire. Nemo autem dubitat, scire, dictis philosophantibus idem quod per causas cognoscere: & ideo scientiam repellendo, repulsam curiosam per rationes humanas,

nas.disquisitionem,non cognitionem fidelem.Nulla enim est similitudo perfecta Dei, quia non nisi vnus,quamuis sit trinus in persona : nulla causa originalis, à qua possit dici Deus,cum sine principio : nullum accidens in Deo, neque alia in eo sunt, quæ alij conueniant : vnde per alia, nec per rationes alias, quàm per seipsum, & à seipso perfectè cognosci & sciri possit. Itaque Plato *In Cratylo.* audacter, sed verè dixit, fatendum esse nos nihil de Deo cognoscere, neque de ipso, neque de illius nominibus, quibus seipsum vocat,quanquam constet eum seipsum vero nomine nuncupare: tractandumque de ipso, prout in lege homines acceperunt. Quod de essentia Dei intelligendum est,vt nullis rationibus assequi illa possimus,nisi eatenus, quatenus nobis in lege & oraculis, & per ipsum dominum nostrum IESVM CHRISTVM reuelatum extitit. Consentit Proclus *Loco quo tractat de inuentio. patrũ.* dum ait, nos perfectè venari non posse Dei cognitionem per sensibiles & compositas rationes, Quia si id fieri posset, accideret vt *parem vim ingenij* haberet homo ac DEVS, imo maiorem, si ipsum vt est comprehenderet : latius enim patet continens contento, pro facultate & modo continendi : & ita animus qui comprehenderet DEVM,qui spiritus immensus, & interminabilis, & infinitus est,infinitus esset, & maior infinito, si infinitum vt est continere & complecti posset, & ita maior DEO esset, & ipse DEVS quoque. Quod effari, etiam præter blasphemiam, quam absurdum sit, nemo est qui non videat : quandoquidem nullo modo fieri possit, vt infinitum,quod est *Deus*, contineatur & comprehendatur : nam tunc non esset infinitus, sed finitus, si esset comprehensibilis. Neque fieri potest *Deum* esse comprehensibilem:nam si esset comprehensibilis,illud quod eum comprehenderet esset potiùs *Deus*, tanquam maius & præcipuum & antiquius, & summum. Summum autem, & supremum quod est, quodque per se est, & super essentiam, & ab alio non dependens,sed ex seipso, & in seipso, necesse est vt sit *Deus*. Quod & nouit Sibylla Erythrea *Libro 1. ἐξηγημάτων 1. oraculorũ. ἀλλὰ θεὸς μόνος εἰς παντοκράτωρ*, Sed *Deus* vnus solus omnium supremus : quod & citat *D.* Clemens *In protreptico.* Alphraganus etiam Arabs *lib. quem de scientijs scripsit*, voluit res diuinas, ac pura fide credibiles altioris esse ordinis, à quarũ cõprehensione debilitetur rationes humanę, nec illas queas assequi. Itẽ

Theophra-

Theophrastus *In suâ Metaph.* sic notat μέχρι μὲν ἂν πνὸς δυνάμεθα δι' αἰτίας θεωρεῖν, ἀρχὰς ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων λαμβάνοντες. ὅταν δ' ἐπ' αὐτὰ τὰ ἔσχατα καὶ πρῶτα μεταβαίνωμεν, οὐκέτι δυνάμεθα: εἴτε διὰ τὸ μὴ ἔχειν αἰτίαν, εἴτε διὰ τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν. quod est, hucusque ad aliquid quidem possumus speculari per causas, primordia à sensibus sumentes: quando autem ad ipsa extrema & prima transierimus, non amplius possumus: siue eò quòd non habeamus causam, vel propter nostram impotentiam, & mentis debilitatem. Nam eius rei, cuius non est prius, demonstratio esse non potest vlla: & consequenter nec à nobis explicationem ex nostris suscipere potest. Quod & nouit Plato *In Crat.* Sed melius, atq; omnino expresse versibus quatuor expressit Euripides *In Troadib. actu 4.* vers. 24. inducens loquentem Hecabē his verbis.

Ὦ γῆς ὄχημα, κ' ἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν,
ὅστις ποτ' εἶ σὺ δυσχερὴς σ' εἰδέναι
Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεως, εἴτε νοῦς βροτῶν
Βαίνον κελεύθους, σὲ δικλῶ τὰ θνητ' ἄγλα. id est,

*O terra & vehiculum, & in terra sedem habens,*
*Quisquis tandem es, inaccessa nostris animis*
*Iupiter, siue natura ordo sit ferendus, siue mens mortalium,*
*Te veneror: omnia enim secreta & sine strepitu (mana.*
*Qui facis incedere via, & iusto libramine mortalia & hu-*

Quocirca cuique videri potest necessariò concludendū, artem generalem ad omnia enucleanda inutiliter & vanè nos polliceri: cum nec omnia à mortali intelligi possint, sitque id proprium Dei, omnia scire & omnia nosse, & extra illum neminem esse, qui id sibi attribuere possit. Et ita etiam testantur qui Deum vere non nouerant, vt & Sibylla Erythrea *lib. 2. Sibyll. orac.*

ἀθάνατ' σωτὴρ πανεπίσκοπ', ὅς ῥ' ἐκέλευσεν
ἀγγέλλειν ὑμῖν, ἵνα μὴ φρεσὶν ἐξαπολῆσθε. id est,

*Omnia nanq; nouit*
*Immortalis saluator, qui omnia prouidet, & me iussit*
*Nunciare vobis, ne mente pereatis.*

Firmat Maximus Tyrius *Sermone 31.* a Et apud Homerum *Odyss. Vers.* 379 Menelaus Idotheam filiā Prothei marini senis alloquens, pro Dea eam affatus sic ait: ἀλλὰ σὺ πρός μοι εἰπὲ, θεοὶ δέτε πάντα ἴσασιν, sed tu dic mihi,

Dei

Dei enim omnia norunt & sciunt. Quod certè & defæcatiùs cecinit Dauid, *Psal. 18. a. vers 4.* Ecce Domine tu cognouisti omnia, nouissima, & antiqua. Salomon oratione sua ad Deum, *3. Regum ca. 8. e. ver. 39.* Tu nosti, inquit, solus cor omnium filiorum hominum, quod etiam scribitur rursus alibi, *2. Paral c. 6. eo. vers 30.* ne quis putet ea dicta temerè sed prouide: atque Apostoli orantes repetunt, Tu Domine, inquiunt, qui corda nosti omniũ, ostende quem elegeris. *Act 1. d. f. l. 24.* Et Baruc, *cap 3. d. 9. 32.* Qui scit vniuersa, nouit eam sapientiam, & adinuenit eam prudentia sua. Et paulò pòst, Hic est Dominus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Iterumque Salomon, *Sap 9. b. vers 9.* Rerum sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & adfuit tunc cùm orbem terrarum faceres. Nouit autem ille eo modo, vt omnia sciat, & nouerit antequam fiant. Sic enim professa Susanna calumniis impetita apud Danielem, *cap 13. a vers. 42.* Deus, inquit, æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsùm testimonium attulerunt contra me, & ecce morior, cùm nihil eorum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt contra me. Neque quicquam simile de hominũ aliquo quis, nisi fuerit amens, efferre vnquam audeat, vt cuncta nuda & aperta oculis mentis eius sint vt omnia nouerit. Imò contrà plures fuerunt, qui nec aliquid ab hominibus sciri posse dixerunt, nihil percipi, nihil cognosci, & angustos esse sensus, imbecilles animos, brevia curricula vitæ, & (vt ait Democritus) in profundo veritatẽ esse demersam, opinionibus omnia inuolui, nihil teneri, nihil veritati relinqui, & in summa omnia tenebris circumfusa. Itaque Archesilaus negabat esse quicquam quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod sibi Socrates reliquisset. Sic omnia Socrates & alij latere censebant in occulto, neq; esse quod cerni aut intelligi posset. Quod & Carneades & Plato, & tota vetus Philosophorum turba putauit, qui ideo omnia in vtramuis partem disputantes nihil certi reliquerunt, vt testis est Cicero *lib 3. Acad. quæst in fine.* Galenus etiam Pergamenus *tomo vlt. in Isagog. lib qui Medicus inscribitur.* Scientia, inquit, est conueniens, firma, & nunquã à ratione declinans cognitio: eam autem neque apud Philosophos, præsertim dum rerum naturas perscrutantur, inuenias, multò sanè minùs in re medica: & vt breuiùs me expediam, nec ad homines quidem vnquam venit. Atque

idem *tom. 4. lib. 7 de differ. pulsi in initio.* scientiam in dubium reuocat: naturaque probare ex eo, quòd non omnibus idem videatur, neque honestum, neque sapiens esse, neque verum: & inde necessariò existere contentionem. Nam etsi maximè fuerint ea definita, non tamen ideo scio: sed est in omnibus opinio, ex qua par est nasci controuersiam, vt sentiunt illi qui scientiam firmam esse & congruentem ducunt, sed non facilè inueniri. Pindarus autem rationem mihi reddere eximiè videtur *Olymp. ode 7. strophe 3.*

ἀμφὶ δ' ἀνθρώπων, φρεσὶν ἀμπλακίαι ἀναβύμιοι κρέμανται. — id est, circa autem hominum mentes errores innumeri pendent.

Et Plato *in Sophista, vel de ente* nullum hominũ omnia scire posse, contendit: vt Maximus Tyrius *serm. 26.* humanũ animũ ait mirum in modũ imbecillem, facilemq; ratiocinationibus in omnem partem flecti: quod videlicet in hac secunda vita densissima caligine circumdatus sit. Ideo & peritum etiam viatorem aliqua rupe, cœno, foueáue decipi: peritum nauitam non semper rite gubernare: medicum terreri etiam peritum ignotis, & probat Lactan. *lib. 3. in fine de fal. sicen.* Quæcunque omnia vera sunt, & quæ nos pollicemur, nihilominus verissima: nempe artem esse, per quam de omnibus ratiocinari poterimus, omniáue cognoscere. Verùm hæc cognitio & ratiocinatio non transgreditur humanas vires, sed secundùm illas, quibus placuit Deo opt. maximo præditam fore hominis mentem, regitur. Quæ enim alterius cognitionis obiecta sunt quæue alio modo, quàm ratiocinatione noscuntur, non veniunt in hanc tractationem, vt docebimus. Sic verissimum est, neque pugnat quod scribitur *Eccles. c. 3 versu 22. 23. 24. 25. 26* Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non est tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre tuis oculis. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter: &, in pluribus operibus eius non eris curiosus plurima enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi: multos enim supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum. Nos namque quid sit substantia Dei, vel essentia, quæ sit eius perfectio, siue Angelorum, siue cœlestium, siue reliquorum, perfecte, & ut sunt, inquirere non docemus: sed rationes & causas adferre, quare ita esse

esse persuademus. Rationum quippe omnium cumulus eò pertinet, vt aliquid tale esse persuadeatur: atque tamdiu nostra ars locum habet, non vltrà. vbi enim persuasum est, cessat ars, & remanet veritas, nota vel per se, vel firmiter credita, neque dubitatione amplius interpolata. Quin & rationes de diuinis, imò de inquisitione circa essentiã Dei traduntur: nõ quòd ostendant omnem essentiam, sed quia per considerationem Deitatis expellant de essentia inquisitionem. Vt quia Deus est incomprehensibilis, immensus, infinitus, omnipotens, omnia in omnibus, & nihil eorum, in quibus virtutem exercet: rationes quoque sunt circà incomprehensibilitatem essentiæ, non tamen docentes essentiam, nisi per consequens, nempe incomprehensibilem, & ita Deum. Quibus infinitæ possunt addi per nostram artem probationes aliæ. Idem de secretis, admirabilibusque Dei effectibus in creaturis, dicendum. Ex quibus etiam Dei cognitionem, & eius admirandæ maiestatis admiranda & inuincibilia colligimus contra incredulos argumenta quæ ad cœlestia, inuisibilia, & immortalia certa arte nos deducunt, admirabili operum Dei connexu & catena: quæ ordine per nostram artem, veluti filo Ariadnes Theseus, extra hæc caduca & inferiora tracti, ad superiora euehimur, vsque ad illud ineffabile primum, quod Deus est. Et ita loquitur Paulus *ad Rom. cap. 1. c. ver 18. 12. 19 20.* Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominũ eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinẽt: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis reuelauit: & inuisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles: quia cùm cognouissent Deum, non tanquam Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum: & quæ sequuntur. Et Iob *cap 12. a b. vers. 7. 8 9.* Interroga iumenta, & docebunt te: loquere terræ, respondebit, & narrabunt pisces maris: quis ignorat quòd manus Domini hæc fecerit? Adde sacra oracula, Spiritus sancti reuelationes, sacras literas, quæ rationum nobis rerum diuinarum abundè suppeditant fontes: non quidem omnibus, sed iis, qui animum adhibent & inquirunt, & in lege meditantur, prout iubetur libro Iosuæ *cap. 1. b. vers. 8.* Veluti terra non omnibus fructum producit, sed tantùm diligentibus agricolis, & assiduis cultoribus: sic

enim homini, qui labori addictus est, Dei sententia comparatum est, vt nihil optimi vel excellentis citra sudorem consequatur. Nec quis nucleum edit, quin decorticet: autique venas non in præruptis montibus quisquam colligit, quin priùs immensis laboribus cuniculos duxerit omni ex parte per viscera terræ, donec ad venas per silices perueniat. Eo modo maximus labor certè in rerum veritate eruenda, inter tantas tamque densas hominum carnalium tenebras: & multas conuenit tentare vias, vt præcipitia falsitatis vitentur. Minor tamen labor itineris, si quis edoctus fuerit viam compendiariam, quæ, quò quis proficisci velit, & se & alios leui negotio deducat: quam nos docemus. Quænam illa quæris? rationis, inquam, est discursus, & caussarum relatio: quæ duo, nempe ratio & caussæ, cùm aliæ sint & diuersæ à re ipsa, tamen ad rem ipsam viam sternunt facilem. Nihil enim in terra sine caussa fit, ut scribit Iob *cap. 5. vers. 6.* & Arnobius *lib 7. contra gentes.* Quicquid geritur, inquit, debet habere caussam sui, neque ita esse à ratione seiunctum, vt in operibus feratur cassis, & vacuis ludat inanitatis erroribus. Et rursus *eod. lib.* Quæcunque ab hominibus fiunt, maximeque in re sacra, debent habere suas caussas: neque sine ratione est quicquam in negotiis omnibus, atque in omni administratione faciendum. Et laudatur Antonius Pius Cæsar, quòd omnium quæ gessit in senatu, per edicta rationem reddidit, vt scribit Iulius Capitolinus *in eius vita.* Et miserorum verè refugium est, imò certè alienum ab interiori homine qui ratione vtitur, non posse rerum discernere caussam aliquam. Et quanquam nō possit caussam essentialem reddere, quæ in omnibus à creatione Dei virtute natiua consistit: brutum omnino est, si saltem vel quod ita placuit, vel vtile, vel honestum, vel conueniens sit, non ratiocinetur vel à fine, vel efficiente, vel ab aliis mediis, quæ nos trademus. Mouet nos ad id Dei illa prouidentia, qua quotidie audimus & experimur, nihil temerè, nihil sine ratione & caussa, non fato, non casu in essentiis fieri. Excitat & nos particularis nostra prouidentia, quæ dicitur prudentia, non esse animalis ratione vtentis, res aliquas, negotia aggredi, non actiones aliquas tentandas, sine examine præponderantium rationum, in quibus consultatio difficilis, electio periculosa, cùm sit discretio bonorum à malis, & in bonis bono melius reperiri possit: & aliquando præsens bonum contemnere expediat, & à nego-

negotio rationabili ad rationabilius traduci. Nam, vt ait Achilles apud Euripidem *in Iphige. act. 4. versi 209.*

Α' λόγοι λόγους καταπαλαίουσιν λόγῳ,

*Rationes antiquant rationes & tollunt.*

In summa intelligere possumus, ab hominibus consultò omnia fieri debere, & rationem factorum esse debere animam. Quam si hic non adhibeamus dum viuimus, futurum est à nobis à Deo exquirendam iri, quare non adhibuerimus. Dixit enim Dominus noster IESVS CHRISTVS *Matth. c. 12 c. versi. 6 53.* De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii: ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

*Esse debere aliquam artem generalem, adhuc docetur.* CAP. II.

EO ergo deducta est oratio, vt intelligamus, necessariò hominem scire & ratiocinari oportere: quod & latiùs, cùm se offeret locus, explicabitur. Et quia, vt ait Cicero *4. Epist. ad Attic. H. epist. 10. ex Phocis,* ἐδὲν γλυκύτερον, ἢ πᾶν εἰδέναι, nihil est dulcius quàm omnia scire: cumque hoc nō adversetur humanæ cōditioni, de omnibus, dūmodò non transcendamus humanæ scientiæ limites, inquirere: præcepta particularia quędam distincta ab inuicem, vnica generali arte concludi posse, qua inter se communicent, possibile esse mihi persuasi: si attentiùs consideremus, in omnibus rebus vnum semper reperiri genus, in quo species omnes participent & concordent, quanquam quibusdam proprietatibus differant: & per consequens satis superque constare, genere cognito plenè, & notionem specierum faciliùs sē offerre, non secus ac facilè fluminum sectiones in riuulos & partitiones cognouerimus, si à fonte ad loca separationis sequentes alueum peruenerimus. Sic & non inconueniens & impossibile quis reperiet, vnico instrumento diversa opera diuersarum artium perfici: quia vsus illius commodus diversis. Sicut & ex quatuor elementis particularia corpora commiscentur, sed diuerso modo: vnica vegetandi vi omnes plantæ, & animalia omnia participant, & crescunt: vnicoque corpore sensus omnes continentur: vnica mente artes omnes, & inuentiones comprehensæ: vnico supposito res corporales & incorporales consentiunt in homine, qui constat spiritu & corpore: cœ-

lum ipsum vltimum vno ambitu, motu, & influxu omnia inferiora naturaliter complectitur, agit, & mouet, & omnia in eo concordant. Et denique hæc omnia Dei vnico intellectu, & mente vna creata sunt, & reguntur: vt in Sole omne lumen participat stellarum, in iustitia virtutes omnes: in summa, in fœlicitate omnia cætera bona, in morte æterna omnis infœlicitas & mala vniuersa: Deus tandem & homo cõueniunt, & simul residen in vna hypostasi, nempe CHRISTO Domino nostro, qui & filius Dei & filius hominis, verus Deus & verus homo. Quæ cùm ita se habeant, & cùm communia contineant particularia (veluti qui ponit hominẽ, & statim ponere videatur particulares, & individua, Socratem, Platonem, & alios, vt scribit Arist. *4. de gener. ani. ca. 3.*) proculdubio & mens hominis & ratio ad omnes artes extendentur, si optima generali quadam sciendi & intelligendi methodo informentur, atq; facilè ad alias particulares peruenient cognitiones: veluti etiam in particularibus quibuscunq; disciplinis notiones sunt quædam præludia vniuersalia, ex quibus statim facilè ars conflatur, & peritia. Quæ per se certè arida & ieiuna, imò conficta sunt interdum, vel eiusmodi videntur: exempli gratia, mens humana in geometricis lineas, puncta, circulos, parallelos, & figuras ex his compositas adfinxit demonstrationis gratia, vt aliud significaret ad perficiendum artem. Musica habet suas claues, notulas, lineas, spatia: & singulæ ferè artes quædam alia, quæ animum tantùm, veluti ratiocinationibus quibusdam, ad id quod intendunt, præparant. Nónne etiam videmus, vsum literarum veluti quandam rerum omnium communem custodiam, & vocum, & conceptuum, & naturarum proprietatumque rerum cœlestium, & supercœlestium, & terrestrium præteritorum, præsentium, & futurorum? Si quis autem literas non norit, quæ tamen numero paucissimæ sunt, nec omnium quæ illis continentur, sine interprete erit particeps. Et si forsan aliqua illorum sine his nouerit, cæteris erit priuatus, non alia ratione, quàm quòd tam exigua, sed communia omnium elementa scripturarum, literas dico, non nouerit coniungere, & miscere. Latent & in mente scientiarum semina omnium, vt dicemus, & elementa. nam, vt scribit Alex. Aphrodiseus *lib. Probl. probl. 121.* substantia, scientiæ, sortes vniuersæ, animo insita sunt, quemadmodũ igni calor insitus est, vnde putauit Plato, animum nostrum reminisci,

minisci, non discere. Sed non omnes norunt, nec ea miscere didicerunt. Quocirca nec omnes ratiocinari pariter possunt: non pueri, nec ii qui spiritalibus prætermissis, cutem curant, Epicuri de grege porci. Neq; hi similiter, qui duobus vel tribus verbis compositis & conceptis, flatum te arcem sapientiæ expugnasse, sibi persuadent, quive omne studium in ornatu verborum & quadam phrasi corrasa desudant, vt queruli psittaci, & loquaces picæ, molæ ropalis circumquaque agitatæ remerè, contempta rerum inquisitione. Qua in re Menedemi laudabo sententiam, qui, vt Cicero scribit *1. de Oratore*, illas nugas rhetorum, & exordiorum, & alia quæ pro nugis habebat, rejiciebat ab arte bene dicendi, & bene de repub. consultandi: atque vllam artem esse negabat, nisi quæ cognitis penitusque perpectis, & in vnum exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus contineretur. Qua opinione adductus idem Cicero testatur sibi accidisse diuersos cognosse nonnullos, eloquentem neminem. Eloquentem existimans eum, qui mirabiliùs & magnificentiùs augere posset, atque ornare quæ vellet: omnesque omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo & memoria contineret. Istud visus est idem Cicero sibi comparasse in libris eloquentiæ suæ. Tamen nec is, nec eius scholæ homines, vnquam, vt existimo, consequuti sunt. Quanquam enim ii vnam & eandem rem verbis pluribus variare potuerint, non equidem contigit verè dicere, sed multùm & variè dicere: potiùs eo ipso à republica explodendi, quàm in cœtu hominum recipiendi, veluti impostores, fascinatores, vel interpolatores veritatis, vmbratilium orationum & spectrorum artifices, histriones & mimi nugiuenduli, omittentes veram & propriam materiam oratorum dicendi, quæ, vt etiam testatur P. Cornel Tacitus *Dialogo de Orat* consistit in iudiciis de æquitate, in deliberationibus de honestate, vel horum mixtione: de quibus, inquit, nemo variè, copiosè, & ornatè dicere potest, nisi qui cognouit naturam humanam, & vim virtutum, prauitatemque vitiorum, & intellectum eorum, quæ nec in virtutibus nec in vitiis numerantur. Olim pulsi vitibus etiam meritò garruli & vaniloqui illi rhetores, & nostri Christianæ philosophiæ antistites, verborum solùm architectos explodunt. Inter antiquos D. Paulus *ad Col c. 2. b. ver. 8.* videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem

fallaciam. Nam in multiloquio non deest peccatum. *prouerb. cap. 10. Vers. 19.* Et vir linguosus non dirigetur in terra, *Psal 139. c. Vers 12.* Qui enim multis verbis vtitur, lædit animam suam, vt scribitur in Eccles. *cap. 20. a. Vers. 8.* id est, multiloquio falsum adumbrare nitus, seipsum perdit. Et ista est egestas præcipua, de qua loquitur sacra pagina *prou. cap. 14. Vers. 23.* Vbi sunt verba plurima, ibi frequenter egestas: & alibi, in Eccles. *cap. 10. ca. Vers. 14.* stultus verba sua multiplicat. Multiplicat, inquam, quia quod falsum & per se inuisum est, multis verbis persuaderur. Vnde Paulus ab hoc crimine expresse se purgauit, ne mendaciorum videretur annunciator, *1. ad Cor. 2 a. vers 1.* Et ego cùm venissem ad vos fratres, veni, non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi. Et postea *vers. 4.* Et sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis. Et ad Ephesios scribens *cap. 5 b. versi 6* eos admonet dicens, nemo vos seducat inanibus verbis: propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Et rursum *2. Epist ad Timoth. c. 1. d. Ver 13.* discipulum admonet, formã eum habere sanorum verborũ, quam ei tradiderat. Nam, vt scribit Iulius Rom. Pontifex ad Diaconum, Flacillum, Narcissum, & alios, *Epist. qua legitur in 2. Apol. D. Athanas.* in rebus Ecclesiasticis, non specimen eloquentiæ, sed canones Apostolici requiruntur, operaque dari solet, ne quis ex pusillis scandalizetur. Et D. Basilius magnus *in serm. in Gordia mil. marty Cæsar.* Sacra, inquit, schola, præcepta Rhetorum aut institutã non sequitur nudam rerum expositionem pro encomiis habet, quam & nobis & sanctis satis esse existimamus. Rursumque eidem *lib Examer. hom. 6.* non sectamur, inquit, eloquentiam verborum, quæ apud vos suscipitur: neque concinnæ verborum structuræ studemus Apud nos enim non sunt qui verba tornando effingant, neque apud nos curæ est sonora vocum modulatio, sed vbique præfertur clara & expressa vocum significatio. D. quoque Bernard. *de consider. li ad Eugenium Papam.* apertius eloquentiæ nudæ à rerum cognitione corruptelam paucis explicat, dum ait, Verbosulum adolescentem & studentem eloquentiæ, cùm sapientiæ sit inanis, nihil aliud, quàm hostem iustitiæ reputes. Atque vt manifestis doceam Christianos non tantùm verbis, sed etiam re ipsa istos psitacos, verbososque iuuenes, abhorruisse, non piget

get referre historiam, quæ scribitur apud Cassiodorum *li. 7. hist. trip. cap 15.* ex Socratis historia ecclesiastica, narrat autem Eudoxium Arrianum sub Valente Cæsare Orientis, creasse quendam Eunomium sophistam & dialecticum atheum dictum, in Cyzico Episcopum & iussisse expellere Eleusinum. Illumque cùm illuc venisset, vsum more solito dialectica, quasi peregrinum aliquid auditoribus inferret. Quamobrem Cyzici tumultus ortus cùm esset, eum vrbe ciues expulisse, cùm ferre non possent fastum verborum eius. Nos etiam vt cum tantis viris consentiamus, atque vt tempori parcamus, quod multum teritur in ampullatis, & tumescentibus orationibus, verba venari & effundere sine ratione non docebimus, sed verba rebus inseruire. Siquidem methodus artis nostræ scopum habet, vt res explicet, & artes. Artis autem omnis præcipuum est, vera cum ratione dicere. Quod & Aristot. scribit *6 Ethic. cap 4.* τέχνη, inquit, ἡ ἕξις τις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική ἐστι· ἡ δὲ ἄτεχνία τουναντίον μετὰ λόγου ψευδοῦς ποιητικὴ ἕξις περὶ τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν. id est, ars est habitus faciendi vera cum ratione. Contrarium autem artis est, facere falsa cum ratione, circa id quod aliter se habere potest. Habitus autem & determinatio, in vnaquaque arte, veluti certorum præceptorum collectio, consideratur. Hæc non ad particularia, & individua applicantur, sed ad vniuersalia. Sicuti, qui de medicinæ arte disputauerit & eius subiecto, non Petrum, non Ioannem considerat. sed tantùm corpus humanum. Nam de particularibus, sicut de infinitis, scientia nulla est, vt tradit idem Aristot. *lib. 1. Rhetor. ad Theod c 2.* Et artem, eadem ratione vniuersalium cognitionem ait: sicut experientiam, particularium. Et alibi *lib. 1. Metaphysic. c. 1. & lib. 4. Polit. cap. 1* in cunctis artibus, & scientiis, inquit, quæ non circa partem, sed circa genus aliquod perfectè existunt, satius est considerare, quid cuique conueniat generi. Sunt namque in singulis artibus & scientiis quædam generalia & præcipua subiecta, quæ postea calculo exactiori in partes distribuuntur. Subiecta illa sunt veluti limites, quibus transcensis, ab vna in aliam artem vel scientiam traducimus: Et arithmetices subiectum, numerus: astrologiæ, cœlum: geometriæ, passiones, & corporum magnitudines: iustitia, iuris ciuilis, & sic de similibus, quæ hæc omnia in nostra arte rationes sibi comparare pos-

sunt: sicuti & Arist *d lib.1. ad Theod. c.4.* earum omnium effectricem rhetoricam ratus est, in qua facultas discutiendi quod in vnaquaque re probabilius videatur. Nam quòd artes omnes communibus quibusdam inter se vtantur vinculis vt idem Aristoteles tradit,& Cicero *Arist.1.Ethic.c.11. & Cic.pro Arch poeta.* videtur mihi caussa vnica. communis mentis natura,quæ inest omnibus hominibus,& ratio, qua quilibet homo insignitur. Et, si velis exemplo familiarius id discere. periculum licet facere in rusticis & imperitis alicuius artis: quibus si proponatur quæstio quædam artis ignotæ, conabuntur ex mentis notione communi hominibus, vtcumque ratiocinari: verùm confusè & impolitè & sine ordine, non tamen sine ratione.nam rerum experientia & animi exercitatio, superflua & incondita in animo disponit: vnde artes ortæ, vt non tamen mens ex arte, & ratio, sed tantùm rationis ordinatio fiat:veluti aurũ, quod ab scoriis & fæcibus metallorum expurgatur, nõ accipit ab artificibus naturam & essentiam, sed candorem & superfluorum repurgationem. Vt simile quiddam accidat animo, qui cum multis passionibus & opinionum erroribus obtenebretur,veluti fæcibus extra naturam ascitis. Dei potissimùm lumine, cuius vultus lumen super nos signatum est, artificio quodam,ad puritatem & lucem suæ præstantiæ educitur, & purgatur. Et Galenus *lib. de arte curat. ad Thrasybulum* fatetur,quandam esse artem,quam tamen non docet, quæ & reliquas constituat. Et persuasum habent Philosophi, vt tradit Aristoteles *Metap.11.* omnis entis ad vnum aliquid & commũne fieri reductionem. & docet longa oratione Galenus *ad Thrasyb. de arte*, alibi,scientias & artes alias aliis supponi. Legimus & apud iurisconsultos & alios, iurisprudentiam complecti diuinarum & humanarum rerum scientiam: in his autem omnia. item Arist. *lib.1.de part.anim cap 1.* Intellectus, inquit,siue mens, rerũ intelligibilium est: itaque rerum omnium notiones,naturalis vna tenebit. Et Plato *libr.siue dial.7 de Rep vel de iusto.* omnes scientias, sine dialectica cæcas dicit esse.

## *Quid sit ars nostra magna.*
## CAP. III.

TRansacta enim & sopita controuersia,qua difficile, imò ferè impossibile esse de omnibus caussas exhibere persuadebatur: cumq; iam docuerimus posse nos de diuinis, & per

& per diuinas rationes, determinare, per visibilia ad inuisibilia, veluti certis quibusdam ducibus peruenire. Reliquũ est, vt quæ sit illa ars, aperiamus, per quam scandere per mirabiles illos gradus tutò & breuiter, compendio temporis valeamus: quæ permaximè iucunda & optata diu ab studiosis est: cùm vita sit breuis, ars longa: & nõ solùm in medicina, vt aiebat Hippocrates *in prin. aphoris.* experientia periculosa, sed etiam ferè in humanis omnibus actibus, quorum exigua experientia præcipiti volatu, caniciem cũ periodo adjicit: vt fuerint plures, qui naturam, non ausi dicere Deum, incusauerint, quòd coruis diuturniorem & lõgiorem vitam, quàm hominibus dederit. Blasphemi certè, & nimium queruli: cùm hominis sufficiens sit ætas, quantumuis breuis, pro necessariis exequendis. Quam tamè plerique terunt, & ferè omnes, non in disquisitione veri, sed in contradictionibus vanis, & inutilibus sermonibus: alii voluptatibus, alii in parandis mammonæ miseræ aceruis, quibus quidem ætas breuis esset non solùm ceruorũ vel coruorum, sed & totius æui & mundi vniuersi: insatiabilis enim est cupiditatis sitis. Vellent & ii lubentissimè corporis voluptatibus, & acquirendis diuitiis, & eorum curis, sithulque & scientiæ parandæ, tempus ex animi sententia dari: cùm tamen fieri nequeat, vt qui implicitus est & irretitus numellis & retibus voluptatum, aut diuitiarum, bene vnquam philosopheturr: vtque, qui animam habet his tumulubus conspurcatam & dementem, probè possit de eximiis & altioribus diiudicare. Quocirca primus huius artis gradus & basis est, animum ab his sordibus & extraneis passionibus repurgare, & Deo coniungere, in quo vera scientia, quique dat omnibus affluenter, pro modo dispositionis & purgationis animæ. Non enim in maleuolam animã introrbit sapientia, vt ait Salomon, nec in corpore subdito peccatis: & Plato *lib. 14. qui Ion, vel de furore poetico inscribitur*, cuique etiam certi facultatem à Deo tribui, certi cuiusdam operis, iudicandi, testis est. Sequitur deinde illud quod est confusionis mentis, & indispositarum cogitationum coordinatio, in quo latet tota artis nostræ methodus: docet enim omnium præceptorum quæ diffunduntur per res, & scientias, artesque particulares, in certa capita reductionem ordinatã, ex cuius cognitione postea mens dispensat ordinatè & inconfusè propria vnicuique negotio oblato: disputando, tractando, consulendo, probando·

bando, vel refellendo, vel docendo, vel eligendo hæc enim in omnibus locum habet. Ars quippe omnis, vt ait Plato *lib 24 in Gorgia.* de aliqua re persuadet, sed diuerso modo, caussæ rerum diversitate connectuntur & considerantur, veluti & vnum & eundem angulum rectum faber, & geometra, diuerso modo tamen inquirunt: fines enim sunt diuersi, sed media ferè eadem: & ita de angulo tradit exemplum Arist. *1. Ethic. cap. 7.* Et Galenus *lib ad Thrasibul num ars tuenda sanit. ad medicinam spectet tom. 2* scribit, materiam non distinguere artes, quia & illa plerisque communis. sed fines, ad quos dirigûtur præcepta particularia, & interdum communia Sic nostrum corpus quatenus naturale est, physicæ scientiæ subiectum esse quis dixerit: quatenus sanitatis, medicinæ: quatenus bono habitu præditum, exercitatoriæ. Ideo qui hæc separatim discutit, diuersos fines cognoscere debet, & sic præcepta particularia ad finem tendentia: & idem Galen. ferè eadem alibi *in lib Hippocrat. qui quæ in medica trina fiunt, inscribitur communiter libro 1. tom. 6. & tom. 8. lib. de medica arte constit.* Qua ratione & nos in hac arte magna ne quid deesset particularium finium, singularum scientiarum, veluti quoddã epitome contexuimus, vt Dei beneficio & nostro medio, quicunque nostras habuerint lucubrationes, nullis aliis libris, vel certè pauciſſimis egeat ad scientiarum encyclopædiam addiscendam. Nam (quod verè admirandum est, & vnde ingentes gratiæ maioribus qui iter indicârunt artis, & ichnographiam tradiderunt, habendæ sunt) si bene animaduertas in hac quam tractamus arte, omnes scientiæ particulares, & earum præcepta sub generalibus continentur expressa: tractanturque in ea physica, metaphysica, actiuæ, factiuæ & contemplatiuæ artes: vt meritò ars magna, seminarium magnum, & scientiarum omnium directio & probatio nominanda sit, & lapis quidam Lydius, per quæ verum à falso dogmate separatur, vt illo aurum ab aliis distinguitur metallis. Qua melior certè nulla alia esse potest. Hinc procedit, singulorum intellecta distinctione, statim artium particularium distinctio. Siquidem cuiusque artis constitutio, ex discrimine propriorum à communibus oritur, vt ait Galenus *in comment. in lib de victus ratio in morbis acutis tomo 6* Sic Plato *in lib. 16. Vel civili, sive de regno.* Quicquid, inquit, artificiosum est, mensuræ quodammodo particeps esse apparuit. Quoniam verò quidam considerare nequa-

nequaquam per singula genera diuisione eundo solent, hęc tam longè inter se differentia, statim conferunt in vnum, similia iudicantes. Sed & contrarium huius faciunt, quæ diuersa sunt, per partes minimè distinguunt: cùm oporteat, vbi quis primo multorum percipit communionem, non priùs desistere, quàm differentias omnes, in ea quæ speciebus clauduntur, inspexerit. atque iterum quoties dissimilitudines plurimas in multitudine sentit, & ægrè sentit, non priùs ab hac aspectus molestia desistere potest, quàm cuncta quæ cognata sunt, intra cognationem vnam proprietatemque concludens vnius generis essentia vestiat. Nèque, vt scribit Maximus Tyrius *serm. 40.* aliud est scientia, quàm stabilitas rationis, iisdem semper vestigiis herentis, captantis primò cognatas quodammodo res, post distinguentis quicquid in eis viderit dissimile. Materia itaq; circa quam versatur nostra ars, erunt omnes res & scientiæ, de quibus disputandum erit, atque in his veluti artificium quodlibet in subiecta materia, operatur, continens certa generalia præcepta in se, quibus singularia disputantur, & distinguuntur à confusione. De quibus, Deo iuuante, in alio libro tractabimus.

## *De potentia & actu.* CAP. IV.

REpetamus interim, vt ordine viam ad grauiora sternamus, omnia potentiam & actum respicere, atque potentiam sine actu esse posse, actum autem non item sine potentia præiacente. factum quippe nihil dicitur ab aliquo, nisi priùs qui fecit, potentiam, siue dispositionē quandam faciendi habuerit, quæ non fuerit semper actu, vt docet Aristoteles *lib. 1. de cœlo, ca. fin.* Sic principia substantiarum sunt semina, quæ se habent ad substantiā, sicuti potētia ad actum, vt scribit idem Aristoteles *lib. 1. de part. anim. & earū causis, cap. 1.* Non tamen actus potentia verè est, nisi solùm in potentia: veluti lignum, tripus, scapha, & huiusmodi est, potentia, non tamen actu: quia actus vt lignum tripus fiat, vel scapha mediis aliis, scilicet arte aliqua & instrumento fabrili, ex potentia ad actum ducitur. Aliud exemplum familiarius, homo potentia rationalis est, hoc est, ratione omnes actus suos moderari potest, actu tamen & re ipsa, semper non moderatur: veluti si furiosus, si infans, si affectionibus illegitimis ducatur. potentia namque rationis non deducitur ad actum, hoc est, non moderatur actus.

ctus. Et Galenus certè optimus philosophus *Tom.1.lib.2. de temper.* ait. Quod quale dicitur, tale autem nondum est, sed potest tale esse, id hoc esse potestate, dicimus. hominem, verbi gratia, qui modò natus sit, rationalem, & auem volatilem, & canem venaticum, & equum celerem: scilicet, quòd eorum vnumquodq; futurum omnino est, si nihil id extrinsecus impediat, hoc ceu iam id sit appellãtes: vnde arbitror, hęc esse potestate, nõ actu, dicimus. Perfectũ namq; est atque iam præsens, ipsa energia vel operatio, siue quod actu est: quod verò potestate est, imperfectum & adhuc futurum, atque vt fiat quidem, id quod dicitur. Sciendum tamen est, ex potentia deducta in actum, ex illo actu aliam potentiam oriri posse, sicuti docet Aristot. *lib 8. Physicor. cap. 4.* & tunc diuersa est potentia secunda à prima, sicuti & materia prima diuersa est à secunda: prima namque informis, secunda autem materia cum forma in aliam formã transit, rerenta prima forma: veluti aurum constat materia communi metallorum, & forma, quia aurum: ex illo tamẽ alia forma accedente fit statua, vel aliud quippiam: cuius tamen secunda semper materia formata, nempe aurum. Sed clariùs de potentiæ ortu ex actu agamus exemplo. Diuerso modo potentia, sciens est qui discit & qui iam scientiam habet, & non contemplatur. Cùm autem actiuum & passiuum sint simul in actu, qui patitur à potentia, & agit alia potentia, euadit interdum id quod est potentia, vt actu sit tale, vt id quod discit, & ex eo, quod est potentia, fit aliud potentia rursus. Qui namque scientiam habet & non contemplatur, est potentia quodammodo sciens, sed non vt erat, antea quàm didicisset. Atque cum ita esse habet, nisi quid prohibeat, operatur ac contemplatur, vel in contradictione ignorantiaque erit. Est etiam quædam potentia, alia secundum naturam, alia præter naturam. Secundùm naturam potentia est, cùm in seipso aliquid tale principium habet, & non per accidens. Præter naturam contrà, cùm per accidens, veluti ignis potentia mouetur sursum, & graue deorsum: per accidens autem, & vi extertori, ignis deorsum, graue sursum. Mouentur itaque actu naturaliter, cùm sub potentia suos ad actus mouentur. Has duas species potentiæ ponit Aristoteles. Galenus latiùs tres constituere videtur. Prima illa est, qua maximè propriè sola potestate esse dicimus ea, in quib. natura ipsa suopte impetu ad absolutionem

rem venit, vtiq; si extrinsecus nihil impedimēto sit. Deinde materiæ cōtinentes ea quæ facienda sunt, propinque, facienda potestate sunt, sicuti cū sanguinē potestate carnē appellas, quoniā minimā mutatione ad carnis generationem requirat. At nō q in ventriculo habetur cōcoctus cibus, carnis materia est, sed priùs sit sanguis oportet. Lōgiùs etiā abiunt maza & panis, quippe quæ, vt caro fiant, tres sui mutatiōnes requirant: cæterùm hæc quoque omn. a potestate, caro dicuntur. Etiam ante hæc aer, ignis, aqua, & terra, etiam horum ipsorum communis materia, atque hæc omnia, magis minúsve abusivè loquentibus, nobis dicuntur. Dicitur autem & tertio in loco, potestate esse aliquando, & quòd ei, quod ex accidenti esse dicitur, est ex aduersō positum: vt si carnosi quis iuuenis lauationem, corpus eius ex accidenti, non ex propria potestate calefacere dicat. Subiungam adhuc eius exempla: bitumen, resina, sæuum, oleum, & pix, calida potestate sunt, quòd vtique energia celerrimè calida fiunt, etenim celerrimè inflammantur: præterea cùm corporibus nostris amouentur, ea manifestissimè calefaciunt; ea autem non sunt actu calida, ideo tactu non sentiuntur talia, & ita differunt & à Solis & ignis calore, quia illa actu calida, hæc tantùm potentia, eadem de frigidis potentia quis poterit colligere. Sed adhuc ἐμφατικώτερον de potentiis cum Aristotele *lib. 9. Metaph. cap. 5.* dicamus, ne posthac hæc omnia sint à nobis sæpiùs inculcanda. Potentiarū quædam nobis naturâ inditæ sunt, vt diximus, veluti sensuum: quædam consuetudine, vt tibiis canendi: quædam doctrinâ, vt artium. Nam idem Aristoteles ait *eod. libr. 9. Metaph. cap. 5.* omnes artes, & factivæ scientiæ, potentiæ esse. Item potentiæ aliæ rationales, aliæ irrationales: nam quædam cum ratione possunt mouere, quædam sine ratione. Rationales illas potentias necesse est in animato corpore esse, has autem in ambobus Quæ cum ratione possunt mouere, & potentiæ sunt eorum rationales: quæ autem sunt irrationalia, horū & potentiæ irrationales. Et notandum est, potestatem, quæ cum ratione est, contrariorum esse posse diuerso modo effectricem: potestatem autem irrationalem, vnius, vt calidum ipsius calefaciendi sola potestas. Medicandi verò potestas infirmitatis & sanitatis causa est, quia scientia, scientiæ ratio: ratio autem eadem manifestat & rem, & priuationem, quanquam id non faciat similiter. Sic enim quodammodo amborum est, sed magis eius

quod

quod existit: quare cùm potentia sit faciendi vel patiendi in ratione vel voluntate principium, fit quid, vel patitur necessariò. Sed qualitates, quæ adduntur bene aut malè, non necessariò, sed ipsius benefaciendi, vel malefaciendi potentiam sequitur solius agendi vel patiendi potentia. Potentia namque quædam est homini benefaciendi: nam si non esset illa, hæc potentia, impossibile esset homini vnquam bene agere: nam quod priuatur potentia, impossibile est fieri, quod impossibile fieri est, actu esse nequit. Cæterùm videmus & actus, & bene fieri, scilicet bene agere homines: ergo in illis potentia, & malè. Pariter ergo & potestas ab vno & eodem fonte voluntatis. Sicuti ex anima contrarii motus fiunt, quiescere & moveri, loqui, tacere, diuersis temporibus. Quoniam quod potest, aliquid potest, & aliquando, & aliquo modo, & necesse est esse quiddam quod dominetur, siue appetitum, siue electionem. Quæ interdum ad actum peruenire prohibentur, vel intrinsecus aliquo prohibentur, vel modo non bene congruente & medio: sicuti in potentia irrationali, ea ad actum non peruenit, si aliquo medio impediatur, vel medio, vel agente non bene disposito. Quo fit, vt quia potentia non potest interdum omninò se explicare, propter resistentiam mediam, qua sublata posset, actus remaneat imperfectus necesse sit. Ita semen interdum natura degenerat, & natura ex semine humano & animalium, monstra producit, & animus intrinsecis, & vanis, & alienis à ratione occupatus, & obsessus, suo non fungitur officio. Et hæc hactenus de potentia prælibata, sequentibus sufficient: latiùs namque de ea postea cùm de principio potestatis tractabimus suo ordine libro 2.

*Quo pacto in homine scientia generalis semina potentia insita sint, cùr ve alis aliis doctiores: & vnde animalibus quædam cognitio.* CAP. V.

VTilitatem ex præcognitione illius potentiæ nunc accipe. Dicimus itaque in hominis dignitate, quod pertinet ad sciendi & intelligendi sagacitatem, considerari & aptitudinem siue potentiam naturalem, & pariter acquisitiuam ex doctrina & meditatione artificiali, & labore expertium, & prudentiorum paratam, quámve potentiam diximus, quodammodo ex actu prioris potentiæ comparari. Hæc autem vnde originem habuerint, quáve ratione mentes hominum vniuersam scientiam perfectè per se nec expli-

explicitè omnia, nec omnes aliqua pariter nouerint, aut quare alii aliis magis minusque scientes sint, cùm tamen æquè homines sint, narrare præsentis est instituti. Cumq; illud dignum sit, & iucundum, & vtile scitu longior de eò non erit tædio narratio. Igitur in confesso omnibus fere, & pro verissimo creditum, tum ab iis, qui à sana fide exules fuerunt, tum ab iis, qui verum & vnicum venerati sunt Deum, nullum animal naturâ immune à cognitione esse. Videmus namque animalia recens nata, etiam priusquam perficiantur particulæ, & instrumenta ad ea quæ agere debent concessa, ea tamen agere conari: sic vitulus cornibus petere tentat, cùm nulla tamen cornua appareãt; pullum equi calcibus teneris calcitrantem videas, & aprum quendã pusillum genis sese tueri conantem, magnos dentes nondum habentem: & catulum recenter natum, mordere affectantem teneris adhuc dentibus. Vnde autem, nisi quadam indita facultate? omne enim animans suæ ipsius animæ facultates, ac in quos vsus partes suæ polleant maxime, nullo doctore præsentit, vt obseruauit Galenus *lib. de vsu part. humã. corp. cap 3.* & Xenophon *lib. 1. Cyropæd.* Animalia singula, inquit, norunt pugnam quandam, nec ab alio quopiam didicerũt, quàm ipsa natura: veluti bos cornu percutere, equus vngula, canis ore, aper dente: quæ quidem animalia etiam cauere sciunt, à quibus est cauendum, sine vllius prorsus doctoris præceptione. Addendus eiusdem sententiæ Horatius *lib. 2. Ser. Sat. 1.* & *50.*

*Vt quo quisque valet suspectos terreat, vtq;*
*Imperet hoc natura potens, sic collige mecum,*
*Dente lupus, cornu taurus petit: vnde, nisi intus*
*Monstratum?* ——

His adstipulatur & Basilius Magnus *lib. Exhameron, homilia 9.* docetq; multis exemplis: aliique permulti authores confirmant, ducti quotidiana experientia. Ita agni inter numerosum gregem, matris vbera recognoscunt, vrsa vulneribus saucia, verbasco sibi medetur: testudo viperæ veneno morsa, sibi contra venenum prouidet origani pastu: vulpes laricis lachryma, vulneribus seipsam curat: anguis fœniculi pastu lippitudinem à se propellere nouit. Et vt absoluam cum Plinio *lib. 27. histor. natur. cap* 3. Pudendum rursus, feras magistra natura quotidie inuenire, siue semper scire iudicemus, & omnia animalia, quæ sunt salutaria ipsis, nosse, præter hominem. Aristoteles *lib. 1. de gener.*

*animal. cap. fin.* etiam scribit, animalium munus esse, non solùm generare, quod commune omnium viuentium & plantarum est, sed etiã cognitionis alicuius vnumquodque esse, aliud maioris, aliud minoris, aliud minimæ. Sensum enim habent: sensus autem cognitio quędam est. Et clarius alibi *lib. 9. de histor. animal. cap. 1.* statim à principio scribit, animantes habere vim quandã naturalem videri, in quauis animi affectione; hoc est, prudentia, stultitia, fortitudine, ignauia, clementia, acerbitate, & reliquis habitibus generis eiusdem. Constant autem & hæc ex morum varietate animalium, de quibus eximios compositit libros Aelianus, inscriptos de Natura animalium. Aliæ namque, vt ait Aristoteles *lib. 1. de histor. animal.* animantes mites, remissæ, non peruicaces. vt boues: aliæ animosæ, peruicaces, brutæ omnino, vt sues syluestres: aliæ ingeniosæ ac timidæ, vt cerui, lepores, cuniculi: aliæ illiberales, perfidæ, insidiosæ, vt serpentes: aliæ liberales, fortes & nobiles, vt leones: aliæ illiberales, feroces, insidiosæ, vt lupi: aliæ astutæ, malitiosæ, & callidæ, vt vulpes: aliæ animosæ, amatrices assentatrices, vt canes: aliæ mites, & mansuetudini addictæ, vt elephantes: aliæ verecundæ & cautæ, vt anseres: aliæ inuidæ, & ornatus, & polituræ studiosę, vt pauones. Sed quid vltrà? nónne omnes suis prouident natis, idque summa diligentia & solertia, vt scribit Cicero *3. de finib.* natura docente? quin vt idem alibi *2. de natu. deor.* dedit eadem natura beluis & sensum, & appetitum, vt altero conatum haberent ad naturales pastus capescendos, altero secernerent pestifera à salutaribus. Quis non astutiam pinnophylacis, & pastinacæ in quærendo cibo dixerit subtilem & scientificam cum Plinio? *lib. 9. cap. 42.* Quis etiam cum Cicerone *2. de nat. deor.* plataleæ auis ingenium non miretur, quæ assu & vi cibum ex rostris marinarum auium extorquet? Quis non eximios apud Aristotelem, Theophrastum, Aelianum, Plinii, animantium non videat mores sagaces, & doctrinam viuendi naturalem, medendi, fugiendi, cauendi, & huiusmodi peritiam? Imò & rerum futurarum & incertarum præscia esse eadem legimus & nouimus: vt hinc etiam homines nõ vereantur exempla & cautionem sibi, velut ex sacratio constanti naturæ vtilia depromere. Delphini tranquillo mari lasciuientes, flatum ex ea, qua veniunt parte, imminere designant: & turbato mare spargentes aquam, tranquillitatem. Loligo volitans, conchæ adhærescentes, echini sese affligen-

figentes, aut cum arena saburrates, tempestatis signa sunt; ranæ quoque vltra solitum vocales: & fulicæ matutino clangere, item mergi anatesque pennas rostro purgantes, ventum cæteræque aquaticæ aues concursantes. Grues in mediterranea festinantes, mergi aut maria, aut stagna fugientes, grues silentio per sublime volantes, serenitatem, vt noctua in imbre garrula, aut sereno, tempestatem. Corui singultu quodam latrantes, seque concutientes, si perseuerent, ventos, vt si carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem. Graculi serò à pabulo recedentes, hyemem, & albæ aues cùm congregabuntur: & alia sunt huius præcognitionis exempla apud Plinium *lib. 18. ca. fin.* Nónne & Hieremias *cap. 8. v. 2.* testis etiam? Miluus in cœlo cognouit tempus suum, inquit; turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Nónne etiam in vsus suos inuenta & edocta ab animalibus, transtulit homo? quis ignorat chelidoniam herbam, & eius alexipharmacum, contra oculorum tenebras ab hirundinibus inuentam? Inuenerunt & canes canariam, qua fastidium leuant. Ceruæ monstrauêre elaphoboscon, item seseli, enixæ à partu: & ad vulnera dictamnum, quo depasto à se excutiunt tela infixa, vt scribit idem Plinius *lib. 25. ca. 8.* & pluta Aristoteles *libro 9. de hist. animal. cap. 6.* Et alibi Plinius *lib. 8. cap. 27.* Nec referre opus est politiam & regnum apum, prouidentiam formicarum, aliaque innumera doctrinæ naturalis exempla: cùm & scriptum de animalibus sit, aliqua & docibilia esse, & imitationem quandam virtutis habere: alia in quibus, vt scribit Cicero *5. de finib. bonor.* non corporum solùm est similitudo, vt in suibus: sed etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam videmus, veluti in leonibus, canibus, & equis, & huiusmodi, & disciplinæ plures animantes capaces esse docuit Aristoteles *1. de gener. anim. & lib. 1. Metaphys. cap. 1.* Vrsæ cùm fugiunt, suos catulos propellunt, susceptosq; portant: cùm ab infestante iam occupantur, arbores conscendunt. Herinaceus in cauernis habitans commutat sua cubilia, aquilonũ & astrorum mutatione: hirundo confingit nidos implicito luto festucis, ad normam lutariæ paleationis, mira prouidentia natis impertit cibum, obseruans ne qui acceperit, bis accipiat: excrementa pullorum foràs parentes ejiciunt, postque adultiores iam natos circumagi, forasque illos ejicere edocent. Turtur nõ alium, quàm vnum marem su-

perinducit, Aristotele teste *lib. 9. de histor. anim. c. 6. & 7. & c. 10.* Prudentiam gruum nemo ignorat, nec quis sit pudor elephantum, qui nunquam nisi in abdito coeunt, nec adulteria nouêre, vt notat Plinius *lib. 8. ca. 5.* qui & huic generi animalium tribuit *lib. 8. c. 1.* cum humanis sensibus affinitatem, intellectum sermonis patrii, religionem, cultumq; syderum, Solis ac Lunæ venerationem, æquitatem, probitatem, obedientiam, & officiorum quæ didicêre memoriã: ad permulta namque officia eruditur, & intelligit. Id quoq; narrat Aristoteles *lib. 9. de histor. anim. c. 46.* cùm enim hæc belua cæteris sit prudentior (vt ait Cicero *1. de natur. deor.*) illa visa est aliquando Romanis habere cum humano genere societatem, vt idem Cicero scribit *ad Marium lib. 7. epist fam. epist 1.* Legimus etiam tanta pudicitia esse camelos, vt nunquam cum matribus coeant, & admissos in matres opertas, postquam velo sublato comperissent, conscientia admissi sceleris, camelarios occidisse, vt scribit Aristoteles *lib. 9. hist. anim. c. 47.* Nemo non admirabitur artem scarabei lupillarii, dum ex fimo in orbiculos agitato & effosso, posteritatem profert: nemo non alias infinitas beluarum, tum delphinorum, remorum, polyporum astutias: nec non aliarum artes conspicuas, & ante oculos positas non fatebitur. Ex his omnia natura docuit singulis, & à natura potestatem hanc agendi ita connatam habent. Nec iurisperitis suis in responsis ab his abhorrent. Siquidem Domitius Vlp. Papinianæ doctrinæ auditor, in Phœnicia prouincia natus, aliquando magister sacrorum ferinorum Alexandri Cæsaris *in libro qui est ordine 2. de iust. & iu. lib. 1. Pand. tit. 1. in §. ius natur.* scribit, ius naturale extendi ad beluas, quadam, vt intelligendum est, participatione: Ius, inquit, naturale est, quod natura omnia animalia docuit: idque firmat exemplis: hinc descendit maris & fœminæ coniunctio, quæ in coniunctionibus hominum legitimis dicitur matrimonium: hinc liberorum procreatio, educatioque. Videmus enim istius iuris cætera animalia, peritia censeri, feras quoque bestias. Hoc & postea qui anacephaleosim Iurisconsul. breuiùs contexuerunt, & institutiones iuris ciuilis collegerunt, iussu Iustiniani, nempe Tribonianus & socii, iisdem ferè verbis iusq; exhibuerunt legum tyronibus *in §. 1. de iur. nat. gent. & ciuil. lib. 1 instit. iur. ciuil. tit. 2.* Quid autem sit hæc natura, quæ hæc docuit, Dei providentiam, qua singula sibi à Deo præscripta peragunt, existimoomnibus

palàm

palàm esse. In genesi quippe vniuersali rerum rebus cunctis Deus propria distribuit, cùm quæ generationis sunt, tum ea quæ ad conseruationẽ geniti necessaria erant, quæ quanquam minima videantur, sunt tamen sapientissimæ & indeficientis prouidentiæ & generaliter & particulariter certissima argumenta: vt non tantùm rerum omnium generalis in Deo admiranda sit cura, sed & minimarum solicitudo, quæ non secus ac malum granatum vno ambitu corticis & omnia inclusa nutrit, & acinos etiam domunculis diuisos alit pari cura. Respicite, inquit Christus *Matth. 6. v 26.* volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis nutrit ea. Et Dauid *Psal. 103. b. c.* Produxit iumentis fœnum, & herbam seruituti hominum, & saturabũtur ligna campi, & in cedris Libani quas plantauit, passeres nidificabunt: herodii domus dux est eorum: montes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis: fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occasum suum. Posuit tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibũt omnes bestiæ syluæ, catuli rugientes, vt rapiant & quærant à *Deo* escam sibi. Et paulò post, Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorũ, deficient, & in puluerem suum reuertentur. Et rursum *Psal. 144. c.* ℣. *16 17.* Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das escam illorum in tempore oportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Et vis adhuc vltrà tibi probari naturæ animalium, vt reliquarum rerum, authorem esse dominum Deum? Recordare literis consignatum, animalia verbo Dei, tanquam ad Domini vocem obediisse, & naturam pro eius nutu temperasse, vel exuisse, & seruis eius peperciisse. Intuere Danielem in lacum famelicorum leonum ferociissimorum depositum, remansisse illæsum, *Daniel. 14. c.* Et Ionam Prophetam è ventre piscis prægrandis, vbi tribus diebus & tribus noctibus manserat conclusus, viuum exeuntem, quando dixit pisci Deus, vt eũ in littore deponeret, *Iona 2.* Contemplare omnia genera ferarum, etiam earum, quæ domari non possunt, iussu Dei cum Noacho in arca ferè per annum pacificè victitasse, *Gene. 7. c.* deinde *Deuter. 10. c. 8.* in heremo magna ac terribili, in qua erat serpens flatu adurens, scorpio, & dipsas, magnum apparuit in virus eorum Dei imperium. Scimus & viperam, quæ inuasit manum Pauli in Mytilenæ insula, cõ-

tra eius feræ naturam & barbarorum insulanorum expectationem, nihil nocuisse, *vt scribitur Act. cap. 28. a. v 3.* Scimus & asinam Balaami contra eius naturam, iussu Dei authoris naturæ, & dispensatiuè loquutam, *Num. c. 22.* Omitto pleraque huiusmodi exempla ex historia Patrum Lausiana, Abdiæ & Theodoreti, Hieronymi & aliorum recensere, cùm indubitatum sit inter Christianos, potestatem datam à Deo hominibus in eius nomine conculcandi leones, dracones, serpentes, & superandi lethalia huiusmodi *Luc. c. 10. c. & 19.* quam nemo dicet ab alio dari potuisse, quàm ab eo, qui naturam singulorum in sua manu haberet. Nouerunt & Ethnici, inter cæteros Plinius *lib. 25 hist. nat. cap 3.* dum ait, Hic est ille qui plurima in vita inuenit Deus, hoc habet nomen: per quem & intelligitur eadem & parens rerum omnium & magistra natura. Ideo respiciens ad authorem naturæ, sic rursus scribit idem Plin *Lib. 11. c. 3.* Mihi contuenti se persuasit rerum natura, nihil incredibile existimare de ea. Et Cicero *lib 3. Offic.* naturæ rationem dixit diuinam legem. Et alibi *in dial Lælii, vel de Senectute*, nos naturam optimam ducem, tanquamque Deum testatur sequi debere, tanquam inquam Deum: non quòd natura Deus sit, vt rati plerique antiquorum sunt, sed quia natura nihil aliud est, quàm diuinæ prouidentiæ instrumentum, quæ vbi videtur prouidè incedere, non ducit seipsam ipsa, sed ab ipsa prouidentia ducitur, fines omnium ordinesque & in seipsa præscribente, & naturæ prout vult inscribente. Quocirca Plato *lib. 15. in Sophista, & de ente* ponit duas causas rerum omnium effectrices, diuinam & humanam: diuinam quidem naturæ omnium effectricem: humanam autem artificialium. His consentire videntur Epicurus & Lucretius: nisi quòd ipsi naturam ipsam diuinam putârunt, decepti quòd nescirent naturam tam certam & admirabilem esse, quòd à Deo regeretur. Sic enim de Epicuro Lucretius testatur *lib. 3 de rerum nat. & 14.*

*Nam simul ac ratio tua* (scilicet ô Epicure) *cœpit vociferari,*
*Naturam rerum diuina mente coortam:*
*Diffugiunt animi terrores: mœnia mundi*
*Discedunt: totum video per inane geri res.*
*Apparet diuûm numen, sedesq; quieta.*
*Quas neque concutiunt venti, nec nubila nimbis*
*Aspergunt, nec nix acri concreta pruina*

Cana

*Cana cadens Gelat: semperq; in nubibus æther*
*Integit. & large diffuso lumine ridet.*

Sunt & alia Philosophorum & Ethnicorum testimonia, qui causſam & vim efficacem naturæ ex Deo pendere docuerunt. Cæterùm cùm & rerum omnium creatio ad Deũ omninò certiùs nunc referatur, vt & forsan aliàs, si se offerat locus, dicemus, non egemus, vt existimo, pluribus testimoniis pro superiorum probatione. Ex quibus etiam & non obscurè ratio apparet, vnde & quare animalibus quædam doctrinæ naturalis ineſt capacitas & potentia, aliquibus tamen magis, aliis autem minùs, ſicut Deo omnium opifici ſapientiſſimo placuit. alia namque extra communem generis animantium potentiam, aliam habent potentiam præſtantiorem, ſuntque docibilia animalia, alia nequaquam arte hominum ſicurari queunt: vt in volucribus hirundines ſunt indociles, è terreſtribus mures cùm elephanti iuſſa faciant, leones iugum ſubeant, in mari vituli, totque piſcium genera miteſcant. vt notat Plinius *lib. 10. ca. 45.* eo modo non ſolùm naturali, ſed etiam acquiſititia doctrina fiunt mirabiliora: ſicuti & videmus aues variis generis, arte plura, quàm natura doceat, potentia tamen præcurrente, addiſcere: vt pſittacos, & picas, & coruos voces humanas imitari, ob linguæ craſſitudinem, & continuam illarum in his, quæ docentur meditationem, ſiue conſuetudinem. Quod induſtriæ hominis, vt ſibi aliquid victus cauſſa compararent, tribuit Perſius *in prolog. Satyr. v. 8.*

*Quis expediuit*, inquit, *pſittaco ſuum χαῖρε?*
*Picasq; docuit noſtra verba conari?*
*Magiſter artis, ingeniiq; largitor*
*Venter, negatas artifex ſequi voces.*

Scribit & Plinius *lib. 10 cap 41. & 43.* cardueles, minimas omnium ferè aues, imperata, nec voce tantùm, ſed & pedibus pro manibus facere. & turdum Agrippinæ, coniugis Claudii Cæſaris, imitari voces hominum: & habuiſſe Cęſares ſturnum, & lucinias Latino & Græco ſermone dociles: Romæ etiam coruum viſum, nominatim ſalutantem Tiberium, & Germanicum, & Druſum, & populum. Nos quoque tales videmus Tholoſæ: quin & apud nos nutritæ duæ fuerunt aliquando auiculæ, quas vocant Græci ægiothos, Latini ſalutes, Galli *linotes*, quæ miras cantionum modulationes percurrebant, hinnitusque equo-

rum, & si quid aliud audiebant, imitabantur, tantæ erant docilitatis. Sunt & in quadrupedibus quædam aliæ supra naturæ propriæ opera potentiæ: veluti traditur elephantes ad prælium edoceri, item funambulos alios factos. Et nos sæpe vrsos vidimus saltare ad rhythmum tibiarum, hastam erectos ad iussum histrionis in humeros iactasse, deferre, & mouere: simias ludicra infinita mimorum voce adactas factitasse. Sunt & his pleraque similia à multis visa, quæ docilitatem & adeptam doctrinam animalium indicant, atque admirabilem naturæ, & per consequens Dei authoris naturæ sapientiam, vsque adeò præstantem, vt plerique ex animantium singulorum collatione cum homine facta, reuocauerint in dubium, num bruta ratione vterentur: qualis extat docta certè & accurata controuersia apud Plutarchum *Libel. qui inscribitur, Num brutis ratio insit, inter Vlyssem, Circem, & Gryllum.* Quo & constat, vt hactenus docui, omne animal brutum natura à Deo optimo infusa, ad certam doctrinæ speciem potentiam accepisse: non absurdum videri debet, per eandem naturam homini, qui cũ animalibus participet, eandem cognoscendi vim ac potentiam inditam: & quia etiam is supra animalium naturam præstantior, aliquid maioris potentiæ & facultatis ei tributum esse à Deo. Sicuti enim, vt scribit Cicero *lib. 2. de finib. bon. & mal.* equus ad cursum, ad arandum bos, ad indagandum canis: sic homo ad duas res, ad agendum & intelligendum est natus: estque omnium animalium longè sapientissimus, vt ait Aristoteles *lib. de mundo.* Et Iuuenalis *Sat. 15. §. 143.* loquens de natura hominis, ait:

——*separat hanc nos*
*A grege mutorum: atque ideo venerabile soli*
*Sortiti ingenium, diuinorumq; capaces*
*Atque exercendis capiendisq; artibus apti*
*Sensum à cœlesti demissum traximus arce,*
*Cuius egent prona, & terram spectantia.*

Atq; Claudius Aelianus Prænestinus *in Prolog. lib. 1. de animalib.* his verbis à brutis hominẽ distinguit, scribitque, ἄνθρωπον μὲν εἶναι σοφὸν ἔδικαιον, καὶ τῶν οἰκείων παίδων πεμμηδέστατον, καὶ τὸ ἀναμίγνων πιεῖσθαι τὴν πρόσηκουσαν φροντίδα καὶ τροφὴν ἑαυτῷ μαντεύειν, καὶ ὅπλοις φυλάττεσθαι, καὶ τὰ λοιπὰ ὅσα αὐτῷ σύνεστι δῶρα φύσεως, παράδοξον ἴδως ὄδεν, ἔ γὰ λόγε μετείληχεν

ἄνθρω-

ἄνθρωπον δὲ πάντων τιμιωτάτου, καὶ λογισμοῦ ἀξίου: ὥσπερ ἐν ἐστὶ πολιαρχέσθαι τε, καὶ πολυφιλέσθαι, ἀλλὰ καὶ θεοὺς αἰδεῖσθαι ὅσιόν καὶ σέβειν. id est, Hominem quidem esse sapientem & iustum, propriorum liberorum prouidentem, & factorum gerere conuenientem curam, & sibi inquirere cibum, insidiasque cauere, & cætera in eo esse naturæ dona, non est valde paradoxon: est enim rationis particeps factus homo, qui est omnium honorabilissima creatura, atque ratiocinatione digna habita: pluribus in rebus seipsum iuuare & promouere potest, & Deũ venerari & colere. Aliorum hac de re etiam nobis suppetunt testimonia, quæ Deo fauente fusiùs proprio loco tractabimus: sufficiet autem in præsentiarum prosequi, vnde, & à quo sciendi vim natura hominis ortum habuerit. Qua in re contemplemur oportet, initio hominem à Deo creatum esse perfectum, & omni ex parte rerum omnium peritum: creatus namque est ad imaginem & similitudinem *Dei*, quod ad animæ pertinet præstantiam: siquidem ratione animæ, non corporis, imago *Genes. 1.* accipienda, vt errantes hæreticos quosdam declinemus, vt docet D. Chrysost. *tom. 1. ope. homil 8. in Genes.* Componitur etenim homo duabus partibus potioribus, corpore, inquam, & anima: primæ partes animi, secundæ corporis, vt ait Cicero *2. & 5. lib. de fin. bon. & mal.* & Aristot. *lib. 1. Pol. cap. 3* Homo vt animal constat anima, inquit, & corpore: quorum vnũ imperat secundùm naturam, nempe anima: aliud paret, nempe corpus: quæ, & sequitur Plutar. *libello de virt mor.* Quamobrem duæ in homine cognoscendæ naturæ, animæ vna, corporis altera: quas sola discernentes intelligentia, & distinguentes contemplatione subtilissima, velut etiã imaginatione animi continentes, non sequestramus adinuicem: nec eas reciproca virtute partimur, sed vnius esse prorsus animaduertimus: ita vt iam duæ non ampliùs duæ sint, scilicet quòd vnaquæque secundùm se subsistat, quinimò vtraque vnum animal faciat, vt scribit D. Cyrillus Alexandrinus *epist. vlt. ad Successum Isaniæ Episcopum.* Sic anima rationalis & corpus vnus est homo, vt ait Athanasius *in Symbol. fidei.* & vtrumque Deus creauit in vno supposito iustissimis rationibus. Atque vt probat D. Greg. Nazianz. *oratione de pauperibus amandis.* homo & corpore & cœlesti spiritu compactus, vt quando propter imaginis

formæque præstantiam efferremur, luti, materiæque humilitate deprimeremur. Ex luto enim Deus creauit corpus, *Genes. 1.* sed tanta admirabilique præstantia, vt sapientiæ & scientiæ eius ex opificio perpetuò nobis relinquatur admiratio tam concinnæ compositionis, mirabilem Deũ fuisse solum opificem, vt latè docet D. Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus *catach. 4 illum.* Sunt enim in hominis corpore certè tam admirandæ partium connexiones, & vsus membrorum insignis diuersorum subtilissima structuræ colligatio membrorum, vt scribit Irenæus *lib. 1. contra hæreses, cap. 14.* trecentorum viginti quatuor, vt non nisi supernaturalem artificem horum authorem credere cogant. Iungitur huic thesaurus (anima scilicet) corporis infinitus, quæ vasis fictilibus, vt ait Paulus *2. Cor. cap. 4. c.* § *7.* continetur. Hinc opus eximiè formatum & affabrè factum, miro decore & pulchritudine celebre, à Deo, qui quidem homine non indigebat, sed vt haberet in quem conferret sua beneficia, vt scribit idem Irenæus *lib. 4. contra hæreses, cap. 28.* Huius pars vna, nempe anima creata initium habuit, finem vitæ tamen habitura non est, quod ad substantiam pertinet, immortalis: corporea autem altera pars hominis est mortalis, animata, & suffulta ex indita anima. Ideo eius pars nobilior hominis, anima, inquam, homo verè dicitur: quoniam Deus inspirauit ei animam quæ operatur, & insufflauit ei spiritum vitalem, *vt scribitur Sap. cap. 15.* § *11.* Et rursum formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem, *Genes. cap. 2. b v. 7.* Et inde pendet nobilitas illa hominis supra reliquas creaturas: planta siquidem cœlestis homo, quæ quantum figura formaque corporis cæteris antecellit, tantum dignitate animæ præstat. Hinc caput animalibus cunctis ad humum pronum ad ventrem respicit, voluptatem omnibus modis prosequitur: caput hominis sursum in cœlum exurgit, oculique supera, non terrestria contemplari accommodi, vt si quando aliquis carnis & corporis stimulis succumbat, ventrique & his quæ sunt sub ventre, inseruiat, comparabitur meritò iumentis insipientibus, quia similis factus est illis, vt magnificè scribit verè regius antistes Basilius M. *Homil. 9 lib. Hexame.* Et, vt ait D. Augustin. *lib. de Eccles. dogm. c. 20.* duæ substantiæ in homine quidem sunt, vna corporis cum suis sensibilibus, alia animæ cum ratione; sed corpus nihil operatur sine ani-

pe anima, sine corpore autem anima ratione sua agit. Quare & Plato *libro 5. in Alcib. 2 siue de natur. hominis* existimat, nihil aliud esse hominem, quàm animam: & alibi *lib. 37. in Axiocho*, idem Plato ait, ἡμεῖς ἐσμὲν ψυχὴ ζῶον ἀθάνατον, ἐν θνητῷ καὶ ἀργαλέῳ φρουρίῳ, i. nos sumus anima immortalis, quæ inclusa est in mortali loco minuto. Cui adstipulatur Arnobius *lib. 2. contra gentes*. Quid, inquit, aliud sumus, quàm animæ corporibus inclusæ. Atque etiam Hebræorum præcipui partem immortalem hominis, nempe animam, præcipuam verum esse hominem arbitrantur, corpus verò quasi hominis esse indumentum, vt scribit Eusebius Pamphil *lib. 2. de prapar. Euangel. ca. 2.* & Aristoteles *lib 4. Politic. c. 5.* Sed clariùs sacræ literæ in homine duplicia considerant, id quod exteriùs apparet, quod carnalem dicunt & exteriorem hominem: & quod interius est, nempe animam, quam vocant interiorem hominem. Ad imaginem Dei homo interior, nempe anima, creatus est, non homo exterior: cùm Deus sit spiritus, isque omni mole corporis careat in quantum Deus, vt notat D. Ambrosius *tom. 1. lib. de Institut. Virginis, cap. 2. & 3.* Quanquam aliter alii, sed alieni ab ecclesia catholica pro hæretieis iudicati, senserint, corpus scilicet ad imaginem Dei creatum: quæ est Anthropomorphitarum hæresis, introducta ab Andeo quodam & genere & lingua Syro, vt scribit Nicepho. Calist. *lib. 11. ca. 14.* Dixit porrò sacra scriptura cautè, ad imaginem Dei & similitudinem Dei factũ hunc hominem, vt doceret, non ex natura Dei illum esse, quia ad imaginẽ. h e. ad similitudinẽ imaginis Dei: imago autẽ Dei vera est filius Dei, Deus ipse, vt ait Paulus *ad Colos. c. 1 vers. 6.* Nos autem non imago Dei, sed ad imaginẽ & similitudinẽ Dei, facti & creati, nõ geniti. Anima nãq; à Deo facta nec ex substantia Dei est vel procedit, sed ex nihilo facta, vt latè docet D. August. *lib. 1. de Orig. anima, ad Hieron. c. 28. & lib. 1. b de anima. ca. 4. & lib. Soliloq. anima, ca. 30.* Et D. Ambrosius *tom. 2 super Psal. 118 serm. 10* Homo, inquit, nõ est imago Dei, sed ad similitudinem factus: alia autẽ est imago Dei inuisibilis primogenitus vniuersæ creaturæ, per quem facta sunt omnia. Ille non ad imaginẽ, sed imago: tu nõ imago, sed ad imaginem. Habes ergo aliquid in tua substantia de imagine & similitudine Dei, quod sit diuinæ simile imagini. Audiamus & Athanasiũ, qui ratione aliqua explicat facilius. Is enim ait *in refutat. contra hypocr. Meletii, & Pauli Samosaten.* Homo, scilicet purus, (de Christ

namque non loquitur, qui & verus Deus & verus homo est) in sua & vnica hypostasi & subiecto, ad similitudinem Dei factus est, non tamen est homo Deus: non enim quod alteri simile est, id idem est cum ipso, cuius similitudinem gerit: veluti simile est regnum cœlorum sagenæ & semenți, nec tamen est quicquam eorum regnum cœlorum. sed similis Deo homo in aliquo. Quòd autem in aliquo factus sit similis, illud ex insufflatione quam Deus fecit in faciem hominis, ortum est, illud adhuc est participatio Spiritus sancti: non tamen insufflatio illa anima est, sed id quod animæ præstantiam dedit. Et aliud est efficiens, aliud effectus, & quod patitur, vel in quo aliquid operatur. Docentq; nos id verba *ca. Gen. 2.* ea: Et insufflavit in faciē Adam Deus, & factus est homo in animam viuentem: non enim dixit, & facta est insufflatio anima viuens, sed factus est homo in animam viuentem. Et ne in tam seria re sine authore loqui videamur, erit sententiæ istius assertor eximius, Diuus Cyrillus Patriarcha Alexandri *lib. 4. Thess contra har. c. 1. to. 2.* Non potuit, inquit, homo ad imaginem esse creatoris, nisi Spiritu sancto participaret: si quis enim, vt ait Paulus *ad Rom. ca. 8. ver. 9.* Spiritum Christi non habet, hic ipsius Christi non est. Notandum itaque illam Spiritus sancti participationē expressiorem Dei docere imaginem, quam tamen deturpamus peccato. Quod latiùs & meliùs idem Cyrillus explicat *lib. 13. Thesau. contra haret. ca. 3.* his verbis, Formato ex terra homine sufflasse in faciē ipsius Deū, Moses ait spiritum vitæ, & factum hominem esse in animā viuentem: spiritum autem ita per sufflationem homini datum, non dicimus animam esse hominis: esset enim immutabilis tanquam ex diuina progressus essentia: sed Spiritus sancti participationem animæ hominis impositam credimus. Creaturarum enim per Spiritum perfectio est. hunc ad imaginem Dei factum asserimus, quoniam participatione Spiritus sancti ad Deum formatus sit. Sed quem spiritum Moses per sufflationem datum homini asseruit, hunc rursus Deus per resurrectionem renouans in nobis insufflavit discipulis suis, dicens, accipite Spiritum sanctū: vt reformati ad pristinam imaginem, creatori conformaremur per participationem Spiritus sancti. Hactenus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha. Mandârunt etiam literis Ethnicorum philosophi, animum hominis quiddam esse diuinum, in quo rerum penè infinitarū essent cognitiones, & di-

& diuinationes, vt scribit Cicero *lib. 2. de fin bonor. aut malor.* Tum Plato *in Timæo* voluit homini cum Deo esse appellationis parilitatem, consortiumque naturæ: vt ob hanc participationem Dii homines in sacra scriptura dicti sint, participes eorum quæ Dei sunt, id est agentes quæ Deus agere solet, cùm tamen vnus sit Deus natura. Eadem & fere censuit Apollon. Thyaneus *lib. 8. de eius vita ca 3.* vt scribit Philostratus: sic enim ait, quòd sit hominibus cũ Deo quædam affinitas, per quam solùm in animalibus Deum homo cognoscit, & de propria natura philosophatur, & in quo diuinitatis est particeps, formaque, vt aiunt, Deo similis est: virtutesque à Deo colligit hominibus prouenire. Hac nos imagine etiam capaces sumus scientiæ, imò scientes: & quantò quis puram nitidamque hanc conseruat, tantò præstantiùs cognoscit, dijudicat, & altiora & secretiora penetrat, veluti quadam cum Deo omniscio, familiaritate consuescens, & ab illo hauriens: eò radiorum diuinitatis capacior, quò puritate Deo magis cõiungitur, sicut in cœlesti illa hierarchia, teste diuo Dionysio Areopagita *lib. de cæl. hierar. cap. 7.* proximiores ordines Dei contemplatione, Dei proximiores, secretiora à Deo veritatis, rerum speculo & prototypo perfecto, hauriunt & cognoscunt: quare & Deo viciniores, rursum Seraphim dicuntur, id est, scientes vel ardentes. Constat etiam antiquos, qui mundam & impollutam transegerunt vitam, non eguisse doctoribus vel literis, siue scientiarum scripturis: sed literarum loco gratia Spiritus sancti vsos. Nam & Noacho & Abrahæ, Iobo, & Mosi per semetipsum locutus Deus est, non per literas, quia scilicet munda eorũ corda repererat: postquam autem populus Iudæorum in vitiorum ima delapsus est, necessariò iam inde literæ datæ ac tabulæ, & ea, quæ per eas tradita est admonitio. Et hoc non tantùm probis viris prioris sacrosancti Testamenti, sed etiam noui accidisse legimus. Siquidem nec Apostolis scriptum aliquid tradidit dominus noster Iesus Christus, sed literarum loco Sancti Spiritus gratiam se illis daturum repromisit. Ille, inquit, Spiritus paracletus, quem mittet pater, suggeret vobis omnia, *Ioan ca. 14. d. versi. 26.* Et rursum, Ante reges & principes ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus: cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui

loqui

loquitur in vobis, vt scribitur apud D. Matth. *cap. 10. b. vers. 18. 19. 20.* & apud Lucam *cap. 12. b. vers. 12.* Spiritus sanctus docebit vos, quid oporteat vos dicere. Quomodo autem docuerit illos, habetur in historia Apost. *Act. cap. 2. a.* dum in die Pentecostes repleti sunt discipuli & Apostoli domini nostri Iesu CHRISTI Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Quo circa & D. Paul. *2. ad Cor epist. cap. 13. a. ver. 3.* An experimentū quæritis eius, ait, qui in me loquitur CHRISTVS. Et D. Lucas *cap. 24. g ver. 45.* scribit CHRISTVM apertuisse discipulis sensum, vt intelligerent scripturas: hæcque longè antè facienda Deus pollicitus erat etiam. Is enim cùm parcere peccatis, & lapsum primi hominis reparare decreuisset, infirmitatem etiam imaginis stabilire decreuit, & obscuratum intellectum purificare, sua absque meritis nostris gratia. Sic enim scribit Hieremias *cap. 31. f. vers. 33.* Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et nō docebit vltrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum vsq; ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Quod & D. Paul impletum testatur *epist. 2. ad Cor cap 3. a. ver. 3.* Vos epistola estis CHRISTI ministrata à nobis & scripta, nō atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Vidimus etiam Apostolos antea piscatores, vel telonio, vel pellibus addictos, eo Spiritu repletos & edoctos, menteque purgatos, supereminentis doctrinæ gratia facundiáve repletos: atque tantæ doctrinæ præstantia omnium dogmatum errores, gentilium, Græcorum, Persarum, Chaldæorum, Indorúmve detexisse & perdidisse, arcanorumque incognitorum adyta referasse: & toto orbe terrarum brevi tempore omnium philosophorum sectas superasse, & ad sanctissimam veramq; philosophiam calcatis erroribus impiis cœlesti veritatis lumine illustratos adduxisse, ac simul & per vniuersa latissimi orbis loca doctrinam atque philosophiam veram suam finmis radicibus plantasse. Non alia ratione, quàm quòd semina doctrinæ illius ab illustrata mente & purgata recepta fuerint post missionem Spiritus sancti & reparationē imaginis

ginis per CHRISTI passionē, veritate ipsa ab ea eximia potentia hausta quæ verè per se apud omnes hominēs rationis capaces vim est eiusdem efficaciæ: veluti & quæ verā sunt apud omnes, non aliter quàm vt sunt, se habere possunt. Quod non ante illud lumen Spiritus sancti receptum contigerat Apostolis nosse: quibus & CHRISTVS dixit *D. Ioan. Euang. cap. 16 B. Vers. 12. & 13.* Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Vis autem scire hunc spiritum ex Dei imaginē esse, audi quid his subiungatur *vbi. cap. 16. D. Ioan.* Non enim, inquit CHRISTVS Deus, loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. omnia quæcunque habet pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Et forsan hoc in loco non inutiliter D. Bernardus citabitur *in medit. suarum princip.* Homo, inquit, ad imaginem Dei creatus est & similitudinem, hoc est, ad intellectum & meditationem filii, per quem intelligimus & cognoscimus patrem, & accessum habemus ad eum. Mens siquidem nostra eo ipso imago eius est, quo eius capax est, participesve esse potest. Nec tam simile est illi summæ sapientiæ, quàm mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam, & voluntatem, in illa trinitate ineffabili consilii. Ex quibus duò colliges, nostram imaginem esse ad intellectum & contemplationem filii: secundò Trinitatis sanctissimæ in nostra mente esse imaginem. Quid autem est, quæso, Dei contemplatio, & filii Dei, quàm rerum omnium cum eius cognitione dilucida cognitio? omnia enim pater cum filio nobis donauit, *ad Roman. cap. 8.*

Et in mente diuina & in Deo ipso omnes res, veluti in idearum omnium prototypo & authore, relucent vt in ipsissima veritate. Vnde qui Deum cognoscit, cognoscereve potest, qualis est nostra mens, statim in illo omnia perfectiùs, quàm ex qualibet alia arte cognoscet: & per consequens, veræ sapientiæ & scientiæ fundamentum est, Deum nosse. Et tunc non tantùm existentia, sed & non existentia, nempe præterita & futura assequetur: quia cognoscendo Deum, qui perfectè res nouit antequam sint, & illas etiam *in eo* vt splendido & nitidissimo speculo videbit.

Quare

Quare aliquando Prophetæ vocabantur videntes, *vt scribitur 1. Reg. ca. 9. b. ver. 9.* quòd Deum ita videntes ad consulta responderent. Et olim vnusquisque, inquit textus, in Israël sic loquebatur si consuleret Deum, Venite & eamus ad videntem: qui enim Propheta dicitur hodie, dicebatur tunc videns, & prophetia visio, vt *Esaiæ 1.* visio Esaiæ prophetæ. Et rursum *cap. 8. d. Iesa.* Nunquid non populus à Domino requiret visionem? Et iterum *Threnorum ca. 2. c. ver.* Prophetæ eius non nouerunt visionem. Et alibi, quia locutus est Dominus in visione sanctis suis, *& Psal. 88. d.* Nec reticenda præstantissimi viri sententia, qui expertus locutus est ferè omninò analphabetus, sed omnium rerum & futurorum apprimè scius. Is fuit beatus Antonius, summus vir & heremi cultor. Hic enim virtutem vllam non esse docuit futura prædicere, quòd è diuerso in vitio non sit positum futura non nosse, vt ob hanc rem quis pœnam metuat: cæterum vnum illud beatitudinis verè existimabat, ritè Deum alere, legesque eius & mandata inuiolata seruare: si cui autem amor futura cognoscendi incessat, puram, inquit, modò habeat animam, & futuri perspectio eũ consequetur, Deo veluti per speculum aliquod cognitionem exhibente. Existimabatque vanum, quod in præscindo ponebatur studium, cùm tamen ille valde ea prædictione polleret, vt etiam multò antè prædixerit Arrianorum persequutionem: vt hæc omnia de illo scribit Sozomenus, & postea Niceph. Calist. *lib. 8. Eccles. hist. c. 40.* Cassiodorus *in histor. tripar. lib 1. c. 12.* Et meminit de eius prædictione D. Chrysost. *tom. 2. operum, homil. 8 in Matth.* Itaque puritas hæc mentis ad Dei cognitionem ex terræ fæcibus subleuata, Prophetas & secretorum & futurorum scientes reddidit. Et Paulum plene docuit: qui non ab hominibus, neque per hominem, sed per reuelationem IESV CHRISTI se accepisse testatur *epist. ad Galat. cap 1. vers 12.* Notusque Saul & Dauid ex pastoribus vates facti: cognoscitur Salomon, vnica infusione secreta omnium edoctus: agnoscuntur & reliqui, vates ex pastoribus & agricolis facti. Illustris Dauid subitò incognitorum interpres. Nónne & primus homo Adam ante peccatum rerum omnium cognitionem habebat? Neque de eo quisquam dubitat: vel si illud nesciat, discat ex Geneſi eius. Scribitur namque de eo *Gen. c. 1. vers. 28.* hominem creatum vt præesset: & dominaretur piscibus, & aliis rebus à Deo creatis: item rursus omnia

mnia ad Adamum, istius imperii confirmandi, & veluti obedientiæ præstandæ vel firmandæ caussa, à Deo vel Angelis ducta, vt videret quomodo vocaret ea. Nomen namque rei cuiusque talé est, quale Adam imposuit. Quæ duo, nempe gubernare, imperaréve, & nomina singulis imponere, non nisi eximiam & perfectam notionem demonstrant. Fuit autem concessa gubernatione & potestate necessariū, vt scientia gubernandi tribueretur. Nec enim aliter sine ea præesse bene potuisset, si quæ singulis expediret, nō nosset: nō enim eadem regula omnia reguntur, sed secundùm cuiusque naturam propria cuique applicantur & conuenientia. Denique nominum substantialis ratio haberi non potuit, sine cognitione substantiæ: aliàs enim temerè, & extra vim nominis quod rem indicat, dicta nomina fuissent. Quod quidem longè abest à prisca primaque nominis impositione, quæ statim apud Hebræos naturā demonstrat: apud Hebræos dico, quia hi vtuntur idiomate, quo vsus creditur Adam: & ita probat Eusebius Pamphil. *lib. 11. de præpar. Euang. c. 4.* Et hoc etiam nuncupandi more accommodato rebus vsi sunt posteri eius linguę. Exempla penè infinita id nos docere possunt: ipse namque Adam, quia ex terra creatus, Adam dictus, quòd adama Hebræis significet terram rubram. Et prima fœmina, eo quòd mater sit omnium viuentiū, Cheua dicta est, id est, vita. *Genes. 1. & 2.* Abel, qui occisus, luctum significat. Seth, quasi positus in locum Abel, quia Sathach id significat, dictus. Enos, quasi vir dictus. Nohah, quasi consolans, quia ipse consolatus est populum: id est, in diluuio per illum genus humanum seruatum. Quid? nónne Abraham, pater gentium: Iacob, supplantator: Beniamin filius dextræ: Iosue, saluator: Barionas, filius Ionæ: Cephas, petra vel Petrus: & alia huiusmodi in sacra pagina ostendunt? Hoc etiam obseruatum fuisse nemo ambigit ab aliis in linguarum idiomatibus, qui Hebræos imitati, vel rationem hominis, rebus nomina, secundùm idiomatum proprietates, pro cuiusque rei natura imposuerunt. Plato *dialog. 13 in Cratylo* id ostendit etiā, statimque ab initio ait, necessarium fuisse eum, qui rebus nomina imposuit, scientem fuisse quales res fuissent. Nam secundùm qualitates earum, nomina imposita multis exemplis demonstrat: quæ quisque videre apud illum poterit, & apud D. Athanasium alia *lib de definitio.* Ex quibus constat, Adamum notitiam rerum omnium habuisse cu-

mulatissimè, mente iam recenter edita, atque munda à Deo creata capaci omnium earum. Nec te moueat scriptū *Gen. c. 1.* Deum vetuisse Adamo ne de arbore ligni scientiæ boni & mali comederet: quod plerique ignorantiæ tutandæ gratia contorquent, vt auertant rerum cognitionem. Siquidē prohibebat mali actionem, non mali cautionem: mali autem actio scientia non est, imò ignorantia: nam si quis nosset malum quid sit, non declinaret à bono. Turpe enim est & odibile malum, & naturaliter à quolibet reiicitur, si illud prænoscat: sicuti bonum pulchrum est, & cùm agnoscitur, concupiscibile est. Quinimò & ex prædicta prohibitione ne ederet ex ligno scientiæ boni & mali, tantùm abest vt fateamur sublatam boni & mali cognitionem, quin potiùs vtriusque tunc concessam. Nam cùm datum esset liberum arbitrium Adamo edendi, & mortis pœna fuisset imposita si ederet, consequenter datam dicimus notitiam mali (quia quòd mors sequeretur, sciret) & boni si obedisset præcepto & non manducasset: neque aliter tam grauis pœnæ mortis reus, nisi id sciuisset, quia ignoranter facta, veniam vtcunque mererentur. Sed dicet aliquis, cur postea peccato commisso cognouit se nudum, cùm antea nō ita nouisset: videtur namque accessio facta scientiæ, nec omnium notitiam habuisse Adamum antea. Respondeo, illam cognitionem nuditatis esse potiùs ignorantiam, ortā à peccati tempore: nam quòd tunc cognouit se nudū, certè crassa ignorantia est, quòd etiam antea se nudum fuisse non recordaretur, si de corporis nuditate intelligamus. Sin autem de innocentiæ statu intelligamus, & cum eo se nudum esse dicamus cognouisse, ignorantiam certè ex peccato acquisitam & casum, & sic imperfectionem imaginis & denigrationem fateamur, expedit Vt autem explicem supinam illam & rudem ignorantiam, quæ ei post contumaciā obtigit, considero pœnam impositam præcepto prohibitionis, & sententiæ executionem: dixerat namque Dominus, In quacunque hora comederis, morte morieris. Moriemini, priuationem vitæ indicat, separationem animæ & corporis, quibus cōstat homo: vita autem animæ est Deus: quia insufflauit, & participes facti sumus Spiritus Dei modo quo docuimus. Vnde & Paulus *ad Col. 3. a. ver. 3. 4.* Vita vestra abscondita est cum CHRISTO in Deo: cùm autem CHRISTVS apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Atque Deus vita dicitur: sic enim

enim ipse de se testatur, Ego sum via, veritas, & vita, vitaque Deus omnium, quod viuere omnes ab ipso accipiant. Vita autem illa qua eius, omni vita superior, est nullius indiga: nam & ipse vita dicitur, & super omnem vitã, vitæ author, excelliorque vita, vt ritè philosophatur D. Dionysius Areopag. *lib. de diuinis nominib.* Et D. Ioannes in Euangelio *cap. 1. 2. Ver. 4.* Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Et rursum *Ioan. 6.* Ego sum panis vitæ. Et iterum *1. Ioan. 5.* Qui habet filium Dei, habet vitam: qui non habet filium Dei, etiam vitam non habet. Sic Moses *Deut. 30. d. Ver. 20.* Diligas Dominum Deum tuum, atq; obedias voci eius, & illi adhæreas: ipse enim est vita tua. Et alibi *Act. 17. f.* In ipso, inquit Paulus, viuimus & mouemur. Quod ante ipsum vnus gentilium Aratus *in Phænomenis princ.* dixerat. Et omnia quæcunque sunt, viuunt, & Dei fulcimento, & præsidio eius *Psal 33.* subsistunt. Cùm spiritus Domini repleuerit orbem terrarum, & omnia in essentia contineat, sicuti dum aufert Deus rebus spiritum suum, omnia in pulueremsuũ & ad nihilum reuertuntur, *Psal. 1. c 3.* Eodem & spiritu verbi Domini, omnis virtus: replet namq; omnia, *Vt Psal. 138.* Sic enim hymnographus, Quò ibo ab spiritu tuo? si ascendero in cœlum, tu illic es: si in infernum, ades. Et Virgilius *Aeneid. lib. 6. Ver. 724.*

*Principio cœlum ac terras, camposq; liquentes,*
*Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra*
*Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus*
*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*
*Inde hominum, pecudumq; genus, vitæq; volantum,*
*Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.*
*Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo*
*Seminibus:*

Quod & apud alios, qui aliquod numen venerati sunt, constat: vt Platoni, & sequacibus, iisq; potissimùm, qui vitæ autorem norunt. Porrò non æqualiter vis diuina, nec pari modo omnibus inest, sed aliter rebus corporalibus non viuentibus, aliter plantis, aliter hominibus, aliter brutis: & alia præ aliis Dei maiore beneficio potiuntur, prout nobiliorem sortita sunt & capaciorem naturam, & vltra naturalem quandã & realem subsistentiã, egent ad illius naturæ perfectionem Dei adhuc continuo auxilio. Sic anima cùm

immortalis substantiæ sit, tamẽ ad viuificandã & nutriendam illam substantiæ efficaciam, ad actus ad quos à Deo creata est, eget Dei perpetua gratia, vt eius ope actus exequatur. Vt enim corpus quantumuis animatum sit, sine cibo non potest diu viuere corporali, eoque sublato obnoxium est interitui, neq; quicquam probi operari valet, macie, medullis, & corpore debilitatum, & sic non fungitur suis actionibus, pro mortuo habetur: sic anima quanquã sua natura viuat, tamen nisi cibo spirituali, & veluti quadã Dei participatione vtatur, sterilis & obnoxia interitui ratione actionis & beatitudinis fit, priuatione cibi sui, & defectu luminis. Nec ex solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei, *Deut. c. 1. Marc. 4.* Quæ autem procedunt ab eo adorando ore, sunt præcepta eius, & quod voluntatis eius est. Scribturque *Psal. 68. g. Ser.* Quærite Deum, & viuet anima vestra. Et cognitio Dei dicitur vita æterna: Hæc est enim, inquit CHRISTVS *Ioan. c. 7.* vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Ita à Deo duas vitæ trahimus vitas, vnam, quòd simus, essentiamque propriam habeamus: sic in eo & omnia quæ sunt, viuunt, quæq; sua proprietate subsistunt. alia hominis diuinior, qua is Deo fruitur, ab eo consolatur, illustratur, beatusq; tandem fit. Prima vita essentiæ, quod ad animæ substantiam pertinet, non interit, quamuis intereat homo corrupto corpore, & solutione facta corporis & animæ, & corporis in quatuor elementa, ex quibus componitur. Quod ad secundam pertinet vitam, & Dei illuminationem & fruitionem, declinante anima à Deo per peccatum, ratione priuationis mori dicitur, id est, separari à Deo: quoniam qui elongant se à Deo, peribunt. *Psal 72.* Et anima quæ peccauerit, ipsa morietur, *Ezech. c. 18.* vt proprio libro latiùs docemus, vbi agimus de immortalitate animæ. Ex quibus dicimus peccatum ad mortem, & peccatum non ad mortem cum D. Ioanne *2. Epist. Iohan 5. d.* Siquidem cùm mundum & immundum, iustum & impium sint sibi contraria, & vita & mors, & nemo possit duobus dominis seruire, fieri nõ potest, vt cùm peccatum adest animæ, admisso Sathana impurissimo, Deus simul in nobis reperiatur. Nec possumus Deo viuere, nisi antea peccato moriamur, vt ait D. Ambrosius *tom. 4. lib. de Ioseph. cap. 14.* Et nisi quis diffideat à diabolo, pacem nõ habebit cum CHRISTO, vt scribit D. Augustus.

gust. *quæst. 92. in nouum Testam.* Recedit enim spiritus Domini ab anima illum abnegante, & eo contaminata: tumque occupatur à Sathanico spiritu. veluti cùm Saul, recedente spiritu Domini bono, obsessus fuit à maligno *in lib. 1. Reg c 18. ver. 10.* Recedit autem Deus non potentia puniendi essentia vel præsentia, quia eo modo is est semper vbique: sed gratia, quia peccatum & iniquitates diuisionem constituunt inter illum & peccatores, *Esaiæ c. 59. g. ver.* & Deus longe est ab impijs eo modo, *Prou. c. 15.* Et quia interdum cum peccato mortali, Deo non reconciliati, ab hac vita mortali decedunt aliqui, mors illa animæ, priuatioque fruitionis gloriæ Dei, animam perpetuò sequitur. Nam vbicunq; ceciderit signum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi ardebit. Et quo in statu reperietur anima à corpore discedens, in eo iudicabitur. Est enim tunc tempus post mortem, supplicij vel gloriæ. hic autem quàm diu viuimus, potest esse facultas resurgendi, & reconciliationis cũ Deo: quocirca mors illa in mortali illo peccato decedentiũ, dicitur etiam æterna, quæ & mors secunda dicitur in Apocalypsi *4. Apoc. a. d.* Nam prima mors dicitur dissolutio corporis, & separatio animæ, à qua transeunt quidam in vitam æternam, *vt Ioan. Euang. c. 5* Qui credit in me, transibit, inquit Christus, à morte in vitam: alij in mortẽ æternam. hique perpetuò visione & fruitione Dei priuati, cum Sathana torquendi adiudicantur. Ergo vita priuatus Adam ob peccatum, priuatus Dei familiari visione, à quo seipsum abscondit, & consequenter & scientiam, quam nactus erat à Deo, peccato obscurauit, veluti opposita nube & tenebris aciei oculorum mentis, & imagini Dei, nempe intellectu, voluntate & memoria obnubilatis. Vis adhuc de his dilucidam probationem? considera crassissimas ignorantiæ tenebras post peccatum illius, cùm latitare se putaret, tanquam si Deus omnia & vbique intueri nesciret: dein considera tempus & locum, vbi se abscondi posse putabat, nempe in meridie, in quo radij luminis fulgentissimi, etiã oculis carneis & lippis posita clarè detegebant quælibet. Ab eo tempore imago Dei in Adamo, & in his qui postea ex primis parentibus propagati sunt, remansit obscurata & tenebris velata. illa tamen quæ ab eo indita est, remansit imago Dei in eo & posteris, siue fuerint ij Ethnici, siue Iudæi, quibusdam tamen minùs, aliis magis obscurata. Relicta namq; etiam post peccatũ & incredula anima, & per consequens

imago Dei, quæ in ea est mens, ratio, & eius facultates vel potentiæ & sciendi, & intelligendi, & Deum cognoscendi. Hanc imaginem Dei, pro arbitrio libero nunc iuuante gratia expeditiore, anima vel exeitat, vel sordescere patitur, vel naturalem potentiam sequendo, vel contemnendo. Nam, vt ait D. Basilius Magnus *lib. Hexameron. homil. 11.* Cùm condebamur hoc nobis inditum est, quòd ad imaginem Dei facti sumus: ex proposito verò nobis acquiritur, vt similes Deo reddamur. Illud verò secundùm propositum potentialiter nobis ineſt: effectualiter autem nos ipsos impellimus. Et nisi præueniens nos dixisset qui fecit nos Dominus, faciamus, & ad similitudinem nostram: nisi ad hoc, vt ad similitudinem Dei efficeremur, potentiam nobis largitus esset: ex nostra vtique potestate similitudinem Dei non fuissemus adepti. Habeo igitur ex creatione illud Ad imaginem, fio autem ex proposito illud Ad similitudinem. Gratia illa, propter quam tibi coronaceſſit, partim tua est: si enim totum tibi dedisset opifex, quonam pacto tibi fuisset apertum regnum cœlorum? Nunc autem hoc quidem datum: illud autem imperfectum relictum est, vt postquam teipsum consummatum reddidisti, dignus habeare qui mercedis retributionem accipias: Hæc Basilius. Laborandum igitur nobis est in colenda & excitanda imagine & potentia, postquam à perfectione prima desciuit homo peccato: perpetuoque eius rei causſa ratiocinandum. Habemus agrum fœcundum à natura & à Deo primùm datum animæ, mentem nostram omnium scientiarum capacem: hanc ab omnibus ruderibus purgare, & spinis, & aliis quæ semen suffocant debemus, & ei negotio curam omnem adhibere, si segetes velimus produci inde & metere. Nouit id Hippocrates *lib seu fragm. de lege*, dicens: Nostra natura seu ingenium, tanquam seges & ager est: doctorum verò præcepsa dogmatáve, semina sunt: disciplina autem, & scientia puerili ætate comparata, est suo tempore semina in segetem agrumque sationi paratum iactata fuisse: locus autem quo discitur, nutrimentum est aëris quod segeti & satis accedit: laboris verò cupiditas, est opera, tractatióve, & subactio agelli: tempus autem hæc omnia corroborat, planeque nutrit. Est namque in anima aliquid duplex consideratum, anima ipsa, & vis animæ: in anima viuere, in eius vi bene viuere, vt etiam notauit Aristot. *lib. 1. magno. moral. c. 4.* Sic anima etam

etiam existimatur veluti tabula rasa, & quædam papyrus, in qua licitū sit describere bona vel mala, cùm ad vtrumq; semen, veluti ager, vim quandā producendi exerat. Atque, vt scribit Maximus Tyrius *serm. 40.* anima habet rerū omniū expeditissimū atq; ocyssimu motum, vtpote quæ sit cōglutinata ex mortali & immortali natura, & ob eā partē quam à mortalitate desumpsit sub brutali natura censenda sit: nutrit enim, auget, mouet, sentit: ob immortalitatē verò ad diuinitatem accedit, quæ licet cogitat, ratiocinatur, edisci, atq; efficitur sciens. Quatenus autem natura ipsa mortalis cum immortalitate concurrit, id omne dicitur prudentia: mediū videlicet quiddā existens inter scientiam & sensum. Estque sensus animæ functio, quatenus irrationalis: sicuti mens, animæ functio, sed quatenus est diuina. Harū media est prudentia, & ipsa eiusdem animæ functio, sed quatenus est humana: sensus enim experientiam colligit, rationem prudentia, mens verò stabilitatem. Id igitur quod ex his omnib. harmonicè compositum est, scientiam voco. Sunt aliqui, qui sensualem, irrationalem, corporalémve partem tantùm excolunt, & corporea tractant. Hi animales homines, qui nō percipiunt quæ sunt spiritus, præsentibus tantùm & apparentibus contenti, & curis seculi impliciti, spinis omnino referti, & passionibus animæ dediti: vnde anima quia sana nō est, sed his affecta & morbida, neq; liberè circa rerum contemplationem vacare potest: cùm sanitas animæ sit imperturbatio mentis, vt ait Thalassius monachus *hecatontade 2 de charit.* Vnde, vt idem ait *hecaton. 1.* si velis imperare animæ, & scire, circumcide ante omnia affectionum caussas. Ideo ex antiquis etiam qui cognitionem excellentem nacti sunt, omnibus temporalibus & caducis renunciārunt, philosophiæ vacantes, palliolo tantùm contenti, repurgabant mentes, earum rerum contemptu, & ab earum solicitudine. Biasque tantùm sua secum portare professus: alius dolio inclusus Alexandrū contempsit: alius diuitias in mare iactauit: alii omnino à vulgari, & prophana turba procul se separārunt: quorum exempla & nomina tam nota sunt, vt superfluum ducam cognita passim referre. Sed & plures vsi sunt proprii corporis castigatione, disponentes organa, quibus anima liberiùs absoluta à mole corporis, omentoque terrestri, imperaret, & fungi suis viribus posset: abstinentes à corporis satietate, voluptateque terrestri: leui cursu & quatenus

naturalis necessitas patitur, hæc humi repentia pertranseuntes: & alia contemnentes, vt altiùs conscenderent, ad creatorem mentem traducentes. Ob id abstinuerunt alii animalibus, vt Pythagorici: plerique à vino, & ab aliis ciborum generibus: alii à Venere: alii ab omni specie corporea voluptatis, purgantes, vt ipsi dicebāt, his modis animas, vt apud Iamblicum *de myster. Aegypt.* & Porphyrium *lib. de abstinentia animal* & Proclum *de anima & dæmone* scriptum est. Nostri Christiani, patresque præstantissimi, lauacro regenerationis gratiam à Deo imagini Dei coniungentes pœnitentia, ieiuniis, lacrymis, & orationibus animæ sordes eluentes, intelligentiam, sapientiam, & doctrinam à Deo deprecantur, & obtinent. Et quibusdam modis ex his antiqui populi Israëlitici, vt Salomon, Eliseus, Hieremias, septuaginta Seniores Mosi auxilio datiis similes, de quibus iam dixi, Apostoli, sanctique Patres. Fuit & Hor nomine, Aegyptius abbas, qui literarum omninò rudis, cùm illi oblatus legendus libellus fuisset, oratione fusa legere cœpit, vt ait Marullus *lib. 2. c. 2.* quod & de seruo quodam triduo orante Fulgosius tradit *lib. 1. c. 6.* Sic Basilius Episcopus Ephreno Syriæ solitario Græci sermonis vsum impetrauit oratione à Deo, *Marul. lib. 2. c 2.* Sunt his alii similes, de quibus nec mirandum est si à Deo illud impetrauerint, quod antiqui Ethnici, Deo permittente, ab alios, indignis Dei titulo, impiis spiritibus se obtinuisse iactārunt: sicut Socrates à suo bono dæmone, Hesiodus à Musis, item Thynicus, qui iisdem afflatus hymnum absolutissimum composuit: vt Euages pastor diuino numine repentè Comicus factus dicitur. Omitto reliquos Θεοδιδάκτους dictos, vt eum qui se à nympha Aegeria, nempe numen aliud, qui à Ioue leges hausisse dicebant: paulò inferiùs enim de his alia subiungemus Deo fauente.

### *Rationes adferuntur, cur non omnibus cognoscendi eadem facultas datur: cur diuersi non similia sciant.*

### CAP. VI.

SEd & ex superioribus reliquum succedit ordine latiùs enucleandum, cur lumen illud cognitionis naturalis, illudque supernaturale non communicatur æquè omnibus. Cuius ex iam examinatis vera datur ratio, quod nō omnes homines modo pari disponunt animas, quamuis illæ eiusdem

dem potentiæ & imaginis sint: & quòd alii corporalis magis, quàm spiritualis partis sint solliciti. ideo non omnes similiter & docti & scientes: sicuti agri eiusdem naturæ & continentis soli diuersa cura exculti tamen, vberiores fructus vel minores, & diuersos natura & quantitate proferũt. Sunt enim causſæ plures, quibus impediuntur animæ omnia & æqualia scire. Et inprimis illud indubiè tenendum est, omnia homines scire simul nõ posse, ob rerũ multitudinẽ & varietatẽ, & propter memoriæ humanæ imbecillitatem imminuta vi eius peccato originali. Secundò nec plenè & perfectè de singulis vt res se habent, potissimùm cùm de essentia quæritur, sciri posse, quamuis de omnibus scientiam haberi aliquam seorsum & separatim his examinatis dicimus. Tertiò nec pari modo omnes intelligere, cùm & cuilibet animæ vltra potentiam sciendi generalem, quædã insit à Deo particularis beneficii elargitio: & aliæ aliis sint excellentiores in naturalibus & donis, ad intelligendum & memorandum habiliores, acutiores ingenio, & perspicaciores intellectu. quod & in Angelis, qui spiritus sunt, inueniri constat, & notatur in sententiis Patrum, *Magistr. sentent. lib. 2 distinct 32. litera 1.* Quartò corporum diuersitas, & dispositio differens diuersam sciendi constituit causſam & promptitudinem. Melancholici namque ingeniosi sunt: & magni, inquit Cicero *1. Tuscul quæst.* refert, quali in corpore animi locati sint. Multa enim in corpore exiſtũt, quæ acuũt mentem, multa quæ obtundunt: idque pro organorum, & temperaturæ, & crasis corporeæ tenore, quib. anima veluti instrumentis vtitur, vel iuuatur: non minùs ac optimus faber instrumentis optimis melius vtitur, malè autem dispositis & non accommodis non optimè, vt vult. artem exprimit. Et si quis cupiat de membris aptis ad mentis functionem plura videre, legat Aristot. *in physio.* & Galenum *in libello num anima sequatur temperamentum corporis.* mihi enim non animo insidet, quæ tradunt transcribere: & sufficit admonuisſe, corpus vt instrumentum respondere debere animæ, potissimùm in partibus cerebri, in quibus functiones rationales sedem habere dicuntur: quæliberè & absque offendiculo esſe in ministerio debent, & quib. malè affectis præcluditur functionis vis, & benè dispositis maximus patet ad intellectum aditus. Quo fit vt pueri, in quibus dominatur pars corporalis, quæ quodammodo obruit aciem animæ, veluti natura tunc laborante in formando

corpore, non sint ita sapientes & ad iudicandũ certi, quamuis vasa bene dispositia sint: idque ob abundantiam alimenti, quod natura attrahit ad corpus vegetandum: ex quo & mentis veluti opilatio & impedimentum, membris nondum ad functionem rationis vt oportet consolidatis & defæcatis. Videmus & rusticantes & callibus laboribúsve obduratos, sanguinis crasi & cutis bouinæ, indociles ferè: sanguine autem subtili, & spiritibus agilibus plenos, dociles, interdum & morbis diuexatos, doloribusque plangendis occupatos, & corruptis vel non sanis animæ instrumẽtis parùm ad discendum attentos, imò & memoriam priorum quæ nouerant amittere. Vt refert Valerius Maximus *lib. 1. c. 8.* quendam Athenis virum eruditissimum, cùm ictu lapidis vulnus capite excepisset, literarum oblitum, quibus antea tantopere studiosè inseruierat. Vt Messalam Coruinum proprii nominis oblitum post ægritudinem, testatur Solinus Polyhist. *lib. 6.* P. Crinitus *lib. 1 c. 10.* Plinius *lib. 7. c. 24.* Et aliis idem accidit & ob senectutem quæ indisposita crasi est: & Georgius Trapezuntius omnium literarum Græcarum & Latinarum oblitus, sicut & Franc Barbarus, vt author Volaterran. *lib. 2. Anthropo.* quod & contigisse ætate Ciceronis Orbilio Pupillo Beneuentano, narrat Suetonius *lib. de illust. Grammat.* Singulorum namque animantium functiones, proprias sequuntur potentias: instrumenta ante ipsas functiones ac bona. & in summa, singulorum animalium bonum in natiuis operibus consistit, opera autem in necessario vsu, vsus in facilitate potentiæ exercendæ, potentia in aptitudine instrumentorum, instrumenta in varietate naturæ, vt scribit Maximus Tyrius *serm. 32.* Quintò diuersitatem efficit intelligendi victus ratio: nam quanquam organa sint bene natura disposita, tamen exteriora quædam accidentia ea obtenebrant. Siquidem, vt ait Claudianus,

*Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper*
*Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus.*

Atque veneris assiduus vsus interiores spiritus exhaurit, & cerebrum debilitat: redduntur que omnes ferè post coitum animo tristiores, vt etiam notat Aristot. *lib probl. sectione 30. quæst. 1.* Exeunt quippe cum semine aliæ facultates, & ita corpus debilitatur venere, vt idem Aristoteles scribit *lib. 1. de gener. animal. ca. 18.* & Galenus *Tom. 3. operum lib. 3.*

*lib 3.comment. in lib.3. Hippo.de morbis vulgaris.circa finem,* venerem cerebrum lædere,& vires elidere. Cuius rationem reddit Aristot. *5.de generat. animal.ca.3.* Idemo, inquit,antequam coire incipiat, caluescit, sed à venereo coitu id potius euenit. Cùm enim cerebrum frigidissimum omnium corporis partium sit,tum rei venereæ vsus magis refrigerat, cùm is caloris sinceri naturalisque secretio sit: itaque cerebrum sentit meritò priùs. Quæ etenim imbecilla vitiosaque sunt, caussa parua exiguoque momento immutantur. Et Plato etiam putauit semen esse vertebralis medullæ defluuium, vt notat Plutarc. *de placid philos.lib.5.cap.43.* Sed & illam Venerem menti nocere idem Plato apertè scribit *lib.32 qui Timæus inscribitur,* his verbis: Qui fluido stupidoque circa medullam abundat semine, vtque arbor pluribus quàm conueniat fructibus grauida, nimia vbertate luxuriat, is profectò multis passim doloribus,multis item voluptatibus in libidinibus ipsis, earumque fœtibus fructibusque affectus, per omnem fermè vitam ob ingentes voluptates dolores que insanit ac furit: cumque huius animus propter corpus æger sit atque insipiens, vulgò tamen non æger, sed pro voluntate sua vt liber affectus falsò putatur,veritas autem sic habet.Et Venereorum intemperantia maxima ex parte propter generis vnius habitum per ossium raritatem in corpore lubricum madidumque animi infirmitas est: quocirca & Euripid. *in Troadib.actu 2. vers 130.*

τὰ μῶρα γὰρ πάντ' ἐστιν ἀΦροδίτη βροτοῖς.
καὶ τὸνομα ὀρθῶς ἀΦροσυνης ἄρχει θεᾶς.
*Venus rectè est id omne quod est fluitum.*
*Et rectè nomen illi insipientia inditum est.*

Atque idem Euripides alibi *in Hecuba.* venerem amentiæ præfectam esse dicit, vt eius etiam testimonium citet hoc Aristoteles *lib. 2. Rhetor. ad Theod. ca. 23.* aliique hoc probant, quorum sententias omittimus. Sufficiunt nobis exempla, quibus docemur viros insigniores, hac venere etiam scientiam, & notionem sui & rerum aliarum oblitos fuisse. Nec quisquam doctior Salomone: is tamen à venere, veluti mente circumcisus, in idoli meretricis suæ cultura fœditer lapsus est: & qui Deo vero & viuenti templum priùs constructat,assiduitate mulierum strictius,ve-

neri

neri & idolis postea ædificauit, *3. Reg. ca. 11. 4.6.* Vates Dauid pater eius electus à Domino, venere Bethsabeæ fascinatus, homicidium vnà cum adulterio admisit, *2. Reg. ca 11. & 12.* Num aliquis fortior Samsone? is causam suæ fortitudinis, quam antè tacuerat, ex capillorũ fato pendentem, non secus ac regnum Nisi ex capillo purpureo apud Ethnicos, *Ouid. lib. 8. Metamor.* tandem Veneris veneno infectus detexit & amisit, *Iudic. ca. 11. b. c. d. e.* Veluti & hæc eadem Nino imperandi peritiam, sceptrúmve è manibus excussit, columque & fusum & pensa substituit, *vt habetur apud Iustinum lib. 1. historia, & alios.* Hæc etiam Herculi pro claua, quam nec famosi latrones, nec leo ferox, non hydra multicollis, non triceps cerberus, nec alia monstra eripere potuerant, pensum & fusum digitis aptauit cùm consuetudinem Ioles sequeretur, *vt scribit Ouid. Metamor. lib 9.* Et alii plures huiusmodi, quos lubens prætereo. Et prostant exempla quotidiana amasiorum, qui suciati hoc dulci, vt aiunt, veneno, veluti animalia irrationalia mura, quæ secundùm Plinium & Aristot. coitus tempore maximè sæuiunt, miro modo mente vacui videntur, & ferè phanatici, proprium commodum contemnentes, prodigè omnia profundentes, à curis necessariis honestisve actionibus vacui, vanissimi nebulones, verique proci Penelopes, nihil vltra quàm veluti porci lutum fœtidum meretricum tractantes. Tales obuiam passim, iuuenes verè quidem, tempore quo rebus indagandis, atque literis euoluendis vacare deberent, die noctúve musicis instrumentis & mellitis cum veneno illo sermonibus, omne tempus obterentes: & quod peius, idolo venereo semper intenti, siue bibant, siue manducent, siue cubent mentem funestantes, vt nihil aliud cogitent, non sua, nec seipsos, phanatico quodam morbo catenis ignorantiæ & turpitudinis arctè constricti. Et vt semel dictum est cum Osea *cap. 4. v 5.* fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor. Nec quicquam, vt ait Seneca *in princ. 1. lib. declam.* tam mortiferum ingeniis, quàm luxuria. Quia perfectio intellectualis in homine consistit in quadam abstractione in sensibilibus phantasmatibus: & quò magis mens hominis fuerit libera ab his, eò citiùs intelligibilia assequetur, & omnia sensibilia in ordinem deducet. Idque docet D. Thomas *in 2. sect. q. 15. art 1.* Et oportet intellectum, qui optimè intelligit, videlicet rationem animæ, immixtum neque alligatum alicui rei esse, cùm natura sua immixtũ esse oporteat

trat intellectum, vt scribit Aristoteles *lib 3. de anima cap. 4.* Quæ & dicta volo de voluptatibus reliquis corporeis & brutis, quæ & vim intelligendi suffocant, vel comprimunt, vt latè docet Lactantius *lib. diuin. Institut. 6. siue lib. de vero cultu, c. 20. & 21. & sequentibus.* adstipulaturque diuus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus *lib. 4. contra Iulia. apost.* Voluptates & variæ affectiones, inquit, admissæ, cor & dignas cogitationes ab omnibus mentibus auferunt: blandissimæ namque dominæ sunt, vt ait Cicero *2. offic.* voluptates, quæ maiorem partem animæ à virtute detorquent. Siquidem, quæ sensualia sunt, & dulcia sunt, eaque anima tunc sequitur: impeditque consilium voluptas, vt idem Cicero ait *in Catone maiore*, rationi inimica, ac mentis, vt ita dicam, perstringit oculos. Ideoque, vt alibi ait *2. de finib.* submouēda, vt recta sequamur. Et Philo Iudæus *tomo priore oper lib. quòd Deus sit immutab.* censet, in rebus non esse duo tam contraria, quàm sunt voluptas & scientia: illamque intellectum corrumpere docet alibi *lib. de mundi opific.* omninò enim, inquit, scire oportet, quòd voluptas tanquam lasciua meretricula amatorem appetit, quærens stupri conciliatores, per quos illum ceu hamo capiat. Sunt autem huius cupidinis sequestri sensus, quos postquam inescârit, facilè mētem subiugat, quæ res externas intrò admittat, illis internuncijs & ostentantibus singulorum formas, & ei suū affectum imprimentibus: vtque cera similes recipit per sensus imaginationes, quibus comprehendit corpora, quod per seipsam non valet. Ea itaq; ratione & homines vim rationis amittunt, & contemplandi facultatem, veluti tyranno cuidam mancipati, & brutis similes facti. Nihil enim interest, vt dicebat Socrates, *Xenophon libro 4. de dictis Socratis*, inter hominem incontinentem, atque voluptate notatum, & pecudes: sunt namque hæ voluptates sensibus quibuscunque communes, & animalibus brutis Vnde & homines nihilo ab his, iisdem vtentes, contemnentésque veras animi ex doctrina voluptates, differre videntur, vt docet Gellius *lib. 19. Noctiū Attic* & Macrobius *lib. 2. Saturnal. c.* Quin & animales illæ voluptates furiosæ animas nostras perturbant, & impedimenta innumerabilia præbent, vt ait Plato *lib. 10. siue in Philebo, vel de summo bono.* Quapropter studiosi eas maximè deuitare satagent summa curā & diligentiā, cùm obuia & glabra ad libidinem sit via, & facilè delabatur per voluptatem in flagitium prona mortalitas, vt scri-

vt scribit Diodorus Siculus *in lib. 13. bibliothecæ*. Nec fieri potest, vt scribit Cicero *oratione pro M Cælio*, vt animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, copia, inopia quoque nonnunquam impeditus, literis operam dare possit. Sic omittendæ sunt scienti cupidis omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, cõuiuium, sermo etiam penè omnium familiarium deserendus. Referunt historiæ authores, Cannas Hannibali Capuam fuisse. Siquidem inuictum Alpibus, & indomitum armis, Campaniæ lolæ (quis crederet?) & repentes fontibus Baiæ subegerunt. Virtus namque militaris, scientiaque, atq; hostium præcautio, & mentis acies, voluptatibus gustatis elanguit, vt narrat Liuius *decade 3. lib. 3.* Florus *lib 2. epit. cap. 6.* Plutarchus *in vita Annibalis*, Appianus *in libro de bello Lybic.* Plinius iunior, Eutropius, Orosius, & Silius Italicus, Polybius, & alii, qui scripserunt de bello secundo Punico. Et ratione antiqui vt voluptatem mentis esse perturbationem docerent, Tantalum in exemplum proposuerunt: is enim cùm eius esset amantissimus, atque Iouis pollicitationi cõfidens, qua quicquid petiisset, consequuturus esset, petiit, vt Deorum more in voluptate omni viueret: quod quidem obtinuit, & Iupiter satisfecit ei quam promiserat pollicitationi, quia promiserat: at vt nullo appositorum frueretur, viueretque semper perturbatus, petram super eius caput casum minitantem suspendit, ob quam nihil potuit gustare ex præsentibus, vt narrat Athenæus *lib. 7. dipnosoph. ca 3.* Quanquam sciam illam fabulam ad auaros ab Horatio referri: nec quicquam prohibet tamen, & ad voluptatis perturbationes & obliuionem eius, quod fieri oportet, pertrahi posse. Fuit & alius nempe Claudius Cæsar, qui, vt refert Suetonius *in eius vita, cap. 33.* cùm voluptatibus & ventri vsque ad perniciem crapulæ deditus esset, in tantam mentis stupiditatem, obliuionemque profundam peruenit, vt occisa Messalina, paulò postquà triclinio decubuit, cur domina non veniret requisierit, & multos ex his, quos capite damnauerat, postero die statim & in consilium, & ad aleæ lusum admoueri iusserit. Nocent etiam, & functiones animæ impediunt crapula, ebrietas, & huiusmodi voluptatis ministri: de quibus dicetur forsan aliàs. Erit tamen sexto ordine causa alia, cur non omnes patiter sciant, nempe incuria & negligentia discere volentium. Nosse namque expedit, quòd sicut in agro quædam sponte etiam non sata,

& sine

& sine externa agricolæ ope & auxilio innascuntur, quędam nisi serantur & excolantur: ita in hominis sciendi potentia, quædam per se innascuntur, quædam aliunde semina expectant & cultum. Animalia quoq; omnia quasdam proprias facultates ex seipsis non aliunde habent, & norunt, vt docuimus, fugiunt, nidificant, prædantur, cibos conuenientes eligunt. quædam aliunde addiscunt, vt quòd voces humanas discant aues, quòd dominis obaudiant, vt equi frenis dirigantur, domentur, pugnent, & similia: sic homo, vt ait Max. Tyrius *Serm. 18.* scit aut inueniendo, aut discendo. Et Plato *lib. qui Alcibiad sive de nat. hom.* Duobus modis cognoscimus, vel inuentione, vel ab alio discentes. Animi inuentio indigena in ipso existens, eiusque ex semine orta, vel potiùs in animo insita est: eaque nihil aliud, quàm veratum opinionum excitatio, cùm animus vnum venatur ex altero, & ex quibusdam perceptis vel coniectatis, altiùs ratiocinatur, & negotiatur, suscitatque cogitatione rationes, & ex illa quippiam aliud elicit: veluti ex attritu lapidis & chalybis ignis excutitur & apparet, qui antea potentia in lapide latitabat, primùm potentiam in actum impellens, postea incrementum paulatim adiciens, productis semper addendo: non secus ac videmus terram semina paulatim educere, atque per latentia additamenta augere. Potentia enim animæ ad diuinum opus efficax est, non per se, sed sulùm illustratione diuina desuper influente, per quam & actionis diuinę videmur esse participes, vt ait Iamblicus *lib. de myster. Aegyptior.* Quod docet cur non omnes animæ opera diuina faciant, non miraculorum opera virtutes non profitentur, sed tantùm illæ quæ id dono à Deo acceperūt. Quia anima interdum agit vt caussa instrumentalis, interdum vt principalis, interdum vt concausa cum spiritu Dei: veluti numine afflati antiquitus, extra Dei veri cognitionem oracula reddentes, veluti instrumenta tantùm, & vim ignorantes eorum quæ dicebant, cùm tamen intelligerent quæ proferrent Dei Prophetæ. Atque principalis caussa rationis anima, & ea proxima concausa in his, quæ voluntarie cum Dei gratia agit. Notandumque idcirco scientiam non esse à natura, sed natura nos ad eam esse aptos: nam si ex natura esset, omnes pariter & omnibus seculis sciuissent. Neque etiam scientia erit reminiscentia: quia si talis esset, vnum & certum sciretur, neque essent tot variæ rei vnius sententiæ, vt notat Arnobius *lib. 2. aduersus gent.* In quo

errauit & Plato, qui ita putabat scientiam esse reminiscentiam & recordationem vitæ superioris: neque inquit neri vllo modo posse, vt pueris tot rerum atque tantarum insitas & quasi consignatas notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, nisi animus antequam corpus intrasset, rerum cognitione viguisset. Neque omnia planè videre animum, cùm repentè in tam perturbatum domicilium, tamque insuetum migrauit: sed tum demum cùm se collegit, atq; recreauit, cognoscere ea reminiscendo. Id autem Plato asseruit *in Menone*, & scribit Cicero *1. Tuscul. quæst. 2.* qui tamen reprobat, atque diuersam sciendi facultatem ex potentia animæ & cultura oriri, non ex illa animarum præcedenti scientia: in qua & lapsus cum sua metempsychosi Pythagoras, quam meritò irridet Lucianus *in Gallo vel somno*. Dehinc ordo, incrementa & colligatio plurium inuentionum, obseruatione per tempora multorum, aliam scientiæ formam, veluti experientia & vsu approbatam, artes & disciplinas tradiderunt per inuentionem & experientiam, non tamen communem. Quo fit, vt homo doctore egeat & præceptore, labore, & diligentia: tum quia animum ad ea inuenienda capacem non habeat, tum etiam quòd inordinatè à se cognita, ritè non possit sine duce efferre, vel explicare. Et ita D. Ambros. *tom. 2. lib. 5. de fide ad Grat. cap. 8.* omnem scientiam aut ex natura, aut ex disciplina esse ait: vt ex natura suppetit equo currere, pisci natare. hoc enim, inquit, faciunt, antequam discant. Ex disciplina rursus suppetit homini nare: nam nisi didicerit, scire nō potest. Quod velim intelligatur de modo sciendi, qui humanis viribus & potentia naturali accedit, quique non sine labore & minutis quibusdam accessionibus, ex paruis in maiora conscendit. Non autem intelligenda puto de scientia, quæ à Dei virtute infunditur, quam sine labore aliquo mentibus humanis concedi à Deo simul & semel nouimus: sunt enim sine conatu dona & gratia Dei: hæcque vbi se infuderit, regere consueuit, vt non egeat ingenio humano, sed superet recipientis ingenium. Et spiritus quidem Dei est in hominibus, sed inspiratio omnipotentis dat intelligentiam, vt dixit Ehu filius Barrachel Baxites *Iob c. 32. b.* Nec conatus est Matthæus, non Marcus, non Ioannes scribere Euangelium: sed diuino spiritu vbertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine vllo molimine cœpta compleuerunt. Non ita cæteri, qui sine Deo scribere Euangeliū aggres-

aggressi sunt, vt & dixit diuus Ambrosius *tomo 4. in initio 1. lib in Euangelium Lucæ.* Eadem de Salomone, Adamo, reliquisque Prophetis & viris sanctis: ad quorum puritatem meritis cùm nec accedimus, tenebris peccatorum & rerum inferiorum & terrestrium impediti, egemus doctoribus maiori beneficio diuido doctrinæ insignitis, doctorum inuentionibus & scriptis, quib. veluti remigibus nauis, mens videlicet nostra, portum scientiæ appellat. Hoc quippe interest inter scientiam infusam & acquisitiuam, quòd infusa, instar artis impressoriæ, simul prælo paginas sententiis & clausulis implet & infigit: acquisitiua autem imitatur scribentium ordinem. quo vna, postea altera, tertiáve litera depingitur, postea syllabas iungit, dictiones & lineas minutatim perficit. Habet tamen quælibet mens rationalis vim exerendi illas particulas intelligentiæ & scientiæ, quas colligit & coniungit in principio & ætate iuuenili difficulter, vel dignoscere incipit ad similitudinem abecedarii discipuli: postea autem assuetus rationis notis, illarumque coniunctionibus, veluti syllabarius promptiùs ad verba articulate coniungenda, & ad texendas rationes ascendit, & semina rationis tandem ritè distinguit, & componit non secus ac qui recte loquitur de omnibus, per eadem literas ratiocinatur, & sic hic dextrè de omni re proposita disputat cum ratione, flectitque animi instructa & parata rationum elementa, pro negotiorum varietate subtiliter rationis implicitis neruis & viribus. Qui enim loquitur ex textura literaturæ alphabeti, & ex sonis quinque vocalium, tot librorum varietatum conceptionum implere potest. Atque Dei in homine maximum concessum beneficium tam mirabile admirari non desino, quæ cæteris quibusdam veluti punctis, tantam rerum varietatem cognoscere possumus. Quod nec impossibile dici debet, postquam placuit Deo, & illud impossibile non esse comprobet experientia vt viginti duas tantùm literis, imò quinque tantùm vocalibus, a, e, i, o, u, conceptum omnium humanorum, & rerum omnium diuinarum & humanarum cognitio exprimi possit, & ex adytis cordis secretiorum cogitationum haberi certa declaratio possit. Nec iudicare audeo, in quo magis Deum admirari & collaudare debeamus, ac cuius maiores ei habeamus gratias: an eius quòd rationis participes nos fecerit, vel quod sermone hoc mirabili, & breui sonorum compendio rationem explicare, eáque proximos iuuare, & suam glo-

riam, & omnipotentiam decantare permiserit. Vtriusq; certè contemplatio Dei ineffabile beneficium nobis insinuat, & Deum perpetuò venerandum vt architectum vniuersi docet incomprehensibilē, qui facit mirabilia magna solus, cui laus & honor, gloriaque per æterna secula.

*De viris illustribus, qui de omnibus disputandi artem professi sunt.* CAP. VII.

GEnera igitur quædam veluti locos communes, & elementa literarum & vocis in animis hominum insita, cognita esse oportet iis, qui ratiocinari volunt & disputare optimè: egent autem præceptore, vel longo studio, vt possint in his operari emendatè: vt puer nutricis consuetudine, & tempore, & industria voces quas inarticulatè pronūciat natura, articulatè profert & distinguit, sensui accōmodat & rebus. Atque vt Proclus ait *lib. de anima & dæmo.* per ipsam scientiam euadit intellectui similis, secundùm actum, cognoscibile comprehendens, quemadmodum intellectus intelligibile. Videmur enim sicut per somnium omnia nosse, eademque per vigiliam ignorare: vtpote qui per essentiam quidem rationes habemus, & quasi cognitiones earum hinc accipimus: secundùm verò actum quatenus in medium producendæ sunt, non habemus. Cęterùm qui antiquis fuerint pro nutricibus atque præceptoribus in hac bene dicendi arte, quive præcepta in promptu de omni re respondendi tradiderint, multi numerātur (ne quis ex nostra omnia putet prodiisse inuentione) quorum alii aliis perfectiùs fœliciusque rem executi sunt. Refert ex prisca & sui temporis schola aliquos Quintilia. *lib. 3. Instit. oratoria. c. 1.* nempe Coracem, de quo & Cicero memmit *lib. 1. de Oratore & in Bruto* Tisiam Siculum, Gorgiam Leontinum æmulum Socratis, Thrasymachum Chalcedonium, Prodicum Chium: quos sequitur Protagoras Abderites, à quo Euathlus dicitur didicisse artem quam edidit, quamq; protulit Hippias Eleus decem milibus denariorum: post hos Alcidamas Eleates, quem Plato Palamedem vocat, item Polycrates, qui scripsit contra Socratem orationem. Alterius etiam seculi numerat homines, qui artem bene dicendi professi sunt, nempe Theodorum Byzantium, Theodorum Gadareum, Apollonium Molonem, Areum, Cæcilium, Dionysium Halicarnassæum, & alios huius ordinis. Qui omnes etsi artem, quam nos profitemur, adepti non sunt, multùm tamen adiumento nobis fuerunt, dum præceptis

ceptis artem dicendi illustrârunt: nec modum sciendi docuerunt, cùm tamen cognitum magnificè proferre scirent. Nec omnibus contigit quod Gorgiæ, Prodico, & Protagoræ: Gorgias namque Leontinus Empedoclis discipulus, rhetor percelebris, & eximii Isocratis præceptor, primus in conuentu poscere, qua de re quisque audire vellet, ausus est. Ideo & ob singularem eius eruditionem primùm statua illi ex solido auro in templo Apollinis Delphico apposita est, vt scribit Valer. Maximus *lib. 8. cap. fin.* & Plato *in Gorgia*, & Cicero *lib. 2. de finib. bono. in princ. & 1. de orat.* qui & annotat suo tempore plures eadem fecisse. Quod & repetit alibi *in 3. de orat.* narratque simili artificio præditos Prodicum Chium, Thrasymachum Chalcedonium, Protagoramque Abderitam. Non caruit tamen inuidis Gorgias. nam & Plato ipse *in Gorgia*, & Aristoteles *in fine lib. 2. Elench.* existimârunt nescio quo genio, quæ erant illius, esse sophistica, quemadmodum & quæ ante hunc tradiderant Tisias, Thrasymachus, & Theodorus in arte dicendi excellentes. Et dicam illum nimis inuidè notatum, cùm putarent eum artem dicendi cæteris præponere artibus, quarum illi amore detinebantur: vt apertè licet iudicare ex Platone *lib. 10. sive in Hilebo, vel de summo bono*, dum Protarchus accusat Gorgiam tacite, quod artem dicendi cæteris præponeret: cùm tamen Gorgias non artem dicendi solam calleret, sed nosset & alias, quod de re quaque proposita facta responsio testatur. Atque ipse Plato *lib. 11. qui inscribitur Hippias maior sive de pulchro*, præstantissimum in arte dicendi, & pariter in republ. administranda eximium Gorgiam dixit: fuisseque Prodicum & ante omnes Protagoram, qui plus argenti ex arte sua, quàm quilibet artifex ex sua arte cumulassent. Et Pausanias antiquitatis diligens obseruator *lib. 6. vel posteriore Eliacorum*, testatur Gorgiam Leontinum, patre Carmantide natum, primum neglectam adhuc dicendi ex arte rationem excitasse, & ab hominum obliuione vindicasse. & fuisse collegam Tisiæ in legatione ad Athenienses, sed Tisia præstantiorem. Et Cicero *in oratore* mirabilem illius artem exprimit in dicendo, & rerum, scientiarumque copiam ei adfuisse demonstrat, dum aiteũ paria paribus adiũcta, & similiter definita protulisse: itemque contrariis contraria relata, quæ sua sponte, etiam si id non agas, caderent plerunque numerosè, primum inuenisse, in quibus verbis paucis nostra ferè ars tota concluditur.

Quare & Max Tyrius *Serm.* 7. cum apparatu tribuit Prodico elegantiam, Hippiæ vaniloquentiam, Thrasymacho violentiam, sed Gorgiæ soli rhetoricen. Admirandus certè posteris suis Græcis Gorgias: sed magis inter omnes Salomon, qui disputauit de lignis à cedro quæ est in Libano vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete, de quadrupedibus bestiis terræ, volucribus, reptilibus, & aquatilibus: superior & filius Mol. qui & illud fecerunt, vt narrat sacra pagina, *vt scribitur 3. Reg. c. 4. Versi* & Iosephus *lib 8. antiq c. 2.* Legimus etiam Indorum philosophos Gymnosophistas se iactasse omnia nosse, & de omnibus interrogatos respondere soliros, quodque planè se nossent, quod est summa totius notionis: de quibus & ita scribit Philostratus *lib 3. de vita Apollon. ca. 6.* Erat & σοφισμὸν τὸ πάντα ἐπίστασθαι, Vsurpation omnia sciens. vt scribit Libanius Basilio Magno. *Vt legitur in epistol. Basilii Magni epist. 162.* Et hi verè mirabiles viri, si modo vera sint, quæ de illis traduntur. Cæterùm nulla ars, similia his quæ poterant operandi, tradita est nobis, saltem quod ad meam ætatem & nostras peruenerit manus. Vnus tamen, vt puto, Dei spiritu illustris inuentus à nobis, non ex supradictorum ordine, sed illis minimè inuentione inferior, qui artem quandam meditatus est, qua omnia possent disputari & contineri. Is fuit Raymundus Lullius qui tamen puritati sermonis non studuit, sed qui nostræ artis fundamenta gessit: & in quem plures ediderunt commentaria, vt Lupetus, Iauineta, vt Henricus Cornel. Agrippa. quorum singuli quædam propria addiderunt. Fuerunt & alii quamplurimi, qui artem potiùs nouerunt eximiè Lullii, quàm commentariis illustrauerint, quique eius vsu admirabiles se præstiterunt: & quod magis admirandum, ferè impuberes hac arte freti de omnibus rebus disseruerunt, *vt refert Agrippa in epistol. comment. in Lullium*, & hac arte paucissimis mentibus in viros doctissimos euaserunt. Inter quos referunt Petrum Daguinum Mediatrum, & Iacobum Tanuarium, viros, vt ait Agrippa, tota Italia celebratos: quorum prior cùm anno trigesimo septimo ætatis vix prima hausisset literarum elementa, sex duntaxat mensibus huic artificio incumbens, omnibus doctissimis viris miraculo est habitus: alter autem cùm septẽ peregisset lustra, à literis penitus alienus, tantum hac arte profecit, vt sicut ex eius scriptis apparet, nulli doctorum hominum

minium sit postponendus. Addit his eximios fuisse eadem arte factos Ferd.nandum Cordubam Hispanum, Iacobum Fabrum Stapulensem, Carolum Bouillium, Petrum & Iacobum cognomine Canterios Germanos Frisones, cum vnica sorore pueros decennes, in omni disciplinæ genere differentes. Possemus his addere Picum Mirandulanum. & Politianum: vterque enim, nescio num per hanc artem, disputare se posse de omnibus polliçebatur. Sciendum tamen est antiquos Hebræos artem similem inuentricem rationum, imo naturarum excogitasse illa præstantiorem, quam concludunt Cabalistæ per quinquaginta portas lucis, siue intelligentiæ: quas iterum examinant per triginta duas semitas sapientiæ, vt vocant, & per tres midoth, id est, tres proprietates, vt suo loco docebimus. Illa namque Hebræorum dogmata. & quæ vocant de sublimibus, nobis maxime viam ad altiora præparârunt.

*Cur tantopere rerum cognitione homo delectetur.*

## CAP. VIII.

REddamus nunc rationes cur homini sciendi & cognoscendi cupiditas, & potentia à Deo indita fuerit cui & facultas de omnibus inquirendi, & ratiocinandi, eaque ei soli, & non reliquis animalibus concessa: & quare vita hæc cognoscendi auida nunquam satietur, vt plerique iam alterum pedem in fouea tenentes adhuc discere non quiescât. Multiplex autem rei huius caussa reddi potest. & prior erit ipsius hominis natura, de qua iam fuse diximus. Nam, vt ait Cicer *lib.5. de finib.* natura suis omnino expleti partibus vult & desiderat, atque ideo potentia corporalis ab ægritudine liberata, vel in iuuenili pueri ætate, suis omnibus viribus, incrementis naturalibus ac corporeis vacat. Sic animi partes, quarum est aspectus illustrior, quæve quò sunt illustriores, eò dant clariora indicia naturæ. Tantus autem innatus in nobis cognitionis & scientiæ amor, vt nemo dubitare possit quin ad eam hominum natura nullo vel emolumento rapiatur. Nónne videmus vt pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus perquirendisque deterreãtur? aut pulsi requirant, & aliquid scire se gaudeant? vt alijs narrare gestiant? vt pompa, ludis, atque eiusmodi spectaculis teneantur? ob eamque rem vel sitim vel famem perferant? Et eos qui ingenuis studijs atque artibus delectantur, nónne videmus nec valetudinis, vel rei familiaris habere ra-

tionem, omnia perpeti ipsa cognitione & scientia captos, & cum maximis curis & laboribus compensare eam quam ex discendo ceperint voluptatem? Videmus & homines omnes passim, fœminas quoque, rusticos, puerosque nouarum rerum esse cupidos, vt habeant quo perficiant sciendi cuiditatem. Nonne opifices, & infimæ sortis homines, quorum in gerendis rebus nullus vsus, delectantur historia? maximeq; eos videre possumus res gestas audire & legere velle, qui a spe gerendi sunt exules etiam senectute. Et cùm sciendi perfectio naturalis sit, ad eam veluti ad finem suum tendit animus, neq; quiescere potest, donec ad Dei cognitionem, vbi omnis vera cognitio & perfectio, peruenerit. Semper enim natura finem suum inquirit, & prosequitur, vt ait Arist. *lib. 1. de gener. anima. c. 1.* Quo fit vt mens perpetuò per gradus, & insensibilis, altiora quàm priùs scrutetur, vt tamen se aliquid profecisse nõ agnoscat, donec profecerit: veluti cognoscimus segetes & plantas creuisse, crescere autem nunquam videmus. Accidit autem perfectio animi ex doctrina, natura, vsu, & exercitatione, &, vt ait Manilius *lib. 1.*

*Per varios usus artem experientia fecit,*
*Exemplo monstrante viam.*

Et Terentius *in Adelphis, Actus 5. Scena 4. ver. 1.*

*Nunquã ita quisquã bene subducta ratione ad vitã fuit,*
*Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet nouæ,*
*Aliquid moneat, vt, illa quæ te scire credas, nescias,*
*Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.*

Augeturq; voluptas cognoscendi ipsa cognitione, sicuti desidia nutritur ignorantia, & ignoti nulla est libido: & qui minimorum cognitione delectatus capitur aliqua voluptate, idem veluti gradu expedito ad maiora conscendit. Et quia Dei mirabilia magna sunt opera atque sapientiæ plena, noua semper hauriendo, veluti vndam superuenientè vnda, semper noua voluptatis additione reficitur & nutritur anima: vtque succedente nouo & maiori pabulo, ignis fit maior & flamma ardentior, sic mens magis ac magis delectatur superueniente cognitione, qua excellere cæteris iusta ratione se putat, & ardentior ad maiora conuolat, pinguiórque, robustior & viuacior scientia fit: vnde & fœlices illi, qui Deum sciunt & norunt rerum omnium consummatam scientiam, fœliciores qui perpetua illius contem-

contemplatione fruuntur. Sæpe ab Aristotele, & Theophrasto, inquit Cicero *5 de finibus*, est laudata per se rerum scientia: vnde & Herillus scientiam summum bonum esse defendit, qui quanquam ad summum scientia dirigat quæ optima, in eo tamen non rectè sentit, cùm scientia possit esse sine virtute, & scientia cum virtute sit sapientia: vt hanc meritò opinionem philosophorum pluribus improbarit Lactantius Firmia. *lib.3. vel de falsa sapientia, c.8.* Et dictus attamen

*Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.*

Et apud Ouid *1.Fasto ver.295.*

*Felices animæ, quibus hæc cognoscere primùm,*
*Inq; domos superas scandere cura fuit.*

Quare Isocrates *in orat. 1. siue in Paranesi ad Demon.* admonet, multas disciplinas multis diutiis præstantiores: puta, siquidem quòd pecuniæ celeriter transeunt, disciplinæ verò in æterna secula durant: sapientia namque quæ inde acquiritur, immortalis est possessio. Cecinit & Virg. *in Aetna, versi.269.*

*Implendas sibi quisq; bonis est artibus, illa*
*Sunt animi fruges, hæc rerum maxima merces:*
*Scire quid occulto natura terra coercet,*
*Nullum fallere opus, &c.*

Adde secundò vtilitatem & fructum quem homo ex scientia decerpit, tum ad tutandam salutem corporis, tum ad animæ robur. ô quot voluptates, qualésve commoditates hinc oriuntur! vt verè *lib 2.in prin.* dixerit Lucretius,

*Suaue, mari magno turbantibus æquora ventis,*
*E terra magnum alterius spectare laborem.*
*Non quia vexari quenquam est iucunda voluptas,*
*Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.*
*Suaue etiam belli discrimina magna tueri.*
*Per campos, instructa tuis sine parte periclo.*
*Sed nil dulcius est, bene quàm munita tenere*
*Edita doctrina sapientum templa serena:*
*Despicere vnde queas alios, passimq; videre*
*Errare, atq; viam palantis quærere vitæ, &c.*

Vis vtilitatem scientiæ facilè dignoscere, & vt ita dicam, palpare? considera effectus, quibus egeamus, quæ res nobis sint adiumento & accommodæ: & in primis mundum

vniuersum propter hominum vtilitatem creatum, & hominem propter Deum, vt scribit Cicero *2. de nat Deo.* Vsum autem quomodo tibi parabis, nisi res cognoueris: nisi vtilitates, naturas, tempora, caussas scias: nisi quæ fugienda, quæ eligenda sint, in tanta varietate didiceris. Frustra enim vel perperàm esse non possunt, quæ homini destinata tantùm sunt: quæ eius gratia ex nihilo facta: quæ tanta & mirabili prouidentia in suo ordine perseuerant. Ad singula descende, & ex partibus consideratis vniuersa tibi consecrata videbis: nonne elementa nostri caussa, ignis ad coquendum, vel calefaciendum, ad vrendum, ad illuminandum? aër nonne ad respirationem, & spiritus temperamentum? aqua ad potum, nauigationem, nutricationem, & productionem piscium? terra pro solio & nutrice alimentorum? Transi ad composita ab his, ad plantas, arbores, ex quibus fructuum alimenta, & medicata. Considera animalia, etiam venenata, nocentia, & fera, quale inde commodum accedit homini: vel vt suam ipse naturam metu illorum ob peccatum pauidam agnoscat, & ad Deum conuertatur: vel vt aliquod pharmacum salubre, vt ex vipera, vel exemplum diligentiæ, vt ex formica, agnoscat. Considerato ratione cœli, stellarum, solis & lunæ commoda in aratione, satione, in temporum signis, in rerum productione, maturatione, collectione. Considera ipsos Angelos, qui omnes sunt, vt ait Paulus *ad Hebræos 1.* administratorii spiritus, in ministerium missi eorum qui accipiunt salutem. Quid vltrà sermonem protraho? considera Deum ipsum, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & filii persona carnem nostram assumpsit, verbumque caro factum est: vt verè possimus dicere ob tantum beneficium cum Pindaro *Nemeorum ode 6 strophe 1. vers. 1.*

ἓν ἀνδρῶν ἓν θεῶν γένος, ἐκ
μιᾶς δ' πνέομεν
μητρὸς ἀμφότεροι.
διείργᾳ δ' πᾶσα κεκεμμένα
δυνάμις: ὡς τὸ μὲν οὐδέν,
ὁ δ' χάλκεος οὐρανὸς αἰεὶ ἕδος
μένει ἀθανάτοις. ἀλλά τι προσφέρομεν
ἔμπαν, ἢ μέγαν, ἢ

τι φύ-

τει Φύσιν. ἀθανάτοις.
καὶ περ ἐφαμερείαν
δ' εἰδότες, ἠδὲ μὴ
νυκτὸς, ἄμμε πότμῳ ἔπτο.
ς' ἔχραψε φραμεῖν πᾶσι πάθμαν.

Id est.

*Vna hominum, Deorum genus, ex*
*vna autem spiramus*
*matre vtrique.*
*sed discriminat omnia separata*
*vis & potentia: respectu enim generis Dei nihil nos,*
*immobilis autem semper sedes*
*est arcum cælum sed & in aliquo similes*
*sumus, vel per magnam mentem, vel*
*per naturam immortalibus,*
*quamuis ignoremus*
*quæ die vel nocte ad vita nostra summam,*
*quam definiuit diuina prouidentia,*
*nobis curr endum sit.*

Ideo etiam cùm vtilitati & saluti destinata fuissent à Deo homini, illum ipsum postremò Deus creauit, tanquã necessaria illi antè præmittens: more principum, qui antequam ciuitatem ingrediantur aliquam, eò iubent priùs parare quæ ad commeatum necessaria sunt, vt & docet D. Chrysostomus *homil. 8. in Genes. Tom. 1.*

*Rursum à dignitate luminis alia ratio.*
CAP. IX.

EST & tertio loco, quæ dignitatem homini adferat scientia, quemadmodum ignorantia ad eius ignominiam & dedecus facit. Hominis dignitas, inquit D. Chrysostomus *super Psal. 48. Tom. 1.* quòd animam acceperit, quòd artes inuenit, quòd ad imaginem Dei factus, quòd præsit omnibus in mundo. Item artes inuenire, quòd ex scientia & notitia, & ratione, qua cum Deo est homini societas, vt idem Cic. ait *1. de legibus.*

Describit & Manilius *lib. 4.*

*An quoquam genitos nisi cæle credere fas est*
*Esse homines? protecta iacent animalia cuncta*

*In terra, vel mersa vadù, vel aere pendent:*
*Omnibus vna quies, venter, sensusq; per artus.*
*Et quia consilium non est, & lingua remissa,*
*Vnus & inspectus rerum, vtresq; loquendi,*
*Ingeniumq; capax variis educit in artes.*
*Hic partus, quicunctа regit, secessit in orbem,*
*Et domuit terram ad fruges, animalia cepit,*
*Imposuitq; viam ponto, stetit vnus in arce*
*Erectus capite, vtlorq; ad sydera misit*
*Sydereos oculos, propiusq; aspectat olympum,*
*Inquirit q; Iouem, &c.*

Et Virgilius *in Aetna, versu 120.*

*——Immensus labor est, sed fertilis idem,*
*Digna laborantis respondent præmia curis.*
*Non oculis solum pecudum miranda fuere*
*More: nec effusis in humum graue pascere corpus:*
*Nosse fidem rebus, dubiasq; exquirere causas,*
*Sacra perurgentem, capitiq; attollere cælum,*
*Scire quot & qua sint, cur magno talia mundo*
*Principia, occasus metuunt, ad secula pergunt,*
*Et firma æterno religata est machina mundo.*
*Solis scire modum, & quantò minor orbita lunæ est,*
*Cur illis brevior, cur isti peruolet orbis*
*Annuus, ille monet, qua certo sydera currant*
*Ordine, quæve sua careant incondita cura, &c.*

Vincimus certè hac cognitione & intelligentia genus omne mutorum, cùm reliqua nobis communia cum illis sint, vt latè demonstrat Arnobius *lib. 2. contra gentes.* Atq; hæc propria natura hominum cognoscendi & intelligendi oritur ex vna proprietate illarum trium, quæ in anima exprimunt imaginem Dei. tres enim מידות midoth, id est, proprietates & potentias, Hebræi secretiores ponunt in homine, secundùm quas factus est ad imaginem אלהים elohim, id est, trinitatis: nempe, vt antea diximus, memoriam, intelligentiam, voluntatem. Ex memoria singulorũ, formatur intelligentia. quia memoria, est notitiam apud se habere. Intelligentia autem & notitia extendente se, & accipiente id quod verum est in ratione boni & conuenientis, statim ex memoria & intelligentia formatur appetitus, qui est voluntas. Potrò sicuti ex memoria formatur intelligen-

ligentia, sic ex parte in diuinis generatur filius: & quemadmodum ex memoria & intelligentia extensis, & quasi spirantibus bonum, formatur voluntas, sic ex patre & filio, tanquam ex vno spirandi principio, spiratur bonum, quod est Spiritus sanctus. Et ita notat Galatinus *lib. 2. in Iudaeos. c. 8.* & diuus Bernard. *lib. medit. in prin.* Et beatus Ambrosius *lib. de dignit. humanae conditionis ca.* 2. Per memoriam, inquit, patri Deo similes sumus, per intelligentiam filio: intelligentiæ enim tribuimus omne quod verum cogitando inuenimus, & quod etiam memoriæ commendamus: per voluntatem Spiritui sancto, quia ex voluntate amor dilectioque. Et per Spiritum sanctum charitas diffusa est in cordibus nostris, vt scribit Paulus *ad Rom c 5 vers.* Intelligentia & notitia in hominis itaque imagine insigne maximum. Quanquam non ignorem etiam imaginem Dei in homine ad alia posse extendi quæ homini insunt, & in quibus homo Dei quandam profert in seipso præstantem dignitatem similitudine, quam explicant Rabini in vaiizra Rabba *super c. 4. Leuit.* nempe quòd sicut anima replet & regit corpus, ita Deus mundum: & sicut anima est vna in corpore, ita Deus in mundo: & quemadmodum anima nec manducat nec bibit, sic nec Deus: & vt anima videt & non videtur, ita & Deus omnia conspicit & nō videtur. Quos sequuti Catholici interpretes ferè omnes, & potissimum D. Ambrosius *dicto lib. 2. de dign. hominis. cap.* Similitudo, inquit, Dei in anima hominis creati ad imaginem Dei est etiam, quòd sicut Deus est vbique semper totus, omnia viuificans, mouens, & gubernans: sic anima in suo corpore vbique tota viget, viuificat illud, mouet & gubernat Sed & D. Athanasius *lib. de diuer quæstio quæst. 8* aliā Dei in homine imaginem commemorat esse: nempe quòd sicut Deus rex omnium est, ita & homo eorum quæ in terra sunt, rex sit constitutus, & ad similitudinem Dei, id est, vt quemadmodum Deus bonus, misericors, iustus, longanimis, & talis sit homo imitatione. Ita & D. Chrysostomus *Tomo 1. homil. 8. & 21 in Genes* Est autem differentia imaginis & similitudinis Dei. Imago namque in interiori homine, imago in æternitate similitudo autem in moribus, vt ait Albinus quondā pceptor Caroli Magni *lib. quæst 3 Genes.* Quòd magna itaq; prudentia & scientia egeāt homines ad consequēdam dignitatē hanc, & ad agendas Deo gratias, nemo ignorat: quam & Deus cum consilii quadā specie, vt ostenderet

filius

eius dignitatem & excellentiam fecit, dum dixit, Faciamus hominem ad imaginem, &c. cùm tamen reliqua creauit nudo & simplici iussu per Fiat, vt legimus in mundi Genesi, *Genes. 1.* nulla vel adhibita diligentia: existimans hominis creationem proprium, & manibus suis adorandis solum dignum opus, vt doctè Græcus, & dilectus author tradit Theophilus Theologus *lib. 2. contra Amoly.um.* & Iunius Episcopus Africanus *in commenta. in Gen.* consilium antè auocarum Trinitatis in illo, Faciamus, inquit Deus, hominem: rursumq; alia ad opus ordinata, Accepit, inquit, Deus de puluere, insufflauit pòst. ô mysteria recondita, quæ hominis indicant dignitatem. De qua videndus D. August. *Tomo 4. in fine 6. lib. hexameron. c. 1. & lib. 22. de ciuitate Dei, ca. 1.* D. Chrysostomus *homilia 11. in Gen. Tomo 1.* D. Basilius *homilia 11. hexameron.* vt certè qui ignorantiam consectantur, & splendorem tantæ præstantiæ non exhibent, potiùs pecudis formam, quàm hominis ostendant. Cùm scientia sit, vt ait Maxim. Tyrius *serm. 28.* flos quidã, fructusque maturus ex animi semine: ignorantia autem, istius seminis cessatio: imò, vt ait D. Marcus *lib.* περὶ νόμου πνευματικοῦ, *de lege spirituali,* πάντων τῶν κακῶν πρηγεῖται ἡ ἄγνοια, δευτέρα δ' αὐτῆς ἐστὶ ἡ ἀπιστία. Et rursus, ἄγνοια αὐτὴ λέγω πρὸς τὸ ὠφέλημα παρασκευάζει καὶ παρασκευάζει τῆς κακίας, id est, Omnium malorum dux est ignorantia: secunda post eam infidelitas. Et ignorantia causa est, cur vtilibus contradicimus, quæ si comitem habet superbiam, auget malum. Et Isaias *cap. 5.* Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucē tenebras: propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit: propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descenderunt populus eius, & fortes eius, & sublimes, &c. Quæ & ponuntur à Gratiano alibi *in cano. si quis hominem. & cano ea qui dicuntur. 11. q 1.* Et si quis acutus etiam omnia consideret, facilè sine vlla rationis probatione, & sola rei demonstratione compulsus, fatebitur ingenuè, summum malorum esse ignorantiam gradum in omni vitæ genere. Nam istius malo sequimur aduersa, repellimus vtilia, obnoxia tentamus, fugimus meliora, otio, in dedecore, pædore putrescimus,

dum

dum quid prosit ad promouendum gradum ad altiora ignoramus. Et dum scientiam vtilium saltem abhorremus, hominis dignitatem non solùm à nobis abiicimus, sed etiam viliores cunctis rebus etiam inanimatis reddimur. Ea namq; singula, sibi conuenientia norunt, & quadam sympathia iungi his omni studio tentant, & aduersantia naturali antipatia fugientes, veluti scienter auersantur: neque animalia vel plantæ alimentum aliud contemniens suæ naturæ natura ipsa admonita depascuntur. Et Menander *apud Stobæum*, huiusmodi homines ignorantiæ mancipes nec viuere censebat. verba eius sunt:

τυφλὸν τὶ αὐτοῖς εἶναι μὲν δοκεῖ,
ἃ ζῶσιν οὐ τιμὴ συνίντες σοφόν. id est
*Cæcum mihi videtur id esse quod non cognoscit;*
*Nec viuunt bene qui vt expedit, non intelligunt.*

Et forsan id voluit D. Chrysostomus, cùm *in homilia in Psal. 48 Tomo 1.* scribit, hominem cum qui se iugo ignorantiæ submiserit, deteriorem bruto esse. Nam vt idem alibi *Tomo 2. homilia 21. in Matth.* dedit nobis intellectum Deus, vt ignorantiam fugemus ex mentibus, vt rectè teneamus, iustumque rerum iudicium, atque ad alia huiusmodi dirigamur, & contra diuersarum impugnationum varios incursus, hoc quasi scuto vsi, ac lumine, maneamus innocui atque muniti. Atque imminet vitium ingratitudini proximum, si concessam à Deo cognoscendi facilitatem reiiciamus vt inutilem. Suum enim quisque vitiũ ignorat, vt ait Tertullia *Tom. 2. lib. de virginib. vel. in.* Estq; morbus hic nõ necessitatis, sed deprauatæ ac corruptę volũtatis, qui viã patat lubricam & omni ex parte ad mala declinantem, non minus ac si quis cineribus incedat dolosis, in recessu ignẽ ardentem continentibus. Neque vsque adeò ignorantia tenuis est, quin non odibilem fructum & infœlicem pariat, vt scribit Ioan. Salesberiensis *lib 3. Polycrat. c. 1.* & Cicero *lib. 3. de finib. bono. vel malo. circa finẽ*, ignorationẽ semper vitiosam esse ait rebus in omnibus, & contrà scientiam & notitiam, virtutem. Atque secundùm Aristot. *lib 3. Ethic. ad Nicom. c. 1.* omnis prauus ignorat quæ agere oportet, & à quibus est abstinendum: & ob huiusce modi errorem, iniusti homines malique omnino fiunt. His accedit Plato, qui *lib. 15 in Sophist. vel de ente*, ignorantiam definit esse dementiã animæ quandam, quæ dum ad veritatem nititur, intelligentia

gentia ipsa præuaricatur. Et duo malorum genera constituit, vnum quod communiter improbitas nominatur, animi proculdubio morbus: aliud ignorantiam, quæ propriè animæ est turpitudo, aduersus quam alexipharmacũ solummodò præstat doctrina. Et idem *lib. 10. siue in Phlebo, vel de summo bono,* malum & stoliditatem dicit ignorantiam, interdum ridiculam, cùm illa est imbecillis: interdum terribilem & odiosam, cùm illa est valida, siue sit in bonis vel externis, siue animi, siue corporis. Et ea magis illa ignorantia grauior, quò crassior & nocentior est: veluti quando scientiæ, vel opinioni, vel rationi, quæ natura dominatur, animus aduersatur, vt idem Plato tradit *lib. 34. sit. ut dialog. 3. de legib.* Quod & Horat. *lib. 2. satyra 6.* expressit.

*Sed quod magũ ad nos*
*Pertinet, & nescire malum est.*

Neq; existimemus ignorantiæ delictum leuis esse ponderis, cùm quis scire possit & contemnit nosse: tale namque est, vt expiatione & hostia egeat, cuius oblatione Deus optimus placandus sit, *Leuit. c. 4. & Num ca. 15. b. ver. 26. & seq.* cui iniuria per peccatum graue irrogatur, quòd contemptu tanti beneficii, quo nos animi ratiocinatione & lege pectoribus nostris inscripta donauit, ab illo munere cognitionis & à cura sciendi vani sumus. Et refert etiam D. Paulus *ad Hebr. c. 9. b. ver. 7.* in secundum tabernaculum templi semel in anno introisse solum pontificem, non sine sanguine quem offerret pro sua & populi ignorantia. Dauid quoque *Psal. 24. b.* Deum deprecabatur ne ignorantias suas in memoriam reuocaret. Et Salomon in oratione sua *qua refertur Eccl. ca. 21. d. ver. 3.* inter cætera quæ à Deo efflagitat, illud adiecit, Ne crescãt Domine ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea. & peccata mea abundent, & cadam in conspectũ aduersariorum meorum. Ita certè opprobrio dignum ignorare, & maioris notæ exprobratio voluntariè & cum culpa ignorare. Sic enim propheta regius describens iniqui malitiam insignẽ testatur, *Psal. 35. ver. 3.* Verba oris eius, inquit, iniquitas & dolus: noluit intelligere vt bene ageret. Neque his relinqui spem veniæ, vel eam difficulter assequi qui veluti voluntariè peccantes, voluntariè ignorauerunt, constare potest ex Paul *cap 14. circa finem prioris ad Corinthios.* εἰ τὶς ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω, si quis ignoret, ignoretur. Patent namque viæ multæ discendi, & cogno-

cognoscendi, quæ quidem contemptæ eximiam arguunt ignorantium culpam. Nec rectè dici potest, inquit Augustinus *lib. de adult. coniug.* Si nescit homo non peccat: sunt enim peccata ignorantium, quamuis minora quàm scientium. Et, si cum eodem D. Aurel. Augustino *epist. 105 scripta ad Sixtum Rom. Pontif.* loquamur, nulla ignorantia damnatione immunis est: ac per hoc inexcusabilis est omnis qui ex ea peccat, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, siue qui nouit, siue qui ignorat, siue qui iudicat, siue qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui intelligere non potuerunt, pœna peccati. ergo in vtrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio. Et si quis tam alienus à ratione sit, vt hominis naturam ad sciendum & cognoscendum, à Deo optimo maximoque creatam non agnoscat, audiat saltem Ethnicorum prudentum authoritatem, qui examinatis naturæ simplicis ponderibus, ignorantiam & iustitiam iuris sui nocere cuique ignoranti dixerunt, vt Paul. Iurisc. scribit *in l. 1. & l regula l 9. Mart. in l. 2. de iur. & fac. ignor. lib. 2. Pand. tit. 6. cum simil. iurib. ubi à glossa notatis.* Quin & facti ignorantiam si illa resupina sit, non esse ferendam voluerunt, quanquam scrupulosa eius inquisitio non exigatur. Scientia enim hoc modo æstimanda est, vt neque aut negligentia crassa, aut nimia securitas satis excusata sit, neque delatoria curiositas exigatur, vt scribit Vlpian. *in l. nec supina. l. 6. eo. tit. de iur. & fac. ignor.* Atque in delictis, ignorantia etiam sanctionis vetantis commissis nuncio, vindictæ locum sibi vindicat, vt scribit Papinian. *in l 1. de legib. lib. 1. Pand. tit. 3.* Tum quòd naturaliter quisque satis superque moneatur de rectitudine & ratione viuendi, tum quia leges omnibus cognitæ esse debent. l, leges sacratissimæ l leges vt generales. C. de legib. lib. 1.

## *Scientiam nobis submiſtrare etiam conſcientiam.*
## CAP. X.

GErimus etiam continuò innatum nobiscum pædagogum, qui nos ad scientiæ notitiam peruigili stimulo accendit etiã inuitos, & naturaliter: is est conscientia, quæ, vt verè aureus Chrysost. scribit *Tomo 1. homil 17. in Genes.* incorruptus iudex, cùm aduersus hominem insurgit, clamat, accusat, & ostendit, & quasi ante oculos scribit peccatorum magni-

magnitudinem: eamque ob rem misericors Deus principio cùm formaret hominem, conscientiam illi indidit, accusatricem perpetuam, quæ deciperet, deceptionem ferre posset nunquam. Et licèt quis admisso peccato, perpetratoque aliquo facinore illicito, omnes homines celet, illa tamen accusatio non latet: nam hanc intrinsecus habentes, vbicunque sumus, circumferimus, ipsa nos circuit, obturbat, laniat, flagellat, nunquam quiescit, sed & domi, & in foro, & in templis, & in mensa, & dormientes, & surgentes adoritur, rationem delictorum exigit; obque oculos proponit & delictorum grauitatem, & subsecuturam pœnam. Et rursus idem *eod tom. 1. homil 10. in Genesim* loquens de exomologesi Lamech, qui occidit Caim, Misericors, inquit, Deus conscientiam eiusmodi accusatorem assistere voluit, vt nunquam soli relinquamur, sed ille nobis indesinenter congrediatur, clamet, & pœnam exigat delictorum. Hocq; satis per se apparet: scortator enim vel adulter, & qui aliud tale quippiam admisit, quod omnes præter conscios latere queat, nunquam tamen sic in solitudine versatur, quin comitatus illo accusatore suspicionibus non abundet, vmbras non extrepidet, & omnibus patere non credat tum conscijs, & iis qui non sunt: perpetua in animo eius furit tempestas, reciprocantes eum agitant & contrarij fluctus, non somnus est suauis, sed terribilis & formidine plenus: non cibus probè quantumuis conditus voluptatem præbet, nõ amicorum colloquia, non musica, non aurum, non vxor, non liberi, non reliqua id genus: sed quasi carnificem circumgestaret se lancinantem vel flagellantem continuò, ita post admissum facinus obambulat nullo conscio intolerabiles luens pœnas, iudex sui factus, & accusator. Exempla duo retulisse sufficiet principum Romanorum, qui cùm fastigium imperij orbis ferè totius tenerent, nec legibus superioris constringerentur, ob quas terreri possent, ea tamen conscientia accusatrice, legem Dei altissimi & naturæ se offendisse, sed serò cognouerunt: & qui reuocantem à malè agendo conscientiam non fuerant secuti, eandem vindicantem acerrima iurisdictione, velut Furiis. Diris, & Erynnibus iam viui agitati, horribili pauore, experti sunt. Horum vnus insignis crudelitate Nero postquam Agrippinam matrem interfecit, nocturno tempore tanto metu conturbabatur, vt de lecto repentè prosiliret: & interdiu eum perterrefaciebant tibicines auditi, quo in loco Agrippinæ ossa sepulta erant.

erant. Quamobrem aliò migrabat: cumque ibi idipsum accideret, perterritus aliò proficiscebatur. Et paulò post, morte iam illius iamiam pulsante, exorto tanto ac valido terræmotu, vt terra concussam visa, vt animæ hominum ab eo interfectorum insultare putarentur, tunc fugiens omnia perhorrescebat: si catulus paululum latraret, aut caneret gallina, aut si virgultum aut ramus arboris moueretur, grauiter conturbabatur ex causis quibus quiescere nõ poterat, vt scribit Xiphilinus ex Dion. Cassio *in vita Neronis*. Alius Antoninus Caracalla ita conscientia criminum patratorũ, & parricidii torquebatur, vt videretur agitari à patre & fratre gladijs nudis & districtis ab his gestatis, vt scribit idem Xiphilinus *ex Dione in vita eius*. Sic & alijs impijs malorũ conscientia, pœna est: bonis autem & iustis conscientia nihil sibi conscia, gloria. vt scribit D. Ambros. *lib. 1. offic. c. 22.* Nec vllum virtuti maius theatrum, vt dicebat Cicero *lib. 2. Tusc. quæst.* sicuti enim theatrum quæ ibi imponuntur, liquidò manifestat, sic & conscientia, quæ & bona & mala veluti *in* theatro exposita, aperta manifestat. Nam, vt testatur D. Mar. Heremita *lib.* περὶ νόμου πνευματικοῦ, *de lege spirituali*: Φυσικὴ βίβλος ἐστὶ συνείδησις: ὃ ἐμπεριπάτως αὐτεξουσίως αὐ ἰδὼ, λαμφάνει πᾶραυθέντως ἀπαλείψεως, id est, naturalis liber est conscientia: hanc quicunque strenuè & diligenter legerit, diuini auxilij haud dubiè capiet experientiam. Addendus est huic Thalassius monachus *hecatondate 1. de charit.* Magistra, inquit, vera conscientia est, quam si quis consuluerit, absque scrupuli offendiculo permanet. Habet enim in se cognatam quodammodo quisque boni & mali cognitionem: & ideo conscientia dicta, quasi in nobis scientia quæ si mala agere conemur, id malum esse cognoscens statim dissuadet, & ita rationalem illam partem brutam & animalem quodammodo obiurgat & reijcit. Et Horatius *1. epist. epist. 1.*

*Hic murmur domi habeto*
*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

Quo fit, vt qui in animo insidias alijs moliuntur, qui scelus mente agitant, quive alienum à ratione & noxium versant mente, turbulenti, inquieti, tristesve sint. & minimè colore constantes, ex duello intestino inter rationem & prauas concupiscentias, quòd intra septa animæ & corporis,

acriter geritur, dum inferior animalis pars rationem expellere conatur, vel dum vicissim scientia mali futuram mali perniciem & vindictam imminentem passionibus obicit. Considerare hîc licet faciem mentis inquietæ indicem in Caino *Genes. 4. ver. 5 & 6.* is enim iratus in fratrē & inuidia excandescens in necem eius, cùm eam animo volueret, concidit vultu, ad quem ideo Deus, Cur iratus es? & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum? Et prudens Iacob videns immutatam faciem fuisse soceri sui Laban, optimè coniecit fraudem aliquam contra se illum tractare: & cum vxoribus suis ab eo ideo recessit, *vt scribitur Genes. cap. 31.* Sunt & his similia exempla, & quæ experientia assidua hominum impiorum discuntur. Quia, vt scribit Plutarch. *lib. de tranquil. animi*, conscientia facinorosa instar est vlceris in corpore, vtpotè quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter, vellentemque animam. nam cùm alias omnes tristitias tollere ratio solita sit, solùm hæc eadem pœnitentiam facit sua sponte incitabilem præ pudore, quasiq; mordicus imperentem sese, atque excarnificantem. Digna certè Plutarcho sententia. Iniicit namque mali scrupulum ratio hominis pædagoga, nec patitur vestigia pœnitentiæ & doloris ex malo longiùs amandari, vt ea veluti freno inlasciuiente natura vtatur. Siquidem vt notat Cicero, *lib. 3. de natur. deor.* plura videntur adferre authoritatem peccandi, nisi & virtutis & vitiorum, sine vlla diuina ratione, graue ipsius conscientiæ pondus esset: qua sublata iacerēt omnia. Admirabilis itaque, vt in reliquis suis operibus, Dei bonitas, prouidentia & supersapientia, dum nobis tam fidelissimum comitem, conscientiam dico, atque inuiolabilem, incorruptum, & rerum necessarium omnium iudicem adiunxit qui nusquam aduletur, nusquam malefactis consentiat: qui errantes & dementes in rectum iter nos reducat, cogatque ad bonum eligendum. Non grauabor Sapientis verba hîc transferre, quæ aurea certè sunt *scripta Sap. cap 17.* huiusmodi:

1 Magna sunt iudicia tua, Domine, & inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatæ animæ errauerunt.

2 Dum enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.

3 Et

3 Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt pauentes horrende, & cum admiratione nimia perturbati.

4 Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparent.

5 Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.

6 Apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus: & tremore quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur. Et paulò pòst, *Vers. 10 & seq.* Frequenter enim præoccupant pessima, redarguente conscientia: cùm sit enim timida nequitia, testimonium dat condemnationis. semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.

Possimus etiam huiusmodi furiarum agitationē annotare apud Euripidem in Oreste personam, *in comœdia Orestis*, ob occisam matrē, & iisdem adactū ad consiliū necis Hermiones & Helenæ. Videnda etiam tragœdia Electræ eiusdem, vbi Orestis conscientia agitata videtur terrerimis diris, quòd Ægisthū & Clytemnestram necasset. Idq; similiter in reliquis tragœdiis eiusdē & Senecæ annotare facile est. Et admiranda illa apud Plutarchū, *lib. de sera numinum vindicta*, vbi malos perpetuò horrere ostendit, vel somniorum terriculamentis agitatos, diurnisq; spectris & oraculis & portentis sibi semper conscios scelerum: vt Apollodorus aliquando se per somnium à Scythis excoriari, in frustaq; concidi, & ex lebete cor loqui suum conspexit, & filias igni flagrantes. Et Hipparchus Pisistrati filius paulò ante obitū, Venerem ex quadā phiala faciē sibi aspergere vidit: Pausaniasq; Byzantius post stupratam virginē liberā Cleonicē, & cùm terrore correptus forsan peremisset, phantasmate illius assiduis vbiq; terroribus fuit perturbatus, vt Heracleā ad animarum expiationem nauigaret: fuitq; tota vita carcer, custos, & tortor. Siquidem conscientia exagitati & propriam vitā execrantur. Hinc tot mortem sibi conscisuerunt, impatientes iudicij conscientiæ. Sicuti enim ab initio ante scelus, dum illud concipiebatur, timores vndecunq; scientia boni & mali naturalis deterret, sic commisso facinore eadem est temeritatis vltrix, & suo principio finis respōdet. Nam scelesti (vtar verbis Statij.) *lib. 3. Thebaid. §. 4.*

*——inuigilant animo, scelerisq; patrati*
*Supplicium exercent cura, tum plurima versat*
*Pessimus in dubiis augur timor.*

Addit & Aulus Persius rationem perquàm elegantem, & quæ nostram sciendi facultatem ex propria natura singulis, vt ita dicam, atomis susurrat. Is enim *Satyr. 5. v. 93.* dum respondet illis, qui vindictæ animo sibi licere pro voluntate omnia putant:

*Stat* inquit, *contrà ratio, & secretâ gannit in aurem,*
*Ne liceat facere id quod quis cupiat abstabit agendo.*
*Publica lex hominum naturaq; continet hoc sis,*
*Vt teneat vetitos inscitia debilis actus.*

Quod quidem etiam D. Paulus scripserat *ad Rom. c. 2. v. 14 & 15.* Cùm enim gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptũ in cordibus suis, testimonium ipsis reddente conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantiũ, aut etiam defendentium. Porrò in accusatione & defensione lis maxima, & consequenter perturbatio. Et qui huiusmodi mordentur iurgiis interiùs, sunt vt plerunque vultuosi, & ferè horribiles & inquieti, & per viscera mersus ignis ille & per venas meat, vorarque quietis intimas medullas, feruetque malo miserabile pectus insanum, & vultus Luna ipsa ad quæque murabilior fit, sed magis scelere patrato. Describit id & pernulchrè Ouidius *libro 1. de Pont. eleg. 1. ad Brutum, v. 59.* de suo crimine loquens:

*Pœnitet*, inquit, *ô si quid miserorum creditur illi,*
*Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.*
*Cumq; sit exilium, magis est mihi culpa dolori,*
*Estq; pati pœnam quàm meruisse minus.*
*Vt mihi di faueant ou hùc est manifestior ipse,*
*Pœna potest demi, culpa perennis erit.*
*Mors faciet certè ne sim, cùm venerit, exul:*
*Ne non peccârim, mors quoq; non faciet.*
*Non igitur mirum est si mens mea turbida facta,*
*De more mananti more leuescit aqua.*
*Æstus & occultæ tractata putredine nauis,*
*Acquirens scopulos & cauat unda salis,*
*Roditur vt scabra positum rubigine ferrum,*
*Condita vt intacta carpitur ore liber.*

Sic

*Sic mea perpetuos turarum pectora morsus,*
*Fine quibus nullo conficiantur, habent.*
*Nec prius hi mentem stimuli, quam vita relinquent,*
*Quodq; dolet cuius, quam dolor ipse cadet.*

Mirum certe quod canit Ouidius, nec pœnam impositam posse ex delinquentis animo culpæ memoriam eradere: vt inde ab effectu sit manifestum ignorantiam illam hominum boni & mali obtusam, tanti esse delicti, vt perpetua pœnitentia animum excruciet eius, qui noluit dignitatem hominis in eo agnoscere, quive Dei beneficium ita obstinanter neglexit. Neque alius quàm ille liber conscientiæ, vt existimo, erit, qui in generali & horribili Dei iudicio palam aperietur: quive nostra ex ordine scelera omnibus intimabit: cuiusve accusatione incorruptissima, ab excusationibus, quas præteximus peccatis, convincemur. De iudicio enim extremo sic loquitur Daniel *cap 7. c. v. 9. & 10.* Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, & thronus eius flammæ ignis. & thronus eius accensus, fluuius igneus egrediebatur rapidusque à facie eius, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, in iudicium sedit, & libri aperti sunt. Scripsit enim in cordibus & rationis proprietate scientiam illam Deus Opt. Max. sicut enim corpus nostrum sociam sibi vbique circumfert vmbram, veluti negotiorum nostrorum contestem (nunquam enim à nobis abest, sed in lace clare nos prodit, sequens, vel præcedens) sic socia animæ cuique conscientia, quæ nusquam à nobis recedens, conscientia est nostrarum etiam interiorum cognationum. Et ita, vt ait Iuuenal. *Satyr. 13. in princ.*

*Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi*
*Displicet author. prima est hæc vltio, quòd sibi*
*Iudice nemo nocens absolvitur, improba quamuis*
*Grata fallacis prætoris vicerit vrnam.*

Et rursum *eod. Satyr. 13. v. 191.*

*——cur tamen hostis*
*Euasisse putes quos diri conscia facti*
*Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit*
*Occultum quatiente animo tortore flagellum?*
*Pœna autem vehemens, ac multò sæuior illis,*
*Quas & Cadmeum gravis inuenit, aut Rhadamanthus,*
*Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.*

Sicut contra thesaurus præstabilior nullus optima conscientia, neq; cor habere expositum morsibus, veluti Promethei iecur, continuis renatis escis in cogitationum iniquarum monte ab aquilæ corrosionibus expositum: bonum namque societatis testimonium, pax conscientiæ, & quies hominis cum ea. Et bona, inquit Salomon, *Eccle cap. 13. d. ver. 30. & 31.* est substantia, cui non est peccatū in conscientia, & nequissima pauperras in ore impij. Cor hominis immutat vestigium illius, siue in bona, siue in mala. Et D. Paulus *epist. ad Rom. cap 9 a. §. 1.* à conscientiæ testimonio probationem veritatis ducit, dum ait, Veritatem dico in CHRISTO IESV, non mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea in Spiritu sancto. Et D. Ioannes, *1 epist. ca 3. § 21.* Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Et ex illa bona conscientia cognitionem haberi docet Paulus, *epist. 1. ad Tim. cap 1. b v. 5 6 7* dum alios à conscientia ignorantes fieri dicit. Finis præcepti, inquit, est charitas, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta: à quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Quæ omnia communi & conueniente calculo admonent, non inutiliter nos ad sciendū animos, tanquam ad propria persequenda, excitare oportere, quando & naturaliter dignitas illa hominis seipsam intrinsecus, etiam in hominibus rudioribus tueatur, & doceat scientia cognata vel conscientia, quæ facienda, quæve vitanda sint. Mens enim agendarum rerum est domina, conscientia verò eorum, quę menti videntur. Quamobrem si mens opera bona eligit facienda, conscientia applaudens virum vbique laudat. Si autem ad aliqua delicta mens prolabitur, non sinit conscientia talem hominem quenquam rectis oculis perspicere, nec expeditè verba proferre: à sacris quoque, & precibus, vorisque eundem arcet, neq; manus ad Deum attollere sinit, & attollentem increpat ac reiicit, sicuti leges contra rebelles fieri iubent. Multaq; alia operatur, quæ scribit Philostratus *lib. 7. de Vita Apoll. ca. 7.*

*Ratio*

*Ratio alia, cur discere expediat, ducta ab eo quòd se homo nesse debeat, & alia.*

## CAP. XL.

OPortet & superioribus aliam addere rationem, quæ calcaria adhibeat ad discendum, & ad animæ peromnia excolendam aciem: nempe quòd homo seipsum cognoscere, vt ab initio delineauimus, debeat. Nam, vt ait Ausonius, *de septem sapient.* Chilo, cui patria est Lacedæmon, nosce teipsum dixit, vbi Chiloni illud aureum tribuunt, sicut & aliqui antiquorum: quanquam Antisthenes in successionibus putet hoc præceptum, Nosce teipsum, Phæmonoes, & sibi vsurpasse Chilonem, & alij Thaleti acceptum referant: *vt legitur apud Diog. Laert. lib. 1. de vita Philosop. in Thaletis Milesij vita.* sed melius ex Dei admonitione nobis insinuatum dixit Plato, qui Delphico attribuit oraculo *lib. 5. in Alc. 1. siue de nat. hom.* Et Isocrates, *oratio. ad quapanath dicitur.* Cicero *5. de finib.* & Plutarchus, *in oratione consolatoria ad Apollonium.* qui & expressiùs alicubi *libro illo Christiano de vtilit. capienda ab inimicis.* Deum præcepisse dixit, nosce teipsum. Quod & Iuuenalis ait, *Satyr. 11. v. 27.*

——*è cœlo descendit γνῶθι σεαυτὸν,*
*Pigendum & memori tractandum pectore, siue*
*Contagium quæras, siue sacri in parte senatus*
*Esse velis, (nec enim loricam poscit Achillis*
*Thersites, in qua se tradueebat Vlysses*
*Auceps tem, seu in magno discrimine causam*
*Protegere affectas te consule, &c.*

Et certè Deo dignum præceptum hoc: nulla enim scientia melior est ea, qua homo cognoscit seipsum, vt voluit D. Bernardus *lib. de interio. domo. c ap. 65.* Illud autem duplici ratione iniunctum est, vna vt arrogantiam vitemus: alia vt bona nostra nouerimus, vt scribit Cicero. *ad Q. frat. lib. 3. Epist. epist. 6. siue omnium epist. epist. 12.* Vtrumque Persius *Satyr. 3 v. 66.* complectitur, dum ait:

*Discite, ô miseri, & causas cognoscite rerum,*
*Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo*
*Quis datus, aut meta quam mollis flexus, & vnde,*
*Quis modus argento, quid fas optare, quid asper*
*Vtile nummus habet, patriæ, charisque propinquis*

*Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse*
*Iussit, & humana qua parte locatus es inter.*

Cùm autem homo sit mundus quidam paruus, μικρόκοσμος Græcis, omnia simul in sese collecta complectens. siue quæ in cœlo & quæ in terra sunt, is vt postremus ideo creatus, si fieri posset, omnia agnoscat, quæ intra se sunt, & potiora quæ extrà, oportet. Nã homo omnis creatura est, imò & Deus, cum & nouissimè ad perfectionem & colligationem catenæ eximiæ & admirandæ rerum, stupendo, sed nobis necessario & salutari modo Deus homo factus, in vna hypostasi Domini nostri IESV CHRISTI, dum diuinitas, filius nempe Dei, veram hominis naturam dempto peccato, anima & corpore constantem, ad mysterii consummationem assumpsit. Cæterum in homine duo generaliter, aliarum rerum præsunt notionibus, anima, inquam, & corpus: anima incorporalium substantiam cognoscendam suadet, dum per eam immortalitatem, intelligentias superiores, Deum ipsum & inuisibilia reliqua, in nostra illa superiori parte reuoluimus, inquirimusque, & similis essentiæ intelligentiis delectamur, dum animam nostram ex digniori quadam virtute affici sentiamus. Item in corporis consideratione, & naturaliter agnoscere cogimur solutionem, compositionem, incrementum, decrementum, morbos, motus, corruptionem, temperiem, & discrasim, & per consequens statim elementa, & elementata: & nobis ipsis cognitis, statim peruenimus ad rerum omnium contemplationem, catena nostræ constructionis examinata: dumque prima nostra elementa inquirimus, sese nobis offert semen, ex quo prodiit corpus plantæ hominis: hinc protinus reliqua semina plantarum in se vim producendi continere nouimus. Et dum embrionem in vtero fieri, & incremẽto sanguinis materni perfici audimus, statim & coniicimus, & docemur, & lapides in lapidicinis materiæ additione augmentum suscipere, & ex corporibus elementatis mixtiones fieri huiusmodi. Dehinc considerantes partum in vtero matris non per os, sed per vmbilicum & eius canalem ad iecur delatum, ex matris visceribus ali, docemur illud maximum mysterium Dei, omnes nos fuisse ante natiuitatem vnius carnis cum parentibus, & ideo iustum in nos iudicium Dei propter peccatum primæ matris, & Adami: peccante enim matre, & cibum vetitum gustante, iam nos qui in eius vtero eramus, & eius nutriti

sumus

sumus venis, ab eo cibo alieni esse non possumus. Cognoscimus quoque vim quotidie vegetantem, modum vegetandi, attractionem alimenti per partes ei rei deputatas, retentionem, expulsionem, idque communi experientia, ex qua artes natæ sunt perfectiores. hinc statim docti aliud quippiam præstantius in homine ex forma, ex sermone, ex commercio, operatione, societate, prouidentia, & cautione. Idque vel nemine, & nisi natura docente, quæ etiam & mores diuersos hominum per se insinuat, cuique diligenter obseruanti. & ferè tot quot sunt passiones, & quot animantium omnium sunt ritus viuendi, vt Horatius non immeritò dixerit *lib 1 Odar. ode 10. v. 13.* in creatione hominis, à prouidentia diuina, quam vocat Prometheum, factũ, vt omni ex animante particula quædam accesserit.

*Fertur*, inquit, *Prometheus addere principi*
*Limo coactæ particulam undique*
*Disiectam, & insani leonis*
*Vim stomacho apposuisse nostro.*

Et Hesiodus *lib. opera & dies*, hanc imaginem ex terra aquaque per Vulcanum, siue ignem iussu Dei factam, forma & voce & robore hominis donatam, πανδώρην, Pandoram dictam fuisse dicit, eo quòd omnium cœlitum, & deorum dono aliquo nobilitatam referat. Quocirca Rabini Cabalistæ in opere Miarcana, in arbore numerationum, siue Tipheret, ponunt magnum Adamum in medio Sephiroth suis mediis numerationibus, & quasi lignum vitæ in medio ideali paradiso: quia ad superiorum & inferiorum notitiam ex sua ipsius cognitione peruenire potest. Et si bene in operibus Dei philosophemur, hominem reperiemus veluti centrum rerum omnium creatarum, à quo ad circumferentias omnes pateat æqualis aditus. Animalia quippe quæ aqua teguntur, in aqua sola viuunt præcipuè, volatilia in aëre vtplurimum, quadrupedia in terra: & ea omnia, & alia singularia quædam habent elementa. At homo vtrisque fruitur, capite perpetuò cœlum conspicit, & mente extra cœlum extollitur, duobus pedibus terræ possessionem custodit, & duabus manibus, inter vtraque elementa libratus auium more, ad quam partem placuerit, dirigit actus, & alia domat, sursum attollit, vel deprimit: oculis & cœlum, & terram, & omnia contemplatur, & in centro mundi cum ratione positus, incola nempe terræ, vt quaqua versus omnia in homine consentientia noscantur,

ratione pro regula data: sic habet essentiam, vt corpora alia simplicia: producit vt terra & semina, & plantas. & animalia: producit namque intra se lapides vt ossa, & animalia intrinsecus vt vermes, herbas virentes, flatus, metalla, sanguinem, lac, spiritus animales, vitales, vegetatur vt planta, vt arbor frondescit, cùm sint pedes illi manusque & digiti pro ramis, sicque homo planta inuersa, habens radices & basim in cœlo, nempe caput & comam, traducens hinc formam pyramidalem, vt corpora mundi elementaria omnia. Nam sicut pyramidem curtam faciunt cœli cum terra, si cœlum pro basi, quia maioris spatii, & terra pro cuneo accipitur hac figura,




sic & homo pyramidis forma, habet humeros & artus sursum in cœlo pro basi, in terra pedes pro acumine, hoc modo. Et sic in reliquis docere similitudinem mundi magni & hominis possumus. De quo & Deo iubente plura & latiùs docebimus particulari de homine libro, vel tractatu. Nunc sufficiat admonuisse, Deum omnium creaturarum epitomen, anacephalæosin n homine vno & vltimo omniū opere digniori posuisse, vtpote qui eius caussa mundum creârit, ipsum vt Deum cognosceret. Quamobrem & sui notitia eximia & necessaria est homini, vt si rerum mutatione & anxietatibus miseriisq; seculi opprimatur, partem illam immortalem, & animæ suæ præstantiam considerans, ea, veluti temporis exuuias, & momētanea & fluxa, animosè contemnat, meliorem excellentioremq; vitam expectet. Et contrà si nimium sibi anima illa ob suam nobilitatem arroget, & Dei creatoris, & superioris obliuiscatur, corporeum ergastulum è tanto splendore vitæ separatum, in puluerem & fœtidam corruptionem cito gradu currentem consideret: & si sepulchrorum cadauera fugitauerit, saltem in rebus corporalibus mutationem & corruptionem omnia immutantem consideret, & tantundem sibi imminere coniecteu & ad extremū rerum discretione & suam à Deo sibi datam agnoscens naturam, omnia in occasionem laudis & gloriæ traducat summi opificis, qui facit mirabilia magna solus. Quamobrem & Rabinorum Iudæorum antiqui dixerunt, in libro cui titulus ספר חובת הלבנת sepher chobat haenaboth, id est, liber peccati cordium, considerandа esse, & expetenda omnia, quæ creauit Deus, dignitatemq; & sub-

stan-

stantiam eorum omniũ, q̃ in hac vniuersitate continentur, animaduertendã à minutissimis quibusq; creaturis vsq; ad maximas. Et Plato cum politicis in Pirçeo rem agens, circulares quaslibet disciplinas, vt sapiens in republica necessarias dicebat. Et per consequens & musicã & gymnasticã, & eius gratia vndecunq; præceptores doctissimos requiri iubebat. Cui etiã subscribit Max Tyrius *serm. 21.* Sed & Deus verus, qui vnus est, per Esaiã maledicit iis, qui ea nõ contemplantur. Sic enim is scribit *cap. 5. v. 11. 12. & 13.* Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandũ vsque ad vesperum vt vino æstuetis: cithara & lyra, & tympanum, & tibia in conuiuiis vestris. & opus Domini nõ respicitis, nec opera manuu eius consideratis: propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam: & quæ sequuntur. Et ibi multa notat D. Chrysostomus. Addere huic non erit alienum, scientiam adhuc persuaderi saltem his qui præsunt, vel iudiciorũ clauum tenent, tum in ciuilibus, vel criminum moderandis pœnis, & rebus militaribus, eo quòd in his nõ liceat bis impunè peccare, adesseq; debeat constantia dictorum factorúmve, quæ maximè inimica est ignorantiæ, per quam veluti qualibet tempestate palantes delecti mutare sententiam in incognitis cogimur, & dum verum quærimus, nunc in hanc, nunc in aliam partem declinamus, Andabatarum, vt dicitur, more, in tenebris & mentis palpabili caligine cæcutientes, vt dilucidè ostendit Plato *lib. 5. dial. 1. Alcib. siue de nat. hom.* Fouetur & scientiæ commendatio necessaria à libero arbitrio hominis, quo præditus, vt bona eligat, mala vitet: quod sine cognitione præcedenti boni & mali fieri nequit. Iubet & ratio in homine, quæ cum voluntate non appetitu naturali, vt cætera bruta, sed cũ scientia velle & nolle debet. Suadet & philosophandi omnibus inditus amor, cuius studiũ omnino ignorantia exterminatur: nemo enim ritè de aliquo philosophatur, qui illud priùs non amet: nemo autem amat quod ignorat, vt docet Diotima fatidica mulier apud Platonem *lib. 25. dialog. Conuiuii, vel de amore.* Inuitant & virtutes ad eorum notitiam, quòd his in vitæ humanæ exercitiis egeamus, nempe iustitia, temperantia, fortitudo. & similes, quæ ignorantiam, vt vitiorum, & errorum parentem abhorrent. Ad extremum & voluptas, quæ ex scientiæ delitiis oritur, quæve iam incipientem discere à negotiis corporis & seculi quodammodo suffuratur, & secè suo applau-

applausu supra hominis mentem rapit, nos ampliùs ad sciendum pellicit: vsque adeò, vt illi qui philosophati ritè fuerunt, pallio solo contenti omnia hæc caduca, quæ apud ignorantes plurimi fiunt, vilia & spurcissima, collatione cum scientia facta, iudicauerint, & contempserint, apud se & sibi ipsis reges, & monarchæ, & læti semper, & liberi. Quò enim præstàtior est anima corpore, eò & multò magis animi cõtemplatio in rerũ scientia præstantior, & voluptas suauior, quàm sit in rebus, quibus vtitur sensualis pars & corporalis. Et anima liberior, quæ sua agit, & cognoscit aliena magis, quàm ea, quæ ignorantia plena, veluti scalidis compedibus carnis oppressa, cæcam partem, nempe corpus animale, sequi cogitur. Possem, & alias & ferè ad fastidium voluminis integri subnectere rationes, quibus ducar necessariò hominem quemlibet ad scientiam assequendam allici & cogi: verumtamen interpellat tempus, vt disposita lectoris mente secretiora aggrediar.

### *De mediis & modis discendi & sciendi prater communem & humanum ordinem.*

### CAP. XII.

RElinquum nunc est, de necessitate scientiæ satis sermocinati, propiùs salutantes nostram omnium sciendi artem, vt modum & ordinem, quibus hominis natura vtitur ad discendum, explicemus, priusquam artis lineas primas ducamus. Sciendum itaque est, animam, quamdiu vita hac corporali & temporali fruimur, aliquando sine corpore, sed rarò: in corpore aliquando, & tamen sine corporis ministerio, & sæpiùs cum corporis instrumentis & organis cognoscere & discere. Et in summa discit anima, vel sine sua industria, & absque ordine medióve humano, vel cum ordine, & opera & humana. Dixissem certè nunquam animã in hac præsenti vita extra corpus, vel sine eo quicquam posse cognoscere, ni me ab eo reuocassent in primis quæ apud D. Paulum de se loquentem scripta comperio *2. ad Cor. epist. ca. 12. a. 9. 2. 3. 4* οἶδα ἄνθρωπον ἐν χριστῷ πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, εἴτε ἐν σώματι, οὐκ οἶδα, εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματός ἐστιν, οὐκ οἶδα, ὁ θεὸς οἶδεν, ἁρπαγέντα τὸν τοιοῦτον, ἕως τρίτου οὐρανοῦ. καὶ οἶδα τὸν τοιοῦτον ἄνθρωπον, εἴτε ἐν σώματι, εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος, οὐκ οἶδα, ὁ θεὸς,

ὁ θεὸς οἶδεν, ὅτι ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον, καὶ ἤκουσεν ἀρρήτα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, id est, Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, nescio, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptũ huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Fuit in eo illud quod vocant Græci ἔκστασιν vel ἀναγωγὴν, ecstasim vel anagogem, cùm supra meditationes humanarum virium anima rapitur totis, vt dicam, neruis & viribus ad meditationem vel contemplationem, siue notionem Dei, vel eorum, quæ à Deo altiora communicantur. Tanta namque fit in illa meditatione robons animæ collectio, vt corpus anima destitutum putetur: cùm tamen verè viuat, etsi functiones eius interquiescere putes. Et ita Philo Iudæus *tom. priore lib. de somnum* ait immortalitatis candidatos, id est, iam cœlo inscriptos, veluti Mosem, summo concentu & voluptate cœlestium raptum extra corpus, & quadraginta diebus & totidem noctibus cibo caruisse. Item alibi *lib. leg allegor.* animam non solùm à corporeis sensibus ratiocinationibus sophisticis, persuasionibusque, sed etiam à seipsa vere mente contemplantem exire. Et sunt qui dicant quòd anima corpus omnino relinquat, & per se vagetur: vt quidam rati sunt Hermotimi Clazomenii animam, corpus in somno relinquere solitam, & vagantem per mundum spatiari, vt scribit Tertullianus *lib. de anima, tom. 2. Lin & alu.* fit enim quædam mentis alienatio à corpore, & maior quàm in somno. Talis ecstasis Adami, cùm ab eius latere Heua formata est, cumq; prophetauit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. quapropter relinquet homo patrem suũ, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Genesis capite 2. d. Vbi in versu 21. quo Latini habent, immisitque Dominus Deus soporem in Adam, Hebræi legunt ita in bereschit: ויפל יהוה אלהים תרדמה על האדם ויישן Sic lege, vaiapel iahoua tardemah gnal haadam vaiischan, id est, & fecit cadere Dominus Deus tardemah, siue pluscquam grauissimum somnum super Adam, & dormiuit. תרדמה tardemah, namque Hebræis significat שינה חזקה Scenæ hazakah, id est, somnum vel soporem fortem, qui scili-

cet

cet maior est quàm שינה scenach. Sicuti & scenach maior est quàm תנומה tenumah, id est, quàm dormitatio. Cùm hac tardemah vel ecstasi Abraham didicit seminis & posterorum suorum peregrinationem, seruitutem, liberationē, imperium, & benedictiones. *Genes. capite 15. c.* Sic enim Hebræa lectio habet in bereschith, parte quæ inscribitur לך לך cap. טו vers. 12. ויהי השמש לבוא ותרדמה נפלה על אברם: quæ sic lege, vaihi haschemesch labo, vetardemah, naphla gnal Abram. id est, & factum est cùm recederet Sol & tardemah, siue ecstasis cecidit super Abram. In Iob etiam *cap 4. v. 12.* alia tradita doctrina per tardemah sic enim ibi scribitur. ואלי דבר יגנב : ותקח אזני שמץ מנהו בשעפים מחזיונות לילה בנפול תרדמה על אנשים: legas, veelai dabar vegunab, vatikam ozeni scemetz menehu, bisgnipim mechezionoth laiela, binphol tardemah gnal onaschim: id est, & ad me verbum reuelatum est in modum furis: & recepit auris mea murmur ab ea in cogitationibus per visiones noctis, dum caderet tardemah super homines. Et melius apud eundem Iob loquitur hac de re Eliud *Iob cap. 33. Vers. 14.* כי באחת ידבר אל ובשתים לא ישורנה: בחלום חזון לילה בנפול תרדמה על אנשים בתנומות על משכב: אז יגלה אזן אנשים ובמוסרם יחתום: להסיר אדם מעשה ונוה מגבר יכ ד: ci beachath ieddaber el vbeschetaim lo ieschuranah: bachalom chezon laielah beniphol tardemah gnal onaschim bitnumoth gnolei miscab: az iagile ozen onaschim vbemoscaram iachtom: leasir Adam magnasce ve geua migebar iecasse: id est, quia semel loquitur Deus, & secundò non explanat idem in somnio, visio nocte dum incidit tardemah super homines in dormitationibus (siue leui & non profundo somno: hoc enim significat תנומה) super stratum: tunc reuelabit siue aperiet aures virorum, & instruens eos confirmat, & veluti sigillo obfirmabit eos, (illud enim significat יחתום) vt auertat hominem ab opere, & superbiam viri occultet: his addere possumus quæ in contemplatione habentur & visionibus mentis, reuelationibus diuinis, quæve ex incorporalib. mente tantùm comprehenduntur, in quib. quodammodo anima extra corpus rapitur, intentione scilicet mentis & diuino quodā auxilio eleua-

eleuata: Existimo namq; in his verũ illud nõ esse, quod Philosophi aliqui dixerũt: scil. nihil prius esse in intellectu, quin antea fuerit in sentib corporis. quod inde falsum apparet Et multa nobis dormientib. à Deo manifestantur, quiescentib. sensibus & alligatis, vt ait Aristot. *li. de somn & vigil. & lib. de diuinat per somniũ.* & Cicero *li. 5. de finib.* veluti visũ, auditu, odoratu, gustu, tactu: idq; vel intra se ratiocinante anima & hinc (veluti ex chalybis cũ lapide cõcussione elicitur ignis) quædam colligente, atq; reuelationib. instillatis extrorsum, multa norat de futuris vel præteritis: quæ quidem sub sensum nõ cadunt, cùm non sunt præsentia, neq; ex coniecturis, & causis obiectus consequi possint: quanquã & interdum ex his quædam insomnia oriantur. Dicimus namq; causam insomniorũ aliam esse extrinsecam, aliam intrinsecam: intrinsecam aliam naturalem, aliam animalem. Naturalis autem illa est, quæ ex dispositamateria humorum quatuor corporis, vel aliquo eorũ prædominante nascitur. Sicuti in corpore cui inest abundantia sanguinis & bilis flauæ, insomnia apparent vt plerunq; rubei coloris, nuptiarum, vel sponsaliorũ phantasmata. Dulces cibi videntur, rubei flatus, & huiusmodi, quæ etiã variari possunt propter diuersum colorem, & mixtionem diuersam illius non naturalis humoris biliosi: interdũ enim bilis flaua, vt scribit *Tom 2. lib. de atra bile, & alibi* Galenus, tenui mista humiditate, colore pallidior, consistentia humidior, interdum ouorum vitellis similior, interdum colori porraceo, interdũ colorem ictiides referens: pro quorum mutatione & diuersæ exhalationũ species phantasiã obsident & opprimunt. Sic etiam atra bili melancholia laborantes, quia fuliginis instar exhalant & transmittũt vapores in cerebrũ, agitantur insomniis rerum fuscarũ, & tenebris, phantasmatib. horridis. vt sepulchris infirmiorũ cadauerum, timorũ tristium, portentorũ lugubriũ, fœtidorum & dæmoniorũ falsis spectris. Et idem Galen. *li. 3. aphoris. Hippoc. apho. 24.* nõ tantùm in pueris, sed etiã in ætate perfectis, terribiles fieri per somnos aut imaginationes, quando multi & vitiosi humores grauãt & mordent ventriculũ, præsertim ipsius os. Et qui pituita onerantur vel phlegmate, cõcipiunt vt plurimùm insomnia aquea, vt pluuiã, fontes, mare, puteos, lacus, & quæ his cõtinentur, vel in his versantur, vt naues, pisces, retia lauãtes, & alluentes, & omnia q̃ colorem pituitæ referunt, vt album, calcem, caseũ, lac, lixiuium, sputum, vrinã, & similia, & quæ his fiunt. Qui etiam re

etiam siccæ sunt naturæ & vacuo cerebro, leuia se agere existimant, vt volare, aues capere, & huiusmodi: sicuti contrà infarti & repleti humoribus crassis putant se nimio oneri impositò succumbere, vel vi, vel debilitate opprimi: & si putridi humores, vt in febri putrida, omnia turbulenta, fœtida, & immunda apparent. Et ea omnia causam trahunt naturalem ex discrasi & regurgitatione humorũ, nõ ex sensibus orta natura sua, sed humoribus, de quibus Deo iuuante latiùs dicemus in medicis; Quæ medicos in morborum crisibus & præsagiis maximè considerare par est, vt scribit Plutarch. *lib. de tuenda bona valet.* & Hippocrates *lib. de insom. & lib. de languen. som.* & Galen. *Tomo 3. lib. 3. commentar. in lib. Hippo. de morb. vulg & alibi.* & Themistius *lib. de somn. c. 2. & 3.* Alia est insomniorum ratio animalis, quæ ex caussis externis præcedentibus sensibus attractis ortum habuit. In quiete namque impressa vigilando euoluit anima in sensibus interiùs, in quibus vel integra phantasmata rerum, vel aliqua pars est efformata: ibique interdum euolutione facta quorundam obliuiscitur, errore aliquando alia pro aliis inculcat. sicuti si multum ante dormitionem disputatum auditúmve fuerit de aliqua re: si visa res quædam seriò & cum affectione, hæc statim inter insomnia sese exhibent & offerunt veluti retractanda, & ex præcedenti sensuum apprehensione pendent: si falsò se exhibent (ἐνύπνια dicunt Græci) & vanum, & ex præcedentibus pendens insomnium, vt scribit Macrobius *lib. 1 in som. Scip. c. 1.* Et Herophilus voluit hæc somnia à natura contingi, cùm animus rerum sibi vtilium aut futurarum etiã formas effingit, vt illa à casu, quæ confusa sunt, & imaginum occursu procreata: tunc enim ea spectamus quæ desideramus, vt scribit Galenus *Tom. 8. lib. de hist philos.* Vnde non immeritò à Theologis damnantur, si turpia & illecebra sint: vtpote quia iam cogitatio turpis, & assensus animæ vetitus, qui præcesserit & dederit caussam phantasmati, & quadam delectatione applaudente *canon. non est peccatum. 6. dist in 1 parte decre.* Vnde & Christus circumcidit à Christiano cogitationes prauas, impudicos aspectus, & similia, ex quibus improbantur ὀνειρογμοὶ, vel pollutiones nocturnæ, quibus mederi scribit Nymphææ primæ radicis potionem Dioscorides *lib. 3 cap. 148.* & Galenus *lib. 8. de natu fac.* Caussa porrò extrinseca omnino est quæ non ducitur ex obiecto ad intellectum per sensualia, sed aliunde: ea autem

tem rursum duplex potest esse, corporalis, vel spiritualis. Corporalis, vt plerumque est corpus cœleste. ad motum namque corporum cœlestium & humores nostri commouentur vel nimio calore, vel frigore, vel cœli constitutione. Et hæc causa potest esse apud Arist. *lib. de præsent. per somnium*, cur nonnulli ad columnas Herculis, vel ad Borysthenem futura præsagiunt: forsan quia ibi aër melior, & expediores à solicitudinibus homines & ingeniosiores, vel quòd ob situm cœli organa subtiliora habeant, vel quadam occulta intelligentia forsan gubernantur. Si credi quidem hac in parte debeat Aristoteli, vt contrà Ammianus Marcell. *lib. 15.* apud Atlanticos somnia non videri ait. Sunt & diuersa somnia pro temporum anni qualitatibus, cùm, vt in aphorismis Hippocratis, & apud Galenum in eius cõmentariis, humores diversi vigeant, & concitentur hinc passiones & affectus varii, concurruntq; in his externa cum internis ad somnia procreanda. Nam sola externa sufficere non puto ad dormientibus mouenda simulachra cum errore Lucretii, qui ait *lib. 4. de re na. ver. 34.*

*——qua rerum simulachra vocamus.*
*Quæ quasi membrana summo de corpore rerum*
*Derepta volitant, vltrò citroq; per auras.*
*Atq; eadem nobis vigilantibus obuia mentes*
*Terrificant, atq; in somnis cùm sæpe figuras*
*Contuimur, miras simulachraq; luce carentum.*
*Quæ nos horrificè languentes sæpe sopore*
*Terruerunt, &c*

Sicut & paulò pòst errat dum ait:

*Dico igitur rerum effigies, tenuesq; figuras*
*Mittier à rebus summo de cortice earum,*
*Quæ quasi membrana vel cortex nominanda est,*
*Quòd speciem ac formam similem gerit imago*
*Cuiuscunque fuit de corpore fusa vagari.*

Duplex certè error, vnus, quòd decorticari putet res, quasi ex omni parte simul & semel corrumpantur, quod falsum natura ostendit. Et secundus, quasi simulachrum decorticatũ & corporeũ, per consequens quiescentibus in somno sensib. possit ingredi mentem nullo medio. Et fuisse illam Democriti sententiam, quæ & Lucretii, sicut Peripateticorum, vt motionibus quibusdam tribuerent somniorum causam, scribit Themistius *libello de Insom. ca. 7.* Potest ta-

men etiam extrinseca causa dari ab aliis corporibus aliquo modo nobis dormientibus sensibus nostris insinuatis, vt si quis nimiis stragulis in lecto oppressus, æstuans & sudore debilitatus, putet se ab aliis vel domo vel hominibus opprimi: & si modicus tumultus intercipiens somnum dormientis, fulgura, tonitrua persuadet, & ita de similibus. Negotiatur namq; ex modico mens in sese tunc collecta: ex lapide montem, ex serinio domum componens, diuidens, & multiplicans. Non secus ac vigilando, aliquo ex parte nobis cognito, mens coniecturis, ratiocinationibus & infinitis additamentis rem euoluit & mutat priusquam quiescat. Spiritalis autem triplex constitui potest insomniorum externa causa, Deus, Angelus, dæmon. Deus namque per somnium multa reuelat nobis. & ex eo multa discimus, cùm is sit omniscius, & omnium humanorum actuum etiam prouidus, & sapientissimus dispensator. Potest autem sine medio exterioris sensus reuelare & imprimere: nam & D. Dionysius Areopag. *lib. de myst. Theolo. c. 1.* inter cætera quæ annotat ad suscipiendam scientiam ex diuina & infinita sapientia Dei (quam vocat, ob incomprehensibilem claritatem, diuinam caliginem, eo quòd ad illius intuitū, vt oculi acies ad solis radios, sic ingenii humani acies in illius admiratione absorbeatur) illud necessarium ducit, vt ab animis nostris omnia humana, sensualia & intellectualia abdicentur, si ad illius caliginis agnitionem peruenire velimus: veluti & Moses in montem caliginis ascensurus, vt cum Deo loqueretur, se ab omni populo imò & senioribus & sacerdotibus secreuit, *Exod. c. 24. d.* Iubent & Plato & Pythagoras vt veritatem simplicissimam consequamur, multitudinem fallentis exterioris & distrahentis populi fugere: & multò magis multitudinem interioris populi quæ magis distrahit. his significantes fugiendam multitudinem primò affectuum, secundò sensuum, tertiò imaginationum, quartò opinionum inde pendentium, vt scribit Proclus *lib. de an. & dam.* Et Plato *lib 29. in Phadone, vel de Anima* ita ratiocinatur. Tunc animus, inquit, non cùm veritatem cum corpore & sensibus attingit, quia tunc facilè decipitur à corpore, sed quando eum horum nihil perturbat, nec auditus, nec visus, nec dolor, nec voluptas: sed quam maximè seipsum in se recipiens, deserit corpus, neque quicquam quoad fieri potest cum illo communicans, neque attingens ipsum, quod verè est affectat. Et

ita

ita intelligenda opinio multorum qui aliquid diuinitatis in somno esse dicebant, & ideo visa in eo occurrere prænuncia futurorum, vt scribit Themistius *lib. de diuinat. per somn. cap. 1.* Nam tum maximè filii Dei simus potestate nobis data, cùm affectiones proprias exuimus, vt scribit Thalassius monachus *lib. de Charita. hecatont. 2.* Et Deus *Lucæ 9. c ver. 23.* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Tunc enim quiescunt passiones, quæ ex philautia oriuntur, quòd somnus aliqua parte, nempe sensuum, imitatur. Porrò quia corpus in somno non distrahitur in obiectis per sensus, sed quiescit, nec in rebus mortalibus occupatur anima, si ea sit in Deum prona, tunc Deus eo tempore secretorum multorum ei reuelat arcana: videtur enim somnus esse viuendi, & non viuendi interliminium, vt non verè viuere, nec vere mori qui dormit videatur, vt scribit Aristot. *lib. 5. de gener. animal cap. 1.* Et antiqui somnum vocârunt fratrem mortis, vt etiam Hesiodus *in Theogo. versic. 1406.*

ἣ δ' ὕπνον μὲν χερσὶ, κασιγνήτην ἰοθανάτοιο,

*Illa verò* inquit, *in manibus somnum fratrem mortis &c.*

Et Homerus *Iliad. 14 versi. 231.* ait Iunonem ex Olympo descendisse, & peruenisse ad Lemnum ciuitatem,

ἐν ὕπνῳ ξυμβλήτῳ κασιγνήτῳ θανάτοιο.

*Vbi obuiauit somno fratri mortis.*

Et Seneca *in trag. Hercul. furentis. act. 4 in fine chori vers. 16.* vocat somnum fratrem duræ languidum mortis, veris miscentem falsa, futuri certum, & eundem pessimum authorem, & cogentem longam discere mortem. Et Pausanias *Eliacorum lib. prio. vel lib. 5 ope.* Veteres vnica nutrice noctis pinxisse scribunt mortem & somnum, idq; tanquam fratres: quod idem alibi repetit *in Laconi. lib. 3.* Et Virgil. describens vestibulum inferni in quem descendi Aeneas, Ibi, inquit,

*Terribiles visu formæ, lethumq;, laboq;*
*Tum consanguineus lethi sopor, &c.*

Cicero etiam imaginem mortis somnum dixit *1. Tuscul.* Nec id solùm rati philosophi Ethnici, sed & Christiani, vt etiam D. Chrysost. *Tome 1 homil. de Dauid & Saule*, nihil aliud esse somnum definierit, quàm mortem temporariã, & vnius diei interitũ. Et rursum *Tom 3. inc. 11. Apost. hom. 26.* imaginẽ mortis & consummationis dixit. Et Chri-

ſtus etiã dormitionis nomen ad mortem tranſtulit, *Matth. c. 9. c. Marci ca. 5. d. Ioh. 11. b.* Et in ſcripturis ſacris ſæpiùs dormitio pro morte ponitur *2. Regum 7. b 3. Reg. 2. c. & 11. g. & 14. c & 15. a. Et 4 Reg. 24. a. Iob 7. d. 12. d. 14. b. Et alibi multis in locis.* Et ideo locus, vbi mortui ſepeliuntur, dicitur cœmeterium, quaſi dormitorium: eo enim nomine Cretenſes vocabant domum, vbi conuiuæ hoſpites dormire ſolent, vt ſcribit Athenæ. *lib. 4. Dipnoſoph. c 5.* quia in vtriſque quieſcit ſenſoria facultas. Vt & apud Iuriſconſ. & dormientis præſentia pro nihilo reputetur, vt ait Vlpia. *in l. 1. §. fin. de auth. tutor. lib. 6. Pand. tit. 1.* Præſentia tutoris dormientis ad authoritatis præſtationẽ nihil prodeſt: & apud Paulum, Adeptio poſſeſſionis nulla cenſetur eius, qui dormiendo naturaliter tangit *in l. 1. §. adipiſcimur de acquir. poſſeſſ. lib. 41. π. Titul. 2. & in l. nunquam in § ſucapio. l 31. §. ſi ſeruus. de vſuca. eo li. 41. π. tit 3.* Quo fit vt anima in ſomno quodammodo ab opere ſenſorio (non dico vitali, quia & dormiente corpore perpetuò vitali ſpiritu fouetur, teſte pulſu, & micatione arteriarum) ferians, liberiùs rerum contemplationi vacat, & diſponitur ad radios diuinitatis recipiendos: purior enim in corporis quiete eſt anima, leuior ſubtiliorque, & tunc ſublimia videt ac expedita eſt, vt ſcribit D. Chryſoſt. *homil. 26. in ca. 12. Actu. Apoſt.* Sic Strato cogitationem aliam quandam naturam in ſomnis habere dixit: tunc enim illam meliùs ſentire credit, atque ideo magis etiam cognoſcere, vt ſcribit Galen. *Tom. 5. lib. de hiſt phil* Nec ſuperfluèrit his Porphyrii verba ſcribere ex libro τῶν πρὸς τὰ νοητὰ ἀφορμῶν nu. 23. ὥσπερ γὰρ ἐπέκεινα νοῦ καὶ ἀμυνόησιν πολλὰ λέγεται· θεωρεῖται δὲ ἀνοησία κρεῖττον νοήσεως, ὥσπερ ὅτι μὲν καθόλου καὶ ἅμα μὴ ἐξεηγόρευσε πολλὰ λέγεται· ἅμα δὲ καθόλου ἡ γνῶσις ἐστὶ καὶ ἀκατάληψις· τῷ δὲ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον γινώσκεται, ὅτι πᾶσα γνῶσις, ἐστὶ γνῶσις ὁμοίωσις, id eſt, quod ſupra mentem eſt, per intelligentiam multa quidem dicuntur: conſiderantur autem ſine intelligentia, meliori intelligentia, ſicuti in dormiente, multa namque per vigiliam dicuntur, ſed eorum per ſomnum intelligentia, & cõprehenſio. Simile namque ſimili cognoſci ſolet: quoniam omnis cognitio, aſſimilatio quædam eſt rei cognitæ. Hippocrat. etiam *Epiſt. quam ſcribit ad Philopæmenem de inſomnio ſuo, de Democriti curatione.* Quæ, inquit, ſomniata vera eſſe

ra esse credo & sunt: etenim somniã nõ cognosco quæ præsertim ordinem seruant. Et quanto est purior ab illecebris & sordibus & cibis, tantò ad id alacrior est. Sic melius anima, quæ per se ad diuinandum prompta est, puriorũ & saniorum hominũ, certius præuidet, vt scribit Plato *Epist. 2. ad Dionys.* Cùm enim, vt scribit Philostratus *lib 2. de vita Apollo. c. 14.* viri optimi dormitum accesserint, anima pura & quieta somnium capiunt, neq; prosperis successibus elati, nec aduersitatibus vllis oppressi, sine perturbatione per somnia vaticinationem, quæ apud homines diuinissima existimatur, multò facilius conspiciunt, anima vino nõ suffocata sed pura mundaq; omnia quæ viderit, colligit facilius, & discernit. Quapropter somniorum interpretes, quos oniropolos appellant poëtæ, de nulla vnquã visione antea cõsultationibus respondebant, quàm visionis horam scisciati essent. Nam si matutino tempore somniũ apparuisset, tunc de illo aliquid coniectari se posse arbitrabantur, quia tunc vaticinari rectè posset anima cùm esset vino ciboq; liberata. Sin verò primo somno aut media etiã nocte, cùm adhuc vino suffocata est, demersaq; anima, somnium dicerent apparuisse, sapienter quicquam dicere renuebant. Sic ferunt Amphiarum consultum, oracula reddidisse in Attica terra, nempe per somnia, iussis sacerdotibus qui oracula susciperent, integrum diem à cibo, à vino autem triduo abstinere, vt pura expurgatáve anima ostensorum rationes melius cognoscere possent. Abstinebant & eius rei gratia Pythagorei à certis cibis & leguminibus, cumq; his situm decubitus obseruabant, ne resupini vel in dextrum latus iccur comprimerent, vel statio sensuum fluitaret: adhibita temporis etiam veri expectatione, vt scribit Tertullian *lib de anima, tom. 2.* Hinc ad superstitionem nimiam traducti, putantes iis & similibus allicere ad se numen, quibus etiam alia vana, dicam & impia, & dæmonum arte adiuncta sunt, ad somnium vt mentiuntur propheticum suscipiendum, nempe suffitus, inunctiones temporum, annuli, cœlestes imagines, vel melius idola, chartæ consecratæ, & alia quæ vanissimus ille Agrippa persuadet *lib. 3. de occul. caeso. quam ipse falsò inscribit Philos. c. 52.* Cùm tamen Iamblicus *lib. de myster. Aegypt. contra Porphyrium* probauerit, non animam, sed diuinitatem ipsam, causam diuinorum operum. Et nos etiam Christiani dicimus, prophetiam donum esse Dei, nõ ex meritis nostris, & interdum non tam ad prophetantis vti-

litatem, vel propter bene actam ab eo vitam datum. quantum ad aliorum commodum & doctrinam, vt &docet pluribus D. Chrysost. *hom. 25. in Matth. ex c. 7. Matth. tom. 2.* Multis namque dicet Deus, non noui vos, etsi in eius nomine prophetauerunt, si cum prophetia bonis operibus non abundauerint. Et D. Paulus *1. Corinth. c. 12.* nihil esse scientiam, prophetiam, vel fidem sine charitate & bonis operibus docet. Et Iudas *Marc. 25.* Apostolus, & Propheta, & rerum altissimarum scius periit. Prophetauit & Balaam, à fide & probitate vitæ prorsus alienus, ad ædificationem & vtilitatem crediturorum, *Num. 24.* Et talis Pharao, qui in somniis tamen futurorum prægnitionem à Deo accepit, *Gen. 40.* Et iniquissimus Nabuchodonosor, cui etiam quæ in nouissimo erant futura, Deus reuelauit, *Daniel. 2.* Et Abimelech, rex Gerare, nouit per somniũ diuinum, Saram vxorem esse Abrahæ, *Gen. c. 20. a. ver. 3.* Atque etiam Aristoteles *lib. de diuinat. per somn.* non ex persona insomnia recipientium, somnia diuina esse colligi debere putat: quia, inquit, & bonis & malis interdum apparent. Sicut enim Deus facit oriri Solem suum super iustos, & iniustos, sic & res interdum impiis declarat sæpe ad illorum emendationem, illos territans vel castigans: vt dictum est diuiti, qui horrea multa impleuerat, quive opiparè viuere statuerat in posterum, Hac nocte repetetur anima à te, & quæ parasti cuius erunt? Sic facinorosis seruis Pharaonis reuelatum est in somniis in carcere, mortis & absolutionis à vinculis dies, interprete Iosepho *Gen. 40. c.* Et scribit Homer. *Iliade 1.* καὶ γὰρ τ' ὄνειρ' ἐκ Διός ἐστι, & somnium ex Deo, vel (vt ipse ait) ex Ioue est. Quod & refert grauis vir Plinius Secundus *lib. 1. c. epistol.* dum scribit Suetonio Tranquillo, qui se perterritum dicebat fuisse antea somnio. Et nec in parte videtur mihi lapsus à veritate Themistius peripateticus, qui in paraphrasi de diuinatione per somnium *c. 1. & c. 5.* existimauit somnia non immitti à Deo, ductus ea ratione, quam efficaciæ exploratæ dicit: quod perabsurdum est, figurationes futurarum rerum per somnia, non optimis sapientibus, sed sine vlla lege, ac ferè pessimis quibusque ac abiectissimis hominibus euenire. Quasi verò Deus, quia bonus est, & vtens suis pro libito creaturis, hinc indignitatis aliquam labem suscipiat: certè non ideo is impurus. Nam & asinam Balaam loqui fecit, & superiora exempla docent Deum vti impiis propter illorum conuer-

conuersionem, vel aliorum vtilitatem: cùm & dæmonibus veluti carnificibus, vel ad probationem constantiæ bonorum vtatur. Sed non ita vt Themistius censet, D. Gregor. Papa *lib 8. moral. cap. 18.* qui cùm enumerat septem species somniorum, aliquando, inquit, somnia ex ventris plenitudine vel inanitate, aliquando illusione, aliquando verò & illusione & cogitatione simul, aliquando reuelatione, aliquando cogitatione & reuelatione simul. Duo prima experimento nouimus. De hostis illusione & ea quæ inde sunt nascentia, non sunt obseruanda, admonet Ecclesiastes *cap. 34.* Multos errare fecerunt somnia, & illusiones variæ. Et in Leuitic. *cap. 19.* Non augurabimini, nec obseruabitis somnia. De reuelatione in somniis Ioseph habetur Matthæi 2. De somniis ex cogitatione & reuelatione apud Danielem cap. 2. ad Nabuchodonosor dixit Daniel: Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post hæc, & qui reuelat mysteria (audiat Themistius) ostendit tibi, quæ ventura sunt. Tractat & de his D. Gregor. Nyssenus *lib 1. de creat hom. cap. 14.* Sed quid plura? & somnia immittuntur quamplurima & vera à diabolo, & plura oracula permisit Deus inter Ethnicos idololatras edi, & aliquando vera. Atque Pythonissa ex Samuele suscitato, Sauli mortem prædixit, *1. Reg. cap. 28. c.* Et Pythonissa tempore D. Pauli ventriloqua: & Angelus Sathanæ sæpe, vt ait D. Paulus, se transfigurat in Angelum lucis, *2. Coloss. cap. 13. c.* Et cùm sit substantia incorporalis, non dubium est quin nobis dormientibus possit commouere humores, & passiones, & simulachra phantasia antea comprehensa, & retenta, cùm illi obediat materia corporalis quoad motum localem, ex quibus formari possunt diuersa insomnia, quibusque concitabitur dormiens ad diuersas concupiscentias, veluti ad timorem vel vindictam. Cui rei illud maximum alexipharmacum noui, Dei opem ante decubitum implorare, & se totum Dei custodiæ & precibus cœlitum, & tutelæ Angelorum bonorum commendare. Scriptum namque est *Psalm. 90.* Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, &c. Non timebis tunc à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio vel re ambulante in tenebris, &c. Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & draconem. Quæ certè verba, & totus ipse Psalmus no-

ctu ante somnum præcantatus, cum pia & dominica oratione, Pater noster, & salutationis Virginis Mariæ, tantam habet aduersus potestates tenebrarum authoritatem, vt mens à peccatis libera, his pro amuleto vtens, longè Sathanæ astuta noctis molimina exterminet & à nobis longiùs amandet. Cæterùm quia ea quæ ad causas insomniorum extraneas, & incorporales pertinent, multa & vera & falsa cõcurrere possunt, & quia nos scientiam eo modo aliquorũ absque sensuum ministerio haberi posse dicimus, docere nos oportet, quæ sunt illa ex quibus discere vera possumus, & quæ sunt reiicienda, & quomodo distinguantur demoniaca à diuinis reuelationibus. Sed imprimis nosse necessarium, somniorum alia esse omnino falsa, alia omnino vera, alia ex his mixta. Et hæc est nostra diuisio. Omnino falsa sunt vana illa spectra, & à Dæmone subministrante illusiones quæ turbati animi, quæ desiderantis, vt illius Mycilli, qui aurum somnians, verè se aurum possidere arbitrabatur apud Lucianum in dialogo de somnio. Aliaque huiusmodi sunt ἐνύπνια. Quæ omnino vera sunt, ea reuelationes secretorum, & Dei admonitiones puræ. Mixta autem, quæ cum inuolutionibus quibusdam habent veritatis imaginem: in quibus errari quidem in aliquibus potest, potissimùm in determinationibus particularibus euentuum in vniuersum demonstratorum, vt D. Antonius visionem veram de futura proxima ecclesiastica Arriana persecutione, malè mundi ruinam futuram prænunciare putabat, vt est apud Nicephorum Calist. *lib. 10. ca. 43.* temporis enim non certitudinis euentus fuit error. Alia etiam traduntur fictis rebus inuoluta, vera tamen apud optimos coniectores: etsi antiqui duo tantùm somniorum genera ponant, & duas portas eorum, vnam corneam qua vera immittuntur: alteram eburneam qua falsa, vt est apud Homerum *Odyss. 19.* Lucianum *in Somn. dialog.* apud commentatorem Homeri *Odyss. 2. annot 174.* Virgilium *6 Aeneid.* Macrobium *in Somn. Scipio. l b. 1. cap. 3.* Est autem in antiquorũ lectione à vanis somniorum obseruationibus abstinendũ: de quibus Artemidorus Græcè 5. libros scripsit, & Synesius episcopus. Dicimus igitur has regulas hac de re retinendas. Prima, somnia ex causa animali & precedentibus cogitationibus vel sensib. præceptis esse vana: nã mens humana quod optat, dũ vigilat sperans, per somnũ cernit idipsum. videndusq; Cælius Rhodiginus *lib. 27. c. 14.* hac de re. Secunda quæ per humo-

humorum dominationem suscitantur, vtilia sunt præcognitioni crasis vel discrasis humanæ naturę, & potissimùm obseruanda à medicis. Tertia, somnia, quæ animæ apparent, prouidentiam, vel cautionem, vel præcognitionem rationi consentanea, superstitione procurata, nec Dei religioni aduersantia obseruanda sunt. nihil enim prohibet quin anima quæ nobis vigilantibus quædam etiam nunquam nobis audita, vel nunquam intellecta vno impetu intelligit, eadem liberior ab actionibus corporis, noua etiam dormientibus non possit intelligere: nunquam enim anima nostra quiescit, quin in seipsa non moueatur, agat, consideret, & meditetur, siue corpus quiescat, siue vigilet. Et hac in parte laudo maxime victus honestatem & parcitatem, cùm animalis homo non sentiat ea quæ sunt spiritus, cumque tetræ & putidæ exhalationes, ex copiosa supra modum ciborum ingestione, cerebrum petentes illud offendere, & organa mentis obtundere possint: in quibus probandis multus Porphyrius, alioquin impius, libris quatuor *de abstinentia animatorum*. Laudo hic maximè ieiunium, & eo amplius, quo religiosiùs & mens in Dei laudem & gloriam dirigitur. decrescentibus enim viribus corporis veluti carcere animi & hoste debilitato, fortiori armatur virtute anima. Sicut contrà, quantò corpus pingue, & cutis bene curata, tantò amplius languescit & profundiori carcere maceratur anima. Eo modo Daniel & socij, disciplinæ cœlestis auidi, ieiunabant, nec tamen ea superstitione, qua Pythagorei: hi enim leguminibus nutriebantur, regio apparatu recusato. *Dan. 1 b. ver. 12.* Et Daniel etiam vt intellectum rerum altissimarũ à Deo impetraret, trium hebdomadarum spatio ieiunauit, abstinens quidem omnino à pane, carne, & vino, sed non ea ratione qua impij Pythagorici (*vt legitur Dan. c. 10.* abstinebant à carnibus, suæ metempsychosi vel metensomatosi inhærentes, nec ea ratione qua hæretici aliqui abstinent: sed ea tantùm causa, qua & nunc sancta mater Ecclesia, catholica, orthodoxa vbique & semper indixit ieiunia, vt maceratione carnis spiritus in Deum esset agilior, & ad contemplandum leuior. Docet id Angelus qui mysteria reuelauit Danieli, dum ille dixit, noli metuere Daniel, quia & ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu domini Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos. Neque mirum etiam esse debet, si ob

ieiunium sanctum, in quo ieiunat anima & corpus, dum & à vitijs & delictis vna & à cibis quis abstinet. Deus tum vigilantibus, tum dormientibus per visiones multa reuelat. si animã eruditat facilius: facilius, inquã, non ratione docẽtis, nam is est semper omnipotens & æqualem habet potestatem, sed facilius ratione nostri: ratione, inquam subiecti, cùm nos ipsos probè disponimus ad Dei beneficium susciendum. Neminem enim ille via ordinaria cogit, qui liberum electionis & petendi & obtinẽdi dedit arbitrium. Nam si quis indiget sapientia, postulandi datur libertas à Domino, qui dat omnibus affluenter, teste diuo Iacobo. *Iacob. 1.* Postulet autem, nihil in fide dubitans. Postulet & purè: quia

*Casta placent superis pura cum veste venire*
*Et manibus puris sumite fontis aquam.*

vt scribit Tib. *lib. 1. epist 2* & vt Dido, *Ouid. epist.*

*Non bene cœlestes impia dextra colit.*

Et Salomon. *Sap. 1. ver 3. 4 & 5.* Peruersæ cogitationes separant à Deo. in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et Spiritus sanctus effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus. Ieiunium autem hoc & animam purgat, vel ad meliora iuncta oratione mirum in modum disponit, & vt scopis mundatam domum Deo exhibet: nec mirum, iterum dico, vt qui aures habet audiat, si hoc ieiunio facilè reparetur intellectus ab ignorantia, contrario veluti antidoto peccati protoparentum, qui in ignorantiam per esum vetitæ arboris inciderunt: & quia in esca præcipiti fuit mortis sententia, ita & facilè tempore ieiunij veri, per paruam & temporalem mortis imaginem, per somnum. Deus vt plerumque nos instrui curat. Et ieiunium extra somnum cum oratione impetrat à Deo, vt nocturnis & quietis visionibus sæpius quis illuminetur vt non tam somni causam, quantum Dei placitam in ieiunio annotes voluntatem, vel puritatis mentis dilectionẽ. Quòd si mens sine ieiunio talis sit, qualis per ieiunium reddi curatur, nempe pura & virilis (quæ enim voluptatibus vacat mulierosa est) non ieiunij mediũ Deus exigit, cùm finis, qui ex ieiunij medio oritur, iam adsit. Ad eum modum pura illa, & à Deo pro thesauri infiniti & matris custodia electa, beati Ioseph anima accepit scientiam à Deo per Angelum in somniis *Matth. 1. d. ver. 20.* dum dictum illi, Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam

riam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, & cætera quæ sequuntur. Sic edoctus in somnis *c. 2. Matt.* fugere Herodem, & de reditu. Et pari modo beatæ illæ tres animæ Magorum orientaliū, adoratione veri Christi Dei & hominis facta, repletæ intuitu veri Dei diuinitatis radiis, responso in somniis eruditæ ut aliud iter pro reditu eligerent. Sunt his alia exempla sacræ scripturæ similia, quæ quisque facile delibare potest. Quarta autem somniorum regula hæc, somnia diuina, quæ a Deo per se vel per Angelos immissa sunt, digna obseruatione esse, imò & omnino sequenda. Et ne in lumine quis hæreat, repetat oportet ex proximè citatis in principio capitis locis sacræ scripturæ, à Deo immitti quoque insomnia, siue visiones placuerit appellare. Quibus addi potest testimonium Dei, *Num. cap 12. b. ver. 6.* Audite sermones meos, dicit Dominus, si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illū. Quod & docet Philo Iudæus, *Tomo 2 lib. 9. quòd à Deo mittantur somnia.* & Herophilus partim à Deo summitti somnia dicit, quæ necessariò contingere indicat, vt scribit Galenus, *Tomo 8. li. de historia Philosō* & Hippocrates, *li de insomniis*, quæ, inquit, somnia diuina sunt, quidq; boni, vel mali, vel vrbibus, vel priuatis euenturum significant, fermè nunquam errant.

Docet & in somniis & per visiones Sathan, vt dictum est, etiam vera aliquando, sed plerunque falsissima, & quandoque se transfigurat in Angelum lucis, vt scribit D. Paulus, & Iamblicus, *de Myster. Aegyptio.* & Proclus *lib. de Anima & dæmone.* vera insinuare potest quæ iā gesta sunt, ignota tamen nobis, item longinqua & existentia, item futura, quæ tamen ad causas certas naturales consequentem necessariò habent effectum, non quæ extra causas naturales sunt: id enim solius Dei est. Eo modo & mortes principum & aliorum interdum prænunciant dæmones, quòd in rebus naturalibus propter diuturnam vitę experientiam exercitati, ex certis adeo in morituroru corporibus signis, etiam hominibus in re medica peritis cognitis, id conijectare possunt: nec alia ratione tempestates prædicunt, quàm & coniectores rustici, quiq; similia experti & astrologi: interdum etiam rerum naturas miscere periti, quædā à se dicta ipsi conficiunt & formant, quamuis noua creare datum illis non fuerit, illo solo ex non ente & nihilo adesse

produ-

producere, Deo concesso: prævalent enim acuitate ingenij, malitia exquisita ad fraudes, & promptissima ad comprehendendum facilitate: vnde & δαίμονες, quasi scij vel scientes dicti sunt. Plerunque etiam illorum oracula astutè falsa edita, vel in vtramque partem ambigua, dum supra illa prædicta consuluntur. Nam præscius solus rerum ac cordium, verus & solus Deus: dæmones verò quæ præmonstrare putantur, versutè indagantes prædicunt, vt scribit Athanas. *lib. de Diuer. quæst. quæst. 27.* & nos forsan alibi plura dicemus, de Angelis cacodæmonibus agentes. Porrò isti cacodæmones quia spiritus, nobis dormientibus, animæ se insinuant & phantasmata concitant: non secùs ac vigilantibus iniquissimas rerum cogitationes suggerunt, & ansas malorum præbent. Cùm enim perpetuum bellum inter semen mulieris, Christianos nempe, & semen serpentis, nempe dæmonum cateruas, indictum sit, infatigabili dolo semper potestas illa tenebrarum nos adoritur, vigilantes & dormientes hostis ille vigil circuit & obseruat, si quo modo nos imparatos à Deo seiungere possit: idque multis artibus, multis phantasmatibus, occasionibusve singulis abreptis, tentat, & perniciem nostram molitur: & quia in Deum nihil potest, insidiatur illius imagini, homini scilicet, veluti & pardalis fera, quæ, quia odit homines, exhibitam sibi hominis imaginem maximo furore discerpit, ac laniat, vt annotauit D. Basilius Magnus, *Sermone in aliquot scripturæ locos* Quo fit vt oracula vel insomnia, & visiones istorum dolosorum artificum semper nobis suspecta sint, etsi quandam boni in fronte vel veri præ se ferre videantur: latet enim virus semper illorum in cauda, & in rerum exitu, non minùs ac in posterioribus partibus scorpionum. Quia & ob istorum insignem fraudem & subdolum animum, etiam quæ bona somnia aliunde immittuntur, nobis suspecta sunt: nunquam enim debilis hostis aperto marte fortiorem se aggreditur, sed insidijs atque fucatis telis, & cibis sæpe melle conditis, & palato modo quodam oblito diuinitatis simulachro, gratis venenis pro cuiusque professione astutè instillatis. Sic enim & assolet iis, qui cultu diuino maximè pollent, prophetiæ nomine tanquam illis applausurus se insinuare. Hac arte Philumenem, & priscam Helenam, pseudoprophetas hæreticorum adortus, & magicis præstigijs Simonem Samaritem, vt scribit Irenæus, *lib. 1 aduers. haret. cap. 29.* Abdias Babylonicus

*1. Histor.*

*2. Histor. Apost.* D. Clemens, Augustinus, & alii. Sic & decepit Carpocratistas & Gnosticos, qui vt in suam sententiam, quam diuinam putabant, alios pellicerent, scholas magiæ introduxerunt, & assessoribus dæmonibus vtebantur ad animos in errorem fascinationibus aduocandos, vt notat Epiphanius *Tomo 2. lib. 1 contra haret. haref 27.* Fuerunt & ab his alij studiis impiis decepti, alij opinione suæ sanctitatis nimiùm sibi placentes, per superbiam ab illis expugnati, alij etiam pij homines boni prætextu à fraudulentis illis nequissimis spiritibus decepti. Cauent enim illi omni studio, ne quod sint videantur, néve priùs cognoscãtur quàm deceperint, semper alio habitu quàm sint verè, sese insinuantes. Vnde D. Bernardus, *serm 33. super Cant.* dæmonium meridianum, de quo apud Dauidem, *in Psal. 90.* existimat dictum genus spirituum obstinatissimum & perditissimum, quod quia tenebrosum totum, & noctis æternæ caligine est funestatum, ad decipiendum cautè se sub luce insinuat, & in meridie, ne quis sit detegatur, operatur. Quocirca D. Ioannes *Epist. 1. cap. 4. Vers.* nos admonet, Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierũt in mundũ. Et sacra scriptura, quamuis somnia plura diuina celebret Patriarcharũ & Prophetarũ: quia tamen hinc sequũtur vt plerunq; abusus, superstitio, & innumeri errores ob vanas hominum leues, & à dæmonibus fascinatas mentes, somniorum obseruationem vetat, potissimùm Christianis & piis hominibus. Sic enim canit Deus in Leuit *cap. 19 fi. Vers. 26.* Non augurabimini, non obseruabitis somnia. Non enim omnibus data est discretio spirituum, neque omnes exercitatum habent in discernendis malis intellectum. Et sic Salomon considerauit *Eccles. c. 34. a.*

1 Vana spes & mendacium viro insensato, & somnia extollunt imprudentes.

2 Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia.

3 Secundum hoc visio somniorum: ante faciem hominis similitudo alterius hominis.

4 Ab immundo, quid mundabitur? & à mendace, quid verum dicetur?

5 Diuinatio erroris & auguria, mendacia, & insomnia, malefacientium vanitas est.

6 Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi ab al-

ab altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum.

7 Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.

8 Sine mendacio consummabitur verbū legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur.

9 Qui non est tentatus, quid scit? vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectū.

10 Qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis fatuus est, multiplicat malitiam, &c.

Inexpertis igitur, & parùm doctis somnia obseruare valde periculosum est, multiscius autem vtrunque permissum: dummodo superstitione magica, somnia ex tacito pacto cum dæmonibus icto non accersat, vel interpretetur: & si inter causas & regulas superiores iudicium adhibeat. Si nouerit etiam dęmonum pręstigias detegere, & inter reuelationes Dei & dæmonis discrimen annotare. Ita permissam obseruationem scribit B. Thomas *a. 2. quæst.* Archidiacon. *in cano sortes. 26. quæst. 5.* Et hæc non tantùm in his quæ per omnia accidunt, sed etiam in aliis reuelationibus obseruanda: reuelat enim plura aliis modis quam per somnia Deus, vt infusione tacita, siue exteriore signo: velut cùm spiritu prophetico Adā locutus, Hoc nunc os, &c *Genes. 2.* Et Lamech de vltione futura sui, & Iacob de futuro omnium rerum successu, & filiorum. *Gen. 49.* Et dum Balaam, filius Beor de futuris & natiuitate Christi prędixit. *Num. 24.* cum Saul ex agasone factus propheta, repentè immutatus fuit *1. Reg. c. 10. b. c.* Rursum cùm ipse Saul & eius lictores apprehendere vellent Dauid, subitò in Naioth in Ramatha insiluisse senserunt super se spiritum Domini, & prophetarunt. Eadem de reliquis censenda prophetis. Interdum & reuelat spiritum suum omniscium, eumque communicat quibus illi placitū est, cum signo & medio visibili. Quod quidem medium fuit aliquando Angelus forma humana apparens, cùm Angelorum ministerio pleraque detexerit, & abdita edocuerit. Et vt non videatur absurda opinio Rabinorum secretiorum, qui in commentariis ad librum Ietzira, Rabini Abraham scribunt שהאבות רבותיהם היו מלבים : רבישל אדסרויאל : רבי של שם יופיאל: רבישל אברהם צדקיאל: רבי של יצחק רפאל: דכישל ועקוב פליאל: דבי של משה מטטרון:

Id est,

Id est, dicunt quòd Patrum præceptores fuerunt Angeli.

| | | |
|---|---|---|
| Adami | | Raziel. |
| Semis filij Noachi | | Iophiel. |
| Abrahami | *Præceptor Angelus* | Teadkiel. |
| Isahaci | | Raphaël. |
| Iagnakobi | | Piel. |
| Mosis | | Mittaron. |

Quibus ex sacris addi potest:

| | | |
|---|---|---|
| Tobiæ *Tob c.3. & 9.* | *Præceptor vel curator, nuncius.* | Raphaël. |
| Danielis in visione de Antichristo. *Dan 8 9 10.* | | Gabriel. |
| Zachariæ, & beatissimæ Virginis Mariæ *Luc.1.* | | Gabriel. |

Sed & alibi in plerisque scripturæ locis inuenimus Angelos, sed sine nomine, multa pluribus enuntiasse vel facienda, vel dicenda, vel intelligenda. Sic *Num.c 22.* Angelus qui apparuit Balaamo, & alinam eius gladio cohibuit, benedictiones in populum Israel dicendas præscripsit. instruxit & Angelus Domini apparens ad fontem, Agar ancillam Abrahæ, fugientem Sarai dominam, atque futura de Ismaele aperuit, *Genes.16.* vt per Angelos visibiles edoctus Abraham de excidio Sodomorum, *vers.16.* item Loth. *Genes 18. & 19.* & Gedeon de victoria Madianitarum *Iudic. c.6.& 13.* edoctus & ab Angelo Manne, ex tribu Dan ex Sara, de natiuitate Sampsonis & victoria Philistinorum *Iudi. c.13* edoctus & Cornelius Centurio de his quæ oportebat illum facere. *Act.c.10* Scribitur etiã Archangelum Michaëlem, fugientib. Argonautis à Colchide cum vellere aureo, iisq; latitantibus & fugatis ab Amyto circa palustria loca Constantinopolis, vbi imperabat Amytus, apparuisse viri specie, alis veluti aquilæ humeros insignitos habentem, & ad pugnam eos in Amytum excitasse, victoriam prædixisse, eamq; eius consilio assecutos. Cuius beneficij memores, ei numini illis incerto phanum dicarunt illo in loco, nempe in traiecto Constantinopolis: quem, ob rei euentum & salutem consequutam, Sosthenum nominarunt. Ferunt que Constantinum Magnum à bellorum victoria redeuntem, eo in loco recubuisse, & eundem virum alatum ei apparuisse, qui se Archangelum Michaelem, qui eum in bellis conficiẽdis iuuasset diceret Qua de re ibi duo templa Deo dicauit nomine D. Michaelis Archangeli, vt narrant Nicephe-

cepho. Calistus, *lib. 7. hist. Eccles. c. 50.* Sozomenus *lib. 1. hist. tripart. c. 19.* Refert & idem Nicephor. *lib. 14. hist. c. 7.* alium Angelum habitu pastoris apparuisse Asparo duci militiæ Theodosij iunioris pij Cæsaris persequenti rebellem Ioannem, vnum ex ministeriis suis, & copiis Asparis præijsse, & eas per lacum qui Rauennæ, quò aufugerat Ioannes, subiectus est, duxisse: vnde neminem vnquam prodiisse proditum est memoriæ: & eius industria Rauēnam ex improuiso occupasse, & tyrannum cepisse. Apparent etiam nobis & vt Dei mandata explicent Angeli, alia quàm corporali hominis forma: vt cum apparuerunt Seraphim Iesaiæ. *Iesa. 6.* Et interdum voce Angelorum sola Deus nos docet sensibili & aurib. infuso eloquio, interdum insensibili. Exempla vtriusque, audiuit Agar tantùm Angelum de cœlo loquentem & indicantem aquam, & pueri Ismaelis acta & mores prænunciantem: Angelum autem non vidit. *Genes. cap. 21. c. ver. 21.* Item Abraham cùm iussu Dei immolare filium vellet, audiuit Angelum loquentem, & eum interpellantem de cœlo, & repromissionem, benedictionesq; seminis edocentem. *Genes. c. 22. c. ver. 11. & 12.* Sic inuisibili modo Abacuk Prophera voce Angeli edoctus de carcere & angustia Danielis, & eò per capillum translatus ad escas deferendas. *Daniel 14. f.* Sic locutus Angelus cum Elia, vt descenderet ad Ochosiam sine timore cum quinquagenario deprecanti. *4. Reg. ca. 1. & 15.* Sic etiam Dominus per Angelum locutus ad puerum Samuelem voce dilucida ter, prædicens Heli & filiorum necem. *1. Reg. ca. 3.* Sine voce autem Angeli Dei annuntiant, & insinuant voluntatem Dei sepius & in somniis, & alio modo. Nam cùm anima nostra spiritus sit, & Angelus spiritus, ad communicanda inuicem mandata non egent organo corporali, proportione spirituali ad id sufficiente. D. Apostolus namque Paulus duos loquendi modos esse censuit, dum scribit, *1. Cor. ca 13. a.* Si linguis hominum loquar & Angelorum. Et per consequens verbi duplex erit sensus, vnus per vocem prolatus, & aërem verberans, statimq; periens: & alio modo intra nos positum verbum, & nostris cognitum cordibus, quod & commune cum Angelis, cùm prius non sit propriè Angelorum, vt scribit D. Basilius *Serm. in Ioan. 1. c. 1. principio erat verbum.* Instruit etiam nos Deus extra ordinem naturæ aliis mediis, quibus ad capacitatis naturæ humanæ captum, infirmitatisque nostræ capacitatem vtitur.

tur. Visiones hæ dici possunt: veluti ex visione Cherubim, & gla'ij flāmei versatilis, Adam intellexit adytum paradisi sib præclusum. *Genes. ca 5. d. v. 24.* Ita locutus est Deus per visionem ad Abraham, & per visionem eduxit eum foras, vt suspiceret cœlum, & numeraret stellas, instruens, ex his eius multiplicandum valde semen. *Gen. 15. a.* Et per visionem rubi ardentis, & incombusti, admirabilia rerum abditarum secreta nouit Moses. *Exod. c. 3* Per visiones animalium, & rotarum, prædixit multa Ezechiel *in c. 18. 7.* Et Petrus per visionem mundorum, & immundorum, intellexit reuelationem, qua admonebatur, ne salutem gentilium operari recusaret. Et D. Paulus *Act. c. 16. c. ver. 10 & seq.* per visionem per noctem illi factam de Macedone, qui eum deprecabatur, vt transiret in Macedoniam, & eum iuuaret, certus factus est, quòd Deus vocasset illum vt Euangelizaret in Macedoniam *Act. c. 16 c. & 9 12.* Et Macabæus visionem suam explicans, qua Deus illi reuelauerat orationes Oniæ iam antè mortui summi sacerdotis effusas, populum spe in Deum ad victoriam cōtra Nicanorem armauit. *Machab. cap. 15. & 11. & seq.* Hicque modus certè docendi homines Deo familiaris olim: sic enim per ea quæ cū corpore affinitatem habere videntur, homines maiori ex parte corporeis intentos excitabat, commiscens inter illa quædam, quæ secundùm mirabilem prudentiam artificis miscentis, certam præferrent incertorum cognitionem. Hæque visiones non passim omnibus, vel sine discrimine reuelatæ, sed aptis & electis à Deo piis bonisque hominibus, qui dicti sunt priùs Videntes, postea Prophetæ. *1. Reg c. 9. b & 9.* Nam & Deus ait, *Numer. c 12 b. & 4* Si fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnum loquar ad illū. Et in Psalmis. *Psal 88. c v. 19.* Locutus est Deus in visione sanctis suis. Et ideo in principio Iesaias & Nahum suas prophetias vocant visiones. Suntque visiones hæ compositæ ex spiritualibus & corporalibus, vt ferè omnes reuelationes D. Ioannis. & D Hermæ, D. Pauli discipuli in tribus libris, & reuelationes S. Methodij. Quanquam & aliæ sint corporales solùm, quibus super naturam nostram à Deo instruimur, vt sunt astrologicæ obseruationes, vbi signa potestatis Dei viuentis insculpta sunt, quæ & Deum omnipotentem demonstrant, & sapientiam eius incomprehensibilem, etiam barbaris vel cæcutientibus persuadent, vt suo loco dicemus, Deo fauente. Porrò nouissimè

Deus optimus maximus locutus est nobis in Filio, & per Messiam verum IESVM CHRISTVM dominum nostrum, qui secretiora Dei reuelauit, vt scribit D. Paulus, *ad Hebr cap.1 a.* Ardua certè & inaccessibilia homini mysteria diuinitatis, cùm nemo nouerit Filium nisi Pater, nec Patrem nisi Filius & Spiritus sanctus, & cui voluerit Filius reuelare. Nam sicut nec hominum quisquam nouit quæ sunt in homine, nisi spiritus qui est in homine: ita nec quæ sunt Dei nisi spiritus ipse Dei. *Ioan.1.* & docet late Diuus Damascenus. *lib.1 de orthod. fid. ca.1. & 2.* Quamobrem & post Christi doctrinam Spiritus sanctus si piè inuocetur, omnibus scire cupidis sese manifestat, & admirabilia & imperscrutabilia Philosophorum antiquorum disquisitionibus annuntiat, & edocet. Et hoc vsque adeò tritum est, vt probatione non indigeat. Habemus namque tam admirandos Christi vbique terrarum breui spatio decantatos Apostolos, vt qui anteà piscatores viles, & ignari, & analphabeti omnino erant, coriarij & telonarij, & huiusmodi artificiorum mechanici, post receptum Spiritum sanctum, variis linguis, vsque ad admirationem loqui subitò visi sint, & de obscuris ac profundissimis verè disseruerunt, & tenebras ab oculis hominum discutientes à spiritu veritatis edocti, præter humanum ordinē omnigena doctrina abundarunt. *Act. cap 2.a.b.* Eaque tanta & eius efficaciæ, vt vniuerso orbi leges dederint, sublatis Philosophorum, & eorum qui anteà falso scientes habiti erant, legibus, sententiis & erroribus. Fuit enim missus Dominus noster IESVS CHRISTVS eorum & noster præceptor, vt illuminaret omnem hominem. *Ioan cap 1.* lux ipse mundi, & lumen ad reuelationem gentium. *Luc. ca. 2. E. v. 32 cum similibus.* Porrò ne quis decipiatur in Dæmonum præstigiis, qui, veluti simia homines, ita & opera Dei imitantur, admonebo obiter fraudes & artes illorum detegi posse, & impostoras eius distingui tribus modis potissimùm, vel ex principiis, vel mediis, vel à fine ad quem res persuasæ diriguntur: à principiis, si somnia, apparitiones, reuelationes, visiones vetitum habeant exordium, nempe vel ex superstitione præcedente magica vetita, ex curiositate inutili, à superbia, auaritia, concupiscentia, à corrupta lubrica voluntate: à medio, si per illicita eadem parentur, per cultus idolorum vel imaginum, per suspensiones annulorum, per impiorum dæmonum inuocationes, pactiones, tacitas, vel expressas, & huiusmo-

huiusmodi:à fine, si hæc ipsa vel ad damnũ, incõmodum, contumeliã, cõtemptum dilectionis Dei, vel proximi tendant, si successus rerum malus, & contra legẽ Dei sit. Nã si bene actus dolosi diaboli ad Dei voluntatẽ & proximi dilectionem, velut aurum ad lapidẽ Lydiũ, examinentur & cõferantur, statim deteguntur & fuci, quibus mala ab impuris spiritib. inficiuntur, & obumbrãtur, & veluti ros matutinus Sole, in auras inuisibiles euanescent. Nec huiusmodi vaticinationibus, etsi veris, tantũ est deferẽdum, vt à bono ideo recedamus, & in Deum quippiam peccemus: quin & somniator ille cum vero somno delendus de terra est, si ex somnio id persuadere velit, & à lege Dei velit homines auertere. *Deut. c. 13. a* Nam & falsò Prophetę inquit Dominus, vaticinantur in nomine meo: non misi eos: & nõ præcepi eis, neq; locutus sum ad eos: visionem mendacẽ & diuinationẽ fraudulentã, & seductionem cordis sui prophetant vobis, vt scribit Hieremias, *c. 14. c. v. 14 H* & plura egregia alibi, *c. 23. e. & f* Quare fraudem semper inesse immundorum spirituum actionib. tibi persuadeas: non enim mali *Angeli* essentia differũt à bonis, sed voluntate mala, vt boni hominis animus à malo differt, vt scribit Diuus Athanasius. *li de diuer quæst. quæst 2.* Et in hoc probari possunt spiritus, & discerni boni à malis Duo enim sunt genij singulorum hominum, vnus æquitatis, alius iniquitatis: æquitatis genius, vel Angelus bonus, est lenis, verecundus, mansuetus, quietus, continuò tecum loquitur de iustitia, de prudẽtia, de castitate, de benignitate, de venia, de charitate, de pietate: hęc omnia cùm ascendunt in cor tuum, scito quòd genius æquitatis tecum est. huic itaq; crede, & operibus eius. Genij autem iniquitatis notæ, vt is sit amarus, iracundus, stolidus, & opera illius perniciosa, quæ euertunt filios Dei. Cum ergo in cor tuum ascenderint hæc, intellige ab operibus eius hunc genium esse iniquitatis. Cùm iracundia apprehenderit aut amaritudo, cupiditas rerum alienarum, superbia, multiloquium, ambitio, & quæcunq; his similia vitia, intellige eum esse in te. Et tunc caue ne credas illi, recedeq; ab omnibus operibus illius. Et hęc me docuit Hermas Diui Pauli Apostoli discipulus, *lib. 2. quem vocat pastorem, mandato. siue ca. 6 & 13.* Possunt etiã verè prophetica & diuina somnia & visiones discerni à dæmoniacis & Pythonicis: quia qui agẽte Dei voluntate sciunt, & ptæsciunt, intelligunt quæ dicunt, & hi verè vates: alij verò quod dicunt

vidéntve non intelligunt,& hos vocauit vaticinatores Plato,teste Plotino:*lib.de Anima & damone.* vnde antiquitus de vatibus dæmoniacis dictum fuit, μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς, vates optimus, qui bene coniectat, apud Gregorium Magnum *inuectiua 2 contra Iul* & Nicephorum Calist.*lib.10.hist Eccl ca.*73 Vnde coniecturis deficientibus, quæ vanitatem dæmonum possent defendere, oraculis Pythicis & insomniis quamplurimi deluſi sunt, & miserè perierunt: vsque adeò, vt Oenomaus apud Græcos tam eloquentia quàm philosophia nobilis, oraculo Apollinis Delphici deceptus, plurima & innumera responsa illius collegerit,& refellerit, vt quædam etiam ex ipso notat Eusebius Pamphilus *lib 5.de prepara. Euang cap 10* Quocirca rogo omnes optimos Christi asseclas, ne impostoris Sathanæ seſe committant, neque in ea sint hæresi, vt plures, ô miseri istius seculi iuuenes, qui se dæmonibus obstringunt, pactisve nefandis deuouent, vt possideant spiritum,vt vocant,scientiæ, sibi familiarem. Quos ego censeo omnibus lachrymis elugendos, si quando Deus misereatur illorum, vt resipiscant ab impietate & abysso damnationis.ter certè atque quater deplorandi, qui in primis hostem dolosum, & bonarum rerum insciũm & expugnatorem eligunt,derelicto Deo,qui author scientiarum & veritatis est:à quo si scientia indigemus, non minùs nobis quã Salomoni & aliis præstantissimis viris aduenier,si velimus. Erubescant & tandem,quæso,mancipia hæc Sathanæ, qui sibi persuadeãt, in suam ditionem spiritum scientiæ exorcismis & præcantationibus transtulisse, quive eum vt illorum iussu obseruientem, & vt vera narrantem venerantur. Agnoscant,quæso, periculum in quo nauigant,agnoscant huiusmodi spiritum nequam à Sathana eorum principe obseruatorem propiùs iunctum, ne cassis illius vllo modo effugiant,ne Deum, quem ipse, sed non impunè contempsit,cognoscãt. Ecce dum putant suis vanissimis characteribus illum occludere, ille ipsorum lateri, perpetuò catenas colligat fortiùs, & in sua iura trahit: dum pertentant curiosè responsa de nouis adferri, & aliis enuntiari, veram sui amittunt cognitionem,præcipites cæci ad ingentes tenebras voluntariè perducti. Similis namque dæmon est in astutia proditoribus & latronibus itinerum, qui,vt facultates,quas persequuntur,& quibus inhiant,scrutentur, vt vires & arma quæ gerentur in differentibus illas,nouerint,vt

itinera,

itinera, quibus viator onustus transiturus est detegant, se perhumaniter, vt putatur, viatoribus coniungunt, & obsequiis, imo & seruitiis incautos sibi fidere persuadent, nihil tamen magis in animo habentes, quā cùm tempus illud cōmodum aduenerit, illos iugulare, vt prædam ex illis colligant. Si exempla adhuc melliti sathanici doli desideres, considera quibus delinimentis & voluptatibus demulceat adulteros & fornicatores, quibus auaros meditationibus pascat, & in summa quibus persuasionibus à longè peritis decipiat, & adigat volentes ad malorum luem, vt non nisi peccato commisso & postea irridente deceptore, quis actū facile animaduertat. Nam præsentia quæ offert, speciē quidem boni habere videntur, sed finis animæ exitiosus, atque ipse nunquam mercator stolidus, sed lucrandi arte peritus facile tibi exiguum quid delectabile & quamplurima promittit, vt pretiosam tuam suo ministerio deputet animam, quod dat merces & salarium tuę est damnationis. Caueant itaque, quia initiò cōtractus sunt voluntarij, sed postea necessarij. Nihil certè est quod recipis vt te ipsum perdas, cū nullam homo dare possit commutationem pro anima sua, inquit Deus *Matth. 16. & Mar cap. 8.* Desinant ab infantiū improuida permutat one, qui malo vel pyro præsente cedunt aureis & pretiosis margaritis. Vigilemus quæso, ne dominos seruos nostros reddamus, ne fiamus socij furum ac latronum, & vt ait Poeta:

*Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones:*
*Vt te ipsum serues, non expergiscere?*

Omittant hæc abominanda, & meminerint Deum Deū esse, id est, omniscium & omnipotentem, omnia ab eo pendere: & per consequens, si putent dæmonas quicquam scire & docere posse, putent & Deum illa eadem, & omnia alia, quæ non sciunt ipsi, scire & posse docere, idque facilius, dixit enim & facta sunt, mandauit & creata sunt. Petant ab illo, & accipient: consulant regem, repellant tortorē & carnificem: meminerint quòd nec bonus ille habitus Socratis cacodęmon, quicquam de salute docuerit dominum suū: nullam esse participationem lucis ad tenebras, Christi ad Belial, Christianorum cum Sathana. vetitum esse vestimētum textum lino & lana, iugum bouis & asini: neminem duobus dominis seruire posse, quin alterum oderit: periculosam esse cum inimicis vigilantibus debilis animi familiaritatem & consortium. Et ad extremum agnoscant salu-

tem,exemplumq; ex similibus capiant,ex illa dæmonis familiari vocatione non ideo veram alicui vel decantatam & permanentem doctrinæ famam vnquam contigisse. Sunt enim dæmonum tantùm vanæ, insidiosæ animæ scientiæ & pollicitationes:& nascitur ridiculus scientibus mus, qui corrodit animam incantatoris, quiq; ad omnem ventum eam pallescere facit,qui in bonis ignorantissimam & in vita hac corporali, iam tortoribus æternis mancipat. Scio quòd vera loquor, & Deus testis, & ipsi, qui ista magica pertentant & experiuntur.

*De gradibus quibus perficitur via ordinaria.* CAP. XIII.

IAm expedito sermone de scientia & cognitione,cui nihil nos vel exiguum conferimus,quæ sola largitione vel Dei, vel naturæ nobis contingente: cumq; satis,vt existimo,apparuerit, nullam artem neq; studiorum opem humanorũ ibi requiri.eo quod quæ Dei solius & naturæ ab eo præordinata sunt,nostra ope non indigeant: quia etiam hæc Dei beneficia non nisi summa cum occasione & necessitate & dispensatiuè,vt ita loquar,conceduntur, ad ordinariã viam cognoscendi animum conuertimus, quæ studio & laborę & industria,Dei adiutorio,sine quo nec alia possumus, paratur, & parta augetur & conseruatur. Porrò cùm scientia omnis ex cognitione oriatur, vt scribit Speusippus, Platonis discipulus,*lib de diffinitiuo Plat.* Cognitio autem è mediis & instrumentis corporeis fiat, non simul,nec omnino vnico actu,nec prępostere,operæpretium est ordinem, quo notiones habentur & perficiuntur, explicare. Dicimus itaque in scientia & cognitione primùm tria requiri præcipuè, quod intelligitur,intellectum, & intelligentem, quod dicunt Cabalistæ esse summã decem Sephiroth,id est, omnium numerationum, vbi, vt ait Rabi Abraham in Ietzirah, siue de creatione, est ספר ספור ספיר sopher, sepher, sophur,id est,numerans,numerus,& numeratum. Nã si hæc tria simul consentiant,nec amplius in vno eorum quàm in alio inueniatur,nullus error, sed certa inest scientia:sin minùs,tamdiu est ratiocinandum, vt ait commentator arboris Sephiroth, עד השכל והמשכיל והמושכל אחד gad hasecel vehamescil vehamuscal echad, id est, donec intellectus,intelligens,& intellectum vniantur,hoc est, eadem sentiant.Nam, vt ait Porphyrius,*lib.* πρὸς τὰ νοητὰ ἀφορμῶν *sent.23.* πᾶσα γνῶσις τῷ γνωστῷ ὁμοίωσις ἐστὶ, id est,

id est, omnis cognitio est assimilatio eius quod cognoscitur. Idè erit in cognitione, quando cognoscens, cognoscibile, & cognitio vniuntur. Tres enim res sunt, duæ extremæ, altera medium quod extrema vnit, intelligens vel cognoscens est vnum extremum, & primũ, nempe anima: veluti si dicamus aptitudinẽ & facultatẽ intelligendi, sicut in Sephiroth, is qui numerat. Aliud extremũ est intelligibile vel cognoscibile, id est, res quæ intelligi & cognosci debet, ac si dixeris in Sephiroth numeratum, vel quod numerari, vel cuius scire numerum expedit. Medium autem extremorũ est intellectus vel cognitio, quæ tandiu negotiatur, donec animam cognoscentem vel intelligentem impleat vera apprehensione. Et sequitur aliud ex tribus his, resolutũ, mens, & notitia, secundũ productionem. Anima namq; , vt scribit Proclus *lib. de anima & dæmone*, per ipsam quidẽ scientiam euadit intellectui similis, secundum actum ipsum cognoscibile cõprehendens: abstrahit enim formas rei comprehensæ vsq; adeo vt intellectus formam & veluti eandẽ rem in animã transferat, nõ sc. iis ac per visum rem corporalem cõprehendimus, q; eius rei figura in oculis, veluti in speculo, perfectè appareat, perfectius autem in speculo animæ res sunt, eo quòd & anima, quia incorporalis substantiæ, formas, vt oculus corporalis, & speculũ corporale corporales figuras, separat & abstrahit. Secundò sciendum est, cognitionem hominis via ordinaria aduenientẽ, à visibilibus & cõprehensibilibus Dei operibus incipere, & vsq; ad inuisibilia & incõprehensibilia, & per se tantùm apparentia scandere. Verum neutrum horum hominis est, sed in medio homó suas operationes exhibet: &, vt est liber homo in sentiendo, sic partes eius & ad dubia & incerta terminanda applicantur. Et communicat quidem homo cum animalibus brutis, dehinc propriam naturã habet insignitam ratione, qua ab his differt. Tertiò in loco cum Deo etiam participat & communicat mente quæ à Deo illuminatur. Quapropter & primùm quæ corporea sunt ordine naturæ, & animal, deinceps vt homo, dehinc vt participãs cũ Deo cognoscit. Sunt itaq; tres hæ hierarchiæ in microcosmo hoc intellectuali, quæ à suprema illuminantur mẽte, veluti in cœlesti intellectuali mundo tres sunt hierarchiæ spirituum, quorum nouissimi à superioribus illuminantur & docentur, & omnes à suprema mente, nempe à Deo. Tres istas microcosmi hierarchias vocãt Cabalistę ista-

tiones & mutationum gradus: tres autem numero constituunt, primamque vocant desinentem in Sekel, siue in aliqua intelligentia. Secundam desinentem in Sandalpho, vt opinor, id est, in mediam, quæ vtramque prospicit extremitatem, & vtramq; coniungit. Tertiam desinentem in Mittarron, scilicet nuncium Dei, sic enim Angelum vocabant nuncium Dei, quem Mosis dixerunt fuisse præceptorem Cabalistæ, vt etiam scribit Franciscus Venetus, *Tomo 5 problem. Sacra scriptur. sectione 3. num 272.*

Rursum in singulis tres sunt ordines graduum, quorum omnium collectione fiunt nouem gradus, vnde mens perficitur, & lumen ipsum ab inferiori parte ad se trahit rerũ cognitionem. Quorum omnium accipe breuem tabulam cum proprietate singulorum graduum.

*Tabula purificationis notionum, & gradus ad notionem.*

1 | Res quæ est, vel esse censetur, vbi diaphanum, siue ὑποκείμενον, siue obiectum philosophis. *Hæc non syllogizant, sed simpliciter apprehenduntur.*

2 | Medium, quo substantia rei colligitur, siue diaphanum, apparens, id quod se insinuat sensibus.

3 | Sensus exterior, vt auditus: visus, &c. Et hic statio prima, in qua ex simplici rerum existentia, transitus fit ad cognitionem animalem: incipitque animalis cuiusque vis dicta Scechel שכל.

4 | Sensus interior, ad quem sensoria sensita transferunt, αἴσθησις Græcis. *Et viam discursui præparant.*

5 | Phantasia, φαντασία. Ibi fit firmatio imaginum sensu comprehensarum. Est etiam hic primus gradus agnitionum intellectualium, quæ tantùm consideratione definiuntur, siue propria imagine, corporalive visione.

6 | Existimatio, qua imagines tales esse, vel aliquid esse persuademus: vocant iudicium inferius animale, vel brutum, cùm secundùm apparentiam simpliciter ex rerum collatione iudicamus.

Hac in statione secunda cessat animal brutum, nec vltrà progreditur, & incipit id quod hominis est.

7 | Cogitatio, διάνοια, iudicium superius, qua percurruntur, & examinantur comprehensiones, & ex his

his formatæ opiniones. Hoc gradu fit præparatio & transitus ad rationem: ex multo namque discursu rerum, & dum nunc vna, postea alia res euoluitur, quod conueniat, inuenitur. Ex hac opinio. *Syllogizant hæc, & discursum admittunt, & argumentationes.*

2 Ratio, quæ confirmatione rationabili omnia determinat: & inde sequitur per consultationem nonus gradus. Dicebat & Plotinus lib. de fœlicitate, ca. 2. quod iudicare de natura & ratione boni, non sensus est, sed rationis.

Hæc ratio plura ad vnum stabiliendum congruè affert, & quæ obstare videntur, separat & reiicit.

9 Gradus, nempe intellectus, consummatus & menti vnitus, quietus & immobilis ex lumine mentis per singula hominem conformantis, ad suum finem perductus. Hîc tertia statio, qua desinit homo varius, & incipit illa pars hominis nobilior, mens, quæ Deo assimilatur, intellectus aliqua in parte similitudine, & quam tantùm Deus alloquitur, cùm illi mirabilia & arcana sua citra naturæ ordinem manifestat. *Hîc, vel mens & intellectus amplius non syllogizant: sed discursus resolutiones tantum recipit.*

Loquitur & de his gradibus Clemens Alexandrinus *lib. 2. Stromaton.* Diuini & cœlestis nutrimenti monumentum, inquit, in vrna aurea. Exod. 17. consecrari iubebatur. Gomor, erat decima trium mensura: in nobis enim ipsis tres mensuræ tria significant iudicia: sensus quidem sensitum: eorum autem quæ dicuntur, nominum & verborum ratio: eorum autem quæ percipiuntur, intelligentia, mens. Et paulò pòst, Hæc est, vt existimo, quæ ex Deo est vera & iusta mensura, quæ metitur ea quæ veniunt in dimensionem, ea quæ hominem continet, decas, quam in summa tres prædictæ significârunt mensuræ. Fuerit autem corpus & anima & quinque sensus, & vocis edendæ potestas visq; seminaria, & cogitandi seu spiritalis facultas, aut quocunq; alio nomine vis vocare. Oportet autem, vt vno verbo dicam, alia omnia transcendentes, in mente sistere. Sicut certè in mundo quoque, cùm nouem partes transilierimus, primam quidem quæ est per quatuor elementa, quæ in vno loco ponuntur propter mutationem, deinde septem

errantes, & nonam in errantem, venire oportet ad perfectum numerum, qui est super deos, nempe decimam partem, & vt semel dicam, ad Dei cognitionem, post creaturā desiderando effectorem.

Propterea offerebantur Deo decimæ æphi, & hostiarū: & paschæ dies festus incipiebat à decima: quæ est cuiusuis perturbationis & cuiusuis sensilis transitus. Fide ergo consistit is, qui est potestate cognoscendi præditus hæc Clemens Alexandrinus.

### *De sensuali cognitione: & vnde error ex iis quæ per sensus cognoscimus.* CAP. XIV.

VT autem superiora meliùs intelligantur, placet latiùs interpretari. Primum itaque gradum cognitionis, rem, quam obiectum dicunt, quòd ea obiiciatur vt cognoscatur, desideramus. Nam antequā quale quid sit, cognoscamus, necessarium est vt priùs res sit vel esse putetur, si de dubiis cognoscere aliquid velimus, vt Deo fauente docebimus in quæstionum vel disquisitionum principiis. Quamuis enim ipsum est non similiter omnibus insit, nihilominùs tamen ipsum est omnibus aliquo modo inuenitur, vt ait Aristot. *lib. 7. Metaph. cap. 4.* & ipsum scibile necessariò sit oportet, vt idem Aristot. scribit *lib. 6. Ethic. c 5.* & Plato etiam *lib. 13. in Theateto, vel de scientia*, ea non scire posse negat, quæ essentiam non habent. Primus enim gradus totius naturæ, esse est, & veluti quædam ianua substantiarum omnium. Sequitur hunc gradum secundus, esse scilicet aliquo modo, & hinc differentia essentiarum fit per diaphanum: nam res per se nusquam in substantia quæ sunt videntur: sed mediante quodam lumine, vel colore, vel accidente, distinguuntur à sensibus interpositione facta alicuius inter sensus & sensibile, vt scribit Plato *lib 31. siue dialog. 6. de repub. vel de iusto*, quamuis intellectu & abstractione aliter possit contingere, non magis quàm elementa in sua pura substantia videri non possunt, nec per consequens ex his corpora composita, quæ ex eorum quibus vinciuntur, natura participare nemo ambigit. Vnde & arcanum illud substantiæ hominis, quo mouetur, viuit, sentit, ratiocinatur, neq; sensibus corporeis exponitur, cùm neq; aliarum minùs rerum inferiorum substantiæ sensibus exponantur, quæ tamen esse nemo ambigit: vnde non mirum, si dixerim in capite præce-

præcedenti, ab incomprehensibilibus, hoc est, ab essentiis inuisibilib. & minimè sensibus expositis, cognitionis ordinem per viam sensuum nos ordiri. Philosophentur enim quantum velint athei, & physici, nusquam certè alii earum substantiarum primariam & natiuam cognitionem quam Deo creatori tribuendam inuenient, nobis tantùm ab effectibus vsu, & exteriori, vt ita loquar, cortice insinuatam. Et ideo dicimus etiam ibi non syllogizare neque ratiocinari mentem. effectus enim & vsus rerum apparentes, nos, velimus nolimusve, cogunt, ita vt sensibus se exhibent, de his iudicare. Nam si reliqua indagare extra illa pergamus, intelligimus statim nostros conatus à diuina ineffabili scientia, & imperserutabili sapientia elidi, vt & in minimis artificiis demergi cognoscamus, vt ex linea Apellem, super excellentiam. Sicuti & in exilioribus animalibus suam admirabilem & sapientiam & artem incomprehensibilem etiam in his quæ videri possunt, ostendit, in tam paruis, tam nullis vim suam & inexplicabilem perfectionem exhibens. Qua enim parte quæso tot sensus, vt cum Plinio *lib. 11. c. 2* loquar, collocauit in culice? Et sunt alia dictu minora, sed vbi visum in eo prætendit? vbi gustum applicauit? vbi odoratum inseruit? vbi verò truculentam illam & portione maximam vocem ingenerauit, &c. Quos teredini ad perforanda robora cum sono teste dentes affixit? Mirabilia certe sunt Dei opera, & impenetrabilia. Nec humani etiam ingenii infirmitas ad puram rerum essentiam cognoscendam deduci potest: quia consequenter, si eam perfectè cognosceret, Dei artificis ingenium suo animo complecteretur. Cæterùm fieri nequit, vt quod minus est, nempe vt homo, qui finitus, comprehendat infinitè maius, & infinitè infinitum: finiti enim ad infinitum nulla est proportio. Neque id etiam Angelis datum est nosse Ideo velatas describuntur habere facies Spiritus illi diuini, thronum Dei perpetua veneratione adorantes, tanquam radiorum diuinitate deglutiti, & absorpti, & minimè comprehensionis illorum capaces, apud Ezechielem *cap. 1.* Scimus autem; quatenus Deus statuit scire nos oportere. Et illud adhuc scire nobis contingit actu, cùm ad sciendum adiungimus non solùm corporis, sed etiam mentis operam. Nam in sensibus quidem exterioribus nulla est scientia, sed sciendi tantùm sensibilium principium est & ianua: sensus enim hi propemodum

dum corporales, per se supra naturalem constitutionem effectus producere nequeunt. Ideo Plato *lib 3. in Theateto*, sensum non esse scientiam dixit. Scientiæ autem diximus cognitionis corporeorum principium, quia sensus sunt veluti speculatores & interpretes rerum, in capite veluti in arce constituti à Deo ad visus necessarios, vt scribit Cicero *de natura deor. lib. 2.* & alibi rursum *lib 1. de legib.* Ipsum, inquit, hominem eadem natura non solùm celeritate mentis ornauit, sed etiam sensus tanquam satellites attribuit ac nuncios, & rerum plurimarum obscuras & necessarias intelligentias enudauit, quasi fundamenta quædam scientiæ, figuramque corporis habilem, & aptam humano ingenio dedit. Et iterum *lib. 1. Academic. quæst.* scribit tertiam philosophiæ partem, quæ erat in ratione, & differendo posita, sic tractatam ab Academicis & Peripateticis pariter, vt quãquam à sensibus, non esset tamen iudicium veritatis in sensibus: mentem enim volebant esse rerum iudicem, & solam idoneam cui crederetur, quia sola cerneret id quod semper esset simplex & vnius modi, & tale quale esset: quã & ipsi ideam appellabant. Sensus autem omnes hebetes & tardos esse arbitrabantur. Sed his addenda est Stoicorum de cognitionibus per sensus sententia. Hi namq; vt scribit Plutarch. *lib 4. de plac. phil. c. 11.* constituũt notiones naturales & prænotiones. Notiones naturaliter fieri per viam sensuum. Cùm enim, inquiunt, nascitur homo, habet principalem animæ partem instar membranæ scriptoriæ, in qua singulas notiones annotat, & tanquã literis mandat. Duo autẽ annotandi modi, quorum est vnus per sensus: illi.n. quæ apprehendunt, transferunt, & dicuntur notiones naturales, sine vllo artis adminiculo, sed natura factæ: ex quarum notionum eiusdem generis multiplicatione sequitur vsus & experimentum. Alius autem modus annotandi, disciplina, curaque adhibitis: cuius notiones, prænotiones dicuntur. Philo etiam Iudæus *Tom. 2. lib. de somnus*, ex sensibus ianitoribus notionum, mentem instrui scribit, dum ait, hos menti nunciare de colorum, figurarum, vocum, saporum, vaporúmve proprietatibus, & in vniuersum de corporibus eorúmve qualitatibus: & eosdẽ esse animæ apparitores, ad quam quicquid vident audiúntve, deferunt, & si quid extrinsecus immineat noxium, præuident, præcauentque, ne quod improuisum & immedicabile malum dominæ obrepat. Et D. Chrysostom, *Tom. 2. opere vt vo-*

*cant*

*tam imperfecto, hom. 13. in Matth. c. 6.* dū interpretatur illud, cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & claude ostiū. Cubiculum, inquit, est cor vel intellectus interior, id est, spiritualis, sicut scriptum est *Psal 4. a.* Quæ dicitis in cordib. vestris, & in cubilibus vestris compungimini. ostiū autem est sensus carnalis exterior, per quem omnia bona vel mala ad animam intrant. Vocat & *in eod. tom. homil. in c. 16. Luc. de diuite & Lazaro* quinque fratres animæ, verè quidem fratres, quia & in vno sensu interiori participant, & ab eo veluti ab vno parte pendēt. Dictus is à Platone ideo sensus communis, *in lib. 13. in Thaeteto, vel de sententia*, & à Galeno *Tomo 1 lib. 2. de Hippocra. & Plato. decre.* & Arist. *lib. de sensu & sensilib.* vnum esse in anima indiuiduum, quod actu per sensoria & sensus diuidatur, dixit, & probauit. Et ita quæ ab interiori sensu collecta sunt, constituunt initium phantasiarum: estque ille sensus velati radix phantasiæ, memoriæ, doloris & voluptatis, vt scribit Galenus *Tomo 8. lib. 1. de Elemen.* Et necessarium certe fuit, vnum numero sensum communem omnibus externis adfuisse. Nā oportet vt quod inter sentilia distinguit, velut inter dulcia, alba, lenia, ea vnica potestate complecti simul & semel, aliter differentiam eorum quæ non nouit, adferre posset. Nec pariter pluribus sensibus participantem rem describere posset, nisi vtraque nosset: veluti si dicas Dionysium albū, morbidum adnauigasse. ibi enim plures sensus ad iudicandum concurrunt externi, quos vnus interior simul colligit. Videmus & eum sensum communem contraria simul nosse: quod non accidit vbi vnicus & singularis est sensus: sic in libros oculos coniicientes, simul album papyri, & nigrum literarum concipimus. Est itaque sensus ille communis veluti punctus & centrum sensuum exteriorum, ad quem circumferentiæ rectas ducunt lineas, estque vt iudex & princeps inter consiliarios, solus sententiam, aliis referentibus ferens, vt docet latè Themistius *lib. 3. de anima, ca. 7 & 8.* & Alexan. Aphrodiseus *lib. de anima.* Et sic ritè dicuntur fieri per sensus notio & ignoratio, vt apud Hippocratem *lib. de victus ratione.* Vim autem hanc puto ex anima prodire, & aliunde, quā ex corporeis instrumentis sensoriis. qua autem in parte corporis sit & quomodo exeratur. causſam nobis profiteor occultam neque hominibus apertam, non ideo tamen minùs certam & veram. Nam, sicuti idem Galenus *Tom. 1. lib. 2. de semine*, scribit, ea, in quibus

bus nobis causſa probabilis deficit, credere opus erit: alioquin & videre, & audire, & ſentire omnino, & reminiſci, & ſomnia per quietem cernere prorſus negemus, quippe cùm in ſingulis obſtruſa cauſſa ſit, vnde exiſtant. Vis autem ſcire faciliùs, exteriora ſine interiori nihil per ſe poſſe? propone ante oculos hominem meditantem & vigilantem, videbis eum neque iis quæ dicuntur obaudire, non tactu deprehendere, eo quòd animus à ſenſoriis retractus ſit, neque is vim illis ſubminiſtret. Ideo & nos gradum exterioris & interioris ſenſim nectimus: iis enim mediis fit apprehenſio. Sed & illud annotandum eſt, cognitionem quæ ex ſenſibus pendet, vſum quendam antè deſiderare, ſi diſcrimen ex ea velimus percipere. ſenſus namque eo modo quo ſubjicitur, refert: ſed an ſit res eadem vel ſimilis ei, quæ aliàs viſa illud certè non eſt ſolius ſenſus: nec abſque frequenti vſu & obſeruatione & conſuetudine, & viſorum memoria. Si quidem, vt Galenus ait *Tom. 1. lib. 3. de anato. admin.* res nulla quæ ſenſibus noſtris percipi poteſt, exquiſitè & ſubitò, niſi ſæpiùs viſa, cognoſcitur. Argumento ſunt gemini admodum tibi ſimiles, qui ab infuetis nequeant dignoſci: ab iis autè quibuſcum habuerint conſuetudinē conſeſtim agnoſcantur. Et alibi *eod. tom. lib. 1. de Anatom.* Earum, inquit, rerū memoria, quæ ſenſibus noſtris patent, aſſiduam requirit conſuetudinem. Quam & Stoicorum etiam diximus fuiſſe ſententiam, dum vſu memoriam ſenſibus expoſitorum haberi dicebant: tunc autem ſenſus in actu, repræſentatione rei, rem ipſam vel eandem, alterius nempe memoriæ adiutorio colligit. Senſus namque ab intellectu diſcernuntur. Quod intelligere, ſit rectè vel malè iudicare: ſentire autem eſſe vel non eſſe tale, iudicare, vt colligitur ex Ariſt. *3. de Anima.* Senſituum itaque ſemper cum corpore: at intellectus ab eodem ſeparabilis, & inferiora intelligit & ſuperiora. quare & mutatur apprehenſionum in vtroque nomen. Nam quòd in ſenſu dolor vel voluptas eſt, in intellectu bonum vel malum eſt. Quibus addere licet plures alias differentias inter vtrumque, de quibus tradit Ariſt. latè *lib. 3 de Anima. & ſque ad c. 9.* qui & ibi plures antiquorum reprehendit meritò, qui ſenſus & intellectum eadem putárunt, cùm tamen longiſſimè inter illa interſit.

Quibus cognitis, nunc de ſenſuum notionibus ſtatuenda eſt regula: ſenſui euidentia, demonſtratione non indigere,

gere, quia ea per se talia sunt & iudices sosa sensoria sunt sine alia demonstratione: vt album tale est, quia hoc album, & ita nigrum illud. Et ideo ex sensibus hauriunt initia præcepta artium, etsi sensus præcepta artibus non dent: inter hæc enim magna differentia est, vt deprehensio sensuum alia in artifice, quàm in artium imperito, vt annotat Galenus in Isagogicis *lib de optima secta ad Thrasibulum*. Veræ igitur erunt sensuum notiones, nec illæ decipiuntur, vt etiam scribit Aristot. *lib 3. de Anima, cap.3.* & ideo idem author Aristoteles *lib. resolutio. posterior. 1. c. 14.* scientias particulares in singulis ponit sensibus naturâ: & contrà deficiente natura vnius sensus, & deficere illius scientiam necessario. Adsero exemplum in cæcis: hi enim scientiam distinguendi colores amiserunt: vulgò enim paroemia illa teritur, cæcum minimè iudicare de coloribus. Sic pueri recens nati, ante euolutos quadraginta dies nec tacti rident, nec vellicati plorant: nam vires sensuum in muco, humoréve glutinoso hebetantur, vt scribit Hippoc. *lib. de septim. par.* Sic dormientes nec quicquam sentibus apprehendunt extrinsecus: nam functione priuantur. Neque tamen insciis sum, diuersas fuisse hac in parte sententias, & variatum à priscis philosophis in quæstione, num sensus fallaces sint. Nam falli & decipi posse sensus externos, videlicet visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, dixerunt Heraclitus, Diocles, Empedocles: & sensum abiiciebant Xenophanes Colophonius, Parmenides Eleata, Zeno Milesius, ex antiquioribus, ex nouis Stilpo, & Megaricus: verùm tantum rationi tribuentes, nimiùm in rationem declinantes. Sicuti & illi turpiter lapsi, qui solis sensibus, nihil rationi & animo tribuunt: inter vtrumque namque consistit veritas. Constat namque homō vtroque, & anima & corpore: anima, vt vehiculo, & vt ministris sensibus vtatur necesse est, quamdiu vitam hanc agit corporeā. Et hæc plenè disputat Eusebius Pamphili Cæsarienſis *lib.14. de præpar. Euang.* Sensuū etiā veritatē repudiasse videtur & Plato, qui *in Timæo lib.2. & lib.19. in Phædone*, fallax eorū esse apertè dicit iudicium. Et ideo iustè veram philosophiam suadere animæ, ne illis inhæreat, sed vt in se colecta, in seipsam sese reuocet, neque credat illis, nec vlli præterquam sibi, quatenus videlicet ipsa per seipsam intelligat quodlibet eorum quæ sunt existens per seipsum. Addit & idem Plato alibi *libr.13. in Theæteto*, mutabiles sensus, & ideo

& ideo fallaces, & alio modo gustare vel sentire sanum, alio ægrotum. Adiciunt alii, facilè visum decipi, veluti dum videt in aqua remos vel inflexos vel infractos, dum iudicat de longinquo turrim, quæ quadrata est, rotundam: quòd æqualissimam porticum, angustiorem in vltima parte referat: & quòd cœlum à terra ingenti spatio distantem, & mari & terræ coniungi iudicet. Videmus & stellas, Solem, & Lunam visus nostri iudicio sphærularum instar, cùm tamen magnitudinem terræ superent. Fallimur & in aliis multis visu. Nec solùm in visu, sed & in auditu maximi innascuntur errores. Nam audientes plaustri vel alterius rei cadentis leue murmur, existimamus tonitrua per aërem conuolui & rejici, vt sæpe aliud alterius vice dictum putamus, & aquarum in præcipitijs rapidos sonitus, vel tympana, vel aliud quippiam falso auditu coniicimus. Quantum etiam contactu fallamur, quis non scire se putet? Siquidem eædem planicies, pauimenta, lapides, tacta pedibus asperiora, manibus leniora creduntur Et si quis paludem, vel alias stagnantes siue fluentes aquas ingrediatur, in ingressu, alterius temperaturæ, quàm dū ibi consederit vel egredietur, censebit. Vt & in balneis, aquæ ingressu calidæ, postea tepidæ iudicantur: quibus & similibus adducti, semper fallaces dixêre sensus. Stoici autem non ita absolutè, nec semper mendacii sensus arguunt. Epicurei ex diametro prioribus aduersantur: & cùm sensuales omnino sint, nunquam ex sensibus iudicium falsum sequi arbitrantur, sed ex animi opinione. Sic enim eorum sectator Lucretius *lib 4. de rer. natura. ver. 437.*

*Ne leuiter credas labefactari undiq; sensus.*

Et rursum *ver. 464.*

*Postquam pleraq; fallere sensus videntur.*

Concluditq; hoc modo:

*Cætera de genere hoc mirando, multa videmus,*
*Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quarunt:*
*Nec quicquam, quoniam pars horum maxima fallit,*
*Propter opinatus animi quos addimus ipsi,*
*Pro visis vt sint quæ non sunt sensibus visa.*

Addit rationes quòd sensus non decipiantur: primam ducens ab eo quòd homini id tanquam non egregium conducat, animus autem id abscondat. Deinde aliam inculcat, vt si nihil his sciatur, nec determinantem ita scire posse, num id nesciatur, atq; eius verba hæc:

*Nam*

*Nam nihil egregium, quàm res secernere apertas*
*A dubiis, animus quas ab se proximus abdit.*
*Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit,*
*An sciri possit, quo se nil scire fatetur.*
*Hunc igitur contra missam contendere caussam*
*Qui capite ipse suo instituit vestigia retrò.*
*Et tamen hoc quoque vti concedam scire: an id ipsum*
*Quaram, cùm in rebus veri nil viderit antè,*
*Vnde sciat quid sit scire & nescire vicissim,*
*Notitiam veri quæ res falsique crearit:*
*Et dubium certo quæ res differre probarit.*

Ideo & resoluit statim, & alias rationes addit idem:

*Inuenies primis ab sensibus esse creatam*
*Notitiam veri, neque sensus posse refelli.*
*Nam maiore fide debet reperier illud,*
*Sponte sua verùm quod possit vincere falsa.*
*Quid maiore fide porrò quam sensus haberi*
*Debebit? an ab sensu falso ratio orta valebit?*
*Dicere eos contrà quæ tota à sensibus orta est?*
*Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa sit omnis.*
*An poterunt oculos aures reprendere? an aurem*
*Tactus? eu hunc porrò tactum sapor arguet oris?*
*An confutabunt nares? oculive remincent?*
*Non (ut opinor) ita est: vemo sibi sorsum cuique potestas*
*Diuisa est, sua cuique vis est.* Et quæ sequuntur.

In quibus in summa probat, non esse fallaces sensus hoc argumento. Aut à ratione, inquit, aut à seipsis, si falsi sint, fallitatis reprehendantur necesse est. porrò à ratione reprehendi nequeunt: nam cùm rationis diuersitas ab his oriatur, si hi sint falsi, ergo & ratio omnis falsa erit. à seipsis minùs: nam singuli sensus diuersa & separata ministeria habent, & seorsum tactus tactum, auris auditum apprehendit, & sic reliqui. Vnde sibi non communicantes in officiis, nec se mutuò reprehendere possunt. Et paulò antè animi & opinionis, non sensuum caussam esse dicebat errotis, & ex sensibus, non in ipsis sensibus. dū scribit *eod. lib. 4. ver. 341.* cùm de deceptione visus loquitur:

*Nec tamen hic oculos falli concedimus hilum.*
*Nam quocunque loco sit lux, atque umbra, tueri*
*Illorum est: eadem verò sint lumina, nec ne.*
*Vmbraque quæ sunt huc, num transeat illuc,*
*An potiùs fiat paulò quod diximus antè,*

*Hoc animi demum ratio discernere debet.*
*Nec possunt oculi naturam noscere rerum.*
*Proinde animi vitium hoc oculis affingere noli.*

Optimè certè Lucretius, verùm nō satis sufficienter: quia & causſæ erroris aliunde, quàm ex animo & sensibus contingere possunt. Nam interdum vt & secundùm Lucretium & Epicureos, animus & opinionis causſa erroris ve est qui contingat circa sensus: non dico in sensibus, quia in his nullus error, sed circa sensus, vel circa ea quæ à sensibus percepta sunt. Quod accidit quando anima experceptis antea, aliter quàm oportet negotiatur: veluti si quæ pulchra aspectu sunt, quæ verè pulchra sunt in sua natura & propria pulchritudine, alteri maioríve pulchritudini visæ vel consideratæ præferat: tunc enim animi censura labitur non sensus perceptio: nam in censura nihil agit sensus. Et hæc electio, non rerum ipsarum naturæ, errorem faciunt. Sic etiam si in concentibus quis præferat tympani tonitum, harmoniæ & concentui multarum bene conuenientium vocum, & cytharæ, non decipitur quidem auditus, vtrumque namque refert. sed animi iudicium, quòd vnum alteri malè præferat. Sic si dulciora quæ non sunt, & leuiora, & magis fragrantia à sensibus percepta, improbè diiudicet. Definit namque sensus tunc: quocirca nec illi error ille imputandus. Et ita verè dixit Plato *in Philebo*, animum credere non debere sensibus, in inquisitione quidditatis rerum scilicet, cùm intelligere vult quid per seipsum quippiam est: excedit namque abstractum omnem sensuum iurisdictionem. cùm ii corporalibus apparentibus incumbant, nō in inuisibilibus, in quibus si quis sensibus credat, decipitur ipse, non autem per sensus, sed tribuendo sensibus quod illorum non est, & à quibus alieni illi sunt.

Atque in his aliunde causſa erroris, quàm ex ipsis sensibus annotanda, ex qua circa sensus quis fallitur: illa autem est, dum extra vim sensus anima sensuum iudicio vtitur in apprehendendo: & tunc nec est sensus, sed aliud, causſa falsitatis. Quæ vt apertiùs doceamus, expedit exempla iam proposita errorum sensuum refellere. idque commodiùs non fiet, quàm si iisdem exemplis vtamur: & si ostenderimus per ea non mendacium ex parte sensus, nec ex re quæ pro obiecto est, sed ex medio inter vtrumque posito oriri, dum hallucinatur circa abusum sensus animus. In aqua namque infractionis & inflexionis remorum

tum causſa eſt aqua, medium inter remum & viſum: vtrumque autem per ſe extremorum perfectum & infractũ, & remus extra aquam & viſus. Et teneritas ſiue mollities & lenitas ſubſtantiæ, aquæ inſidet, ex lumine ſpeculum, prout icta & mota eſt, ita & imaginem vibrans euertit lineam recti. Pariter vt turris habitus nos eludat, interualli medium & conditio compellit in aperto: æqualitas enim circumfuſi aeris, pari luce veſtiens angulos, obliterat lineas, vel meliùs, quia eo vſque viſus non dirigitur, ideo quia deficit ſenſus eò vſque non pertingens: nec ei error attribuendus, ſed animo qui vult per ſenſum iudicare de eo loco ad quem non poteſt peruenire ſenſus, aliter idem eſſe, ac ſi cæco quis adſcribat quòd bene non legat, vel videnti quòd quæ operiuntur, non conſpiciat nec diuinet. Sic & canit Lucretius *lib 4 ver.309.*

*Quadratumq́, procul turres cùm cernimus vrbis,*
*Propterea fit vti videantur ſæpe rotunda,*
*Angulus obtuſus quia longe cernitur omnis,*
*Siue etiam potiùs non cernitur, ac perit ictus*
*Plaga, nec ad noſtras acies illabitur ictus:*
*Aera per multum quia dum ſimulachra feruntur,*
*Cogit hebeſcere cum crebris offenſibus aer.*
*Hinc, vbi ſuffugit ſenſum vbi angulus omnis*
*Fit quaſi ad cornum ſaxorum ſtructa ruantur:*
*Non tamen vt coram quæ ſunt, vereq́, rotunda,*
*Sed quaſi adumbratim pau'lum ſimulata videntur.*

Extat & regula optima apud Vitellionem *lib. 4. theoremate 9.* Quòd remotio rei viſæ ab ipſo viſu, non eſt comprehenſibilis à ſolo ſenſu viſus, ſed auxilio virtutis animæ cognoſcitiuæ & diſtinctiuæ. Item aliud theorema *8.* Vnumquodque viſorum longitudinem habere ſpatii, vltra quod non videtur. Quibus annotatis facilis oritur ratio, quòd cœlum mari vnitur vbi viſus abſumitur. Sic & vniformitas porticus acuitur in fine, dum acies in occluſo ſtipata illic tenuatur quò & extenditur. Plures & de his extraneæ cauſſæ tradi poſſunt, ſed eas colligere facile ex Vitellionis perſpectiua *lib 4.* Et quod ad reliqua pertinet, cauſſa deceptionis circa auditum in ſonitu, non auditus etiam eſt, nec guſtus in guſtu, ſed in guſtante & audiente, quòd malè iudicet. hoc autem non ſenſuum eſt, verè namq; ſonos defert auditus, & guſtus guſtum, ſed malè de his iu-

dicatur: non tamen culpa sensuum. De reliquis sensibus idem dicendum esse existimo, vt etiam optimè Plato *in Theateto*, in patientem & gustantem & sentientem, causam erroris rejicit: & si in eo non sit, sed extrinsecis mediis, neque culpandi etiam sensus, sed causæ videntur, vt & Tertullian. examinat *Tom. 2. lib de anima*, vbi agit de sensib.

### *De phantasia, cogitatione, ratione, mente.*
### CAP. XV.

SEd de sensibus hactenus cùm tractatum satis superque sit, postulat præscriptus ordo, de phantasia & reliquis vsque ad mentis periodum dicamus. Sensibus igitur apprehensa, per sensum communem ad imaginationem vel phantasiã perueniunt. Nec mirum, cùm imaginandi vis, quæ phantasia nominatur, eadem sit ad numerum cum potentia sentiendi, quamuis essentia rationéve differat. Est enim postrema, per illa & ab illis, vt notat Themistius *lib. de insomn. c. 7.* Isque alibi *lib. 3. de anima. c. 15.* imaginationem esse definit, motum animæ, quem sensus in actu positus creat. Phantasiam autem dici ex argumento lucis, sine qua cerni & videri non potest, quod omnino prodiit ex schola & traditione Aristot. *in lib. 3. de anima c. 3.* & explicat optimè Simplicius in commentariis de Anima *in particul. textum Arist. 161. & 162.* Hæc autem fit ex sensibus, vt si album respiciatur, illud album in imaginationem transit. Quæ enim accepta & comprehensa sensibus sunt, eorum spectris & simulachris imaginatio excitatur. Ita fit, vt quemadmodum sensile cooperatur ad sensum, ita actio sensus imaginationi respondeat. Dat exemplũ Themistius *3 de anima, ca. 14.* vt si fingamus annulum esse, qui in cera ad imam vsque partem signum imprimat, rursum ambitũ aeris signatam ita ceram comprehendit, postea hac & ceram & annulum remoueri, & solam impressionem & sigillationem in aere relinqui. hæc ad imaginationem transferes, vt sensile pro annulo sit, vicem ceræ sensus obtineat, imaginatio aeri succedat. Et distinguit Alex. Aphrod. *lib. de anima* imaginationẽ à memoria. quòd imaginatio sit actus, quo imaginationes fiunt, vt intellectus, quo intelligentia: memoria autem reseruatio earum figurarum & aliarum. imaginatio phantasia dicta à sensuum præcipuo, à visu inquam, quod fit mediante lumine, vt etiam tradit Cicero *4. Acad. quæst.* Chrysippus autem vocat phantasiam, affectionem in animo factam, quæ sui quoque efficiens

ciens, vt apprehensionis albi per visum affectio, album subeat: sic ti per tactum, vel odoratum, huiusmodi affectio fiat: dictamque phantasiam à lumine, quia seipsam demonstrat, vt lumen ea collustrat. Differre hanc à phantasto, phantastico & phantasmate etiã insinuat: quòd phantaston sit, quicquid animam ciere vel mouere possit: phantasticum sit inanis attractus sine vllo obiecto vel phantasto factus, vt accidit in vmbratili pugna se exercentibus: phantasma autem sit, ad quod rapimur phantastico & inani attractu, qualia fiunt in mente captis, & à furiis agitatis, vel furiosis. Tradit & Plutarch. *lib. 4. de Placi. philosoph. ca. 12.* Atque Φαντασία est imaginatio vel visio eius rei quæ est: phantasma rei quæ non est, vt notat Suidas, similiter D. Aurel. Augustinus *lib 6. de Musica. cap. 11.* Aliter, inquit, cogito patrem meum quem sæpe vidi, aliter auum quem nunquam vidi: horum primum phantasia est, alterum phantasma. Et Hesychius Φαντασία, inquit, τὸ μὴ ὄν ἀληθὲς, ἀλλὰ σχήμα, est phantasia, eius quod quidem in veritate non est, sed in figura. Φάσμα autem, vel Φάντασμα dicitur, τέρας, ostentum, monstrum, signũ. Et expressiùs Philo Iudæus *lib de mundo*, Φαντασία τύπωσις ἐστιν ἐν ψυχῇ, οἱονεὶ φαντασία τις ἔσται, ἃ γὰρ εἰσήγαγεν ἑκάστη τῶν αἰσθήσεων ὥσπερ δακτύλιόν τις ἡ σφραγὶς, ἐναπεμάξατο τὸν οἰκεῖον χαρακτῆρα. ἢ τὸ ἐναπομαγεῖον φυλάττει τὰς ἑαυτῆ. μεχρὶς ἂν ἡ ἀντίπαλος τῇ μνήμῃ τύπωσις λήθη ἀμυδρὸν ἐργάσηται ἢ παντελῶς ἀφανίσῃ, id est, Phantasia est effiguratio in anima, quasi visi statio quædam existens. Quæ enim introduxit quisque sensuum, veluti annulus aliquis vel sigillum impressit eius similem characterem, custoditq; imaginem in se, donec obliuio contraria memoriæ, formam delens, vix conspicuam reddit, vel omnino tollit. Addendus D. Ioan Damascen. *lib. 3. de orthod. fide, cap. 17.* περὶ δὲ φαντασικῆς, *id est, de phantastico*, apud quem sic scribitur: Φαντασικὸν ἐστὶ δύναμις τῆς ἀλόγου ψυχῆς, δι' ἧς τὰ αἰσθητήρια ἐνεργοῦσα, ἥτις λέγεται αἴσθησις. Φαντασὸν δὲ ἐστὶ αἰσθητὸν τὸ τῇ φαντασίᾳ ἢ τῇ αἰσθήσει ὑποπῖπτον· ὡς ὅρασις μὲν αὐτῇ ἡ ὁπτικὴ

δύναμις, ὀρεκτὸν ἢ τὸ ὑποπίπτον τῇ ὀρέξει, λίθῳ τυχὸν, ἢ πιστόν. Φανταστία ἢ ἐστὶ πάθος τοῦ ἀλόγου ψυχῆς, ὑπὸ φανταστοῦ τινὸς γινόμενον. Φάντασμα ἢ πάθος διάπονον ἐν τοῖς ἀλόγοις τῆς ψυχῆς, ἀπὸ φαντάστου γινόμενον, id est,

Phantasticum, siue vis imaginatrix, est virtus animæ rationis expertis, quæ sensuum adminiculo operatur, quæ & sensus dicitur.

Phantaston, siue imaginabile, vel sensitū. est quod phantasiæ vel sensui objicitur: vt visus quidē ipsa vicina virtus est, visibile verò visioni obiectū, vt fortè lapis, vel aliud simile.

Phantasia, est affectio irrationalis partis animæ, quæ ab aliquo phantasto vel imaginabili ducitur.

Phantasma autem, affectio est vana in partib. irrationalis animæ, à nullo visibili, imaginabili, vel phantasto tracta.

Quæ omnia communia esse nobis cum brutis intelligas velim ex eo, quia animæ irrationalis partis hæc dixerit Damascenus. habent namq; & animalia bruta sensus exteriores, & vim sentiendi, & per consequens imaginationē inde natam. Quibus. n. Deus Opt. Maximusq; vitam dedit, & naturalem inclinationem ad vtilia sibi, & contrariorū odiū: necessariò & illis facultatē existimo eundem tribuisse imaginationis, qua & quæ contraria & vtilia sunt, annotarent, saltem imaginatione & phantasia Qua in parte lubentissimè discedo à sententia philosophorum antiquorum quorundā, qui dixerunt quibusdam animantib. esse vim imaginationis, aliis nequaquam, quæ. inquiunt, quamuis sensibus instructa sint imaginandi & efformandi visa, ingenio carent: vt vermes, muscæ, & complura huius generis, quæ quanquam à sensibus moventur, non tamen retinent notiones aut species eas, quas sentiendo concipiunt, sed quicquid agunt, temerè agunt, & casu feruntur, nullis regentibus visis, quippe quæ in his mansitare aut scrutari nō possint. Et sic sentit Themistius *lib. 3. de anima. c 14.* quem alii sequuntur: ego tamen minimè, nec quod ibi exprimit dum ait, Prouide sensus illorum perquàm similis ictui perceleri est, quem quis summotenus, & in transcursu impegit, vnde nec cutis adlinescat, nec vibices, attollantur, in quibus exemplaria & imagines rerum sensitarum firmiùs & stabiliùs hæsitant. Nunquā enim concedam, vermes & muscas, & similia quamuis minuta, nihil imaginari, vel etiam temerè

merè ferri. Nam vltra Dei prouidentiã, qua omnia certum habent viuendi & agendi modum, etiã nos experientia docet, vermes nec muscas temerè ferri, vel casu nã nec amaris, nec aquis se immergunt si præsenserint, & ad dulce semel gustatũ, vel sanguinem, vel aliud quod prægustauerint placens concurrunt. Quin & crabrones cognoscunt, & persequuntur qui aluearia effoderint, & regem suum apes norunt, & insidiantes examinibus bestiolas: quæ sine imaginatione fieri nequeunt. Forsan de vermibus illud quis recipiendum putaret, eò quòd nulli generi vermium oculi videntes insint, sicut nec oitreis, talpis, & secundum Aligidium nec locustis, nec cicadis, nec lumbricis, vt scribit Plinius *lib. 1. nat. hist. cap 37.* Meminit & Aristoteles de aliquibus *lib. 1. de histor. animal. cap 9.* vnde & hæc inconsulto ferruntur, quia nec vbi dirigant iter nõ prospiciant. Cęterùm cùm imaginatio & phantasia nõ ex solo visu oriatur, sed & exaliis sensibus, qui apprehensa intrò referũt, vbi forma & lumen quoddã & figura efficitur, idcircò, nõ ideò quòd illa animalia nõ videant, dicendũ est imaginatione carere: sic enim & concludere possemus, cęcos imaginatione & simulachris phantasiæ carere: quod falsum est, cùm nec simulachra ex lumine externo in imaginatione fiant visibilia, sed ex proprietate quadã indita sensib. interioribus. Fatebor tamen quædã animalia fortiùs imaginari, & phantasia esse prędotatiori, & retineri in quibusdã diutiùs imagines, in aliis euanida citò fieri simulachra: sed & illud aliunde, & ex alia vi, nempe memoratiua, non imaginatiua, cùm tamen ἡ μνήμη οὐκ ἐστὶ φαντασίων σωτηρία, ἀλλὰ τῶν μελετηθέντων προβλήματος ἐν νέαις προβλήμασι, id est, non est memoria phantasiarũ conseruatio, sed id quod producit cogitatorum genita nouiter, vt scribit Porphyrius *lib.* τῶν πρὸς τὰ νοητὰ ἀφορμῶν *numero 17 14. id est, de causis ad intelligibilia.* Est.n. tantùm phantastica vis simulachrorum magistra, vt scribit Plato *li. 15 in Sophista, sel de ente:* qui & in duas partes & species phantasticum diuidit, vt vnũ sit per instrumentũ factũ, alterum illius qui sese instrumentũ phãtasima efficiẽtis exhibet. Nã vltima specie sine visu, quoties q̃s figuiã tuã vsurpans, corpus suũ tuo reddit prosimile, seu voc̃ voci, imitatio ista phãtasticè nũcupatur, & possunt etiã simulachra in imaginatione cõcipi, q̃ nõ imitatione aliorũ visorũ: qa & nõ existẽtiũ, in ea imaginationis parte fiũt: veluti dũ architect⁹ ex partibus, sensib extrinsec⁹

aliàs oblatis, & ex diuersis figurarum colligationibus, domus & ædificii in se simulachrum confingit, ad cuius postea exemplar, materiale ædificium excitat. Idem de pictorũ ideis mente comprehensis, forsan nunquam repertis & visis, dicendum: vt si chimeram, hippocentaurum, montem aureum imaginentur, vel pulchritudinis cuiusdam singularem & raram delineationem. Nam & hæc imaginationi tribuit Plato *in Sophist.* etsi ea phantasmata, id est, ex non apparentibus collecta, dicere fas sit. Et phantasiæ tribuit Apollon. Tyaneus apud Philostratum *lib. 6. de eius vita, ca. 9.* dum vltra imitationem, phantasiam, quæ nunquam vidit, comprehendere demonstrat. Et D. Aur. Augustinus *in solut. 65. quæst. Orcs q 63.* tria genera visionum dicit esse, primam corporalem secundam visionem, tertiam intellectualem: corporalem, quæ fit per corpus: spiritualem, cùm imaginem eorum, quæ vidimus, in memoria condimus: intellectualem, cùm ea quæ corporaliter vidimus, & imaginaliter in memoria retinemus. Intellectualiter discernimus, quòd illud sit corpus, illud similitudo corporis: quem intellectum bestiæ & pecora atq; volatilia nullatenus habent. Vident & ipsa per corpus, & eorum quæ videntur imaginaliter species formatur. Sic & pecora præsepia recognoscunt, & bos possessorem suũ, & aues ad nidos suos redeũt. Sed nec seipsa intelligunt quæ sint, nec illa quæ oculis cernunt. Corporalis visio sine spiritali esse non potest, potest tamen sine corporali spiritalis esse. Et ideo Mercurius Trismegistus in Pimandro *Serm. 5.* Phantasia, inquit, solùm circa ea quæ genita sunt, versatur, in qua præter generationẽ nihil existit: at vnicum id ingenitum, Deus scilicet, incomprehensibile phantasiæ Vnde & absentiam in tenebris recordamur, & in tenebris quæ vidimus imaginaliter, cernimus. Intellectualis autem sine vtroq; potest esse: nam per eã videntur iustitia, charitas, ipse Deus, ipsa mens hominis, quæ nullum corpus habent, neque vllam similitudinem corporis. Veruntamen quod pertinet ad nostrum notionum ordinem, tractatione præsenti contenti, loquimur tantùm de illis imaginationibus, quæ sensibus apprehenduntur, & gradum phantasiam, inquam, alium à sensibus constituimus: separantur namque sensus ab imaginatione, quãvis vna vi fiant. Quòd si quis differentias inter hæc colligere velit, breuiter accipiat ex Themistio 3. *de anima, c. 11.* & Alexandro Aphrodiseo *lib. de anima.* In summa. n. ostendo sen-

do sensum non esse imaginationem: primò quia in somnis imaginamur, in somnis autem non sentimus neq; potentia, neque actu. Secundò cæci imaginantur & confingunt colores, qui tamen neque actu neque potentia sensu visus vident. Tertiò hallucinamur circa imaginationem, circa sensus modo quo suprà docuimus, nequaquã: error namque circa obtuitum vel tactum, ab imaginatione est. Deinceps & quartò sentire in nostra potestate non est, absente obiecto sensus: contrà imaginari sine rei præsentia corporalis possumus. Communicat autem cum sensu, quia vel ex eo, vel ratione eius effugit siue verè, siue falsò: eo quòd occasione sensuum verè vel malè simulachra effingit, non tamen eadem. Illud namque in sapientia admiranda Dei obseruandum est, vt semper per media pedetentim ad altiora gradus construxerit, & superiora cum inferioribus quodam participare medio voluerit, vt fieret facilior transitus. Nam quemadmodum cum imaginatione participat sensus, ita imaginatio medium inter sensum & cogitationem, cum illa participat, vt vtraque & vera & falsa esse possit. Cæterùm dissentit ab imaginatione opinio, quòd opinionem consequatur assensus & fides, neque vllo pacto fieri possit, vt qui opinatur, non credat ita planè esse vt opinatur: hinc statim annectitur persuasio, rursum persuasioni ratio, & sic opinio est quædam cum ratione assensio. Differt & imaginatio seiuncto gradu ab intellectu, quòd imaginatio fallatur, intellectus nunquam. Imaginatio autem fallax tunc, cùm id quod apparet ei non consentit, nec cohæret: cùm imaginatio re apparente magis hebes vel obtusior est: in vtroque namq; extremorum & nimio & insufficienti erratur, in medio cùm sit verum. Diximus autem imaginationi opinionem accedere, vt assensum: qua ratione forsan quis putaret, septimum illum gradum opinionis cum imaginatione eundem esse, cùm tamen diuersus sit ab eo, quia persuasio quidem per discursum fit cum imaginationis simulachro. Cæterùm ex illo medio aliud fit, opinio videlicet. Nam interdum pedisequa est assensio simulachro, & imaginationi, interdum nequaquam, quum per alia quæpiam accidentia fallax esse deprehenditur: veluti cùm astra non moueri imaginamur, & quando in optimè adumbratis picturis, vel in speculis, eminentias & depressiones inspicimus: non enim his per imaginationes fidem abrogamus: vehementes tamen ad id persuadendum sunt.

Nam & his facilè decipiuntur animalia, quæ intellectu & discursu carent: & ad eum modum homines qui brutis pares, sine discursu rationum, leuiter credunt. Sic scribunt, aues delusas accurrisse ad uuas pictas ab Zeuxide, tanquam ad veras: item & Zeuxim ipsum delusum à Parrhasio. Etenim Parrhasius in contentionem artis vocatus, detulit linteum pictum ita veritate repræsentata, vt Zeuxis alitum iudicio tumens, flagitaret tandem reuocato linteo picturam ostendi, vt scribit Plinius. *lib. 35. hist. nat. cap. 10* Qui & alibi narrat, *ca. 9. eius libri* Polygnotum Thasium tabulam pinxisse, quæ erat in porticu Pompeij, in qua dubitabatur, ascendentem ne cum clypeo depinxisset, an descendentem. Scribit & Gabrias Græcus, deceptum canem ex imagine carnis, quam ore gestabat, lepidissimis his versibus:

Φέρων ποτ' αὐτὸς πλησίον κύων κρέας,
κύψας ἐαυτὸν, ἄλλον εἰς ὕδωρ βλέπει
χαιὼν δὲ λοιπὸν τοῦ κάτω λαβεῖν κρέως
ἀπεστερεῖτο, ἃ τοῦ ὑπερέχοντος id est,
*Canis cum iuxta flumen carnes deferret,*
*Inclinans seipsum alium in aqua vidit*
*Ore aperto inhians, vt acciperet carnes quæ videbatur illi*
*Infra esse, priuatus est & his quæ habebat.*

Non hæc igitur quæ videntur imaginationibus nos decipiunt vehementibus, sed quando per alia visa obscurantur, & non esse vera nobis persuademus, discursu percurrente singula, & alia suadente & demonstrante, atque ex opinione vel existimatione concepta, sequitur cogitatio. omnibus autem veluti ὑποβάθρα, siue fundamentum est imaginatio, à qua transit omne animal ad existimationem siue veram, siue falsam, & altiùs solus homo ad cogitationem: homo enim vnus inter animalia omnia vim obtinet cogitandi. vt scribit Aristot. *li. 1. de histor. animal. ca. 1.* nihil enim aliud est cogitatio, quàm motus animorum, qui in vero disquirendo maximè versatur, vt scribit Cicero *1. offic. lib.* Et quando, vt ait Philo ludæus, *tom. pri. 1. libr quòd deterius potentiori insidietur.* mens est excita in seipsa, aut receptis à rebus externis formis aliquibus eximiis. tunc concipit & parturit cogitationes, quas volens parere non potest, donec per linguam cæteraque instrumenta sua, vox eas excipiens, obstetricis more producat in lucem. Quare Plato *lib. 15. Sophist.*

*Plist.vel de ente.* cogitationem & orationem idem esse censuit: nisi quòd cogitatio dicitur illa sine strepitu vocis interior colloquutio, qua sese animus nostet colloquitur. Id facilè quisque coniiciet, si similem putet vocem lumini, quo quæ in abditis cordis & mentis, velut in tenebris sunt, delitescentia deteguntur. Opinionem autem Plato tunc dicit, quando & per affirmationem & negationem illa collocutio in anima fit silentio. Cæterùm illud obseruandum, in opinatione non esse contraria. Nam inquit idem Plato. *lib. 13 in Theat. vel de scientia.* nunquid alium quempiam, sive prudentem, siue insanum, ausurum existimas tecum loquendo, ex industria sibi persuadere hoc esse necessario equum, vel duo vnum esse? minimè: & si secum loqui opinari est, nemo dum vtraque dicit, opinatur. attingitque animo, proferret vnquam, opinaretúrque alterum esse alterum. Sed certè minùs contrarij inhæret persuasio, cùm ex sensibus cogitationes euoluræ opinionem generant: via enim ea semper per sensus, nostro ordine, ad mentem itur ab anima hominis, quæ huius capax. Persuasio enim & cogitatio, vt scribit Hippocrates, *lib de præceptis.* memoria quædam commemoratiónve est, quæ ex rebus sensu comprehensis constat, cõponitúve. Nam sensus imagine quadam clara & aperta ducitur, qui præfectus præpatiensve cogitationi mentive quæ subsunt nuntiat. quæ suscipit, sæpeque quale, quantum, quibusque eueniat, considerat, sæpeque secum cogitans mussitat & commemorat. Quam quidem cogitationem, persuasionémve comprobarem, si tamen ex dubitatione principium faciat, delationẽve ex parentibus eadem via deducat. Nam si cogitatio persuasióve ex rebus apertè factis principium sumat, faciátve, deprehenditur & inuenitur in sensus. mentisve vi messe, quæ ab aliis singula suscipit. Quamobrem putandum est, naturam multis variisque rebus moueri, & cogente vi suscipi, miscerive: mens autem sensúsve, quemadmodum ante dicebam, ab ea hauriens, posteà ad lucem & veritatem deducit. Hactenus Hippocrates. Arbitror & ego cogitationes hominum, quæ in bonis ac eximiis rebus fiunt item quæ pro fine sibi veritatem proponunt, similes esse ebullitionibus & iactationibus vini recentis, quibus sex omnis, & quod alienum est, vt etiam in maris fluctibus putridum omne, foras proiiciuntur, & pura & immixta ab alienis redduntur interna: vt quantò continuæ magis cogitatio-

gitationes, tanto existimare debeamus animas forte ab erroribus defæcatiores, & maiora scientes. Exemplo nobis sunt pueri & discentes: pueri namque non ita sagaces ac viri, nondum enim fæculentam illam vini recentis colluuiem, & inconsultum sanguinis motum depurarunt. Sic discentes, minutis cogitationibus semper cogitationes maiores motusque acriores addentes perfectiores euadunt. Et mens senlsve, defæcati & puri, integriq; animi actus scientiam esse docent: nam si exerceantur, crescunt: sin minùs, marcessit, debilitatur, minuiturque animus, vt scribit Hippocr. *in fragm. quodam lib. de mente sensu &c.* Et marcescere & deficere mentem inexercitatam, ex similibus probari potest, nempe ex aqua, quæ si non mouetur, contrahit situm, inutilisque est & fœtida vsibus humanis: cõtrà, quæ mouetur, salubris & vtilis. & ignis flabello vel follibus in flammam lucidam excitatur: contrà si torpeat, fauillas contrahit, sesequè in illis penitùs occulit. Cùm autem cogitatio nihil aliud sit, quàm mentis agitatio, ea necessariò supra imaginationem & existimationem homini excolenda ei qui verè humanæ vitæ gradum velit supra bruta assequi notionum: nec in his quietem agere debet, vt ostendit etiam Lactant. Firmianus *lib. 6 de vero cultu, cap. 16.* Nam quanto diutius quis cogitauerit, eò perfectius cognoscet: cùm enim cuiusuis sit hominis errare, nullius tamen nisi insipientis perseuerare in errore: quia posteriores cogitationes solent sapientiores esse, vt in veteri axiomate fuisse scribit Cicero, *Philip. 12. in M. Ant.* quod & Græci vsurpant, dum dicunt ὑστεραι φρονιδες σοφώτεραι. Et certè cogitationibus crebris res examinatur melius. Et Leuit. 11. munda animalia reputantur, quibusque liceat edere, quæ ruminant, & quæ habent vngulam fissam: per ruminationem, frequentem cogitationis examinationem intelligendo, & per vngulam fissam, cogitationum examinatarum separationem, & electionem à confusione, mala à bonis separantes, incerta & falsa à certis & veris. Cæterum nec ibi vltimum gradum figit homo sapiens, quia non omnes cogitationes, quæ in nobis sunt, bonæ sunt, nec in potestate nostra cor nostrum, sed in Dei potestate qui dirigit illud: nos autem illum sequi debemus, gratia oblatum ducem optimum: aliquando quippe, & ferè semper, cogitationes nostræ repentè natæ, mentem animumque confundunt, alioque trahunt, quam tu proposueris, ad secularia reuocant,

cant, mundana inserunt, voluptates ingerunt, illecebrosa intexunt: ipsoque tempore quo mentem eleuare paramus, inserti inanibus cogitationibus, ad terrena plerunq; deijcimur, vt scribit D. Augustinus *lib. 2. de bono perseuer. cap. 8.* & D. Ambrosius *lib. de fuga seculi. cap. 1.* Porrò à tribus cogitationes accipimus, vt scribit Thalassius Monachus, *hecatont 1 de charit.* nempe à memoria, sensibus, & habitudine: hinc malum vel bonum cogitationis, hinc illæ animi præstigiæ, hinc multa malitia hominũ est in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore, vt dixit Deus, *Genes 6. a §. 5.* vel saltem, vt idem dixit alibi, *Genes. 8 d. v. 21.* sensus & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua. Quocirca sapiens, *Prouerb. ca. 12. a. v. 2.* qui bonus est, hauriet sibi gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè aget: & sunt cogitationes sine intellectu. *Sapient. 2. b. §. 5.* Sunt autem illæ in triplici specie malæ, quas que vitare expedit, scilicet cogitationes leues, otiosas, inutiles omni rei: aliæ & violentę & magis adhærentes, quæ ad necessitates naturæ pertinent: quasi ex eodem assumptæ limo, quo & nos facti sumus, quæ si paulò curiosius insederint, difficulter euelluntur. Huiusmodi cogitatio nimia de cibo, potu, vestimento, & huiusmodi: quæ certè omnino dum incipiunt, clamandum nobis cum Iacobo ad Rubem: *Genes. 49.* Rubem primogenitus meus non crescas: ascendisti enim cubile patris tui. Nam & hæ primogeniti nomine dicũtur, eo quòd in initio vitæ nostræ in nobis pullulant, cùm cætera vitia ex processu temporis, ex malitia mundi huius, variisq; occasionibus contrahantur. Aliæ dehinc cogitationes sunt immundæ & fœtidæ, quas nec admittere quidem vlla ratione debemus, sed à longè præsentito fœtore tota virtute repellere, vt annotauit D. Bernardus *de triplic. gen. cogit. nostra.* Et quia mala vitanda sunt, sic & cogitationes malæ tanquam malorum radices, antequam altè radicent, in nobis circuncidendæ: quod & innuit Propheta Dauid, *Psal. 136. v 9.* Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram, hoc est, qui peruersas & lubricas cogitationes allidet ad Christum, qui petra est, vt & interpretatur D. Ambrosius: *lib. 2. de Pœnit. c. 21.* diciturque verè eas esse allidendas ad Christum, quia vt scribit Eusebius Pamphil. *lib. 1. de prapar. Euang. cap 3.* per disciplinam Christi, non solum à facinore turpi, verum etiam à cogitationibus abstinere inhonestis,

honestis, ventrem, & quæ sub ventre sunt domare docemur. Cogitationibus itaque primò est prouidendum, vt bonæ sint, malæ statim antequam pepererint extrudantur. Quare & Deus Dominus noster IESVS CHRISTVS suis præceptis eam maximè partem curare jussit, & non tantùm male facere, sed & malè cogitare prohibuit. Nam qui malum non cogitat, consequenter, imò & multò magis à mali illatione abstinet. Huc pertinent præcepta illa, Non concupisces, Non desiderabis vxorem proximi, &, Non odio habebis inimicum, &, Ex corde exeunt cogitationes malæ, & reliqua similia. Et ita D. Basilius Magnus *sermon. de vera virgin.* vestales sacras admonet: Oportet, inquit, ante omnia virginem cogitationes suas puras inuiolatasq; seruare: anima quippe perdurãte incorrupta, corpus quoque impollutum immaculatumque seruatur: porro si pessimis cogitationibus contaminetur anima, quantumlibet corpus incorruptum remanere videatur, non tamen munda eius censetur integritas, cùm sordibus cogitationum inquinata videtur. Erat etiam in Thebaide in finibus Hermipolis degens Abbas Apollo nomine, sanctus Eremita, qui quotidie docebat Monachos suos ornari virtutibus, & machinationes diaboli in cogitationibus in principio protinus propulsare, dicens, contrito capite serpentis mortuum fore totum corpus. Et iussit, inquit, Dominus, vt obseructis caput serpentis: id autem est, ne in principio admittamus malas & turpes cogitationes, prout refert Palladius Euagrij discipulus *in histor. Lauss. vel sanctorum Patrum histor. 52.* Porrò ut præcaueamus facilius cogitationes malas, causæ illarũ effectrices euitandæ sunt: sicut in bonis asciscendis, bonæ sectandæ sunt. Bonorum autem cogitationũ causæ sunt virtutes, virtutũ autẽ præcepta: vt autem in effectum prodeant est propositum. Malarum contrà cogitationũ sunt vitia, vitiosarum inobedientia, inobedientiæ & ex sensibus deceptio, vt deceptiones mentis negligentia circa sui securitatem parit, sicuti notat Thalassius Monachus *hecaton. 3. de charit.* non enim per se concitantur cogitationes, sed ex re alia occasionem sumentes, vel bonæ vel malæ creãtur. Et, vt scribit D. Chrysostomus *homil. 11 in Psal. 7. tom. 1.* Quemadmodum mulieres ex cõpressione pariunt, & si sint sana quidem corpora, talia etiam sunt quæ nascuntur, vt quæ parentum naturam

ram imitantur: ita etiam in cogitationibus; vt si cum bonis versèris, tales sint quoq; tui fœtus: sin autem cum malis & non attendas, magnum quoq; illud damnum accipias. Remanet igitur cogitationes alio adminiculo egere, neque oportere hominem, qui verè vir est, illis fidere, sed ad alium gradum provocare, aliumq; iudicem inter illas constituere. Hunc autem nos constituimus rationem discernentem bona à malis octauo ordine, & colligãtur eo modo cogitationes rationi immediatè, sicut cogitationes sensibus. Nam, inquit Epicurus, vt scribit Diogenes Laertius, *in eius vita lib 10. de vit. phil: f.* & cogitationes è sensibus manant secundùm incidentiam, proportionem, similitudinem, & cõpositionem, cooperante etiam aliquid ratione ipsa. Et ita docebat idem Epicurus, omnem rationem, quamvis nimium generaliter loquatur, à sensibus dictam esse, etsi contineat ampliùs ratio, nempe discretionem bonarum & malarum cogitationum, vt Plato optimè dixerit, *libr. 24. in Gorgia, vel de Rhetor.* nos debere nos ipsos committere rationi, tanquàm medico: ille enim morbos & diserasias corporis solet vel auertere, prævidere, vel tollere, hæc autem animi. Sic Maximus Tyrius, *Serm. 87.* loquens de alteratione multiformi huius vitæ: At huic, inquit, præsideat ratio, quæ præsentem rem semper exornet, haud secus quàm medici arscorpori natura minimè stabili, quin imò sursùm ac deorsùm euacuationibus ac repletionibus versato, studium præbet indigentiæ ac satietatis regendæ. Rationis eximia vis est, &, vt cum Cicerone loquar, *2. de Finibus.* homines cùm multis alijs, tũ hoc vno à bestijs plurimùm differunt, quòd rationem habeant à natura menti datam & acrem & vigentem, celerrimeq; multa simul agitantem, &, vt ita dicam, sagacem, quæ & causas rerum, & consecutiones videat, & similitudines transferat, & disiuncta coniungat, & cũ præsentibus futura copulet, omnemq; comprehendat vitæ statum. Et verbum λόγος, quo rationem significant Græci, apud eosdem tria significat: primùm cogitationis εἴδωλum, quod voce exprimitur, dehinc ipsam vocem, vel complexionẽ orationis, quæ est veluti cogitationũ speculũ à principio ad calcem vsq; faciendi, vel nõ faciendi cõprehensum, non secus quàm verbum ex syllabis & literis compositũ, certũ quid significare demonstratur, cùm tamẽ nihil significent literæ vel syllabæ separatæ, vt Plato docet *in Theæt.* Postremò λόγος dicitur, quod quandam no-

tam adfert, qua id de quo agitur ab aliis omnibus differat, & eius adferatur recta opinio vt scribit Plato. *li. 13. in Theat. siue de scientia.* Atque ea ratio cùm maior sit, ideo se & per inferiores gradus diffundere potest, vt ex inferioribus deligat mens per rationem, veluti per manus, quæ deligi conuenit, idque cum certa scientia nec temerè, nec casu, nec natura, sed arte rationis operans. Et hoc homini speciale, vnum ratione vti: additque naturæ eius, vt omnes scientias adipisci possit. Nam cætera animantia singula, à natura innata secum artificia deferunt: vt norunt natura apes plasmare fingeréve alueolos, thesauros verò quosdam, & labyrinthos formicæ fabricari, nere autem & texere aranee, sed homo sicut corpore nudo, ita & animam artibus actu destitutam dum nascitur habet: proinde pro corporis nuditate manus, pro animæ inertia imperitiaque rationem accepit. Et sicut manus quanquam nullum sit eorum quę particularia sunt organa, quia tamen omnia rectè manus potest recipere, est organum ante omnia organa: ita & ratio nulla quidem ex artibus est particularibus, omnes autem in seipsam recipere nata est: ob id ars ante artes fuit, vt philosophatur Galenus, *Tom. 1 lib. 1. de vsu partium, cap 3. & 4.* Et Plutarchus ait, τὸ ἄνθρωπον λογισμῷ πεπεμψον παῦ, ἀπεχνέν τε ἀμφοτέρων, id est, omne absque ratione factum, inartificiosum est, & peruersum. Maximusq; Tyrius, *Serm. 1* Sed age, inquit, opus habeas aliquo, qui te manu quodammodo in vniuersam hanc notitiam deducat, ipsam sequere rationem: hancque idem Tyrius alibi rationem artem dicit, *Serm. 12.* & simile obsequium animæ ab illa ferri, ac parturientibus ab obstetricibus: vt enim hæ eruditas adhibent manus, suscipiunt fœtum, dolores mulcent, maturum partum in lucem educunt, puerperæ discutiunt periculum, similiter ratio prægnantem animum doloribúsve plenum obstetricatur. In quibus plurimi vel obstetricis imperitia, vel dolorum vehementia, vel etiam ignauia seminis abortum emittunt: pauci admodum rariq; animi absolutè pariunt. Ex quibus si suscipitur proles, ea nimirum legitima integraque est, & patrem apertissimè testatur. Proinde animi conceptio dicitur mens, dolores sensus, partus reminiscentia: animosque omnes intellige natura concipere, sensu sustinere dolores, parere ratione. Cumque ad hanc vsque discursus peruenit, iam incipit

anima

anima apud seipsam spatiari: hæc enim illi propria est ex Dei dono concessa. Vnde summis viribus eniti debemus, vt nos totos ipsius censuræ subdamus, & liberè eam in nos imperare permittamus: statim enim illa nos ad altiora subducet, vehiculo à mente diuina illustrato, & veluti quodã curru igneo Eliæ, in cœlestia & superiora nos transferet, Sic & Seneca *lib. 5 epist. epist 37.* Si vis, inquit, tibi omnia subijcere, subijce te rationi: multos reges, si ratio te rexerit: ab illa disces, quid & quemadmodum aggredi debeas. Sicque affatus Socrates Critonem, Ego non modò nunc, sed semper talis esse percupio, qui nulli quidem meorum magis parendum esse, quam rationi existimem, quæ consultanti mihi optima videatur, vt annotauit Theodoritus *li. 1. de curatione Græcarum affect.* Et Plato, *epist. 2. ad Dionys.* Ego, inquit, nunc tantùm hoc magnus sum duntaxat, quòd meipsum præsto rationi meæ obedientem. Obseruauit & illud summo ingenio Imperator Antoninus Pius, vt omnium quæ gessit in senatu, & per edicta rationem reddiderit, vt author est Iul. Capitolinus, *in eius vita.* Atque Deus *omnium* conditor nihil non ratione prouidit, disposuit, & ordinauit, nihil non ratione tractari intelligique voluit, vt scribit Tertullianus *Tom. 2 lib. de pœnit.* & veræ filiæ rationis scientiæ sunt & virtutes, vt scribit Philo Iudæus, *lib. de Generatione* Et ideo si scientiæ non possint ratione & mattem demõstrare, statim mihi sunt suspectæ: tantò amplius consuetudines vulgares & sine ratione. Pars namq; est illa irrationalis muliebris in anima, virilis autem ratio. Nam vt admonet Philo Iudæus, *Tom. 2. lib. de Temulentia.* videtur satis manifestè docere scriptura, quòd consuetudines magis mulieribus quàm viris curæ sint, & per verba Rachelis mirantis sola sensibilia: sic enim patrem suum alloquitur, Ne molestè feras domine: non possum tibi assurgere, quia iuxta consuetudinem mulierum mihi est. Ergo mulierum est sequi vulgares consuetudines. Certum est enim consuetudinem pertinere ad infirmiores effœminatioresve animas: quandoquidem virilis, robustæ, vereq; masculæ rationis officium est, naturam ducem sequi. Nemo est etiam qui ignoret Iurisconsultos Romanorum, & aliarum gẽtium nomothetas, alias leges neque iubere nec recipere, quàm rationi coniunctas, vel quæ fulciri ea possint. Et ita Paulus *in l. cum ratio. l. 8. de bonis dam lib. 48. sect. 20.* rationem naturalem vocat, legem quandam, &

secundùm eam & legitimam liberis in bonis parentum, etiam damnatorum, lege ciuili concedendam: quodq; ratio naturalis inter omnes gentes constituit, Ius gentium dicitur, quasi quo iure omnes gentes vtantur, apud Iustinianum, *§ quod verò de iur. natur. gent. & ciu. lib 1 Inst. iur. ciu. tit. 2.* & Caium, *in l. omnes populi. l. 9. de iust. & iure lib. 1. ff. tit. 1* vt ratio illa separat ius gentium à iure naturali, quòd naturale ius sine ratione obseruetur, & ideo commune sit brutis, quæ rationis expertia sunt: hoc autem gentiũ, proprium humanæ sit naturæ, quæ ratione vtitur, Vlpiano teste, *in lib. 1 §. fin de iust. & iur.* vt ratio legem commendet. *in can. consuetudo. 1. distinct.* Et D. Hieronym. nec putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis. *refertur in can. Martio 1 q 1 in decr. Grat.* Qua in parte nullus est, qui nostram artem magnam non admiretur, vel potius Deum eius principem: cùm ea tot rationes, vt vix quis earum multitudinem non minùs quàm Solis radios ferat, doceantur, vt etiam per se vera his adhuc clariori face illuminentur. Et ideo Hebræi, præcipuè Rabbini, yocant rationem טַעַם tagnam, id est, gustum, saporẽ, velut rerum condimentum. Et forsan apud Latinos ratio dicta quasi aliquid ratum & firmum exhibens: vt non immeritò Cicero *1. ad Herennium* dicat, rationem esse causam quę demonstrat verum esse id quod intendimus breui subiectione. Porrò cùm hic præstantissima incipiat gloria hominis, nempe in optima ratione præbenda, cauendum ne sub specie rationis quædam à ratione aliena serpant, dum minor interdum rationis effectus vtiliori, & maiori præponitur: vel, vt clariùs loquar, minor ratio maiori anteponitur: in eo namq; peccatur, & plerumq; immedicabiliter. Nam vt scribit Euripides, *in Phœnissis.* & Theodoritus, *lib. 1. de curat. Græc. affect.* ὁ δ' ἄδικος λόγος νόσων ἐν αἰτῷ φαρμάκων δέεται σόφων, id est, iniqua ratio existentibus morbis in ipsa, pharmacis eget bonis. Ratio etenim, vt scribit Marsil. Ficinus, *in Epitom. Theætet.* cùm inter intellectum & opinionẽ media sit, quoties ad inferiora se deiicit, opinionis refertur erroribus, & diuina cogitare desistit: cũ verò ad mentem sui ducem conuertitur, diuinorum cognitionem haurit, quam proprio nomine in mente sapientiam, in ratione reminiscentiã Plato nominat. Et Cicero, *1. de legibus.* cùm adoleuit, perfectam sententiam dici ait: &

hac

hac nihil in Deo, nihil in homine melius, eamq; cum Deo hominem, si recta sit, societatem habere. Accedit D. Cyrillus Archiepiscopus, & Patriarcha Alexand. *Tom. 2. dialogo de sanctis. Trinit.* Humana mens, inquit, si quieta fuerit & secum habitans, atq; phantasiis friuolis, & abominabilibus abscedere solita, acutè & perspicuè perspiciet, citraque errorem, rerum cognitionem percipiet: quòd si perturbationibus crassior facta fuerit, nunqnã diuinam pulchritudinem contuebitur, & in his quæ magis terrenasunt residebit, similis passericulis complutis madefactione à subuolando prohibitis. Omnesq; ferè Platonici dicunt, animũ nostrum, quasi quoddã tetrachordum, intellectu, ratione, phantasia, ac sensibus constare: intellectum, diuinũ, in quo nihil est nisi simplex ac purũ ac vniforme: imaginationem & sensus, mortales partes esse, proinde mutationibus, varietatibusq; refertas. Mediam, rationem, propriam humanæ naturæ, quã habere arbitrium anceps dicunt inclinandi & ad *mortalia*, & ad diuina. Vnde si ratio, veluti in lyra neruus qui dicitur mese, cum diuina parte se temperauerit, admirabiles morum concentus, simplices videlilet, graues, decoros creabit: sin se consociauerit cũ mortalibus, varios, molles, indecoros pariet. Hac in sede nos Christiani ponimus arbitrium liberum. nam & vt scribit Aristot. *lib. 4. Ethicor. cap 1. & 2.* in ratione ponunt duas partes, τὸ ἐπιστημονικὸν, καὶ τὸ λογιστικὸν, vim sciendi, & vim ratiocinandi, καὶ τὸ βουλεύεσθαι, καὶ λογίζεσθαι τοῦτ' ἔστιν, id est, & idẽ consultare & ratiocinari: esse demum in consultatione electioni locum, quodq; si electio sit studiosa, appetitum rectum esse, & rationem veram. Et illam rationem id dictare, appetitum autem persequi, & hinc mentem & veritatem sequi actiuam: quod post consultationem fit. nam ante actionem, sicut in vtramq; partem consultatio arguebat negotium declinare posse, sic & actionem posse in vtramque partem vergere demonstratur: οὐδεὶς γὰρ βουλεύεται περὶ τῶν μὴ ἐνδεχομένων ἄλλως ἔχειν, nemo enim, inquit consulit de rebus quæ aliter se habere nequeunt Sic & Nemesius *lib. περὶ φύσεως ἀνθρώπου, de nat. hom. c. 39.* ostẽdit re ipsa nõ posse actiones aliquas aliis, q̃ hominis voluntati adscribi: sicuti turpes vel iniquas actiones, q̃ nec necessitati tribuuntur, eo quòd quæ illius necessitatis sunt, semper eodem modo se habẽt: nec fato, quia eius actiones sunt neces-

sariæ,non cõtingentes: minùs Deo,quia nihil turpe.& iniustè agit:nec naturę,quia eius opera sunt animalia,stirpes: neque fortunæ, quia eius ratæ sunt præter expectationem hominum actiones: neque casui,quia casus est euentus inanimatorum aut bestiarum,vt per consequens principium suorum operum homo.addit, ἔπειμηδεμίας ἐστὶν ἀρχὴ πράξεως ἄνθρωπος, ἀλλιῶς ἔχειν τὸ βουλεύεσθαι. deinde si nullius actionis homo principium est,frustra possidet vim consultandi. Sed & Epictetus dicebat nostra esse, & in nobis,opinionem,conatum, appetitum, declinationem,& nostra opera:eaque, vt omnia quæ in nobis sunt, esse natura libera, vt scribit Arrius *in Enchiridio Epicteti c.1.* Et Cebes *in pinace,vel tabula* hominem in biuio positum describit virtutis & vitij:in eiusque potestate quam velit viam ingredi. Hæcq; eadem sentit Pythagoras per literam bicornem. Hoc & suadet voluntatis liber motus: ex motu autem animæ & voluntatis,actiones vtriusq; & corporis & animæ: vnde & necessariò concludamus oportet & ipsas actiones liberas. Fassus & id Lucretius,*lib.2 de rer. natur.ver.257.*

*Vnde est hæc, inquam, fatis auulsa voluptas.*
*Per quam progredimur quò ducit quaque voluntas:*
*Declinamus item motus,nec tempore certo,*
*Nec regione loci certa sed vbi ipsa tulit mens?*
*Nam dubio procul his rebus sua cuique voluntas*
*Principium dat,& hinc motus per membra rigantur.*

Et paulò pòst.

*Vt videat initium motus à corde creari,*
*Ex animiq; voluntate id procedere primùm,*
*Inde dari porrò per totum corpus & artus.*
*Nec simile est,vt cùm impulsi concedimus idtu*
*Viribus alterius magnis, magnoq; coactu.*
*Nam tum materiam totius corporis omnem*
*Perspicimus nobis inuitis ire,rapiq;*
*Donec eam refrenauit per membra voluntas.*
*Iamne vides igitur quanquam vis extima multos*
*Pellat,& multos cogat procedere sæpe.*
*Precipitesq; rapit,tamen esse in pectore nostro*
*Quiddam, quod contrà pugnare,obstareq; possit:*
*Cuius ad arbitrium quoque copia materiai.*
*Cogitur interdum flecti per membra,per artus,*
*Et longè fa refrenatur,retroq; recidit.*

Omitto

Omitto quæ Plato, Plutar. Arist. Proclus, Iamblichus, & alij de hac libertate voluntatis dixerunt. Prætereo & iurisprudentiæ Cæsareæ, & Pontificiæ authoritatem, qua constat & negotia ex voluntate tantùm libera, non coacta, metúve impellente facta, rata tantùm esse. Item & delicta tantùm voluntaria puniri, & alia, quæ cùm de voluntate agemus, Deo iuuante explicabimus. Sufficiat in præsentiarum rationem homini à Deo datam, vt in vtramq; partem bonâ & malâ itinere proposito, & ꝓposita vita & morte, ꝙ bonũ est eligat. Sic enim & Sibylla scribit, *lib. 1. oracule. apud Castellio. ver. p. 125.* αὐτὸς ὁδὸς προέθηκε δύο, ζωῆς θανάτου· καὶ γνώμην προέθηκ' ἀγαθὴν ζωὴν προελέσθαι. αὐτὸς δ' εἰς θάνατον, ἐς πῦρ αἰώνιον ἔβριψε. εἰκὼν ἐς' ἀνθρωπῳ ἐμὴ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα, id est, Ipse, scilicet Deus, duas vias proposuit, vitæ & mortis: & proposuit ex scientia eligere vitam bonam, sed ipse in mortem & ignem æternum se coniecit. imago mea est homo rectam rationẽ habens. Homo quippe rationalis, inquit Irenæus, *lib. 4 contra hæreses c. 9.* & per hoc similis Deo, liber in arbitrio factus & suæ potestatis, ipse sibi causa est, vt aliquando quidẽ frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter & iustè cõdemnabitur, quoniam rationabilis factus, amisit veram rationem, & irrationabiliter viuens aduersatus est iustitiæ Dei, tradens se omni terreno spiritui, & omnibus seruiens voluptatibus, quemadmodum propheta ait, Homo cùm in honore esset, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et rursum *c. 72. eius libri.* non natura alios bonos alios malos creatos esse dicit, sed omnes cum libero arbitrio eligendi boni, & non tantùm in actibus, sed etiam in fide. Sed & beatus Cyprianus, *in prologo sermo. 1. tom.* Vitia affectus carnis propriè animæ sunt, quæ sentit, & mouet, & viuit: cui imputatur peccatum, quia ipsi datũ est arbitrium & iudicium & scientia & potentia, per quæ possit improbare malum, & eligere bonum. Et rursum idẽ, *lib 3. ad Quirinum. c. 32.* Credendi & non credendi potestas, libertasq; in arbitrio posita est. Eccę, dedi ante faciem tuã, vitam & mortem, ait Dominus, bonum & malum: elige vitam, & viues. *Deuteron. c. 30. d. ver. 19.* Et Epiphanius *Tomo 1. lib. 1. contra hæres. 16.* contra Pharisæos, qui fatum ponebant, disputans ait, Omnibus manifestum est, clarumq;, ac minimè ambiguum, quod liberum arbitrium exhibuit

nobis Deus per seipsum locutus, Si volueritis & nolueritis. Quare circa hominem est bona operari, aut malas res appetere. Adde Tertullianum, *lib. exhortat. ad castit. tomo 2.* qui & nos & Adamum ipsum propria & libera voluntate peccare ostendit, Deique bonæ voluntati & præceptis obsistere, nec diabolum voluntatem delinquendi, sed materiam subministrare. Docet & latissimè alibi *lib 2. aduer. Marcio. & lib. de trinitate.* liberum & sui arbitrij, & suæ potestatis. Inuenio, inquit, hominem à Deo institutum, nullam imaginem & similitudinem Dei in eo animaduertens, quàm eiusmodi status formam. Accedit huic D. Bernardi celebre dictum, *sermo 81. super cant canticorum.* Arbitrij libertas, inquit, hæc est, diuinum quiddam præfulgēs in anima tanquam gemma in auro: ex hac namq; inest illi inter bonum & malum, nec non inter vitam & mortem, sed & nihilominus inter lucem & tenebras, & agnitio iudicij, & optio eligendi, & si quæ sint alia quæ similiter circa habitum animi sese è regione respicere videantur. Nihilominus inter ipsa censor animus dijudicat ac discernit, Is arbiter, is animæ oculus. Sicut arbiter in discernendo, ita in eligēdo liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quod liceat versari in his pro arbitrio voluntatis: inde homo ad promerendum potens: omne enim quod feceris bonū malúmve, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur. Consentiunt his antiqui sacri patres omnes, quorum ego alibi plusquam centum testimonia collegi: nempe Augustini, Ambrosij, Rabani, Hilarij, Hieronymi, Basilij Magni, vtriusq; Cyrilli & Hierosolymitani, & Alexandrini, Chrysostomi, Albini, & aliorum: qui multis rationibus adstruunt nobis inditum, vt possimus liberè vel ad malum declinare, vel bonum nobis gratia diuina sine nostra operaoblatum persequi: nunquam enim Deus, eo quòd nulli inuidus, suam gratiam volentibus operari benè, subtrahit, sed infinitis occasionibus nobis arripiendam exhibet. Nam & quòd possimus per liberam potestatem malas nobis subijcere cogitationes, voluntatesq;, id Deo acceptum ferendum est, sicuti & quòd simus, & quòd potiùs homines quàm bruta simus, quodq; rationis capaces facti. Deus enim ab initio, vt scribitur in Ecclesiast. *Eccl. c. 15. v. ver. 14. & sequent.* constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata seruare, conseruabunt te,

Appositi

Appoſui tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porrige manum. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Quæ verba non tantùm ad Adamum diriguntur, (in cuius perſona quidam impiè & hoſtiliter erga hominis naturam, contendunt ſublatam libertatem arbitrij ad bonum) ſed ad reliquos homines: ſiquidem ibi loquitur generaliter author, & de præſentibus hominibus, cùm ait indefinitè, Ante hominem mors, &c. Indefinita autem propoſitio tantum effert, quantum vniuerſalis: vniuerſalem autem omnes continere, nemo ambigit. Deinde adijcit textus, Appoſui tibi ignem & aquam: ad quod volueris porrige manum. Scribit tibi, non Adamo, & te habere poteſtatem etiam bona accipiendi indicat etiam poſt lapſum Adami: quod multis confirmare poſſem, vel verbo Dei, qui ad Cain poſt lapſum Adami *Geneſ c. 4. 2 Ver.* 7. ait, Nonnè ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit: ſed ſub te erit appetitus illius, & tu dominaberis illius. Quid eſt, ſub te erit appetitus illius, quàm quod peccandi vel non peccandi libertas in nobis ſit, & nobis ſubditos eſſe peccandi appetitus? Referta ſunt ſacra biblia teſtimonijs alijs, quibus Deus ſemper inculcat, Si timueritis Dominum, & voluntatem eius volueritis facere, bona terræ comederis: ſi nolueritis, &c. *Deut. 30. 31. 1 Reg. 12. Iſaiæ 1. cum ſimilib.* Et rurſum, Quoties volui congregare vos, & noluiſtis, *Luca 15.* Et rurſum, *Apoc. 3.* Ego adſto, inquit Dominus, ad oſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit, &c. in ſimilibus, in quibus Deus nullos ad bona cogit poteſtate ordinaria, ſed voluntates hominum liberas exigit & allicit, vt voluntati ſuæ liberè cooperantes, aliquid noſtri adiamus, vnde noſtra obedientia & gratitudo illuceſcat & colligatur, merceſque adijciatur. Nam, vt inquit D. Paulus, 1. *Cor. c. 9. c. Ver* 16. Si euangelizauero, non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero. Si enim volens, hoc ago, mercedem habeo. Sed & extra poteſtatem inditam, alius modus traditus bene agendi per gratiam nobis in baptiſmo inditam. Et quanquã multa ſint, quæ obnubilent in arbitrio libero electionẽ, non ideo tamen minùs eſt arbitriũ. Et ſi nõ per ſe validũ, vt priùs in Adamo: meliuſq; dixiſſent qui illud negãt, facilius deceptioni obnoxium, potiùs quàm ſublatum. Nam ratione peccati, & à lapſu prioris parentis verum certè

est quibusdam qualitatibus eum fuisse obtenebratum, & ea ratione non tale quale priùs, & ideo infirmum, cùm non acumine prævalerat iudicandi: verùm eadem est substantia eius quod nunc est post peccatum, ac priùs, sed in executione electionis, infirma, & debilis vis etiam post baptismum: non secus ac in homine, qui etsi à morbo soluatur, & sanus sit & curatus, nihilominus tamen membra, quamuis functionem eandem, ac ante morbum habeant, non tamen eam vsque adeò habent vt priùs validam. Noranda namq; sunt quatuor tempora in libero arbitrio, in quibus exequendi & operandi voluntas gradus accipit primu fuit tempus ante peccatum, in quo ad bonum hominem nihil impediebat, ad malum verò nihil impellebat: non enim habuit in illo statu homo infirmitatem ad mali declinationem: habuit autem adiutorium ad bonũ agendum, nempe legem & prohibitionem Dei, & intellectum non obscuratum, vt tunc sine errore ratio diiudicare, & uoluntas sine difficultate bonum appetere potuerit. Aliud tempus post lapsum, & ante reparationem gratiæ deperditæ, cuius statu hominis arbitrium premebatur, & vincebatur à concupiscentia, & infirmitatem habebat in malum, sed non adiutorium ad bonum scilicet gratiam: ægreq; liberũ arbitrium bonum exequebatur. Tertium tempus, post reparationem gratiæ, oblatione facta domini nostri IESV CHRISTI, & applicatione eius mortis per sanctum lauacrum regenerationis: in quo quidem statu arbitrium premitur, & oppugnatur à concupiscentia, sed non expugnatur vel vincitur nisi voluntate: habens quidem illam infirmitatem in malum, sed habens adiutoriũ auxiliúmve eximium in bonum, nempe gratiam Dei. Sic habens libertatem vt possit peccare suadente infirmitate, quæ à peccati radice nobis relicta est, & non possit peccare saltẽ ad mortẽ propter auxilium gratię iuuans. Adhuc tamen homo libertatẽ vt non possit omnino peccare non recepit; eo quòd infirmitas quæ à peccato à parente primo nobis inusta est, non planè sublata est, etsi omnis morbus per sanctum baptisma à nobis fugatus sit: cum nec etiam plenè fruamur & integrè restitutione, qua Christus nos sufficienter natalibus restituit & ingenuitati, quam habebat protopater Adam: oportet enim corpus hoc mortale induere immortalitatem, & corruptibile incorruptionem. Quod fieri nequaquam potest ordine iustitiæ Dei, nisi priùs soluerimus

debi-

debitum & satisfecerimus sententiæ Dei, qua dictum, Morte morieris, *Genes. 2.* Et rursùm, statutum est hominibus semel mori. postea namque, quia dispositi erimus ad suscipiendam plenam gratiam nobis à Christi passione & gratia quæsitam, & tunc ab infirmitate peccandi liberabimur, qua & restituti erimus meliori paradiso quam quo fuerit Adam priuatus: & à terra hac peregrinationis, Dei beneficio restituemur statui innocentiæ & naturæ impeccabilis: & hinc gratia consummata, & bono assecuto, desinet illa infirmitas peccandi. Et per consequens omne peccatum, voluntate firmata ad bonum liberè agendum, & erit tunc æternum & sine fine. Quartum tempus status libertatis arbitrii ad bonum tantùm, gratia, liberalitate, & beneficio Dei, quod velit & dignetur nobis elargiri Deus. Interim tamen quamdiu in hac mortali vita peregrinamur, enixi debemus omni studio, ne liberi arbitrii electio siue ratio intercipiatur in nobis: & ne aurum pretiosum tenebris affectionum, crapulæ, inuidiæ, odii, commodi proprii, & philautiæ caligine obscuretur; caueatur præceps iudicium. Et vt omnia semel admoneam sufficienter, ad Deum tanquã ad polare sydus arcticum immobile dirigantur: omnia in illius voluntate, honore, & gloria veluti aurum in lapide Lydio probentur. nam quæ illi consentiunt & placent, quæ illius authoritate fulciuntur, quęve ad illum vt finem, veluti ad summum bonum prospiciunt, certè omnino sequenda sunt tanquam ab errore omni aliena: contraria fugienda, omittenda, & cauenda. Accedit huic rationi postremus gradus, nempe mens vel intellectus, ex defæcatione vel purificatione cogitationum & rationis nascens. Incerta hæc nobis interdum, quia rationem contingit aberrare ab optima suppositione, & similes per mores duci, cùm tamen certa mens sit, vtraque autem naturæ finis, vt scribit Aristoteles *lib. 7 Politic. cap. 15.* hæc mens sicut corporearũ rerum notitias per sensus colligit corporis, sic incorporearum rerum per semetipsam, vt scribit D. Augustin. *lib 8. de Trinit. c. 3.* hanc Deus nobiscum nasci non voluit, sed adipiscendam proposuit. Nam quemadmodũ Mercurius Trimeg. scribit *in Pimandro, serm. 4.* ratiocinationem quidẽ vel rationem singulis hominibus Deus impertiit, mentem verò nequaquam. Non quòd inuideat, quibus nec vtique inuidet (liuor quippe ab eo non prouenit) sed quoniam voluit eam in medio, tanquã certamen præmiumq;

animarum proponere. Et Demosthenes *in oratio. amato. si quidem ea Demosthenis est*, mentem quæ humanarum rerum moderatrix est, rectè sola philosophia erudiri & exerceri dicit: quia ab ea susceptit exercitia officii sui, quod versatur in dicendo & deliberando. Et quemadmodum gradus inferiores intellectus & mens illustrat, sic etiam & rationem: & quò magis ratio illius habet lumen: eò certior: dictumque est illam gigni in animæ solo intellectu ab Aristotele *lib. 1. magn. mora ca. 1.* quia, vt ait Epicharmus νῶς ὁρᾷει καὶ νῶς ἀκούει, τᾶ δ' ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά, id est, mens videt, mens audit, reliqua sunt surda cæcaque, vt scribit Theodoritus *lib 1 de curat. Græca affectio.* Et quamuis sensus quasdam facultates peculiares habere videantur, mens tamen prodest, ornat, & denique vincit, præstat, imperat, ex sententia Plutarc. *lib de fortu. vel de virt. Alex.* Et Plato *lib. 10. in Philebo, vel de summobono*, mentem, & sapientiam purissima esse nomina dixit: & mentem vel esse veritatem, vel similimam veritati. Atque Anaxagoras, teste eodem Platone *lib. 23. in Cratylo, vel de recta nomi. ratione*, voluit τὸ δίκαιον, id est, iustum, esse illam mentem dominam suapte natura, nec alicui mixtam, quæ omnia exornat, & per omnia penetrat: quod & scribit Aristoteles *1. de anima, c. 2.* Vocat & mentem Philo Iudæus *lib de somniis, tom. 2.* caput animæ: quod Aristot. *problem. sectio. 39. quæst 4.* explicat, dum finem putat post scientiam, neq; eam perfici quin scientia præcedat. quod fit, inquit, quia iuuenes scientiam non habent, seriùs illis mens contingat, & in senectute mens perficiatur. Est namque animi princeps, & quod est præstantissimum & perfectius, vt Cicero annotauit *5. de finib.* & ideo, ipso eodem Cicerone teste *lib. 1. Acad. quæst.* Philosophi Peripatetici & Academici mentem volebant esse rerum iudicem, & solam censebant idoneam cui crederetur, quia sola cerneret id quod semper esset simplex, & vnius modi, & tale quale esset: hancq; illi ideam appellabant, iam antè ita à Platone appellatam. Hanc & intellectum propriè dixerunt philosophi, aut vim quæ potestatem formas suscipiendi à materia habet, vt scribit Alexander Aphrodi. *lib. de anima, cap. de phantasia.* Itaque in hac desinit hominis facultas, estque mens summitas scalæ quæ innixa terræ est, vbi corporalium apprehensiones, & gradus, ex quibus cognitio ad cœlum vsq; conscendit, vel ad portam cœli quæ est mens:

nam

nam per eam cœlestia inquirimus. Cuius scalæ cognitionis typus fuit scala à Iacobo vísa *Gen 29.* per cuius gradus Angeli Dei sunt ascendentes & descendentes, id est, nuncii operum Dei. & notiones. Capiti eius scalæ verè Deus innixus, ad quem cùm notio peruenerit, homo supra se diuino quodam furore rapitur. Est autem furor ille diuinus, illustratio animæ, per quam Deus animam à superis delapsam ad infera, ab inferis ad supera retrahit, idque ordine graduum. Nam lapsus animæ ab ipsò rerum omnium principio, per quatuor summatim gradus efficitur, per mentem, rationem, opinionem, & naturam: quos concludunt, superiùs ipsum vnum, inferiùs corpus. per hæc descendit anima. per hæc & ascendit. Mens & multitudo quidem, sed stabilis & æterna: ratio, multitudo mobilis, sed finita: opinio, multitudo mobilis infinita, sed substantia punctisque vnita: natura similiter, nisi quòd per corporis puncta diffunditur. Corpus autem infinita multitudo subiecta motui, & substantia punctisque momentisque diuisa. Et ita ab illo vno, Deo nempe, descendit anima vsque ad infinita nobis numero: & rursum lumine diuino ab infinitis & minimis ad vnum rursum ascendit mentis ductu, vt explicat Marsil. Ficinus *in argumento ad 10. Platonis, vel de furore poetico.* Dixerunt & aliqui diuinitate mentis commoti, ex superabundanti maiestatis fœcunditate mentem diuinam de se creasse hanc mentem, quæ νοῦς vocatur: qua patrem inspicit similitudinem seruare authoris, animam verò de se creare posteriora respicientem: hinc rationem & eam mentem ex sua natura præbere, & sensuum & prehensionis seminarium. Et sic mentem vnam in omnibus partibus animæ, non secus ac idem vnusque vultus in pluribus speculis ordine dispositis, in quibus cùm omnia se continuis successionibus generant per ordinem, diuersis locis conspicitur. Atque si quis obseruet diligentiùs, cognoscet à summo Deo vsque ad vltimam rerum fœcem, vnam se mutuis vinclis relegantem & nunquam interruptam connexionem esse. Hæcque est illa catena Homerica aurea *Ibid. 8.* de qua & scribit Macrobius *lib. 1. in somnium Scip. cap. 14.* Ea ratione forsan Cicero Dei naturam communicat & menti, ex qua omnia in corpore & anima illustrentur, *lib 1 Tuscul. quæst.* Et mentem subdit, in capite velut omnib. imperantem, sensibusq; vt ministris vtentem, esse positam.

In hoc

In hoc Aristoteli subscribens, dum ait *lib. 2. de gen. anima. c. 3.* Restat igitur, vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit: nihil enim cum ea communicat actio corporalis. Sic functiones mentis & intellectus puræ sunt & sine corpore: & quemadmodum se habent sensibilia ad sensus, ita intelligibilia ad intellectum, vt ipse Arist. annotauit alibi *3. de anima. c. 4.* idque cùm propriam functionem exercent. Nam aliàs illuminat one veritatis ad omnes extenditur gradus, & per illam docti solent semper altiora petere: mali verò inferorum specus intimos: meditantes autem inter extremos medii susque deque per scalam feruntur, vt scribit Philo Iudæus *lib. de somniis.* In hac nusquam fundus: hæc, vt Deus mundi, parui mundi domina. Deus in vtroque mundo. mens agitat molem & toto se corpore miscet. Et mens diuina omnia regit, continet in omni parte, & nulli miscetur, vt aliquo contineatur: sic mens in suo paruo mundo vbique & nullibi mixta & comprehensa. Quorum & aliam præstantissimã proportionem Porphyrius libello insinuat *in scripto τῶν πρὸς τὰ νοητὰ ἀφορμῶν in fin.* dum ait, ὁ θεὸς πανταχοῦ ὅτι ἐδαμοῦ: καὶ ὁ νοῦς πανταχοῦ, ὅτι ἐδαμοῦ: καὶ ἡ ψυχὴ πανταχοῦ, ὅτι ἐδαμοῦ. ἀλλ' ὁ θεὸς μὴν πανταχοῦ, καὶ ἐδαμοῦ τῶν μετ' αὐτὸν πάντων. αὐτὸ γ' ἔστι μόνον ὡς ὅτι καὶ ἐθέσθ, νοῦς γ' ἐν θεῷ μὴν πανταχοῦ τε, καὶ ἐδαμοῦ τῶν μετ' αὐτὸν. καὶ ψυχὴ ἐν νῷ τε καὶ θεῷ πανταχοῦ, καὶ ἐδαμοῦ ἐν σώματι. σῶμα γ' καὶ ἐν ψυχῇ, καὶ ἐν νῷ καὶ ἐν θεῷ: καὶ ὡς πάντα τὰ ὄντα καὶ μὴ ὄντα ἐν θεῷ καὶ ἐν θεῷ, καὶ οὐκ αὐτὸς τὰ ὄντα καὶ οὐκ ὄντα, καὶ ἐν αὐτοῖς. εἰ μὴν γὸ μόνον ἦ πανταχοῦ, αὐτὸς ἂν ἦν τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσιν: ἐπεὶ γ' καὶ ἐδαμοῦ, τὰ πάντα γίνεται δι' αὐτὸ καὶ ἐν αὐτῷ, ὅτι πανταχοῦ ἐκεῖνο: ἕτερα γ' αὐτὸ, ὅτι αὐτὸς ἐδαμοῦ. ὅτω καὶ νοῦς πανταχοῦ ἂν καὶ ἐδαμοῦ, αὖτο ψυχῶν καὶ τῶν μετ' αὐτὰς, καὶ οὐκ αὐτὸς ψυχὴ. ὅτε μὴ ψυχὴν, ἐδὲ ἐν τύποις: ὅτι οὐκ ἦν μόνον πανταχοῦ τῶν μετ' αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ ἐδαμοῦ. καὶ ἡ ψυχὴ ἐ σῶμα ὅτε ἐν σώματι, ἀλλὰ αἰτία σώματο: ὅτι πανταχοῦ ὅσα ἐ σώμα-

σώματος, ἔστι δ' ἁπλῶς. καὶ ἔστι γε ἡ περὶ θεοῦ καὶ παντὸς, εἰς τὸ μήτε πανταχοῦ ἅμα: μήτε μηδαμοῦ ἐναπολυκά. μψεν, ἀλλὰ ἀνὰ μέρος ἑκατέρων μετέχον: id est, Deus vbique est, quia nullibi esse intelligitur: mens vbique, quia nullibi esse intelligitur: & anima vbique, quia & nullibi esse intelligitur. Sed Deus quidem vbique, & nullibi eorum omnium quæ sunt post ipsum: nam ipsius solum est, vt sit vt voluerit. Mens quidem in Deo vbique est, & nullibi in his quæ sunt post ipsum: & anima in mente & Deo vbique, & nullibi in corpore. corpus autē & in anima & in Deo & in mente: omnia namque cùm entia tum non entia ex Deo sunt & in Deo, & tamen ipse non est existentia, vel nō existentia, nec in ipsis, Siquidem quia ipse est vbique, erit vtique omnia & in omnibus: postquam autem & nullibi est, omnia erunt per ipsum & in ipso, quia vbique ipse: diuersa autem ab ipso, quia ipse in nullo. Sic & mens vbique existens, & nullibi, caussa est animarum, & animas sequentium, & tamen non ipsa anima, neque post animam, neq; in ipsis: eo quòd non solùm sit vbique eorum quæ post ipsam, scilicet mentem, sed & nullibi. Et anima nec corpus nec in corpore, sed caussa corporis, quoniam vbiq; in corpore existens alicubi non est. Et denique processus vniuersi in illud desinit, quòd neque vbique simul neque nullibi esse valet, sed pro parte diuersorum participat. Hactenus Porphyrius, cui ex nostra familia alia quamplurima subnectere possem: verùm ista de mente dicta sufficient pro explicatione gradus vltimi. Nam forsan de intellectu & de mente dicemus alibi quæ desiderantur à curiosis, nempe qua in parte corporis mens vel pars animæ præcipua sit, item phantasia & cogitatio: quæ nunc tractatio longè abesse ab instituto nostro videtur, nempe vbi de cognitionis gradu summo agimus. Illud tamen in summa non alienū erit annotare, quædam ex mediis inferioribus, nempe sensibus, mentem nosse: quædam etiam per se sine iis, vt intellectualia. Vnde breuiter colligo sensum maximè ab intellectu abesse, & erasse eos qui eadem existimārunt: nisi quòd accidentaliter homini ob meliorem corporis dispositionem supra animalia aduenisse dicebant. De quibus D. Thomas *in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 1.* qui illud improbat quinque rationibus *lib. 2. contra gentil. c. 66.*

Primò, quia animalia certas actiones ex sensibus habeā-

beant, nullas tamen ex intellectu: ideo similia semper faciunt, vt semper eodem modo hirundo nidum.

Secundò, sensus cognitio est individuorum, potentia sensitiua recipiente formas individuales: intellectus autem vniuersalium.

Tertiò, sensus cognitio tantùm extendit se ad corporalia, sine quibus nihil cognoscit: intellectus incorporalia cognoscit, sicut sapientiam, veritatem, relationes rerum.

Quartò, nullus sensus cognoscit seipsum nec suam operationem: visus non videt seipsum, nec videt se videre: sed hoc superioris potentiæ est, vt probatur lib. 2. de anima. Intellectus autem cognoscit seipsum & se intelligere.

Quintò, sensus corrumpitur ab excellentia sensibili: intellectus autem non corrumpitur ab intelligibili: quinimò qui intelligit maiora, potest postmodum minora intelligere. Hactenus D. Thomas. Igitur a Deo infusa vltra hanc mentem non progreditur natura humana. Verùm in hac vltima intelligentia participat cum Angelis creaturis intellectualibus, & cum ipso Deo. Vnde & mens vocata est puritas & כתר ceter, id est, corona numerationum vel Sephiroth: sic enim Abraham in lib Sephiroth putat per illas, ni fallor, numerationes & Sephiroth nouem peruenire ad decimam Sephiroth, id est, rerum authorem, dū scribit עשר ספירות בלימה ולא טיולא יא: הבן בחכמה וחכם בינה: בחון בהם ותקור מהם והעמד דבר על בו רה והשב יוצר על מכונו: id est, decem sunt numerationes præter quid (id est, sine re ipsa) decem & non nouem, decem & non vndecim. Intellige in sapientia, & sape in intellectu: inuestiga in eis, & proba in eis, & statue rem super puritates suas, & repone creatori locum suum. Et Rabi Isaac ben Schola in commentariis Theilim siue Psalmorum *super Versum Psal. 111. principium sapientiæ timor Domini.* Interiorem, hanc, inquit, proprietatem intelligentiæ plures dixerunt, & qui enumerârunt proprietates posuerunt tanquam principem sapientiā, & principiū numeri omnis. Hæc sapientia est Deus: alii nominauerunt eam coronam, quòd singulæ proprietates coronentur ab illa, & illa à singulis: alii nominauerunt eam אין סוף nullus sit qui eam imaginatione apprehendere possit: est namq; solo intel-

intellectu attingibilis. Et huc alludit quod dictum est מאין יבוא meain labo, &c. vnde veniet auxilium meum à Domino. meain siquidem significare videtur quiddam incorporeum, abstractum, secretum, & intelligibile: & si fueris fortunatus in dictis meis, secreta montium altissimorum scies, quoniam hæc proprietas est veluti lux, qua coronantur omnes aliæ proprietates in via lucis. Sic statuerunt certè sed abstrusè sapientes Iudæorum mekubalim sive Cabalistæ, dicti Iudæis חכמי האמת, sapientes veritatis. Et vt abstrusiora illorum communicem, ii tres numerationes supremas, in nostro schemate tres gradus vltimi, iuncto numine Dei, qui omnia fouet. adnixus, vt diximus, est summitati scalæ, dixerunt tres luces: de quib. sic scribit, דבי האי נאון שלוש אורות: אוך קדמון אור צח אור מצח צדה ועם-כל-זה הכל אלוה אחד אין שם רבוי חלילה והם בראש הספירות id est, tres luces sunt, lux orientalis, lux clara, lux clarificata vel purificata. Et cum omnibus his & omnium Deus vnus. nec est ibi multiplicitas: absit enim hoc. Et hæ sunt in capite Sephiroth. Scio ego quoque quosdam Rabinorum, potissimùm neotericorum, mysterium etiam trium Sephiroth postremorum retulisse ad sanctissimam vnius diuinitatis trinitatem, & ad substantiæ vnitatem: idque perquàm optimè, vt cum illis & ego sentiam. Cęterùm & nobis idipsum conuenire non est ambigendum aliquo modo, qui ad imaginem & similitudinem Dei à Deo facti sumus, & in anima gerimus ipsius prototypi trinitatis similitudinem. Nam sicuti in Genesc 1. super verba בראשית ברא אלהים bereschisbara elohim, per אלהים eloh.m intelligũt tres proprietates, quas vocãt מדות middoth, nempe Patrem, Filium & Spiritum sanctum: sic in anima per imaginem אלהים intelligunt memoriam, intelligentiam, & voluntatem, vt & authores etiã nostri. Sed & legimus in vaikra rabba super cap. 4 Leuitic. & in midras tehilim ita: רבונן אמרי מה הנפש טמלאה את הגוף כן הקדוש ברוך-הוא סובל את העולם: מה נפש יחידה בגוף כן הקדוש ברוך הוא יחיך בעולם . ומה הנ פש אינה או כלה ואינה שותה כן הקדוש ברוך הוא אינו אוכל ואינו שותה: ומה הנפש פהורה בגוף כן הק׳בה

כן הק"בה שהוא למעלה מעולם: מה הנפש רואה ואינה נראית כן הק"בה רואה ואינו נראה: אמר דוד תבא הנפש שיש בה כל המידות הללו ותהלל להקבה שיש בו כל המידות הללו id est, magistri dixerūt. Quemadmodum anima replet corpus, ita Deus sanctus benedictus ipse replet & sustinet mundum. Sicut anima vnica in corpore, sic sanctus benedictus ille vnicus in mundo. Et sicut anima non comedit nec bibit, sic nec Deus benedictus ipse non manducat nec bibit. Et sicut anima ponitur pura in corpore, sic Deus qui est ipse æternitas. Et sicut anima videt & ipsa non videtur, videt & Deus & non videtur. Dixit ergo Dauid: Accedat anima mea in qua sunt omnes proprietates, & laudabo Deum factum, benedictus ille, & vos quæ estis in anima proprietates laudate eum. Hactenus Rabini ibi Sed & alibi illas tres proprietates Dei & animæ latiùs explicant. Veruntamen oculis hominum subjici posse vel planè cognosci quæ & quales sunt, negârūt. Sic enim scribit Rabi Mosse ben iudath. בפרוש פרשת כיתישא ופרשא הני קוטיליאה id est, in interpretatione capitis citissa, siue plagarū. & capitis ge kitisiah, siue vallis occisionis הנ'ספירות העליונות עין לא ראת ועם-זה אין שם הבדל וקיצץ חלילה id est, has tres numerationes supremas oculus non vidit: non tamen ideo in his est dissensio vel defectus, id enim dicere abominamur. Nolo etiam hac in parte suspendere ingenia optima lectorum, quin ex eorundem Rabinorum & Cabalistarum fontibus, illis non communicem nomina, quæ illis tribus superioribus Sephiroth, siue numerationibus imposuerunt. Illa autem habētur in libro הזהר hazzohar de illuminatione vel splendore, quem scripsit Simeon Ben iohai.

*scribit & hac Ludouicus Carretus Iudæus in* הספירה היא ספר מראות אלהים *id est lib. visionum diuinarum.*

א אין סוף

הראשונה בלי התחלה וראשית אב הנקראת:

ב חכמה

והשניה הנקראת אצל המקבלים חכמה שבה נברא העולם: שנ משלי ג' יהוה בחכמה יסד ארץ ונקראת ראשית

ראשית שנ׳אמ׳ בראשית א׳ברא׳שית ברא אלהים על
כן תרגם יונתן בהכמת ברא יהוה נקראת אצל
הנוצרים דבר יהוה והכל אחד שהרי כתוב נדבר יהוה
שמי נעשו:

ז בינה

והשלישית הנקראת אצל המקבלים בינה נקראת
אצל הנוצרים רוח קדוש כי היא יהב מנדעא לחכימא
ככתוב ויהי כנוח עליהם הרוח ויתנבאו:

*Cuius tabulæ hæc explicatio.*

*Trium Sephiroth superiorum Sephiræ.*

*1. Enſoph ſine finito & termino.*

Sephira prima, ſine aliqua ſimulatione doloris vel infirmitatis: & principiò pater dicitur.

*2. Hocma, ſiue ſapientia.*

Secunda, dicta apud Cabaliſtas Hocma ſapientia, quia in ea creatus eſt mundus, vt ſcriptum eſt in Proverb. c. 3. Dominus in ſapientia fundauit terram. Dicitur & principium, quia ſcriptum eſt Geneſ. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram. Ideo id vertit Ionathas, In ſapientia creauit Dominus. vocatur apud Chriſtianos verbum Dei, quod idem eſt, quoniam ſcribitur, verbo Domini cœli facti ſunt.

*3. Binah, id eſt intelligentia.*

Tertia, quæ à Cabaliſtis vocatur Binah, id eſt, intelligentia, vocatur à Chriſtianis Spiritus ſanctus. Quoniam ipſe dat ſcientiam cognoſcentibus intelligentiam, vt ſcriptum eſt, Et factum eſt, ſimul acquieuit ſuper eos ſpiritus, & prophetârunt.

His alia addere ſecretiora poſſemus de Enieph, de Iethon, de Phta & Amon, quæ Iamblicus ponit ex ſchola Aegyptiorum & Chaldæorum *lib. de myſteriis Aegypt.* Sed locus nos admonet, vt finem huic libro imponamus, ſi primùm de his quæ non exigunt ratiocinationem in docendo vel cognitione, regulas quatuor annotemus ex Rabino haben Tybbon in libro qui inſcribitur רוח החן Rouach achen, ſiue ſpiritus gratiæ, & ex aliis.

Quarum prima ſenſibus ſubiecta & ſuppoſita, alia demonſtratione quàm ſenſuum comprehenſione non egent.

Nam quòd nix sit alba, gelu frigidum, ignis calidus, & similia, sensibus tantùm sufficienter cognoscuntur. Quod autem circa eorum naturam disputatur, alterius est controuersiæ, vt quare album, quare nigrum, frigidum, & illud calidum: hæc enim intellectu, non sensibus comprehenduntur.

Secunda regula, manifesta superfluè probatione onerantur, nisi alterius rei caussa probentur. Exempli caussa sit, non occidere, non furtum facere, non rapere, iam manifestè sine alia probatione inter homines iusta censentur, cõtraria iniusta. Et imperator Gordianus etiam solemnitatem probationis quæ fit in accusatione, in notoriis remittit, nec exigi statuit, & solùm controuerti num notorium sit. *in l. ea quidem. l. 7. de accusat. lib. 9. C. tit. 2.* Nec in manifestis testes requiruntur. *In canon. manifesta. & cano. de manifesta caussa. 2. q. 1. in decreto.* Manifestum enim dicitur, quod per se apparet, & potest facilè probari: sed tamen id fieret superfluè. Nam quicquid rei adjicitur satis demonstratæ, frustra est, vt notat Vlpian. *in l. 1. §. fin. de dote præle. lib. 33 π. tit 4.* Et non videtur esse celatus qui scit, nec certiorari debuit qui non ignorauit, vt idem Vlpian. tradit *in l. 1 §. fin. de act. empt. & vend. lib. 19. π. tit. 1.* Quin & illud verum est, iniuria eum affici, cui negatur id quod euidentissimum est. Sic & datur actio iniuriarum in eo, qui fideiussorem negat locupletem eum, qui euidentissimè talis est. & approbatur huiusmodi, vt scribit Caius Iurisconsul. *in l. si verò pro non condemnato l 5. §. qui prò rei qualitate. qui satisda. cogun lib. 12. tit 8.* Si tamen illorum rationes proferantur, alterius sit caussa, nempe ratione pœnæ, rationeque circumstantiarum, quæ inueniuntur & concurrunt in cõmissis aduersus hæc decreta, vel alterius rei gratia. huius generis possunt esse quæ naturalis iuris sunt.

Tertia, à maioribus tradita & recepta à nepotibus, non egent probatione: quia ea innituntur cognitioni maiorum, apud quos summa & diligenti inquisitione iam determinata fuerunt. Et credendum potiùs, quàm disputandum singulis: ne dum quisque fisus proprio ingenio dúmve veritatem debilibus rationibus suffulcire tentat, in negationem veritatis turpiter prolabatur. Et hac in parte intelligentia ex facultate in actum non egreditur. Sic credebant Synagogæ Iudæi, & Ecclesiæ Christiani credunt. De fide namq; ita simpliciter credendum est: imbecillia namque

sunt

sunt hominum ingenia ad reddendam rationem operum & præceptorũ Dei. Nec potest quis priùs intelligere quàm crediderit: Nisi enim crediderit is, inquit Isaias *c.1.a.* non intelligetis: & Dauid *Psal.115.* Credidi, propter quod locutus sum. & Dauid alibi expressiùs *Psal. 218.* אודה ה בכל לב בסוד ישרים ועדה׃ Confitebor Domino in toto corde meo, in secreto rectorum & congregatione. Et D. Cyprian⁹ *in prolog ferm. posteriorum*, scribit, sublimes materias sublimium ingeniorum exigere tractatores, cùm nec facile de artibus iudicet, qui artes ignorat: ideo, inquit, tam in diuinis, quàm in philosophorum doctrinis, nec tutum est, nec honestum, ineruditos sensuum ad literas illas pertinentiũ, prosilire ad discussionem eorũ quæ nesciunt, & de his sibi vsurpare magisterium, quæ ignorant. Potest itaq; facilè homo in abditarum causarum inspectionibus, & secretis naturæ errare, & decipi: quia non per omnia à fine vsq; ad finẽ intellectus humanus attingit. Scribit & D. Dionysius Areopagita *li. de Ecclesiast. hierar. cap. 3.* Nullus mihi imperfectus in contemplatione veniat: etenim non solares fulgores infirmis pupillis intueri non periculosum, nec his quæ supra nos sunt audere innocuum. Siquidem vera est iuxta legem hierarchia, Oziam quidem punitũ, quia sacra tractauit subuertens: Chore verò, quia supra se sacris: Nadab & Abiud, quia profanè propriis abusi sunt. Sed apertiùs & rationem afferens idem præstantissimus vir scribit *li. de diuin. nomin. c.1.* Nulla ratione audendum est, inquit, aliquid de occulta deitate, quæ est superior quàm essentia, dicere vel cogitare, præter ea quæ nobis sacra eloquia diuinitùs aperuerunt. Et sicut nec sensibus intelligibilia comprehendi spectarive possunt, neq; factis figuratiue simplicia & infigurata, neq; per corporum figuras formales, informitas ipsa incorporeorum refugiens tactum, figuraq; carens: eadem ratione ipsa supersessentialis infinitas omnes essentias antecellit. Ipsa quoque vnitas, intellectus superior, omnes intellectus antecedit: ipsum denique vnum cogitatione præstantius, nullis cogitationibus potest excogitari: atque bonum excelsius omni verbo, verbis est ineffabile. Deinceps, Si omnes, inquit, cognitiones tum entiũ sunt, tum etiam in entia desinunt, consequens est, vt qui omni essentia superior est, sit ab omni cognitione semotus. Diuus etiam Athanasius *libr. de Incarnatione Verbi* ait, non dari consequi res magnas atque difficiles, nisi fide.

Et Galenus *Tom. 4. lib. 1. de differentpulſuum* ſcribit, etſi non Chriſtianus, tamen teſtimonio antiquitatis memorabili, prohibitum in lege Moſi & Chriſtiana de ea diſputare, his verbis, quàm in Chriſti & Moſis ſcholam impingat, leges audiat nullas conſtitutas demonſtratione, idque minimè doceat. Et rurſum alibi *libr. 3. de differentiis pulſuum* illius verba. Citiùs igitur Moyſi aſſeclæ & Chriſti decedant de ſua diſciplina, quam qui ſectis ſunt addicti & conſecrati, medici & philoſophi. Meminit & Rabbi Moyſes ben Meimon in epiſtola de aſtrologia ad Iudæos Maſſilhæ, de tribus ſuperioribus regulis, cuius verba Hebræa Latinè ſic accipe: Inprimis igitur, mi domini, ſcitote hæc tria tantùm homini eſſe credenda, neque quicquam præterea. primùm id quod certam habet & euidentem probationem, humana ſua ratione & ſcientia ſua inueſtigatam: velut ratio numerandi, geometria, & reuolutiones. Alterù id quod homo deprehendit vno quinque ſenſuum, veluti quia viſu hoc rubrum, illud nigrum: guſtu hoc dulce, illud amarù; tactu hoc calidum, illud frigidum, & ſic de reliquis ſenſibus. Tertium & poſtremum id quod acceptum à Prophetis piæ memoriæ, & à iuſtis. Porrò quod ad vltimum attinet, apud Hebræos liber dictus, ספר כוזרי liber cozræ, vbi de creatione traditur, in eo, המאמר השמיני id eſt, ſermone 5. in principio. Id, inquit, quod a maioribus traditum acceptumque eſt, non bonum eſt, niſi cum bono & ſyncero corde coniunctum. & requiritur cognitio & traditio. facit pro vltimo Martianus Cæſar *l. nemo. l 4. C. de ſum. trinit. lib. 1. C. tit. 4.* Sed de fidei ſimplicitate & intellectu alibi plura dicemus. Deo fauente, & docebimus omnia aliqua præcedente fide veluti quodam principio immobili, ſine alia inquiſitione firmari. Interim de rebus iam perceptis, & ad intellectum vſque venientibus, nullam fieri intelligenti demonſtrationem ſui cauſa, vel probationem, teneamus: nam verum id non eſſet, nec intellectum, ſed opinione plenum. Alterius tamen ignorantis cauſſa, quem ad agnitionem veritatis ducimus, per rationes veluti per itinera certa, ad ipſum verum & intelligentiam trahimus.

Quarta regula, ſubiecta priora, quibus verum vel falſum conuenit, non autem malum vel bonum, non egent ratiocinationis probatione. Huiuſmodi ſunt demonſtratione,

tiones vniuersales & mathematicæ: sicuti illud quòd duo contraria in vno eodemque subiecto esse non possunt, verum esse per se patet, contrarium falsum. Et verum, totum maius esse sua parte: omnibus enim natura tribuit dignoscendi & distinguendi facultatem. Sub hac etiam regula continentur subiecta rationi & intelligentiæ, vt propositiones scientiarum & artium demonstratiuarum. Principia namque cuiusque artis, in quantum sunt illius artis principia, indubitata & concessa sunt: & eorum principiorum vel propositionum ex duobus vel tribus indubitatis principiis accommoda collectio habet intelligentiam possessiuam, hoc est, iam precedentem aliunde notionem, antequã ad artem illam cuius sint principia, accedat. Principia namque artis, vt ait Galenus *in Isagog. lib. de optima secta, ad Thrasib.* aut in sensus notis, aut in his quæ ex aliis percipiuntur, aut in his quæ præostensa fuere, aut in manifestis intellectui consistunt. At ordo de quo iam antè dictum, viam sternit facilè ad memoriam eorum, quæ dicta factáve sunt: cùm enim repetere singula per ordinem cœperis, vbi aliquid deest, statim sensus inquirit, & cùm inuenerit, seruat, aut si inuestigare non poterit, statim à magistro requirit, vt ait D. Clemens *lib. 5. Recognitionum.* Et mens, vt ait Cicero *lib. 4. Acad quæst.* alia vsta sic arripit, vt non statim vtatur, aliqua sic recondit, ex quibus memoria oritur: & rursum paulò pòst *eod. libro*, nos meminisse nisi comprehensa non posse ait. Vnde & Plato nos reminisci, non discere, ac si scientias notas ante vnionem corporis & animæ haberemus: quod & refert & refellit Cicero *lib. 3. Tusc. quæst.* & Alex. Aphrodisæus *problem. 121.* quorum rationes prætermitto Verum tamen est, eam memoriam præteritorum esse tantùm, non præsentium, in quibus sentire, scire, vel intelligere est, nec futurorum, de quibus dicitur opinio vel spes tantùm, vt ait Aristoteles *lib. de memoria.* Quò fit, vt memoria circa Deum, vel ens, vel intellectum ponenda non sit: nihil enim ei eorum accidit. Neque tempus circa ens est, sed æuum: neque prius vel posterius, sed est semper vti se habet permanens in eodem, nullam admittens mutationem, vel Plotino autore *lib 3. Ennead. 1.* Memoria itaq; veluti sphæra ambiens reliquos gradus cognoscendi, constituenda est, ne perperàm quæ quis didicerit, effluant, & vt ea veluti anchora figantur, ne fluctibus obliuionis elidantur. Est enim memoriæ ea natura & vis, vt innuit

Phrontis *lib qui* Περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως, *de natura suorum deorum, cap.* περὶ τῶν παραδεδεμένων μύθων, *de ante traditis fabulis*, dum ait, Μνημοσύνη ἡ σωκρεῖν τὰ γεγονότα αἰτία, memoria est, qua colligere possumus ea, quæ facta sunt. Nec aliud ea est quàm collectio: &, vt Plato ait *in Phile.* sensuum & intellectus salus & conseruatio: vtque Cicero *1. de Oratore*, thesaurus omnium studiorum: quod & scribit Tertullianus *lib de anima.* Atque Plutarchus *lib. de liber. educ.* disciplinæ quasi quandam cellam penariam dixit, vnde traditum Mnemosynem, id est, memoriam esse matrem Musarum. Quanquã nouerim Plotinum dixisse *Ennead 3. lib. 6. dum agit de impossibilitate incorporeorum, cap. 1.* memoriam non esse formarum impressarum custodiam, sed facultatem animæ quandam, ita seipsam excitantem, vt & quod non habet habeat, quando fit egressio potentiæ in actũ: quod & ego quoque verum puto. Sed & illam potentiam animæ prius non concepisse recordata, non possum mihi persuadere, nõ enim potuit excitari quod nunquam fuit, non secus quàm memoria esse nõ potest, nisi eorũ quæ præuisa & prẽcognita fuerunt: & ideo rectè post mentem ponitur. Sicut in intellectu nulla est contrariorum vel dubiorum agitatio: sic memoria ostendit prorsus quod in anima non est agitatio, sed quies stabilisque permansio. Quod docet Plato *in Cratyl.* à nomine μονή, id est, memoria, tracto argumento, vt ea sit quasi μονὴ, quies, stationẽ. Et vt apertiùs me explicem, memoria similis est cellario, vel loco capaci, in quem inuehuntur vel merces, vel aliæ res quælibet, conseruationis vel depositi gratia: & sicut non omnia horrea, non omnia loca vbi res deponuntur, eiusdem sunt firmitatis, non æquè contra latronum iniurias & vim externam vallata, non circumsepta, sic neque omnes hominum memoriæ æqualis sunt roboris, sed aliæ aliis sunt firmiores & meliores: & perfluere aliquæ facilè quæ receperant, patiuntur, aliæ tenaciter retinẽt, aliẽque externis expugnãtur, vel iuuãtur. Idcircò non eorũ memoria est animalibus, q̃ in memoria hominũ esse possunt, cùm locus ille memoriæ animaliũ non sit eius qualitatis, capacitatis & substãtiæ in illis, cui⁹ est memoria hominis in homine. Quippe tria potissima in eo sunt, memoria, consiliũ, voluntas. In memoria, hominis pecudis q̃;

consi-

confiniũ:nam & nidos ciconiæ & hirundines post annum reuisunt, equi stabula repetunt, & canes dominos recognoscunt. Sed quoniã animæ sensitiuæ beluarũ, etsi imagines locorum naturaliter retinent, ipsius tamen substantiæ siue scientiã non habent, & in recordatione corporaliũ rerum, quas per corporis sensus hauserunt, necessariò remanent, & ratiocinandi non habentes oculũ, nõ dicam supra se aliq̃d, sed seipsas videre non possunt, vt tractat Claud. Mamertus *li. 1. de stat. anima, c. 21.* Addit Aristot *1 in Metaphys. initio.* postquã ex sensib cognitionẽ fieri dixit, potissimũm ex visu, qui nos cognoscere quicquã facit, multasq; differentias manifestat, subiungit. Natura itaq; animalia sensũ habentia fiũt, à sensu verò quibusdã eorum non innascitur memoria, quibusdã verò innascitur: & ob hoc alia prudentia, alia disciplinarũ capaciora sunt, quàm illa q̃ memorare nõ possunt. Discunt autẽ quęcunq; vnà cũ memoria, quęcunq. scil. audiũt. Cętera phantasiis & memoriis viuunt, experientia verò parũm participant: humanũ autem genus arte etiã ac ratiocinationibus. Fit autẽ experientia ex memoria hominibus, q̃ potiùs reminiscentia est, quando scil ex initio p̃cedente id rursus colligit, cuius primum vel scientiã, vel sensum hauserit, vel id quod fuerit, repetit: cuius habitũ dicit reminiscentiam, testatur Aristoteles *de memoria & reminiscentia.* Syllogizat reminiscens homo, animalia autem, vt idem ait Aristot. *eod. lib. de memoria*, qua animæ parte sentire solent, eadem & recordantur. Et memoria se habet in homine, sicut intellectus simpliciter apprehendens: reminiscentia autem, sicut intellectus discurrẽs. Et propterea sicut in homine nõ sunt duæ potentiæ distinctæ, intellectus & ratio (quod pertinet, vt ego intelligo, ad substantiã animæ: in aliis namque ratione ordinis distinximus) sic nec memoria & reminiscentia, vt tradit Chrysostomus, Iauellus Canapitius *tract. 2. de reminisc. c. 1.* & Plato *li. 10. in Philebo, vel de summo bono,* Quoties, inquit, quæ cum corpore passa est aliquando anima, eadem sine corpore in seipso resumens animaduertit, tunc meminisse eam asserimus: quando autem memoriæ passa iacturam, deinde vel sensu, vel disciplina mouente eã iterum reuocat in seipsa, reminisci putatur: atque hæc iam memoriam reminiscentiamque vocamus. Sic Galenus, vel alius eius nomine *in finitionib. medic.* Memoria, inquit, est retentio conseruatioque in anima earum rerum,

quas antea obseruauimus: vel, Memoria, est præteriti comprehensio, cuius præsens fuit ex sensu perceptum. Recordatio est, cùm præter cætera, spatio multo temporis interueniente, rursum cogitatio oritur adeò, vt quæ priùs animũ mouêre, ad memoriam reuocentur. Docetq; deinceps situs & veluti loci sedes memoriæ, eius considerationem postremam esse, quòd ea organum suum habere dicatur ab Auerroë, Auicenna, Alberto M & D. Thoma, in posteriore parte cerebri. Quod & ita oportuit fieri: non enim potuit constitui in parte anteriori, vbi sensus est communis, quia nimium mollis ea pars est, vt reciperet probè ita constituta. Memoria quippe, cùm sit conseruatrix, requirit durum & siccum. Quamobrem sicuti læsa anteriore parte cerebri, vel eius complexione, læditur sensus & imaginatio, & remanet cogitatio & rememoratio, & cùm mediũ fuerit læsum, læditur & cogitatio, sic posteriore læsa, læditur memoria: vt inde colligere liceat, memoriam ibi organum habere, vt tractat Galenus libro vno *de Sympt. differ.* c. 3. & latiùs alibi *lib. 3. de locis affectis, cap. 4.* vbi & cognatum officium cum corde mirifice explicat habere memoriam. Ideo & nos naturæ ordinem sequuti, ad calcem graduũ rejiciemus, eamq; summoperè in discipulis istius artis desideramus. Iuuamus autem permaximè dispositis quibusdam veluti alphabetis & tabulis rerum omnium, de quibus postea latiùs. Oportet tamen & illos cooperatores esse, & hanc memoriæ vim adhuc sibi aliunde conseruare intrinsecus, & extrinsecus: cùm cerebrum & loci illius vbi residet pars, quamplurimis mutationibus obnoxia sit, & substantia cerebri non omnibus æquè temperata, neque paris conditionis, non mentis idem acumen, non eadem promptitudo. Vt pone, inquit Plato *in Theæt. vel de scientia*, exempli caussa, ceream vnam in animis nostris effigiem, in hoc maiorem, minorem in illo, in hoc purioris ceræ, sordidioris durioriſve in alio, in quibusdam mollioris, in aliquibus temperatæ: in hac si quicquid eorum quæ aut vidimus, aut audimus, aut ipsi excogitamus meminisse cupimus, insinuantes ipsa sensibus intelligentiſve, veluti annulis signantes exprimimus, quodque signatum fuerit meminerimus nos, & scimus quoad figura permanet: & cùm aboletur vel inscribi nequit, obliuiscimur, atque nescimus. In primis itaque vt bene organum vt cera ad sigilli impressionem bene disponatur, operæpretium est: estque necessaria moderata

derata siccitas, vt bene conseruentur impressa & recondita. Quamobrem quæ moderatam siccitatem impediunt, officiunt etiam memoriæ, siue ad nimiam trahant siccitatem, siue ad superfluentem humiditatem. Nec memoria his, inquit Aristoteles, *lib. de Memoria*. qui multo agitatur motu ex morbo aliquo, aut ex longa ætate: vt si motus & signum in aqua fiat, quæ præcipiti cursu deferatur. Item in frigenti ætate nulla vel debilis, perinde ac in annoso ædificio, & ob duritiem ob recipiendam affectionem ineptam, nulla imago effingi potest. Et ob eam rem qui adolescunt, quique ad summam senectutem peruenerunt, memoria acri non sunt: alteri propter auctionē, alteri propter diminutionem. Qui etiam animi celeritate, & qui tardo ingenio sunt, fluxam æquè obtinent memoriam. illi enim magis hument quàm res ferat, hi magis sicci sunt: vnde alteris imagines in anima non asseruantur, alteris non adhærent. Similia ferè explanat Plato, *in Theæt.* dum ait, quòd mollis nimium cera, celeres quidem ad percipiendum efficiat, sed eosdē oblitiosos: dura contrà, diu memores, sed ineptos tardosque ad percipiendum. Et qui densam, obscuram, lapideamque, luteam, vel fæculentam habent, obscura quoque simulachra continent: obscuram quoque, qui duram: profunditas enim abest. obscuram præterea qui molliorem: nam ex cōfusione facilè euanescunt. Vnde tales homines, vt etiā propter angustiam animæ homines, ad opinionem falsam fiunt proni. Nam cùm quid vident, aut audiunt, aut cogitāt, quia singula singulis mox reddere nequeunt, tardi sunt, præuaricanturque, aliud pro alio sæpe cogitando concipientes: & ij fallimentiētes, ignari vocantur. hæc Plato. Paucitas itaque dormitionis officit memoriæ, quoniam non purgatur caput superabundanti humiditate. Officiunt & cibi vapores emittentes, legumina, caules, vinum forte, nisi moderatè sumatur. Nam & ebrij ob fumos multùm humectantes, immemores. Item nimia superueniens frigiditas, quæ nimiùm densat, & indurat, prohibetq; impressionem. Sunt & his similia, quæ venari ex Medicorum libris poterit, & eorum scriptis, qui de memoria proprios ediderunt libellos. Ex parte demum ipsius memoriæ exigimus impressionem fieri, vt in cera sigillum optimè imprimi, in marmore profundè insculpi oportet. Nam bene insculpta sint simulachra, ea facilè non commutantur, nec in electione, distinctione & cognitione impressorum decipitur ani-

mus. Quamobrem potissima pars præstantis memoriæ, simulachra rerum memoratarum, vel notas certas intra se imprimere. Quod maximè consequimur frequenti rerum apprehensarum meditatione: alioquin vel perit vel obscuratur, fitq; contumax cùm motui non consuescat: non secus ac aquæ stagnantes situm contrahunt, metalla rubiginem & scoriam, ignis cineres, incultus ager inutiles herbas, lapis muscum. Et ita Plutar. *lib. de liberis educan.* memoriã exercendam & consuescendam esse edocet in vtramq; partem, siue natura simus memores, siue contra obliuiosi. Naturæ siquidem abundantiam ita corroborabimus: defectũ verò supplebimus. Sequendumq; hac in re consilium Hesiodi, dum ait:

*Parvula si tentes superadiecisse pusillis,*
*Idq; frequens perages, magnus cumulabitur acervus.*

Et quod alius:

*Sumpta parùm prodest quæ mox emittitur esca,*
*Bos quibus est pastus ruminat hac eadem.*

Et Seneca *lib. de beneficiis*, memoriam nihil amittere, præter ea quæ sæpe non respicit, tradit. Huius iuuandæ causa sunt inuentæ literæ & scripturæ, vt dicunt Iurisconsulti *l. contrahitur. de pign.* Multarum etiam imaginum vmbratiles dispositiones: de quibus, etsi obscurè tractat Cicero, *In Rhetoricis.* arcana cuius & aliorum quæ ad nos peruenerunt, reuelare adhuc tempus non est. Sed hic figatur anchora primæ nauigationis, & gratias Deo immortali inuisibili, votaq; precum exoluamus, qui nos sua immensa bonitate, etsi tantis acceptis beneficiis ingratos, incolumes atq; inter scopulos saluos ad finem perduxit. Ipsi itaque, qui in trinitate perfecta viuit, in æterna seculorum infinita secula omnis honor & gloria. Amen.

FINIS.

COM.

# COMMENTARIORVM IN SECVNDVM LIBRVM SYNTAXEON ARTIS mirabilis,

## LIBER SECVNDVS.

*Ante omnem tractationem quæstionum, vel dubiorum, vel lectionum, Deum innocandum.*

### CAP. I.

QVEMADMODVM res, quæ in tenebris latent, oculis etiam propinquæ videri nequeunt, & tamen longè distantes, medio interueniente lumine conspiciuntur & distinguntur, sic in obiectis intellectualibus, & in intellectu ipso accidit. Siquidem homo quantumuis naturali acumine polleat, tamen, nisi medio interueniente aliquo lumine spirituali, videre, intelligere, discernereve non potest. Dico videre, nam & animæ oculus intellectus est. Porrò triplici lumine Deus hominẽ ornat, Supernaturali: nempe reuelatione, seu illuminatione & à superis veniente purgatione, sicuti purgantur & illuminantur sacri illi ordines angelici, per hierarchicas distinctiones. alij plus, alij minus, prout Deo placet. Deinde Naturali, nempe in sensibus, quibus quisque intelligit vel intelligere potest ea quæ se illis offerunt naturaliter, quod secum vnumquodque animal, nullo monstrante duce, ab ortu & initio suæ natiuitatis, aduehit. Tertio lumine acquisititio insignitur homo, quod ex vtrisq; superioribus depromptũ est: Omne enim quod est, vel è superiori immittitur, vel inde creatur, vel propagatur. Lumen acquisitiuũ intellectuale, nihil aliud est, quàm modus vel ordo, vel methodus, quib. nos manu ducimur, & gradatim ab eo quod ignoramus ad intellectũ traducimur. Secundũ lumẽ à primo itaq; perficitur. Tertiũ ab vtroq;. Rursum ab omnibus lumẽ totius hominis, nẽpe claritas famę, & virtutis, vel scięntię, vel cognitionis, qua homo q̃ antea veluti sepultus laiebat, perfusus illo lumine cõspicitur, vt tractauimus in principio

cipio gloriæ, dum de luce egimus. Quamobrem principio omnibus viribus eniti debemus, vt primum solem, & lucem primam benevolam nobis reddamus, vt ipsius radij, & candor lucis æternæ illuminent corporeas & mentis nostræ atratas tenebras, & illuminando purgent & imbuant. Accidet enim tunc, nos facilimè rerum intelligentiam assequi, & per visibilia sensibus exposita, ex visibili lumine, ad inuisibilem mentis lucem transferri. Nam vt ait Homerus Odyssea π. versu 212.

ῥηίδιον θεοῖσι τοὶ ὄρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
ἠ μὲν κυδήναι θητὸν, βροτὸν ἠδὲ κακῶσαι, id est.
*Facile Deo, qui cœlum latum habitat*
*Et honestare mortalem hominem, & malo afficere.*

Et Euripides in Helena in finalibus verbis.

πολλὰ δ' ἀέλπτῳ κρᾴνουσι θεοί.
κοὐ τὰ δοκηθέντα ἦκ' ἐτελέσθη,
τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός, id est.
*Multa insperato perficit Deus*
*Et quæ homines expectabant, non sunt facta.*
*Rursus, contra expectationem hominum, exitum rebus Deus inuenit.*

Et Philo Iudæus, de mercede meretricis, soli Deo facilia sunt, quæ nos efficere non possumus. Idq; etiam Cicero 3. de Natura Deorum. Monebat etiam Pindarus in Pythiis Ode 5. Epode prima.

παντὶ μὲν θεὸν αἰτίαν ὑπερθέμεν, id est,
*Omni negotio Deum causam superponere*, id est, primam ponere rationem: addit idem in Pythiis, Ode x. quia

——ἀρχάτε δαίμονι ὀρνύντι αὔξεται id est.
*Principium Deo impellente crescit.*

Et iubet ipsa sapientia, Filius Dei Christus Dominus, Lucæ c. 12 d. si velimus omnia nobis necessaria subministrari, vt principio quæramus Regnum Dei, vt petamus à Deo, & accipiemus. Nihil enim pater ille cœlestis eorum quæ nobis profutura sunt, potest negare, neque pro pisce porrigere scorpionem nouit. Non potest, inquam, quia solus ipse bonus, Matthæi 19. Mar. 10. Lucæ 18. Neque nos diffidere de eius potestate debemus, cùm omnia, quæcunque

volue-

voluerit, fecit, siue in cœlo, siue in terra. Neque est impossibile quicquam illi, Matthæi 19. Lucæ 17. & 18 Quin & si scientiam inquiramus, in ipso sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi, vt scribit D. Iacob. Epist. c. 1 a. Et Eccles c. 42 c versi. 19. *Cognouit Dominus omnem scientiam.* & cap. 43 in fine *Omnia Dominus fecit, & piè agentibus dedit sapientiam.* Et vt etiam scribit Homerus Odyss. δ.

Θεοὶ δὲ τὰ πάντα ἴσασιν, id est:

*Deus omnia scit.* &, vt Cicero 3. de Natura Deorum: *Obscurum Deo nihil esse potest.* Et hoc vt in aliis infinitis, maximè à Deo homines superantur, quod homines ob ingenij imbecillitatem, quæ ad se pertinent non satis norunt: Deus autem quæ & hominum sunt, & simul quæ ad seipsum spectant, omnia pariter intelligit, vt scribit Philostratus 1. de vita Apollonij, cap. 8. Suadeo itaque omnibus qui proventum ex literis desiderauerint, vt ad Deum, omnium bonorum largitorem, tota mente in primis confugiant, &, *Si quis indiget sapientia & scientia, postulet à Domino,* vt ait D. Iac. c. 1. *Ipse enim dat sapientiam sapientum.* vt scribit Daniel. c. 2. c. & Isaias cap. 33. d *Sapientia & disciplina & scientia à Domino.* Dicebat & Socrates ad Theagem, vt scribit Plato lib. 3. in Theage. *Si Deo gratum est, permultum quidem, & breui proficies: sin contra, minimè.* Nam & Christus dixit. *Sine me nihil potestis facere.* D. Ioannes Euang. cap 15. a. & contra. D. Paul. cap. 4. c. versi. 13 *Omnia possum in eo qui me confortat.* Stabiliendum itaque nostrarum actionum primum fundamentum, Dei inuocatio. Ea, vel in expressa manifestáve vocis prolatione, vel in mentis tacita, sed deuota agitatione est constituta, huic & principium debetur omne, & finis. *Sine enim,* inquit D. Paul *bibitis, siue editis, vel quodcunque aliud facitis, in nomine Dei facite.* 1 Corint. 10. ca. non licet. 26. q 5. firmum namq; fundamentum Dei stat, vt scribit idē D. Paulus, 2. Tim. 2. c. *Et propè est Dominus omnibus inuocantibus eum.* Psal. 144 b. & Israelitæ inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos. Psalm. 98. b. Et Salomon Prouerb. c. 2. o. *Fili mi, si sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentia, & quæsieris eam quæsi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.* Et tutè dicere poterit, quod Dauid scribit, Psal. 30. versi. 21. *Domine non confundar, quoniam inuocauit te. Quis namque inuocauit Deum,*

& in

*& ú despexit eũ? certè nemo*, vt scribitur Eccles. c. 2. b. vers. 11. Respondet namque statim inuocanti, quod scribitur Psal. 3. c. vers. 10. *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via qua graderis: firmabo super te oculos meos.* D. Matth. cap. 20. *Omne quodcunque petieritis in fide, nihil hæsitantes, fiet vobis.* Atq; intrepidè ideo tutus eris prælibata inuocatione, remque tuam ordieris, & confidentia plenus loqueris quæ sentias. Contrà, irreligiosi, qui nulla numinis reuerentia, res vel actiones, vel homelias moliuntur, quia Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore vbi non erat timor, vt dixit Dauid Psalm. 13. c. Quod si sacræ literæ tibi hoc non suadeant, quæ tamen persuadendo cum authoritate iubent, atque si nimium alienus à pietate, tu tamen cùm sis homuncio, & vix quinque verborum scius, putas de tua battologia & authoritate erga populum, de tua existimatione abrogatum iri, si diuinum quid præponeres, quod certè nec nominare dignus, audi saltem antiquorum priscorum peritiorum & gentilium turbam, qui tuam exquisitam vel affabram stultitiam arguant. Provocemus ad Græcos, ad Latinos, ad Hebræos: & quid tibi hac de re proferant, audi. In primis Pythagoras in carminibus sic ait;

— ἀλλ' ἔρχεν ἐπ' ἔργον,
θεοῖσιν ἐπευξάμενος τελέσαι, τάτων δὲ κρατήσας
γνῶσιν ἀθανάτων τε θεῶν, θνητῶν τ' ἀνθρώπων
σύστασιν, ἥπε ἕκαστα διέρχεται ἠτε κραίνεται. id est,
*Nec venias ad opus nisi numina fausta precatus.*
*His bene seruatis, hominum coniunctio qua sit,*
*Cumq; Deo agnoscas, implet quæ cuncta tenetque.*

Sequatur Plato, qui in dialogo Timæi sic scribit τάτ' γε δὴ πάντες ὅσοι, καὶ καταβραχὺ σωφροσύνης μετέχουσι, ἐπὶ πᾶσιν ὁρμῇ, καὶ σμικρᾷ & μεγάλῃ πράγματος, θεὸν ἂν πᾶ καλοῦσι. *Ita sanè omnes quotquot sunt, & ab imitio sapientiæ participãt. & in omni affectione vel motu animi parui vel magni negotii, Deũ vtiq; fermè inuocat.* Audiam[e] nũc etiã Demosth. Is epist. 1 πάντες ἀρχομένῳ πράγματος λόγῳ & ἔργῳ, ἀπὸ τῶν θεῶν ὑπολαμβάνω προσήκειν ποιῶν ἂρχεσθαι. *In principio, omne seriũ dictũ & factũ cõsilio primũ a Deo ordiũdũ esse, cõuenire.* Et oratione πρὸς τὸν Φιλίππον ad Philippũ ipsum, πρώτῳ πλείους ἀφορμὰς,

πρὸς

πρὸς τὸν τῶν θεῶν εὔνοιαν ἔχομεν, ὅσῳ μᾶλλον ἐσμὲν εὐσεβέστεροι καὶ δικαιότεροι πρὸς ἅπαντας, *Et tanto plures occasiones ad conciliandum gratiam Dei habemus, quanto magis pia & iusticra perficere decreuimus.* Et Isocrates oratione 1. ad Demonicũ, πρῶτον μὲν ἂν εὐσεβῇς τὰ πρὸς τοὺς θεούς, *Primum excole quæ ad Deum pertinent.* Et Aratus principio, φαινόμεθ' ἂν ἐκ διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτε ἄνδρες ἐῶμεν ἄρρητον. id est, *Ex Deo principium, quem nunquam nos homines relinquimus infatum.* Quod maximè in rebus quæ humanæ naturæ cognitionem excedunt, & profundiorem ingenio humano habent indaginem, obseruandum. Is enim tum in his consulendus, qui omnia nouit Deus. Sic quoque & Galenus admonet, libro, An quod in vtero est, animal sit. *Cùm inquit, res sit difficilis, nec perceptu facilis, scilicet, num quod in vtero est, animal sit, nequaquam stabilita sit, his quæ de ea dicta sunt communem præbere auditum oportet. Ego enim qui dico, Θοσῆς qui iudices estis: naturam humanam, secundum Socratem sortiti sumus. Quapropter oportet, his quæ dicuntur potius esse contentos, quàm plus iusto quærere. Quæ enim superant propositam rẽ, Deus ipse primus nouit: Deiq; assecla, & qui ipsi, vt inquit Plato, amicus* Nec Græci tantum id iubent authores, sed etiam Latini Sic Cicero 2. de Legibus, *A Diis immortalibus sunt nobis agendi capiendi principia:* & Oratione in Vatinium, *Omnium rerum à Diis immortalibus principia ducuntur.* Et iubet Marcus Cato, alioquin grauis author, lib. de re rustica. sæpissimè, non aggrediendum opus sine precatione, vel sacrificio prælibato. Et quomodo, quibus verbis conceptis, sacris pollucere oporteat, pontificum capitibus 132. & 134. 139. 140. 141. & alibi. Et Cicero 2. de Diuinatione scribit. Romæ exactis regibus, nihil publicè sine auspiciis, nec domi, nec militiæ gestũ. Quod & auspicia nuptiarũ declarant, quæ ante nuptias olim sumebãtur, cùm nũc solum nomen retineatur. Et Virgilius 3. Egloga.

*Ab Ioue principium Musa, Iouis omnia plena.*

Rabini etiam Deum in principio ferè omnes inuocant, quia & Rabi Moses Ben Maimon illos docuit in libro שלש עשרה עקרים id est, tredecim fundamentorũ, fundamento 1 *Credendum,* inquit, *est creatorem benedictum, esse absolutæ & perfectæ essentiæ omniũ entiũ quippe, à quo est subsistẽtia essentia eorum, & à quo derivatur & pẽdet virtus subsi-*

*subsistentia omnium rerum in qua subsistunt: unde nomen eius vocatur* SADAI *per se sufficiens.* Et si quis tam duræ cervicis sit, qui nullos audiat hac de re iubentes, saltem consideret quis sit, num homo an bellua. Proprium namque est hominis, cognoscere & reuereri cum sacrificiis & Precibus Deum. Ideo Aristoteles 5. Ethicorum Nicomachior. Deo sacrificare, à natura esse scribit. Et hoc vsque adeò naturale vt proprium proprissimè dicatur hominis: quia homini omni soli, & semper conueniat, vt tradit ex mente Platonis, Iamblichi, Porphyrij, & Plotini Proculus, lib. de oratione & precibus. Solus enim homo inter omnia animalia orat. Concludimus igitur, in primis illud omni disputaturo, locuturo, vel quicquam acturo vel quæstioni propositæ responsuro, primum ad Dei auxilium confugiendum, & antequam quicquam aliud moliatur, vel cogitet. Sunt mihi certè duæ precunculæ in omnibus initiis rerum subeundis familiares, potissimum in rebus seriis, & vbi de periculo famæ discrimen esse potest. Quibus ante omnia munito, semper mihi res feliciter successerunt, Dei immortalis & incomprehensibilis gratia. Has subscribam, vt, si quis his velit vti, non subtraham nostri beneficij gratiam, quam gratis à Deo suscepi prior, dum aggredimur actionis meditationem, vel iterad actum publicè profitendum huiusmodi ex Psal. 69. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Psal. 142. *Notam fac mihi viam Deus in qua ambulem, quia ad te leuauit animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine ad te confugi. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Propter nomen tuum Domine viuificabis me in aquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes inimicos meos.* Psalm. *Ne proicias me à facie tua: Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam Gloria patri, & filio, & Spiritui sancto sanctissimæ & cōsubstantiali & indiuiduæ Trinitati, vni Deo, Sicut erat in principio in principiato, nunc & semper, & in seculorū infinitate, Amen.*

Hæc dicta, perge audacter, in nomine Domini, & ad tua redi, considerāque dicenda. Dehinc cùm in procinctu negotij gerendi eris, dum expectatur vt agas, vel loquaris, tacitus iterum Deum deprecare hac breui, sed efficacissima oratio-

oratione: *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.* OREMVS. *Sancti Spiritus quæsumus domine corda nostra mundet infusi, & sui roris intima aspersione fecundet. In manus tuas Deus commendo spiritum meum, redemisti me domine Deus veritatis. Vias tuas domine demonstra mihi & semitas tuas doce me. Gloria patri & filio, &c* vt suprà. Et hæc cùm essemus maximè operaturi. Cæterum antequam negotiis obruaris, suadeo singulis diebus fauorem Dei ante omnia prometeri. Est enim illud tempus commodissimum, in secundis & prosperis Deum sibi propitium, & quodammodo vt ita loquar, familiarem reddere, vt cum res tulerit, maiore fiducia quicquid nobis opus erit poscamus conciliatos iam & propitios: vt scribit Xenophon in Cyri pædia, lib. 1. & Plutarchus, lib. de tranquillitate animi. vbi addit similitudinem canis ferocissimi, qui ira furens, non facilè à quouis pacatur, facilè tamen si demulceatur, per eius vocem, quē assuetus est. Scribit & Xenophon, lib. 8 Cyri pædiæ, Cyrum Persarum regem, vbi sol illuceret, singulis diebus orationes & sacrificia ad Deum fundere, & illum in eo omnes imitatos proconsules & magnates, imò & reges successores. Quotidie namque gratia Dei egemus, & ædificatur hoc tabernaculum animę & Dei in nobis. Quotidie igitur offerre manè debemus ædificanti tabernaculum, Deo, inquam, vota ad exemplum filiorum Israel, vt legimus Exodi 36. a. Et fiebant semper ex lege domini, manè sacrificia etiam ex substantia propria regis, 2 Paral. cap. 31. a. vers. 3. & Dauid Psal. 5. *Quoniam ad te orabo domine, mane exaudies vocem meā. Mane astabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

*Animam eorum, qui scire desiderant mundam à peccato quantum potest, esse debere.*

## CAP. II.

SEd & admonendi sumus, solam orationem nobis non sufficere, nisi & nos cooperatores Dei simus. & velut instrumenta, nosipsos, quibus velut mediis Deus vtitur, idoneos & dispositos reddiderimus. Nam *hominis est, animam præparare, & domini gubernare linguam* Rursum, Cor hominis disponit viam suam, sed domini est dirigere gressus eius, Prouerb. c. 16. a. & b. Et, vt scribit Salustius in coniura-

tione Catilinaria, *Non votis, neque supplicationibus muliebribus, auxilia Dei parantur: vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: ubi autem socordiæ & ignauiæ te tradideris, nequaquam Deum impleres, vratus infestusque es.* Demosthenes oratione pro corona. τὸ μὲν πέρας ὡς ἂν λαῖμων βελήθη πάντων γίνεται: ἡ δὲ προαίρεσις αὐτὴ, τὴν τῆς συμβάλλει διάνοιαν δηλοῖ. id est, *finis quidē omnium rerum vt Deus voluerit seruitus. sed electio consiliorū mentem manifestat.* Debet itaq; quilibet primum se præparare, & veluti scopis eluere sordes peccatorum, vt perpolita illa materia & disposita, radios intelligentiæ superioris luminis concipere possit. Nemo enim pretiosa vnguenta vase polluto incontaminata conseruare & continere potest. Et sol ille diuinus, facilius sese communicat iis qui longius à corporea mole discedunt. Et quanquam & bonis & malis pateat, tamen mali radios splendoris minimè concipiunt: non secus ac moles terrea impolita & crassa non admittit radios solis, cùm tamen purissima corpora, vt stellæ, ignis, aqua, aer, vitrum, crystallum, diaphanaq; reliqua, luminis radios recipiant. Quamobrem Proclus, libro de Anima & Dæmone, & Iamblichus lib. de mysteriis Ægyptiorum, scribunt, substantias omnium Dæmonum, & communiter omnium nobis superiorum, contemplari, nobis difficillimum esse, nisi intellectum habuerimus perfectè purgatum. Et philosophus & Theologus magnus Salomō, cap. 1 Sapientiæ a. vers. 4. scribit. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu & corripietur à superueniente iniquitate.* Et illud obseruare licet, multos infinitis quidem laboribus animum diuexantes, sed nihil sani proferentes: quod syncera conscientia careant, & vndique propriis conscientiæ terroribus agitentur: &, vt scribit D. Paulus 2. ad Timotheum cap. 3. *semper sunt discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Proinde Deus per Iesaiam c. 1. d. admonet eos qui suam velint impetrare gratiam, vt lauentur, mundi sint, & auferant malam cogitationem. Et Dauid clamabat Psal. 50. *amplius lauame ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Et Psal. 18. *ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Et Ioannes Baptista de Gazalupis, in libello de Modo studendi in vtroque iure, admonet Iuri operam daturum,

rum, in primis bene & diligenter præparare animam suam, confitendo peccata, atque pro commissis satisfaciendo. Fuit & persuasio & consilium simile eximij iuris interpretis Guillelmi de monte Lauduno super Clement. 1. De magistris, & Symonis de Bursiano Cardinalis Mediolanensis in proœmio Clementin & Francisci de Zabarellis, Cardinalis Florentini ad dictam Clementinam 1. & D. Augustin. lib. de Catechizandis rudibus: cuius verba ponuntur in Cano. sedulo. 38. distin. in 1. parte decreti Gratiani, Zaleucus quoque legislator Locrensium, vt legimus apud Stobæum sic statuit, ἀ πιμᾶτω θεὸς ὑπὸ ἀνθρώπε φάυλε, ἀδὲ θεραπεύετω δαπάναις ἢ ἀλισκομένων ἢ περ μοχθηρὸς ἄνθρωπ@-, ἀλλὰ ἀρετᾷ ἢ προαιρέσει ἢ καλῶν ἔργων ἢ δικαίων. δι' ἕκαστον δεῖ εἰς δύναμιν εἶναι ἀγαπᾶν ἢ πρὸς ἢ προαιρέσει, τὸν μέλοντα ἔσεσθ θεοφιλῆ: id est, *Improbo homine non honoratur* DEVS. *neque sumptibus colitur, neque tragœdiis capitur instar hominum malis, sed virtute ac institutis bonorum operum & iustorum. Quocirca bonum esse tum factis, tum voluntate qui futurus sit Deo charus* Siquidem, vt prædiximus, cùm à Deo procedant omnia bona, & veluti à fonte illa in nos deriuent, necessarium est alueum nostrum purgatum præparare, ne eius fluxus prohibeatur, vel conspurcetur: vel ne præcludantur radices eius, vt accidit ex peccatorum sordibus, quas bonitati & liberalitati Dei, miserrimi sæpe opponimus fitq; diuisio inter Deum & nos, quia peccata diuidunt nos à Deo Iesaiæ 59. a & hæc est macies, nempe peccatum, quam soluit Dominus noster Iesus Christus, mediator Dei & hominum, dum fecit vtraq; vnũ ad Ephes. 2. & vt præfatum quoq; Iesaiæ c. 1. Estq; peccatũ nubes inter Deum & homines, qua prohibetur oratio ne transeat ad Deum, vt scribit Hieremias in lamentationibus. c. 3. vers. 44. Sublata autem causa, tollitur etiam impedimẽtum. Vnde Iob. cap. 8. a. admonet, *Si mundus & rectus incesseris, statim Dominus omnipotens euigilabit ad te: & peccatum veddet habitaculum iustitiæ tuæ: in tantum vt si priora tua fuerint parua & nouissima tua multiplicentur nimis.* Annotat & illud Tibullus lib. 1. epistolarum, epistol. 2.

*Casta placent superis, pura cum veste venite:*
*Et manibus puris sumite fontis aquam.*

Et Hesiodus circa finem operum etiam admonet: preces nostras sine puritate vitæ non exaudiri à Deo, his versibus.

μὴ δὲ ποτ' ἐξ ἠῶ ἕως δὶ λείβηθον ἄωτον οἶνον
χερσὶν ἀνίπτοις μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν:
οὐ γὰρ τοί γε κλύουσιν, ἀποπλύνασθαι δὲ τ' ἀρωάς: id est.

*Neque unquam libato manè lotis nigrum vinum*
*Manibus illotis neque aliis immortalibus.*
*Neque enim illi exaudiunt, respuunt verò etiam preces.*

Mos enim antiquis, in symbolum & significationem interioris puritatis, cùm ea tamen ab eis longè abesset, in suis sacris, antequam ea peragerent, aqua lustrali sese aspergere, vt legimus apud Virgilium, Herodotum, & alios. Potissimumq; obseruatus à Pythagoreis: qui religiosiores & sapientiores habebantur, & à sacerdotibus quoque priscis ad vnguem, qui quotidie sacra tractabant, confirmatur, quia maior in illis puritas desiderabatur. Quod & sentit Demosthenes oratione contra Androtionem, & contra Timocratem: ἐγὼ μὲν οὖν οἶμαι δεῖν τὸν εἰς ἱερὰ εἰσιόντα, καὶ χερνίβων ἁγνῶν ἀγόμενον, καὶ τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς ἐπιμελείας πρῶτον ἐσόμενον, οὐχὶ, πρὸ εἰρημένων ἡμερῶν ἀριθμὸν ἀγνεύειν μόνον, ἀλλὰ τὸ βίον ὅλον. id est, *equidem arbitror, eum oportere qui sit templum ingressurus, & vasa sacra & canistra tractaturus, & rerum ad eos spectantium curationi præfuturus, non certorum dierum numero & spatio purè viuere solum, sed per totam vitam.* Erant & apud Hebreos purificationis modi sacerdotum, dum consecrabantur & tabernaculo deuouebantur, in aspersione aquæ lustralis, in rasione pilorum omnium, & lotione vestimentorum vt scribitur Numeror. c 8. purificabantur sacrificia, oblationes, homines, & mulieres. Vnde tot baptismata, & sanctificationes apud illos. Quæ omnia populo adhuc carnali rudique data sunt, vt his exterioribus ceremoniis perpetuò admonerentur, ad Deum cum animi puritate esse accedendum: expurgandumque vetus fermentum malitiæ voluptatis, & solicitudinum superfluarum: partemque illam nobiliorem hominis, nempe animam, esse excolendã, si quid in veritatis cognitione velimus proficere. Atque vt Plato scribit lib. 29. in Phædone, *corpus impedimento est animæ philosophanti: Et dum viuimus ita, vt videtur, proximè ad*

*mè ad scientiam accedemus, si quam minimum cum corpore commercium habuerimus, neque quicquam cum illo communicauerimus, nisi quantum summa cogat necessitas, neque huius naturæ replebimur, sed ab eius contagione cauebimus quoad Deus ipse nos soluat, atq; ita puri & à corporis insania liberati, vt consentaneum est, cum talibus erimus cognoscemusq;, per nosipsos syncerum quodlibet, id est forsitan ipsum verum. Nam impuro quidem purum attingere nefas est.* hactenus Plato. Et certe nulla communio peccati & sordis & obscuritatis ad Deum, qui supra perfectionē perfectus, impeccabilis, superclaritas & superpuritas est. Et quomodo quis veritatis illustrationem expectabit, in eo qui tenebris oblectatur? Aut certe, quomodo quis potest bona loqui, cum fuerit malus? Ex abundantia enim cordis os loquitur, vt hæc cōfirmauit veritas ipsa, Dominus noster Iesus Christus D. Matth. cap. 12 vers. 34. Quia & homo bonus de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus de malo thesauro malum. Et vnaquaque arbor de fructu suo cognoscitur. Quæ repetuntur à D Luc. *cap. 6. g.* Sic & Plato lib. 10. in Philebo, vel de summo bono, eos qui mali non sunt, male loqui non posse ait. Missusque puer ad Socratem à patre, vt probaretur num futurus esset idoneus literis, à Socrate interrogatus est, *loquere puer, vt te videam.* Et Quintilianus docet lib. 11. cap. 1. ex consensu omnium Græcorum, *vt dixerit quemque dicere.* Quocirca veritatis inquisitori, illud præcipuum est, radicem sermonum puram & mundam habere: nempe conscientiæ bonæ & vitæ integræ esse, & ab actibus, consortiis, seu societate, & auditu rerum huic vitæ aduersantium abstinere. Sicque consulit etiam Aristoteles lib 7. politic cap finali. Iubet & Iustinianus in prologo Pandectarum. §. illud verò satis, addens optimam rationem, *quia*, inquit, *oportet primùm animas, deinde linguas fieri eruditas.* Vox namque nihil aliud est, quàm vehiculum spiritus: nunc quidem humanū, nunc diuinum, interdum pythonicum gerens, vt annotauit Ioannes Salesberiensis in libro primo policratico, vel de nugis curialium c. 6.

*Quomodo in negotio se præparet dicturus, & quid in eo antè consideret.*

CAP. III.

HIs prænotatis, postea ad opus ipsum & actionem peruenire oportet, & animus ad id de quo quæritur ab aliis

diuerticulis retractus in propositam quæstionem aduocandus & colligendus. Magis enim agit vnitus, & intentius operatur, quàm si in plura dissipatus plura simul concipiat, vti virtus vnita fortior est seipsa dispersa. Vidi ego tauros in arena sæpè decertantes cum molossis aut vrsis, dum certamen expectabant hostis, quodammodo sese conglomerare & in arctum membra contrahere, dehinc ex collectione se explicantes, impetum validiorem emisisse. Videmus & omnia animalia, quæ per saltus flexu sese impellunt, prius colligere vires implicitas, dehinc in partem, quam volunt, impetu maiori extrudere, qualis est repentium progressio, vt etiam annotat Aristoteles libro, De communi animalium gressu. Et fortior nauibus ferendis aqua, quæ alueo profundo concluditur, ea quæ diuersis riuulis diuisa per planiciem & arua diffunditur. Sic mens circa plura occupata, minus in singulis agit. Ita & vulgaris paræmia verissima;

*Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.*

Non secùs, ac is, qui populari tumultu ac contentione aures habet obturatas & impeditas, legem admonentis audire nequit. Deinceps excutere nobis ignem acquisitiuum veritatis oportet, quo lumen accipiat, quod nobis disputandum vel inquirendum proponitur. Hic tria consideranda in summa sunt, res seu quæstiones ipsæ, personæ, & modi quærendi. Et primùm ipsa quæstio proposita, & particulariter singula eius membra. Dehinc quæstio in vniuersum ex suis partibus composita: dandaque opera, vt ad nostrum ordinem accedat. Dicimus considerandam ipsam propositam quæstionem particulariter per membra, & vniuersaliter simul. Hácque in parte primùm, si sit fallax vel ambigua, propter aliquod æquivocum, si claudicat vel flectatur in duas partes. Et hic distingue ante omnia, de significatione vocabuli, verbi, vel terminorum. Forsan & erit obscura petitio: & tunc postula prius interpretationem, & animaduerte, num de his quæ sciri vel demonstrari possunt, vel non possunt, sint quæstiones. Reiice eas quæ sciri nequeunt, vt quot grana arenæ, quótve guttæ aquæ in mari, quot stellæ, quot Dæmones, vel homines in mundo: sunt enim hæ quæstiones de particularibus, quæ ad scientiam non pertinent, cũ scientia sit de vniuersalibus. Particularia sunt infinita: quãobrem de

rem de his scientia dici non potest, quæ finita est suis cõclusionibus, vt hæc docet Aristoteles 1. Posteriorum. Huc pertinent quæstiones facti, quæ quatenus nudum factum respiciunt, in scientia non concluduntur, quia & ea particularia sunt. Et ideò facti interpretatio, id est, scientia, plerunque etiam prudentissimos fallit, atque alieni ignorantia facti, culpabilis non est, vt scribit Martianus Iurisconsultus in l. 2. De iuris & facti ignorantia, lib 22. c. tit. 6. Et ideò Cicero 39. pro Milone, facti quæstionem in equuleo, iuris autem in iudicio sitam esse dicit. Et Iurisconsulti regulam vnam colligunt generalem, paucis exceptis, iuris ignorantiam, nullo modo vel vix in aliquibus, excusare & nocere: facti autem ignorantiam, & excusare & non nocere. totis integris titulis in Pandectis & Codice, De iuris & facti ignorantia, cum similibus ibi notatis à glossa. Ad quam regulam interpretatio generalis ab iisdem iurisconsultis adfertur. Quam Vlpiani ipsissimis verbis in l. nec supina. l. 6. De iuris & facti ignorantia, in 2 tibi communicabo. *Nec supina* inquit, *ignorantia ferenda est, factum ignoranti, nec scrupulosa inquisitio exigenda. Scientia enim hoc modo æstimanda est, vt neq; negligẽtia crassa aut nimia securitas facti expedita sit, neq; delatoria curiositas exigatur.* Hactenus Vlpianus. De facti tamẽ quæstionibus respondere possumus, si ad alia ex facto se diuertat oratio: sicuti, num factum hoc tali fuerit tempore, & tunc si historiæ quicquam eius meminerint, de his in testimoniũ possunt citari, vel si monumenta quædam his de rebus prostent fidem facientia, vt marmora, lapides, instrumenta, testes, & huiusmodi probationes, vel antiquæ vel factis contemporaneæ. Possumus etiam coniecturis de facto disputare num sit factum: argumentis ab his quæ fieri solent, vel communiter fiunt, vel non fiunt, si ex dicto factum sequatur. vt, quia oblitus quis, ergo & antea sciebat, ergo & antea didicit: si noluerat id facere, & potuit facere, ergo & fecit: vt scribit Aristoteles lib. 2. Rhetoric. ad Theodectẽ. cap. 19 vbi alias cõiecturas addit. Vt, si in eo faciundo delectabatur si tẽtauit facere: si cõsequentia fecit, ergo & præcedentia, vt, si corruscauit, & tonuit. si tẽtauit, ergo fecit: si tonuit, etiã corruscauit: si corruscauit, etiã tonuit: nã positione cõsequentis, ponitur & antecedẽs, postremo si factum sit in disputatione non tanquam principalis quæstio, sed tanquã materia ex qua quæstio controuertitur: veluti, num benẽ,

vel male,iuste,vel iniuste,sufficienter,vel contrà,&c.actum sit Et nos in iure solemus hanc materiam hypothesim vocare,alij casum, quod namque accidit fieri. Et dicimus ex facto, hoc est,ex controuersia quæ ex facto fit,ius oriri. Id est, determinationem iudicij; in quo omnes circumstantiæ facti perpenduntur, vt scribit Alpheius Iurisconsultus, in l.Si ex plagis l.53.§.in cliuo. Ad legem Aquiliam, lib.9. ff.tit 2. & Aristoteles 3. Rhetoric. ad Theodectem. cap. 17. Quæstiones in iudicio esse dicit has, Si factum sit:si affuit, si tantum, si iure. Quæstiones quæ non egent ratiocinatione vel discursu,sunt, quæ fiunt de rebus sensibus manifestis: & superuacuis laborat impendiis, qui solem certat fascibus adiuuare,Anacletus Papa in cano.si omnia in hoc seculo. 6. quæst. 1. parte 1. Decretal vt,num sit alba nix, num sol habeat lumen, num nox atra, ignis calidus, nigrúmne sit nigrum. Quia non habent dubitationem, quorum est propinqua demonstratio, & sensibus patens, vt scribit Aristoteles lib. 1. Topic. cap. 9. Sunt aliæ Quæstiones, quibus non respondere non multum interest, sicuti vanæ,futiles,otiosæ, garrulæ, irridendæ potius quàm soluendæ.sicuti Aristophanes in Nebulis Socratem irridet, quòd pulicis saltum per soleas pulicis mensurauerit, pulicem in ceram liquefactum immittens, qua mortua vestigia infixa, illa educta, remanentia veluti calciamentis ad mensuram adaptabat:item, quòd culicem per culum capere dixerit,& quòd podice pro tuba vteretur. In his vanis maxima temporis iactura est, quo nihil certe pretiosius, nec thesaurus nobis maior tempore, semper namque ille à nobis aliquid detrahit, addi tamen illi non potest quicquam à nobis, vt docet Seneca libr. de breuitate vitæ. Et vix septuaginta, imò vix sexaginta anni dantur hominis vitæ à Deo. Et quamuis ætas hæc longior videatur, tamen animo philosophanti breuis est, vt scribit idē Seneca lib 2. De vita beata. Et Sapientiæ cap.2.b.*Transitus umbræ est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo reuertitur.* Et secundū Iob ca.13.a *Homo natus de muliere,breui viuens tempore.* Et c.4. a *Breues dies hominū.* Et vita nostra vapor ad modicum patens, vt diuus Iacobus scribit c.4.o. Sunt & inutilibus adnumerandæ quæstiones eorum, qui ideo mouent dubitationes vt nihil inueniatur argumētandi causa,quos cuitare oportet,neq; imitari. Si .n. argumētandi causa tantū ea faceremus

ceremus, malè ageremus: cùm similes esse debeamus potiùs iis, qui vndique diligenter idcircò considerant, vt exactè quippiam inueniatur, vt scribit Galenus tom.1. lib.1. De motu muscul. Quamobrem & expedit nobis, vt saltem illud modicum tempus à Deo concessum, in ieriis expendamus, & in exercitiis virtutum redimendis, nec perdenda illa cœli rapacitas in argutiis, & ieiunis dialecticorum concertationibus, vt grauiter admonet Seneca lib.6. Epistolarum, epistola 50. & lib.1. epistola 1. colligenda & fistenda fuga temporis, injiciendi harpagones, & anchoræ voluptatibus, & futilibus quæstionibus, vt necessaria comprehendamus. Et, vt idem scribit Epistolarum lib.21. epist.117. *Obsecro vos, cur tam necessariam curam, meliori huic debitam, in re, nescio an falsa, certè inutili, terimus.* Et D. Paulus 2.ad Timotheum cap. 2. d. versic. 23 *Stultas* inquit, *autem, & sine disciplina quæstiones deuita: sciens, quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigiosum, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem & patientem.* Sic ad Titum cap. 3. c. versic 9. *Stultas quæstiones & genealogias, & contentiones, & pugnas regis deuita: sunt enim inutiles, & vanæ.* Et sane vanitatem, esse declinationem à perfectione hominis, innuit Salomon Ecclesiast.c.7.in fine. *Solummodò hoc inueni, quòd Deus fecit hominem rectum & ipse se infinitis immiscuerit quæstionibus.* Et magis futiles animum diuexant inquirentium, imò & sæpe inquirentes enecant, difficultate, vt legimus apud Plutarchum de Homeri vita, Homerum mortuum præ animi dolore, quòd non posset mente assequi Ionensium piscatorum responsum, qui ab eo interrogati num aliquid haberent, illi autem quod nihil cepissent, sed propter piscium penuriam pediculos quærerent, sic responderunt: ὅσ᾽ ἕλομεν λιπόμεθα, ὅσ᾽ οὐχ ἕλομεν φερόμεθα, id est, *Quæ cepimus, reliquimus, quæ non cepimus, quærimus.* quod & refert Herodotus in eius vita, quamuis non ex ænigmatis perplexitate mortuum neget, sed morbo. Platonem etiam ferunt aliqui, vili quæstione interrogatum & vexatum, mortuum, vt scribit Flauianus lib. de vestigiis Philosophorum, cap. de Platone Certè cùm in hunc locum incido, miseret tot perditorum hominum & otiosorum, qui in quæstionibus futilibus animos etiam illustres exercuerunt, & inibi ostentant. Quorũ alii de amore venereo & impudico replent codices perma-

ximos, alii verbositatis plenos, vt eloquentes videantur, cõglutinant commentarios, alii ex culicibus, creant elephantes & camelos. De quibus Dominus iustè conqueritur per Iesaiam cap. 5. a. *Expectauit vt vineam meam quam plantauit, faceret vuas, & fecit labruscas.* Similes me Deus amet eiusmodi existimo filio prodigo, qui substantiam patris dissipauit viuendo luxuriosè, longè profectus à patre in regionem longinquam. Et horum ego è numero fui, circa poësim, & illa primæ ætatis iuuenilia vanissima maximè irretitus, donec me manus Domini, qui sua gratia, nullis meis præcedentibus meritis, è fæce & luto porcorum suscitauit, vt semel insaniuimus omnes: sed ignis nugarum mearum solus nunc testis, & gratia Domini nostri IESV CHRISTI, per quem seruatus & liberatus sui de medio ignis æstuãtis sum id quod sum.

Personam loquentis considerandam, & eius quem quis alloquitur, tradit cap solitæ. De maioritate & obedientia, lib. 1. Decret. cap. de infidelibus. De consanguin. & affinit. Can. Deinde opponitur. 26 distin. Subinde in ipsius quærentis dignitate, per principia metaphysica contemplare.

1 *Si bonus, paucis contentus erit & contra si malus.*
2 *Si magnitudine præstet, reuerenter age.*
3 *Si pertinax, multis & pertinaciter.*
4 *Si potens, paucis & cõsisè, & sapiẽter, & cautè & placidè.*
5 *Si doctus maximè, age authoritatibus: si ignarus, rationibus.*
6 *Si verus, rerum demonstratione potissimùm.*
7 *Si virtute præditus ab honestis & virtutibus, si contrà, à vitiorum improbitate & virtutum laude.*
8 *Si gloria præcellens, ab hũ qua eam continent.*

In persona proponentis quæstionem, debemus eius animũ contemplari cum eo & modum.

1 *Num quærat, vt experiatur, an quicquã de ea nouerimus.*
2 *Num quærat, vt argumentandi contra nos sumat occasionem.*
3 *Num in omni parte propositionis dubitet, vel in membro aliquo.*
4 *Num omnino neget, vel partem.*
5 *Num simpliciter tuam quærat de re proposita sententiam.*

Inter hæc autem maximè interest, quid contingat, disputãdum ex his. Nam cùm in primo experiundi causa quærit quis, vt accidit in probationibus & examine Magistratuũ, profes-

professorumq; publicorum, rum pingui Minerua & extenuatis & dilatatis fimbriis, agendum est. Et in vtramq; partem dubia explicanda vberiori calculo. In secundo & tertio modo quęrendi, simpliciter sententia reddenda, inuenta aliqua vel secunda ratione. In tertio & quarto maximè immorandum, in quibus versatur dubium: cætera pro confessis proponenda. Si in omnibus dubitetur, Primum particulariter singulæ partes propositionis docendæ: dehinc ex singularum coniunctione, vniuersa proposita resoluenda.

*Omnia ferè esse sub Quæstione: & de Quæstione in genere, quid sit, eiusq; partitione, & diuisione.*

CAP. IV.

NEcessarium in hac methodo nō existimo nunc in quæstionibus inquirere, num quicquam in controuersiam deduci possit inter homines, propter quod nos solutiones & media inuenire cogamur, per quæ quiescat à dubitatione & incertitudine animus, & ad concordiam reducantur. Quæritur namque semper in quæstionibus omnibus de *medio*, aut num sit medium, aut quod sit medium, Exemplum an sit, vt, an sit Sol, vel ne: Et si sit, an hoc sit id, vel illud, vt scribit Aristoteles lib. 2. Analyticor. cap. 2. Atque omnia ferè in dubium reuocari ab humana imbecillitate videmus. Nam vt Seneca scribit Epistol. lib. 19. epist. 110. *Tota vita nostra in tenebris est:* & vt Plato dicebat lib 34. dialogo 2. de legibus, *De multis disputare atque ratiocinari clarè non valemus nec certo: quia non purè cognouimus.* Siquidem cùm id faciat & exprimat in rebus oratio, quod pictura, sicuti quis picturam non potest diiudicare, qui rem pictam priùs non viderit, veluti, num rectè depictus sit bos, nisi priùs illud animal nouerit, & eius colores, & formam; sic neque rem descriptam sermone ignorans rei, diiudicaret, neque qui ignorat, plenè describere poterit: Palpamus in pluribus, ignoramus multa, coniecturas capimus ex infinitis, credere ferè par est in omnibus. Et omnis veritas in puteo naturæ demersa, vt dicebat Democritus, nisi quatenus nobis diuina maiestas per filium suum vnigenitum apertè reuelauit. Et *cuncta res alioquin difficiles, nec potest eas explicare homo sermone.* Eccles. 1. Et hoc propter admirandum Dei DEMIVRGI artificium. Qualis enim artifex, tale opus. Si eximius, & tale opus: nam, *in manu artificis opera laudabuntur.* Eccl. 9. d. vers. 24. Et quia

Deus

Deus incomprehensibilis, sic eius opera nobis mortalibus, & ex terra creatis hominibus, omnino incomprehensibilia. Ex quibus constat, quantū pateat disputandi amplissimus campus, sentiendi asserendíve in vtramuis partem libertas, vt non immeritò dictum fuerit, quot homines, tot sententias esse. Cùm itaque palàm sit, ex tot litibus, dissidiis, & pertinacibus assertionibus, quæ quotidie se nobis offerunt, quæstiones & controuersias ingentes suboriri, pauca de finitione quæstionis, & de materia eius in vniuersum dicamus, quæ viam ad quæstionū formulas præparent. De nominis Quæstionis significatione, non est quòd chartas impleam: cum satis per se, sicuti & res ipsa, appareat. Cæterùm substantialem ipsius finitionem afferimus ex Boëtio lib. 1. Topicor. Quæstionem esse propositionem dubitabilem, vel in dubitationem adductam. Huic Quintilianus subscribit, dum ait lib. 3. Institut Orat. c. 15. *Quæstio latiùs intelligitur omnis, de qua in vtramque partem, vel in plures dici credibiliter potest.* Porrò in iudiciali materia, dupliciter accipienda est: altero modo, quo dicimus multas Quæstiones habere controuersiam, quo etiam minores omnes complectimur: altero, quo significamus summam illam, in qua caussa vertitur, veluti in cardinibus. Sic & apud Iurisconsultos Quæstio etiam iudicialis dicitur, tractationis inquisitio, per quam res expeditur & diffinitur, vt apud Marcellum Iurisconsultum in l. Lucius Titius. l 38. mandati. lib. 7. ff. tit. 1. Quæstio etiam apud illos, pro propositione dubia, quæ determinanda venit: vt apud Iabolenum Iurisconsul. in l. quæstio est, l. 115. De verb & rer. significat. li. 50. ff. tit. 16. & passim in reliquis. Qua ratione & torturæ quibus eruitur ex reis veritas, Quæstiones dicuntur, quasi inquisitiones eorum quæ dubia sunt. Extantque hac de re tituli in Pandectis & Codice Iustinianeo, De Quæstionibus, sub quibus de his agitur. Et Isocrates serm. 18. in Trapezitico, docet medium tormentorum quàm eximium ad dubia veritati tradenda. *Adhæc*, inquit. *compertum habeo, vobis cùm in priuatis tum in publicis rebus, nihil fidelius, nihil verius, tormento reputare: Quin testes fictos possibile esse, ad res etiam quæ nunquam facta sunt. accuri posse, tormenta verò indubitatè demonstrare, viri verum dicant.* Annotandū tamen inter Quæstionem, & hypothesim vel casum, esse in iure & apud rhetores differentiā aliquo modo. Nam hypothesis est fundamentū Quæstionis, circa quā totius cōtro-

uersiæ

uersiæ cardo vertitur: Nã nõ omnis hypothesis dubitationẽ habet, sed tum cùm de ea quæritur. Et interdũ factum dubiũ non habet: controuersia aurẽ circa factũ ne sit iustè, habet. Et ideo dicere breuiter possumus Quæstiones facti esse, interdum iuris, interdum vtriusque. Et generaliter omnis Quæstio vel est factorum, dictorum, verborum, voluntatum, rerum, Arist. Rhetor. ad Alexandrum. Et hæ Quæstiones proponuntur secundùm Rodolph. Agricolam lib. 2. de Inuentione cap. 7. vel simpliciter, vt cùm etiam sit Erotema, vel compositè. Simpliciter, nempe de vna re: vt, num mundus sit æternus, quam Quæstionem defendit pro æternitate Arist. 1. Topicorum & 8. De cœlo. ἐρώτημα interrogatio, cui vno verbo sine ratiocinatione respõdetur, vt, cuium pecus? Ægonis, affirmatiuè vel negatiuè. Compositè, vt, num mundus sit, &, num mundus æternus sit. Omnium autem finis Quæstionum versatur secundùm Ciceronem in Topicis, & Rodolph. Agric. lib. 2. de Inuentione cap. 9. vel circa cognitionem, vel circa actionem: circa cognitionem, quarum finis scientia; & hæ artium potissimùm sunt contemplatiuarum, vt, sit ne, quid sit, quale sit: circa actionem, vt quæ circa officium suscipiendum fiunt, vt, sit ne sapientis ad Rempublicam accedere: & quæ ad motum animi gignendum, vel tollendum, & circa ea, quorum actio finis. Propriè, id cui pluribus verbis respondetur, & cui sine ratiocinatione nequit responderi, Quæstio dicitur, Græcis πύσμα, vt dixit Aquila. Cùm autem verbo vnico. vel paucis respondetur, ἐρώτημα, seu Interrogatio dicitur: quando vel negatiuè, vel affirmatiuè respondetur: vt fecisti ne hoc? feci, vel non. venit ne amicus ad cœnam? venit, non. & sic de similibus. Confundi tamen has appellationes in vtraq; lingua. & vnam pro alia sæpe assumi liquet: scribit etiam Ludouicus Viues in libris De tradendis disciplinis in libro De instrumento probabilitatis. Cæterùm ad Quæstionum omnium illustrationem, & ad eruendum propositæ dubitationis resolutionem, nobis media quædam inuenienda sunt, per quæ à dubio in veritatem perueniamus. Illa autem media & modi nouem, quibus, veluti per principia, Quæstiones expendimus, expurgamus, & veritatem venamur: non aliter quàm qui lapide smyride maculas & rubiginem à chalybe, longa & continuata confricatione detergunt, candoris veri politiem inducunt, distinguuntq́ue adulterinam vitream gemmam à vero adamante, vt scribit

Amatus

Amatus Lusitanus in Dioscoridem lib 5. enarrat.125. Modi autem hi nouem sunt. 1. Vtrum vel an 2. Quid,quis,quæ, quod 3. Quotuplex, quotus. 4 De quo. 6. Secundum quid, vel iuxta quod. 7. cuius 8 Propter quid 9. Quare. In omnibus his tres diuersitates & differentias consideramus semper. quæ perpetuò obseruandæ. Nam Quæstionum diuersitas est aut ex parte rerum,aut verborum,aut voluntatis, aut ratione subiectæ artis. Ex parte ipsa rerum,duo genera sunt: simplex.& compositũ. Simplex,quod nascitur ex simplici ,pnunciato: cuius sunt quatuor differentiæ. nã quęritur aut vtrũ sit, Quid sit, Nũ hoc sit illud, Quomodo hoc sit illud. quod quadruplex est: nam quod prædicatur,vel est finitio, Genus, Species. Accidens. Compositum,etiã duplex: copulatiuum,disiunctiuum. Copulativum,vt,voluatur ne cœlum. & terra num stat: copulatiuæ dictiones, &, que, quoque,ac,etiã,simul,cum,tum. Disiunctiuũ,sitne dies,aut nox: Disiungentes,ve,vel,aut,siue,seu,an. anne,nec, neque. Ex parte modi quærendi verborum,voluntatum,in quibus consideratur si Quæstiones sunt, aut prædicatiuæ, vt,sit ne homo bipes: aut conditionales.vt,si quis loquens expuat: aut puræ, vt,num homo mortalis: aut modalis,in quibus vnus quatuor modorum consideratur vel ineſt:aut possibile: aut impossibile: aut contingens:aut necessarium,pro diuersitate artium, ad quas Quæstiones pertinent.

## *De modo Quærendi per Vtrum, vel An.*
## CAP. V.

CVm in Quæstionibus nisi probetur ordo Quintiliani, quem adfert lib. 7 Instit. oratoriar. c. 1. nempe, quòd vis Quęstionis semper crescere debeat,& ad potentissima ex infirmissimis peruenire. siue sint eiusdem generis siue diuersi: placet,rectius nos facturos,si eo ordine progrediamur in quęrendo, vt à primis ad ea quæ rem demonstrant perfectè,procedamus: prius autem quod erit inquirendum,est de Vtrum vel An: nam,vt Themistius Euphrades Peripateticus scribit in lib 1 Paraphrasis ad primum Analyticorum posteriorum Aristotelis c. 2. In omnibus, in quib prænotiones habere contingit, duo cognoscere necesse est. Interdum an sit, siue quod sint Interdum aliquorum,quid nomen significet: veluti quęrentibus,Quare magnes ferrum trahit,prænoscendum est magnetē ferrum trahere solere,& mores hoc pati. In quib,verò quis scisciatur,sint,vel non

sint

sint Dii, vel prouidentia, in his necessum est, quid vocabulo indicetur, prænosse. Ideo scire rem impossibile, si ignoretur, quid eo nomine designetur. Contrà fieri quidem potest, vt sciatur quid nomen rei significet, sed nesciatur an sit. nemo enim est qui ignoret quid Scillæ, quid Hyppocentauri appellatio denotet, sed an sint, omnes ignorare & dubitare videntur Eadem & docet Aristoteles lib. 1. Resolutionũ posterior. cap. 1. & Galenus tom. 3. lib 6. cõment. in Hippocr. libr. De morbis vulgaribus, Quæstionem, An sit, præcedere dicit Quæstionem Propter Quid. Et Cicero in Partitionibus oratoriis, *Omne*, inquit, *quod in controuersiã venit, id, an sit, nec ne sit, aut quid sit, aut quale sit quæritur. In primo coniectura valet, in altero definitio, in tertio ratio.* Sed cur præponamus cæteris Quæstionũ modis, illud vtrum sit, audiamus Franciscũ De Syluestris Ferrariensem, in Cõmentariis in lib. primũ contra gentiles Diui Thomæ, super caput 66. vbi alium ordinẽ cognitionis Deo, alium nobis propriũ distinguit. Cognitio, inquit, Vtrum vel An sit, præcedit cognitionem Quid est, in acquisitione scientiæ nostræ. Dum cognoscimus rem esse, siue rem sub actuali existentia, priusquam caussetur in intellectu cognitio Quid est. Quod tamen verum non est in scientia Dei, quæ non caussatur à rebus. Verum tamen cùm dicimus præcedere Quæstionẽ, An est, cognitionem Quid est, non ideo necessarium est esse eam rem actu, vel quod necesse sit cognoscere prius esse illam rem actu, quàm cognoscatur Quid sit. Sed id dicimus, quòd oportet ipsam naturam Entis habere, & illi Esse conuenire suo modo. scilicet, aut suis temporibus, aut in virtute suæ caussæ, aut aliquo alio modo. Hoc autẽ potest conuenire rei existenti, aliquo tempore in natura. Porrò Deus, quæ nunquam habebunt esse in natura, sed tamen possunt esse, cognoscit quidditatiuè. & cognoscit illa esse Entia, & quæ habent esse, in virtute ipsius Dei, licèt non habeant in seipsis. Quamobrem diuersa scientia Dei à nostra. Quia vt D. Thomas scribit, in Quæstionib. veritatis: Dei scientia est caussa rerum, & ideo potest præcedere res factas, & cognitio apud Deum, est quid ante esse: sed nostra scientia caussatur à rebus. Nobis igitur prima controuersia est, An sit. Nam eius quod non est, quod pertinet ad nostram cognitionem, nullæ sunt qualitates vel substantiæ: quibus determinare de propositis possimus. Sic qui discernit, debet circa rei cuiusque principium statuendum differere

multa,

multa, diligentissimeque considerare vtrum rectè discernat nec ne, quo quidem sufficienter examinato, cæteram principium sequi debent, vt scribit Plato lib. 23 in Cratylo, vel de recta nominis ratione. Notandum tamen verbum Sit ne, continere id quod fuit, vel est, vel erit. Et sic Pomponius Iurisconsultus scribit in l. verbum erit l. 23. De verborum & rerum significa. *verbum*, inquit, *Erit, interdum etiam præteritum, nec futurum tempus demonstrat*. Quemadmodum & verbum, Est. non solùm præsens, sed etiam præteritum tempus significat, potissimùm cùm indefinitè loquimur: nam si definitè, & cum nota temporis diceremus, non ita verbum, *Est*, quod præsentis temporis propriè est, nec *Erit* quod futuri, promiscuè sumerentur, vt interpretatus est legis Atiniæ, & meminit P. Nigidius & post eum Aul. Gellius lib. 17. Noctium Atticarum c. 7. Nos autem, Est, hic accipimus indefinitè, videlicet, Est, pro eo quod esse potest, quod non respuunt Iurisconsulti, qui & annum vtilem esse dicunt, non in quo actum est vtiliter tantùm, sed in quo agi potuit, vt scribit Vlpianus in l. 1. §. annus autem vtilis, quando de peculio annalis actio est lib. 15. ff. tit. 2. & Caius in l. 6. annus autem de calumniatorib. lib. 3. ff. tit. 6. cum similibus. Item sæpe est, pro eo quod esse solet. Quærunt autem per An sit, vel Vtrum sit, vt colligo ex Aristot. 2. Analyticor. cap. 1. in singulis disciplinis, per quatuor modos essendi. Et per eosdem modos respondetur generaliter per tria, quæ ego sic faciliori sequenti schemate ordino additis aliis: Vtrum vel An, quærit & de materia & de forma, Sit ne, An sit in se, An in alio, An omnino sit vel in parte, An hoc illud sit. Per quatuor modos essendi, Num impossibile, possibile. necessariò, essentialiter, contingenter, accidentaliter, purè, conditionaliter, simpliciter, compositè. Per hæc eadem respondetur per dubitationem, præsertim distinguendo conditiones euentuum propositis in vtramque partem rationibus & probationibus aliis. Per affirmationem præsertim, per exhibitionem rei, per effectus, per causlæ positionem, per rei necessitatem, per contingentiã, per authoritatem scribentium, per negationem præsertim, per impossibilitatem. Probatio fit, & respondetur ad ea quę facta sunt, testibus, instrumentis, adminiculis, indiciis, tortura. Item secundùm Ciceronem in Partitionibus, ex verisimilibus factis genus argumenti sumitur, si sit præsumptio, telum, cruor, clamor, exitus, titubatio, permutatio coloris,

loris, oratio inconstans, tremor, præparatum aliquid, si communicatum cum aliquo, si postea visum, auditum. Ex hoc fonte colligi possunt argumenta & rationes, quia res talis est, docendo vt in affirmatione, in se, in alio, omnino, in parte non mirandum esse, quia possibile est esse, quia necessarium. Hæc autem iuuantur principiis transcendentibus, quia bonum est ita esse, quia magnitudo in ea, quia existentia, quia potentia essendi: & sic de reliquis principiis. Probationes facti, sunt res ipsæ, vt indicia, præsumptio. c. afferte mihi gladium. cum similib. aliis capitulis, de præsumptionib. vbi plenè, extant tituli de testibus in Pandectis & Codice Iustinian. & in iure canonico De fide instrumentorum in c. Iustinian. & in Authentic. De instrum. fide & cautel. & in iure canonic. De fide instrum. sit interdum & testis & iudiciorum coniunctio extant & tituli De Quæstionibus in iure ciuili, copiosi. de quibus Deo fauente in iudiciorum tractatione, dum de probationibus dicetur. Secundùm Ciceron. 1. de Inuentione, in confirmationibus etiam dubium, probabile fieri potest, argumentatione, signo, credibili iudicato, affectione, authoritate iudicum, cõmuni sententia populi, approbatione sequente. Ex comparabili: imagine, collatione, exemplo. Quatuor modos sic percurre: primo, impossibile est vel non est, esse. Secundo, imò possibile est, vel nõ est. Tertio, sed & accidentaliter plura contingũt quæ non fuerũt nec erunt. Quarto, imò & ita esse, vel non esse, necesse. Ex Dubitationum solutione, ad manifesta peruenimus. Manifestum autem dicitur, non quod cuiq; constare potest seorsum, sed quod vel propria confessione elicitur, vel legitimis probationibus docetur, vel euidentia facti apparet: vt scribit Innocent. in cap. 24. cùm olim. De verb. signif. lib. 5. Decret. tit 40.

## *De Quæstionibus per Quid, Quis, Qua, Quod.*
## CAP. VI.

CONstituta iam probatione, vel dato consensu disputandorum, Quod sit, ex illa vel vulgari, communive approbatione, tranſeundum est ad Quæstionem Quid sit. Quæ quidem in plerisque, veluti in his, de quibus constat ea esse, prima est, omissa priore, An sit, veluti tunc superflua & tanquam confessa. Quamobrem & ferè omnes in agitatis confessarum rerum controuersiis, Quid sit de quo disputant, ab exordio conquirunt tractationis. Ea ratione

Plato in Menone, vel de virtute, scribit, semper debere p̃cedere cognitionem Quid sit antequam perueniatur ad quæstionem Quale sit, *Quamdiu enim*, inquit, *quis ignorauerit, Quis ú sit, optimè ignorauit Qualis sit, num bonus vel malus, num diues an pauper, &c.* Sic, si quis nesciat quid sit virtus, nõ intelliget qualis sit. Et Aristoteles lib. 2. De Generatione animal. scribit, principium in rebus immobilibus esse quidditatem, sicuti in rebus quæ fiunt, plura sunt principia, & modo diuersõ, quia nec omnia modo fiunt eodem: quorũ tamen principiorum vnum est numero, vnde motus. Et Galenus tom. 2. lib. Num ars tuendæ sanitatis ad artem medicinalem spectet, scribit initiũ omnis inuentionis esse, antè cognoscere quidnã est id quod quęritur: & tom. 4. li. 3. De differentiis pulsuũ, Ridiculũ esse ait, & confusione plenũ, omissa Quæstione Quid sit, ad Quęstionem Quomodo sit, transire. D. Athanasius tractatu de definitionib. scribit etiã, q̃ quęvis Quęstio, vel interrogatio continet tres Quæstiones vel inquisitiones. Primam nominat, Quid sit res de qua quæritur: secundam, Secundùm quid dicitur. tertiam, Quot modis intelligatur definitio. Porrò si quæramus Quid sit res, liquet quòd rei diffinitionem quęramus: Quando verò interrogamus Secundum quid dicta sit, rei etymologiam siue notationẽ nominis postulamus: cùm autem dicimus Quot modis hoc nomẽ dicatur, apparet quod inquiramus, quot sunt huius nominis significata. Et hoc in loco sedes est finitionis, quæ inuolutum euoluit id de quo quæritur, vt Cicero ait in Topicorũ principio, & per quam fit solutio ad Quid est: nam patefactio quasi rerum opertarum, cùm quid quidq; sit, aperitur, diffinitio est, vt scribit Cicero li 2. de Finib. Quia definitio vera est oratio, qua quid sit res, id est, subiãtia rei breuiter explicatur, vt scribit Cicero ad Brutum, & primo de Oratore, item li. 4. Rhetoric. & Aristot. li. 2. Resolutio posterior. c. 10. & 7. Metaphys c. 4. & 5. vbi & solius substantiæ propriè finitionẽ esse dicit: si autem fiat reliquorum p̃dicamentorum, necesse est ex additione esse, vel qualitatis, vel aliorũ: ex additione, id est, accidentiũ coniunctione & repetitione rei, vt nasus simus. est nasus concauus sursum versus. Et apud Galenum in Isagogicis definitionibus medicis, siue is sit liber Galeni vel alterius, nihil interest inter finitionis finitiones illa etiam ponitur, vt ὁρισμὸς vel finitio, sit oratio quæ ipsum esse declarat breuiter, vel oratio quæ nobis intelligentiam rei facit. Et tom. 1. operum

tum lib. 9. De Hippocratis & Platonis decretis, Plato, inquit, in Sophista & ciuili, docet quomodo quis loco appellationis & nominis, breui & dilucida oratione, significatum eius interpretatur. Quæ oratio, postea definitio, & finis a recentioribus per excellentiam fuit nuncupata. Et Ioan. Damascenus in dialectica cap. 14. *Definitio*, inquit, *est oratio, qua compendiosè & breuiter naturam rei explicat.* In quo dicit, oratio differt à nomine: quia nomen vna est dictio, definitio, sermo qui saltem duabus constat dictionibus. Dicitur & explicare naturam rei, quia sunt plures quidem sermones breues, sed quia naturam rei non explicat, non sunt finitiones. Ideo & ab ea finitione principium sumendum admonet Cicero 1. Officior. Et Aristot. Metaph. lib 4. c. 7. Scribit eorum qui quærunt causam substantiæ, vel ob quam causam substantia, definitionem esse omnium principium, fierique definitionem ex eo, quòd necessarium sit, aliquid eos significare, vt ita ratio, *cuius signum* est nomen, definitio fiat. Accidit namque iis qui absq; definitionum cognitione quicquam docere conantur, idem quod cæco viatori, hac, illac aberranti, vt scribit Athanas. lib. de Definitionibus. Causa siquidē ignorantiæ errantiū est, quòd rem, de qua verba faciunt, nō tenent: vt dicebat Aristoteles lib. 3. De generatione animaliū, cap. 5. *Qua enim ratione intelliges*, vt scribit Plato lib. 11. in Hippia maiore, vel de pulchro, *qua oratio pulchrè composita sit, qua non, aut aliam quamlibet actionem pulchram esse, aut turpem, dum pulchrum ipsum quid sit ignoras?* Scias tamen, vt scribit Rabi Moses Ægyptius in principio Directorii, *quòd naturalia non possunt exponi ab homine expositione per se facta: nec efficere potest homo, vt sciatur pars principiorū suorū, sicut sunt.* In quo certè opificis p̄stantia admiranda est Dei, qui ita præcellit in opere, vt à nobis ars illius comprehendi non possit rerum factarum, quas tamen esse & factas nobis cōstat. Vtrumq; tamē in lumine artis Dei ex collatione & effectib. rerum secundùm humanam imbecillitatem, & oculos noctuæ definimus. Et Plato lib. 23. in Cratylo ait, Res omnes habere in se statam essentiā, nec secundùm opinionem hominum illam definiri: nec verum esse quod Protagoras dicebat, hominem omniū esse mensuram: illudq́ verissimum, nomen esse instrumentum docendi rerum substantias & discernendi: vt pecten, & ra-

diū ipsius telæ, in arte textoria. Etymologia nominis huic loco maximā adfert, lucem petens aliunde ex deriuatione, & aliam notans originem. Vtitur ea Pompon. Iurisconsultus in l. 239 pupillus. §. vrbs. §. oppidum, §. territorium. De verborum significatione lib. 50. ff. tit. 16. Porrò Cicero libro Topicorum ad Trebatium scribit, quòd cùm Quid sit quæritur, notio explicanda est, & proprietas, & diuisio, & partitio: Hæc enim sunt definitioni attributa. Additur etiam descriptio, quam Græci καθ' ὑποτύπωσιν dicunt. Quamobrem & admonemus quòd definitionum modi plures sunt, sed in summa duo genera prima: quia vel est nominis, vel rei finitio. Nam, *Quidnam est*, illam geminam habet notionē, vnum genus, quod planè rei notionem explicat, quam qui ponunt nomen, habent: notionem autem nomen explicat, vt omnib. sit testata qui eadem vtuntur lingua, & ad rei essentiam tamen non aspiret. Sic Cicero 2. de Inuentione, *Definitio est, cùm in scripto verbum aliquod est positū, cuius de vi quæritur.* Verba enim frustrà esse non debent, sed aliquod denotare: aliter ex vsu eradenda, vt scribit Iustinian. in lib. 1. De nudo iure Quiritum tollendo, lib. 7 C. tit. 25. Alterum genus finitionis est, quod docet essentiam, vt ei quæ notionem subjicit, consentiat, nō sit tamen cum ea eadem: vt annotat Galenus tom. 2. lib. Num ars tuendæ sanitatis, ad medicinalem artem spectet, & tom. 4. lib. 4 De differentiis pulsuum. Scribit & eodem 4. libro de different. puls. notabile vnum, Omnem disciplinam ab aliqua notionis definitione sumere initium debere, ab illa vel paulatim ad essentiales progredi, aut repentè ad eam, quæ ad amussim explicet rei propositæ essentiam. Et circa finem lib. 4. *Per definitionem quidem significationem explicare propositi nominis (siquidem propositam rem non omnes assequuntur planè) non duco conducit. sed necessarium est. Necessarium etiam vbi quuvel versutia, de industria, vel imprudens præ stupiditate, significationes commutet nominum, tribuens alia rebus.* Nā notio est communis intelligentia, & nobis magis obuia: quamobrem ab illa incipiendum. Quia, vt scriplit Aristoteles lib. 1. Physic. c. 1. hæc insita naturā nobis est via, vt à notioribus nobis, magisque manifestis, ad notiora naturæ magisque manifesta proficiscamur. Non enim sunt eadem, nobis, atque simpliciter nota. Quapropter hoc modo ex hisce quæ naturæ quidem minus sunt manifesta, nobis autem notiora, ad ea quæ dilucidiora

sunt

sunt magisque nota naturæ, proficiscamur necesse est: & ex confusis & vniuersalibus ad inconfusa & particularia perueniamus. Sic Vlpianus iurisconsultus, antequam tractaret de rerum creditarum essentiali materia, bene se facturum ratus est, si pauca de tituli inscriptione præfaberet, notionem communem priùs delineans, vt legitur in l. 1. De rebus creditis lib. 12. ff. tit. 1. Cognitionem autem illam rerum per nomina notionem valde adferre, latè docuimus in Bonitate, dum ageremus de Benemerito in synonymis vel prædicatis Bonitatis. Et constat etiam, nomina ad recognoscendos singulos imposita esse, vt scribunt Diocletianus & Maximianus in l. 1. De mutatione nominis, lib 9. C. tit. 25. Quod & in rebus obseruatum, in quibus ne mutaretur vel confunderetur illarum notio, immutabilia dicuntur nomina ab Vlpiano in l. 4. De legatis 1. lib 30 ff. tit. 1. quod maximè de appellatiuis, ratione cuiusque patriæ vel populi, vel linguæ propriæ intelligendum est, vt vulgaris appellatio immutabilis sit, vt scribit Celsus iurisconsultus, in l. Labeo, 7. §. 1. De supellectile legata, lib. 33. ff. tit 10. Et Plato in Theæteto, vel de scientia, vti nominibus verbisque communioribus, neque exactè curioseque disquirere, generosi animi esse dicit: contrà, sæpenumero illiberalis. At notandum est obiter, inter nomen & appellationem, positam differentiam secundùm Diogenem philosophũ: quòd nomen sit pars orationis significans propriam qualitatem, vt Diogenes, Socrates: appellatio autem, pars orationis significans communem qualitatem, vt scribit Diogenes Laërtius libr. 7. De vita Zenonis Critici. Nominis itaque rudis declaratio, est quæ demonstrat, quam rem nomen illud significet: & in hac vel vtimur mea sententia, descriptione in absentibus, vel demonstratione in præsentibus In vtraque autem finitione illud commune est, vt vel quod est, vel quod intelligitur, definiatur: vt annotat Cicero lib. Topicor. ad Trebatium. Descriptio illa, est veluti quædam superficialis pictura, per quam illa res repræsentatur, qua de agimus. Sicuti architectus, & quiuis mechanicus artifex, ante veram rei efformationem sibi vmbratilem quandam figuram erigit, quo ad operis perfectionem dirigatur, vel circini, & euthygrammi ope, vel alia quauis tractabili materia sibi ideas componens, proplasmata, vel ignographiam, vel ortographiam, vel scenographiam, vt scribit Vitruuius libr. 1. Architecturæ c. 2. Exemplum sit:

Asinus est animal quadrupes, habens longas aures, caput magnum, sine cornibus, &c. Galenus itaque in Isagogicis libr. De definitionibus medicis, Descriptionem esse definit, vt sit oratio, quæ rudius, ac quadam veluti formula, ad declarandæ rei notitiam introducit. Et Diogeni Laertio libr. 7. in vita Zenonis, Descriptio, est oratio figurate & per vmbram ad res inducens: siue definitio definitionis vim simplicius exprimens. Et Aulus Gellius libr. 1. Noctium Attic. cap. 25. Definitiones à descriptionibus his verbis distinguit: *Professò non id fuit Varronis negotium, vt Inducias superstitiosè definiret & legibus rationibusq; omnibus definitionum inseruiret: Satis enim visum est eiusmodi facere demonstrationem. Quod Genus Graci τύπως, id est, formas magis, & ὑπογραφὰς, id est, descriptiones, quam ὅρις μοὺς dixerunt, vel,* inquit, *secundùm alios, Descriptio est oratio qua res per rudem imaginem repræsentat.* Et D. Ioannes Damascenus in Dialectica cap. 4. Descriptionem scribit vno verbo ex accidentibus componi, id est, ex propriis & accidentibus: vt, Homo est animal risibile, directò ambulans, habens latos vngues. Themistius etiam lib. 2. Analyticor. c. 12 Definitionem qua nomen docetur, interpretationem vocis vocat, non autem finitionem, Cæterùm aliud est vocem interpretari, aliud dicere quid vox significet, aliud quæ essentia significati sit. Exempli caussa, homo proponatur. Triplici modo definiendus. Nominis definitio erit, id quod vocant Secundùm quid, & Cicero in Topicis notationem nominis, Græci etymon: vt sit, Homo nihil aliud quàm lutũ, nam & Homo ab humo dicitur. Secundo modo, si à notione vocis, dicemus Hominem esse statura, erectum quid, habens caput sursum erectum, habens pedes & manus, & loquens. Tertio modo à substantia, dicemus esse animal rationale. Alii tamen finitionum, vel descriptionũ modi: de quibus, vt certiores reddamus veritatis speculatores, paucis agamus. Colligamus itaque quatuordecim species & modos finiendi, vt hinc veluti ex promptuario quodã cornucopiæ, ratiocinandi detur ansa & occasio, & quisq; depromere possit quæ sint sibi accommodatiora. Prima species οὐσιώδης, quæ substantiã significat, & quod quid est, vt scribit Aristot. Metaph. 7. c 4. vbi & meminit finitionis singulorum quæ ex prædicamentis qualitatis fiunt, & eorum quæ talia sũnt: Prior enim substantialis, vera est finitio quidditatiua: Alia verò, quæ entium accidentium est secun-

secundùm quale quid. & non simpliciter per quid Secunda species vocatur ἐπιστημονικὴ, notionalis, à τὸ ἐπιστῆμαι, quod notio Latinis, quæ rem ostendit, non per id quod est, sed per id quod agit: vt *Beatus est vir, cui est nomen Domini spes eius*, Psal. 39. & Psal. 49 *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem.* Et hæc finitio est, veluti si cognoscamus à fructu arborem: quia enim Beatus non tolet participare impiis, neq; contemnere pauperes, quia hæc agit, & beatus est Item si dicamus, Rex est, qui subditis omnibus imperare & vetare potest sine controuersia, qui & vitæ & necis habet potestatem: sic de similibus. Tertia species dicitur ποιοτικὴ, qualitatem exprimens: quæ dicendo quid quale sit. id vnde agitur euidenter quid sit ostendit. vt, *Beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore*, Psal. 105. Quarta dicitur κατὰ μετάληψιν, id est, secundum sensum verbi, & compacta paucis: vt dum dicimus, viuere Deo eum, qui voluntatem eius facit. Quoties vnam quamque rem verbis singulis ostendimus, vt scribit Cassiodorus super Psalm. 45. vt, *Beatus is, cui auxilium à Domino:* Et vt, *Quæ sunt testimonia Domini?* responsio & finitio, *Mirabilia.* Hæc certè perpulchra cùm vno verbo explicatur quæsitum. Quinta κατὰ μεταφορὰν, per translationem, cùm rem aliquam sub breui præconio quæ sit, ostendimus: vt Psalm. 18 *Lex Domini immaculata, conuertens animas*: ibi Cassiodorus. Sexta κατὰ ἀφαίρεσιν τῆ ἐναντίᾳ, per priuationem contrarii, cùm nõ dicitur quid id sit quod definitur, sed dum aliud illi simile negatur: veluti, Deus definitur, quod alia non est, Et per ablationem: vt, Deus qui *non* est homo, qui non est corpus, qui non est anima. qui non est Angelus: quia supra hæc omnia est, vt scribit D. Ioã, Damascen. li. 1. De orthodoxa fide. c. 4. Itẽ, Quid est dies? qd? nõ est nox: & nox? quod nõ est dies: malum? quod bonum non est. Quanquã Themistius li. 2. poster. Analyt. c. 3. scribat demonstrationem etiam ad negationes porrigi: finitionem autem nunquam ad negationem, & nisi ad affirmationẽ. Septima κατὰ ὑποτύπωσιν, per illustrationem quandam & delineationem, vel descriptionem sermonis manifestans rem: vt, Cęsar Augustus, est primus, qui firmauit imperium, Iulii successor, nepos Iuliæ, qui triumviratum gessit cum M Lepido, & M. Antonio, &c. Dum conjiciuntur tot circumstantiæ, ex quib. notio facilis habetur: vt. Iudas Iscariot natione, discipulus Christi, qui osculo cum

Iudæis tradidit, vendidit, qui se suspendens diffusis veniæ, crepuit medius. Octaua κατὰ ἔπαινον, cùm per modũ laudis finitio explicatur. Nona species ὡρικὸς, veluti impulsorius sermo in alium, cùm ex vno sermone alius intelligi potest: vt, qui seminauit zizaniam, est inimicus homo, ille inimicus homo, potest & de homine & diabolo intelligi. Decima κατὰ ἀναλογίαν, secundùm similitudinem rationis in aliquo: vt, homo dicitur Deus, & filius Dei, ratione participationis diuinitatis, & gratia beneficii Christi, non natura: quia vnus Deus natura, non plures. Nam cùm vniuscuiusque verbi duæ sunt naturæ, à qua re, & in qua re, vocabulum sit impositum, prior ἐτυμολογία dicitur: vt dũ quæritur à qua re sit pertinacia, ostenditur à pertendẽdo, & in illa parte, vbi, cur, & vnde sint verba, perscrutamur: secũdùm verò illud, In qua re, ἀναλογίαν dicunt Græci, vt in qua re sit impositum verbum pertinacia, dicitur, cùm demonstratur, in quo non debeat pertendi, & pertendit, pertinaciam esse: nam perstando vbi oportet, est perseuerantia, Marc. Varro lib. 4. de lingua Latina, & lib. 6. & sequentibus. Cui & aliam speciem addo finitionis, vndecima κατὰ τοῦ πρός τι, ad aliquid, cum ratione alicuius tale quid dicitur, quia in eo communicat: vt, quanquã plures sint coheredes & condomini alicuius rei, tamen vnus illorũ ritè dominus dicetur eius rei & heres. forsan dicemus optimè hanc accidentis. Duodecima species à forma, decimatertia à materia, decimaquarta ab vtrisque. Omnis enim ars atque scientia subiectum habet & finem, qui forma est. Ex quibus omnis ars triplici modo definitur, vt in arte nauium ædificandarum clarè apparet. Nam ex materia est ars quæ in lignis versatur: ex forma vel fine, est ars nauium fabricandarum: ex vtrisque autem, est ars quæ in lignis versatur naues efficiens. Definitio quæ ex forma sumitur medio vacans, medio, id est eo per quod finis perficiatur, demonstrationis est principium: & quæ à materia, conclusio demonstrationis existit. Si autem ex vtrisque fiat, fit demonstratio, quæ tamen à finitione propositionum dispositione differat, docet Georgius Pachymerius libr. Resolutionum posteriorum. Aliud exemplum ex ira. Ira per materiam est sanguinis ardor in corde. Materiæ solùm, quia ille sanguinis feruor in aliis fit quàm in iracundis: nam communis irato, ægroto, currenti, epulis saturato, & ei qui in hyeme friget. Ira ex fine, vel forma, quæ soli conue-

nit

nit irato, est vlciscēdi libido. Ira postremò ex vtroq;, est feruor sanguinis in corde, propter vlciscendi libidinē. Hic finitio, materiam primo, postea formā accipit, contrà demonstratio, primum formam, deinde materiam. Et sic ordine differunt, siquidem vt scribit Themistius li. 2. Posteriorum c. 3. nulla demonstratuo ad essentiā pertingit, nec illā cōcludit. In Demonstratione autē ita dicitur: Iratus vlciscī ardet, eius q. vlciscī ardet, sanguis in corde ebullit: irati igitur sanguis, in corde ebullit. Quod si dixeris, Irati sanguis in corde efferuescit, Qui habet sanguinem in corde efferuescentem, vlciscī desiderat, falsum dicis in eo, quod sanguinem efferuescentem habentem, vlciscī desiderare dicas, quia & sanguinis feruor fit multis etiam à causis. Hæc de tribus vltimis his finitionum modis me docuit Georgius Pachymerius in libro Posteriorum resolutionum. Themistius etiam in paraphrasi lib. 2 Analyticorum posterior. Arist. c. 12. diffinitionum quatuor recensēt modos, cui adde quintum: sed primum non putat dici finitionem. Primam finitionem quæ explicat nomen, vocat interpretationem vocis: nam plerumque fit, vt qui definitionem huius audiunt, num sit, nec ne res, vnde nam sit, non nouerint: Nam vacuū quid indicet scimus, sit autē aut non, aut quamobrem sit, possit ne esse, assignare non possumus. Secunda alia definitio rem quidem commonstrat esse, sed quamobrem sit non demonstrat: cuiusmodi illa est: Lunæ defectus, est Lunam pleniluniis non lucere. Hæc namque oratio quanquā aliquid demonstret, nihil tamen ad scientiam demonstrat. Tertia vtrumque complectitur simul: nam & quid sit res, & causam cur ita sit, continet, vt Tonitruum est restinctio ignis in nube. Hæc forma finitionis paucis mutatis in demonstrationem conuertitur, vt per demonstrationem, vbi flamma restinguitur, tonat: in nube flamma restinguitur, in nube igitur tonat. Quarta quæ causam aliam vnde sit habet, eoque in conuersionem demonstrationis potest cōferri: vt, tonitruum est elisus in nube sonitus. Quinta forma definitionis est, cuius principia immediata sunt, atque hæc à demonstratione non differt solo situ, quia ad causam superiorem non refertur: quamobrem prima & quinta forma finitionum, non annumeratur finitionibus. Sed dubitabit aliquis, cur nos species definitionis attulimus, cùm maximè illa probabilior sit, quæ substantiam rei explicat, & materiam & formam, vel finem, causam, subiectum, &

genus: & vt dicam simul, quæ constat genere & differentiis. Respondebo, tot fuisse modos necessarios, & tot nomini finitionis cõuenire secundum particularem cuiusq; modum. Nam definitio dicitur finitio, seu terminus: quia omnes finitiones sunt finitæ & terminatæ, vt scribit Arist. 1. De anima c. 3. à metaphora finium, vel terminorum soli: & quia diuersæ figuræ possunt esse limitum, diuersi etiã modi finiendi. Sic etiam quædã finitionibus cõcludere opus est, quæ ad quæstionem substantiæ vel totius rei non pertinent: quamobrem & in omnibus frustra laborare non expedit in finitione explicationes, quærimus enim interdum solum nominis analogiam, interdum solam notationem, interdum vsum, & sic de similibus. Dehinc ex modis his finitionum paratur dicturo copia dicendi, interpretandi, & ratiocinandi, imò substantialem finitionem examinandi. Porrò admonemus, eam optimam esse finitionem & perfectissimam, in qua finitum cõuertatur cum sua finitione, & contra: qua vtimur in omnibus, in quibus plenè rem omnio explicamus, in disciplinarum enarrationibus. Quæ autem non cõuertuntur, prauæ sunt & vitiosæ quarũ duæ species: falsa, quæ attribuit, quæ non conueniunt: vulgaris, quę ad alia transferri potest, vt scribit Cicero 2. Rhetoric ad Herennium, & 1. de Inuentione. Et, ne scrupulus supersit, interpretor quid sit illa conuersio, & quomodo ad eam finitionis perfectionem perueniatur. Conuersio itaq; dicitur, quando finitio non superabundat, nec deficit dictionibus: Contra defectus, & imperfectio finitionum est, quando deficit vel superabundat, tunc enim conuersio fieri nequit. Sic Cicero 2. de Orarore, *Præcipit*, inquit, *in finitionibus ratio atq; doctrina, & vis eius rei, quam definimus, sic exprimatur, & neq; absit quicquam, neq; superfit: nam quando deficit dictionibus, superabundat rebus: quando autem superabundat dictionibus, deficit rebus.* Exemplum vtriusq; suppono: & primùm exemplum conuersionis in finitione perfecta hominis sit. Homo est animal rationale, mortale: Conuersio, omne enim animal mortale rationale, homo est. Vides ibi omnia nomina conuerti, neq; quicquam abundare, nec diminui ex substantia. Cape & exemplum cum deficit dictione, & abundat rebus. Homo est animal rationale, vide ibi defectum dictionis, nempe mortale: nam non potest conuerti, vt animal omne mortale, sit homo, nam animal rationale est Angelus, & tamen non est homo. Rursum sit exem-

exemplum cùm superabũdat dictione,& deficit rebus,Homo est animal rationale,mortale,grammaticũ:superabundat grãmaticum, quia cõuerti nequit, vt omnis homo sit grãmaticus. Definitio itaq; esset grammaticorũ.& defectus in genere hominis in vniuersùm sumpto. Hæc docet D Ioannes Damascenus in Dialect c.14 Vlpianus etiã eadẽ probat.dum examinat actionẽ de Dolo in l 1. §. Dolũ malum. De dolo malo li.4.ff. tit.2. Sunt autẽ regulæ quædã observandæ,in finitione perfecta & essentiali venanda.Prima.vt si fieri possit, antequã ad finiendũ prosiliamus, vniuersam rerũ finiendarũ substantiã, vel quã proximè cõplectamur. Nam cum finitio sit veluti rerũ epitome,facile qui rem nouit.sermonem breuem quo rem ostendat proferet, quẽ finitionẽ dicimus. Qua non egeremus,si rẽ possemus omnino cõplecti mẽte vt illi.q rerũ tradiderut finitiones. Quod docet Aristot.lib.1.de part. anim. c... dum scribit authores antiquos(& hic continetur alia admonitio, ne nisi præmeditatè finitiones rerum adferamus ) ante Democritũ, per quid esset, atq; substantiæ definitionẽ ipsam,nõ solitos fuisse explicare, sed hunc modum Democritum tetigisse primum, nõ tamen qp ad rerum naturaliũ studium putauerit necessariã finitionẽ ipsam, sed qp ab ipsa re traheretur, vel impelleretur: Socratis verò temporibus vsum quidem definiendi increuisse, sed indagatione rerum naturaliũ defiisse:nam omne philosophandi studiũ,ad vtilem virtutẽ ciuilemq; vsum translatum est Subscribit & Galenus tom.4 de differentiis pulsuum lib.4. *Veteres*,inquit, *relictis definitionibus docebant significationes, declarantes nominum quibus vtebantur, per aliorum nominum cognitorum additionem, vel per materiam propositam.* Secunda regula, de minimis definitiones non esse indagandas:nam in his multum teritur temporis frustra. Quanquam plures sint,qui,vt ait Galenus lib. 1. De differentiis pulsuum,nec olera quidem vẽdant,quin non quærant finitionem:& Cicero ad Trebatiũ, *Dum intelligitur quid significetur, minùs laborandum est de nomine.* Tertia nec omniũ quærendã esse finitionem,veluti quid sit Deus:& de huiusmodi aliis multis, quæ definiri nequeunt, veluti quorum planè natura cognosci non potest,vt quorum natura incomprehensibilis nobis, vt de viribus rhabarbari,scammoneæ, magneris Sic & de solis,& lunæ,& aliorũ,quæcunq; vnica sunt.finitione impossibili, ratiocinatur plenè Arist.li.7. Metaphys.c.15.Sũt & nomina

ex

ex impositione & consensu primo, quæ nec etymologiam, nec finitionem admittunt: & alia, quæ nisi sola eaque nuda demonstratione apparent. Quarta, vt homonymia, nominis. inquam, acceptio distinguatur, antequam definitio adferatur. Nam de nomine homonymo vna quidem potest dari finitio, sed de substantia eorum quæ per illud continentur, nequaquam, nisi distinctis rebus eiusdem nominis, quæ singulas exigunt finitiones. Planè si nomen plenum vni rei subiectæ seruit, poteris tunc quidem vnam adferre finitionem, quod tamen vix accidit: cum & Archigenes medicus dixerit, nullum inueniri plenum nomen, vt refert Galenus eodem lib. 1. De differentiis pulsuum. Quinta regula, finitiones omnes vel esse generum, vel specierum, vel individuorum. Certè difficilius definitur genus quàm species: & quanto magis genus generalius, tanto difficilioris finitionis. Quia facilius est singulare definire, quàm vniuersale, vt scribit Arist. 2. Analyticorum posteriorum c. 15. Themistius lib. 2. Posteriorum resolutionum ca. 22. Nam cum dilucida expectetur interpretatio ex finitione, difficile valde est multa paucis explicare. Cæterùm finitio generis, per specierum breuem complexionem esse debet, & per inferiora. Specierum autem finitio, debet esse per genus, & differentias proprias, quæ soli speciei conueniãt: id est, per superiora, vt genus, & per propria, quæ ab aliis speciebus separent. Et certè ego existimo, in omnibus posse semper genus inueniri summum, donec ad Deum vsque peruenerimus, qui genus generalissimum est omnium finitionum, & primum sine principio, quare nec potest ipse definiri. Dico itaque, omnem bonam finitionem omnium rerum, siue generum, siue specierum, posse & debere genere & differentiis propriis constare. Genus autem in finitione adhibendum, non supremum, sed proximum & immediatum, videlicet illud vnde proximè petuntur species, vt scribit Galenus tom. 4. libr. 4. De differentiis pulsuum, in Aristoxeni pulsuum finitione. Definitionum namq;, & definitorum, genera sunt principia, vt scribit Aristot. 3. Metaph. c. 3. Principia autem illa dicuntur, quæ proximè accedunt definito. Nam cùm dicimus, Homo est animal rationale, mortale, accipimus animal, non corpus vel substantiam, quæ sunt genera mediatè superiora homini. Quia itaque conuenit venari genus & differentias, recurres ad c. 4. lib. 1. nostrarum Syntaxeon, vbi breui schemate inuenies omnia

omnia genera rerum omnium, & differentias insigniores quibus proximè annectuntur species sub genere eodem inconfusæ. Cicero in Topicis ad Trebatium in hæc verba de definitione tradit. *Dicendum quis sit definitionis modus. Sic igitur veteres præcipiunt: cum sumpseris ea, quæ sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eò persequendum dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit, ut hoc: hæreditas est pecunia, commune adhuc, multa enim genera sunt pecuniæ, adde quod sequitur, quod morte alicuius ad quempiam pervenit: nondum est definitio, multis enim modis sine hæreditate teneri mortuorum pecunia possunt. Vnum adde verbum iure: iam res à communitate disjuncta videbitur, ut sit explicata finitio sic, Hæreditas pecunia quæ morte alicuius ad quempiam pervenit iure.* Hactenus Cicero ibi. Et rursum in Partitionibus oratoriis: *Non dubium est id quidem, quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiam communium frequentia. Ex quibus proprium quid sit enumerat Sed quoniam de propriis oritur plerumq; dissensio, definiendum sæpe est ex contrariis. sæpe etiam ex dissimilibus, sæpe ex paribus.* Hæc ille. Et Arist. 6. Topicor. cap. 1. *Oportet eum qui definit, in genere ponentem, differentias adiungere.* Nam maxime eorum quæ sunt in definitione, genus videtur defuncti substantiam significare: Vel propria non est definitio eius quod quid est. Et breuiter, bona definitio constat ex genere & differentiis. Regulam ex Iurisconsultorum fontibus pro loco argumẽti topici colligimus, vt dum non conuenit alicui rei nomen quod definitur, nec etiam conueniat ei finitio, vt scribit Caius Iurisconsultus in l. 31. mortis causa capitur, De dona. causa mor. lib. 49. ff. tit 6. In specie, mortis causa donationem, quæ quia non communicat nomine proprie legato, ideo eius finitionis substantia ad legatum non porrigitur. Sic argento legato, nummos non deberi scribit Vlpian. in l. 29. Quintus Mutius lib. §. 1. De auro & argento legato. lib. 34. ff. tit. 2 Et Aristot. lib. 2. Topic. c. 2. argumentum a finitione probat, & li. 6. Topicor. c. 3 & Rhetoric. ad Theod. lib. 2. cap. 23. & alibi. Notandum tamen est, in nominibus propriis argumentum hoc, ab etymologia nominis, non esse necessarium: eo quòd ex placito imponantur. Et annotauit id etiam Bart. super rubricam, Soluto matrimonio, in Pandectis, num. 5. Alia regula, vt dum concurrunt substantialis definitio, & vocabuli allusio, si ea generalior vel con-

contractior finitione sit eam nō sequamur, sed finitionem potius, vt notat Bart. in l. 1. num. 4. ff. De testam. & in l. 1. De summa trinitate & fide catholica, lib. 1. C. titul. 1. dū tractat de statutis, & Paul. & Aretinus in dicta l. 1 ff. de testam. & cæteri scribentes, & super l. 2 § appellata est. Si cert. pet. in ff. Et Callistratus Iurisconsultus in l. fin. § penultim. Ad municipal. libro 50. ff. titulo 1. solam nominis similitudinem, minimè ad probationem sufficere scribit, sed ex rebus aliunde esse etiam petendas probationes. Quod in his probandis maximè intelligendum est, quæ facti sunt, cùm tamen in aliis & ea similitudine vti possimus, dummodo non pugnet aduersus finitionem: & arguimus à vi nominis, ex notatione & etymo eius. Et hoc argumento vtuntur etiam Iurisconsulti, vt Paul. in l. 2. §. appellata est mutui datio, ex eo quod meum tuum fiat. De reb. cred. lib. 12. ff. titul 1. Et rursum, possessio appellata est à pedibus, quasi pedum positio. apud eundem Paul. in l. 1. de acquir. possess. lib. 41. ff. tit. 2. Sic Iulianus in .52. ita vulneratus. Ad leg. Aquil. l. 6 ff. titul. 2. Occidisse verbi interpretationē à cæde & cædendo deducit, ex quo colligit & eum propriè occidisse dicit, qui manu adducta vim intulit, vnde mors secuta, quamvis vulgari interpretatione occidisse videatur omnis causam dans. Et Vlpianus in l. 1. depositum, quasi positum. Depositi lib. 16. ff. tit 3. Iustin. in § 1. De testam. tit. 10. testatio mentis, testamentum Et Pompon. in l. tugurij 180. De verb. signific. lib. 50. ff. tit. 17. tugurium, à tegendo, quasi tegurium. vt toga quòd ea tegamur. Donatio, inquit Paul. dicta est, à dono, quasi doni datio, in l. Senatus, l. donatio. De dona. causâ mortis, lib. 39. ff. tit. 6 A monstrādo, & quòd curam magis cæteris præbere debeant, dicti magistri. l. cui præcipua. De verb signific. lib. 50. ff. titul. 17. Tutores, quasi tuitores, sicut ædituus qui ædes tuētur, l. 1. De tutel. ff § tutores eodem tit. apud Iustin. Bonū argumentum est à finitione, quia quamuis omnis finitio periculosa sit, rarum tamen est vt subuerti possit, vt scribit Vlpian. in l. 202. omnis definitio. De reg. iuris, lib. 50. ff. tit. 17. Si conueniat itaq; finitio alicui rei, & subsistantiam conuenire finitionis dicimus: & contrà, si non conueniat finitio, nec finitum conuenit, vt Vlpian. docet explicans in l. 1. De verb. obligat. lib. ff. tit. 1. illa verba, Stipulationem fieri vtroque loquente *quare* inquit *nec stipulatio inter absentes, mutos, surdos, & huiusmodi fieri dicitur, quia sibi colloqui nequeunt.* Et

sent. Et Iulian. Iurisconsultus in l. 60. quæsitum, De reiudica. lib. 42 ff. tit. 1. docet febrem grauem esse morbum, qui excusare debeat à comparitione, à definitione, morbi sontici qui cuique rei nocet, leuem verò vel aliquam quartanam minimè, quia finitio non cõgruit ei. A nomine etiã quid agere oporteat colligimus, vt Imp. Leo in l. 26. decernimus. De episc. & cleric. lib. 1 c. tit. 6. *Ideò*, inquit, *patientiam & modestiam suam, quam leges nostræ & publica disciplina, & ipsorum monachorum nomen exposcit studiosè vnumquisque tam monachus, quàm cuiuslibet alterius professionis retineat, & perpetuò obseruare procuret.* Et rursum Imp. Valentinian. Theodos. & Archad. in l. 5. defensores. de defensorib ciuit, lib. 1. c. tit. 56. *Defensores*, inquiunt, *nihil sibi insolenter, nihil sibi indebitum vendicantes, nominũ sui tantùm fungantur officio. Nullas infligant multas: seueriores non exerceant quæstiones: plebem vel decuriones ab omni improborum insolentia & temeritate tueantur, vt id tantùm quod esse dicuntur esse non desinant.* Conueniunt enim rebus nomina sæpe suis. Sic verè Nabal secundũ nomen stultus dictus est, ab vxore Abigail, placante Dauid. 1. Reg. c. 25. Notandum tamen est, absolutè in hoc argumẽto non esse concludendũ. veluti non hæc proba argumẽtatio, Nomen id significatione non continet, ergo illud non cõplectitur. Sed affimatiuè bona, vt hoc significat, ergo & illud cõplecti debet, vt docet Iustin. in § est & aliud, De donat. lib. 2, Instit. tit. 7. Donatio, inquit, ante nuptias, dicitur ea quæ & ante & post nuptias donationẽ complectitur. Dehinc sciendũ à nominis significatione, non semper esse argumentũ necessarium, sed probabile: quia nomina sæpè ex placito imponuntur & mutantur, substantia autẽ nunquã mutari potest. Verũ cùm imposita & primitiua pauca sint nomina, quæ vt fontes sunt, declinata autẽ quamplurima, quæ vt riui sunt à prioribus & analoga, dicendum nobis, vt scribit M. Terentius Varro lib. 1. analogiæ, verborum dissimilitudinem, quæ sit in consuetudine, non esse vitandam: quòd si analogia sequenda est nobis, aut ea obseruanda est, quæ est in cõsuetudine, aut non est. Quidam tamen contra analogiam variè dicũt, & pro anomalia, quare & ij loci cõmunes, dicere vel pro, vel contra analogiam, vel anomaliam, vt scribit Gellius lib. 2. Noct. Attic c. 25 Sumitur etiam argumentum à diuersitate, vel similitudine nominis,

quo si

quo significata vel paria, vel dissimilia docemus esse, vt Constantin. Cæsar scribit l. 51. idem l. 7 De codicill. lib. 6 c. tit. 36. *Si idem codicilli quod testamenta possent, cùr diuersis in his instrumentis vocabulum mandaretur, quæ vis ac potestas vna sociasset?* Porrò Typum omnium horum de quibus quærit quæstio Quid, videbis in lib. 2. nostrarum Syntaxeων. ca. 7. Quot autem modis quid dicatur in aliquo esse, plures determinarunt, sed alij aliis; in eo copiosiores fuerant. Ioan. Cæsarius tract 2. de prædicamentis, nouem modos ponit. Themistius non tot in Aristotelem lib. 4. Physic. comment *23.* vsque ad *29.* Et Arist. libr. 4. Physic. c. 3. octo ponit modos, & explicat. D. Ioannes Damascenus in Dialect. c. *22.* ponit vndecim. Alia addit Alexander Aphrodisæus, lib. 1. De anima, vbi de eius agit forma. Alia Franciscus de Sylucstris in commentariis, in c. *13.* lib. 4. Summæ contra gentiles Diui Thomæ. Cæterum nos omnium opiniones in vnum schema concordantes ita colligimus in li. 2. nostrarum Syntaxeων, quem videto. c 8. Postremò notandum est, propriè finitionem, Et Quid, esse de substantia rei, quia substantia est primum & simpliciter ens: accidentis autem, finitio non propriè est & simpliciter quid, sed secundum quid. Nam accidens quidem est ens, sed non simpliciter, sed habitudine ad substantiam vnde est ens, quia est entis. Quamobrem ex consequenti est ens secundum quid, quoniam per substantiam. Exemplum adfertur ab Arist. 7. Metaph cap. 4. vt hæc se habeant tanquam medicinale quod constat dici non vt vnum, sed vt ad vnum: id est, prædicatur à pluribus, puta ab opere, à vase, sed per respectum ad corpus medicabile, quod est subiectum in quo operatur medicina. Patet itaque quod substantiæ & accidentis est definitio, sed substantiæ simpliciter, accidentis secundario.

*De Prædicabilibus.*

## CAP. VII.

QVia in definitione vera concipienda, meminimus, & genus, & species, & differentias, & propria esse perpendenda & distinguenda, in hac quæstione Quid est, nunc etiam appendices de illis adiiciemus, vt cognoscantur quæ huiusmodi sunt. Dicimus igitur, omne quod est, vel esse vniuersale, vel individuum. Vniuersale dicitur, id quod

vnica

vnica voce vel duo, vel plura, vt vnitatum, & vt plurium, complectitur: veluti plura iuris appellatione continentur, nempe & Ius ciuile, & Naturale, & Gentium. vt & hominis appellatione, Petrus, Ioannes, & reliqui homines, Aristot. 1. de partib. animal. cap. 4. explicat. Porrò vniuersitatis tres gradus sunt (hac namque via facilius explico mea sententia quam si sequar antiquorum modum tradendi, quem obscuriorem existimo:) Horum autem superior generalior, inferior minus vniuersale. Et distinctio eorum per tria vniuersalia. Gradus vniuersalitatis tres sunt: Primus vniuersale simpliciter: secundus, genus. Vniuersalior gradus duplici consideratione, vel respectu omnium, & hoc solus Deus, Vel respectu inferiorum creatorum, vt substantia: Tertius species minus vniuersalis, id quod potest esse generalioris speciei, & genus inferiorum. Vniuersale singularibus opponit Vlpianus in l. 2. Quorum bonorum, lib 43. π. tit. 2. Vniuersale simpliciter, est id quod totum vnica cõsideratione sine partium vel specierum discretione, complectitur individuum quippiam. In quo à genere & aliis vniversalibus & minoribus gradibus, differt, in quibus considerantur species vel aliæ partes. Et sic etiam distinxit Paulus Castrensis in commentariis ad l. 1. De officio eius cui mandata est iurisdictio, num. 8. in π. Cui suffragatur Iabolenus, in l. 23. cum qui De vsucapio libr. 41. π. tit. 3 Quod maximè iurisconsultis notandum est: nam quædam transeunt cum vniuersitate, vel cum hæreditate quæ generalitati non adhærent: vt ius patronatus, quod vendi per se nequit, transit tamen cum vniuersitate & venditione hæreditatis, vt tractat Innocentius in c. ex literis. De iure patronatus. Quod scribit verum esse Vlpianus in reliquis sacris, vt per se vendi nequeant, accedant autem maiori parti eorum, l. 20. in iudiciis. De contrahend. emptione lib. 8. π. tit. 1. Tres distinctionis vniuersalis modi, nempe per differentias inter species & genera: Per proprium specierum commune. Per accidens in abstracto, vt albedo, nigredo, &c. quantitas qualitas, &c. Breuius hæc sic collige omnia: Omne quod est, quod cogitatur. quod dicitur, quod fit, quod scribitur, vel est genus, vel species, vel individuum: quæ distinguuntur vel Differentiis, propriis, accidentalibus, & distinctionibus numeralibus. vocant Dialectici hæc prædicabilia, quæ de pluribus prædicari nata sunt, secundum Aristotelem libr. 1. περὶ ἑρμηνίας. vbi prædicabile vocat τὸ

καθόλου. Plato in Sophista. libr.15. Vel de ente, tria maxima & generalissima genera ponit, nempe ens, statum, & motū: & ens esse in reliquis duobus, verùm illa duo non confundi. Aristot. autem, libro 11. Metaphysic. capitulo 1. duo ponit prima genera, ens & vnum: eo quòd natura prima sint, & quòd his pereuntibus, omnia pereant: item quia magis hæc prima & vltima, & generaliora, magisq; simpliciora sunt. Marcus Terentius Varro quatuor genera prima rerum, & totidem verborum ponit libro 4. de lingua Latina: primum, corpus, vt cursorem: secundum, locum, vt stadium quà cursor currit: tertium tempus, nempe horam qua currit: quartum, actionem, vt est cursio. Neque mireris, nos separare vniuersale à reliquis vocibus prædicabilibus: nam & fieri ita necesse est. Postquam enim vniuersales voces prædicabilia dicuntur, & fit diuisio vniuersalis, necessario consequitur, vniuersale latius patere, atque prius esse prædicabilibus, & sine his esse. Verùm in hoc differre, quòd vniuersale per se non sit prædicabile, nam absolutè veluti quoddam totum exprimitur: cæteræ autem voces prædicabilium limitatæ sint per subiecta vel specierum, vel individuorum, facit & pro natura vniuersalis, vt quæ subsunt per se non considerentur, sed provt vniuersitatis sunt, vt tradit Vlp. in l. 21. grege legato, & Pompon. in l. 22 si grege. De lega. 1. lib. 30. ff. tit. 1.

*De Genere.*

## CAP. VIII.

GENVS, secundum Ciceronem 1. de Inuentione, *est quod plures partes complectitur.* Et 1. de Oratore, *Genus*, inquit, *est quod sui similes communione, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes: sicut partes sunt quæ generibus his ex quibus emanant, subiiciuntur.* Prior generalior est & latiùs patet: nam & genus omne dicitur, in quo collectio aliqua plurium est, ideò & duobus modis dicitur genus. Et Diogenes Laërtius in 7. lib. in Zenone. *Genus*, inquit, *est plurium cogitationum quæ auferri non possunt. conceptio, vt cùm dico, Animal: hoc enim cuncta per species comprehendit animalia. Cogitatio est imaginatio mentis, neque aliquid existens, neque aliquid faciens, sed veluti aliquid existens, & aliquid faciens: vt dum cogitatur equus non præsens species est quæ sub genere continetur.* Hæc Laërtius. Primùm dicitur Genus, aliquorum quo-

quodammodo se habentium ad vnum aliquid, & ad se inuicem collectio, vt scribit Porph. libr. quinque vocum: sic dicimus genus id quod pluribus communicatur, Ita origo omnis dicitur genus orti, & generans generati: siue ratione personæ quæ generat, siue loci in quo generatur. Sic nati ab Edom, dicti Idumæi, & à reliquis familiis Noe, gentes denominatæ per suas generationes, vt scribitur Geneseos c. 9. Quamobrem gens dicta est, quòd procreata sit ab vno genere, vt scribit Cassiodorus super Psal. 78. Existimo & Gentiles quasi genitales, & ab vno genitos. De vtroque, & de genere hoc, & gente, meminit Papinian in l. 1. De probatio. lib. 22. ff. tit. 1. vbi & id tractant Doctores, potissimum Paul. Castrensis, Alexander, & alij in l. 2. si certum petatur, in ff. Et à Latio Latinum genus, Virgil. 1. Æneidos à Græco Græci, & Iones à Ione primo generante: & ita à cõtinuata generatione primi mouentis, vt scribit Aristoteles 1. Metaph. c. 28. A loco, vt qui ante dicti à Romulo Romani, vnde Roma nunc & qui orti inibi sunt, vel Romanorum numero adscripti. Accipitur & Genus apud iurisconsultos pro specie specialissima: & ita vocat Genus actionum, id est, speciem, Modestinus in l. 33. non videtur in iudicem, De iudicijs lib. 5 ff. tit. 1. Sic in mutuo, dũ genus idem reddi iubetur, species intelligitur à Paulo in l. 2. De rebus creditis lib. 12 ff. tit. 1. vbi & id annotant scribentes in eam legem. Quin & Iulianus in l. 54. in stipulationibus, De verbor. obl. q. in ff. species dicit Individua, & Genera pro speciebus ponit. Quod pariter locum habet in origine, & sectatione doctrinæ: vt dicuntur hæretici Marcionistæ, Valentiniani, & huiusmodi, quia secuti sunt sectam & opinionem, Marcionis, Valentini, & sic de aliis Authentic. Gazaros. De hæreticis lib. 1. C. Sic Christiani à Christo regenerati, Platonici, Platonis sectam sequentes. Item compositionem aliorum facientia, genera dicuntur: vt quatuor mundi prima elementa, quatuor genera dicuntur: & literæ, elementa orationis dicuntur, quia ex his cõpositiones & rerum, & vocum fiunt, & in ea elementa prima dissoluuntur, vt scribit Aristoteles lib. 5. Metaph. cap. 3. idque metaphoricè. Id commune omni generi, quòd ad vnum quiddam ea quæ ei subsunt referuntur. Cæterùm propriè Genus id est, cuius species inter se distinguntur, & non solùm ab aliis extra genus, sed ab iis quæ sunt eiusdem generis, per differentias propriarum formarum. vt, animal rationale, ab

irrationali distinguitur per propriam formam rationis. in aliis verò, quæ sunt ratione originis vel loci eiusdem generis, nulla est distinctio specierum inter se, quæ substantiam diuisionis consideret. Nam omnes Idumæi, Idumæi sunt & homines. Item Romani, Christiani. & sic de aliis, qui nomine illo generali, non à seipsis differunt, sed ab aliis quæ extra eam generalem appellationem vel id genus sunt. Docet id paucis Aristot. libr. 10. Metaph. ca. 11. eiusdem tamen materiæ species, cuius & genus, vt ibidem scribitur. Verum species, plus vel aliud ex genere sibi separat vna, quàm alia: quod notabis tanquam à nemine, quod sciam ita clare explicatum. Exempli causa, Materia generis animalis, rationale & irrationale concludit. Verùm in diuisione homo amplius quàm animal brutum, ex genere sibi vsurpat particulare, priuatiue supra brutum, nempe rationem: nam patersamilias totius vniuersi Deus plus distribuit illi speciei, quàm bruto. Accipe & ex corporum diuisione exemplum familiare. Bona testatoris vnius sint tibi pro genere, doctrinæ facilioris gratia. Testator in duas partes inæquales diuidens patrimonium omne, constituit duas species bonorum, forsan vrbanorum & rusticorum: sunt itaque rustica eius patrimonij, sunt & vrbana. Cæterum amplius forsan in vna parte quam in alia est, nec rustica tamen vrbana, nec vrbana rustica, & tamen eiusdem patrimonij & generis. In summa, ex singulis oritur ipsum vniuersale. Singularia per sensum habere oportet, vniuersale autem in intellectu, Aristot. lib. 6. Ethicor. ad Nicoma. cap. 11 Et vt possis hinc vtilitatem quandam metere, regulæ pro topicis argumentis à genere hæ tibi sint, cum breuissimis authorum nomenclaturis. Prima, generaliter dictum, generaliter est intelligendum. Pompon. Iurisconsul. in l. 22 si seruitus. De seruitutibus vrbanor. prædior. lib. 8. ff. tit. 2. Vlpian. in l. 1 §. penultimo. Quæ in fraudem creditorum lib. 42. ff. tit. 8. Secunda, Genus est materia speciei suæ, & eius cuius est genus, Aristot lib. 10. Metaph. ca. 11 & in toto pars quoque continetur, vt scribit Caius Iurisconsultus in l. 14. in toto & pars. De reg. iuris. lib. 50. ff. tit. 17. Tertia, Genus prius est sua specie semper: nec fit in argumenti eius consequentia ab illo conuersio. Nam si volatile est, animal est at si animal est, non necesse est volatile esse, Aristot libr. Categor. vbi agit de modis simul. Multum enim interest inter genus & speciem: Speciem autem eximi de genere placet, vt scribit

Paulus,

Paulus Iurisconſ. in l. 10. ſi peculium. De manumiſſis teſtamen. lib 40. ff. tit. 4. Ideò bonum eſt argumentum à genere ad ſpeciem, non contrà, hoc modo: quicquid in ſpecie eſt, in genere continetur, non contra, quicquid in genere, non continetur in ſpecie, vt docet Vlpian. in l. 45 ſi quid earum. §. 1. De lega 3. lib. 32 ff. tit. 1. Quarta, Non poteſt eſſe genus ſine ſpeciebus, nec ſpecies ſine propriis differentiis, Ariſtot. 3 Metaphyſ. cap. 3. Quinta, Debitor alicuius in genere, non liberatur à debito, per indiuiduorum conſumptionem, Martian. Iurisconſ. in l. 30. in ratione §. verum, & §. ſequen. Ad leg. Falcid. lib. 35. ff. tit. 2. Sexta, Qui dicit omnia, nihil excludit. l Iulianus. De lega. 3. lib. 32. ff. tit. 1. l. baliſta, Ad ſenatuſconſult. Trebell. can. ſi Romanorum, ca. dicendo 19. diſt. Sic omnia verbo generali comprehendi debent, can. quotidie 75. diſtinct can. ſunt nonnulli, 1. q 1. can. dilectiſſimi, 12. q. 1. can non æſtimemus, 13. q. 2. can. putant, 14. quæſt. 3. can. reuera. De conſecra. diſt. 2. Septima, Quod generaliter dicitur, determinationem vel reſtrictionem accipit, vel ex eo quod ſolitum fieri eſt particulariter, vel fieri debet: vt dum dicitur, Senatuſconſultum Macedonianum, quod excludit creditores mutuantes filiisfamilias, ceſſare, ſi quis mutuum filiofamilias dederit ſtudiorum cauſa degenti alicubi, illa ceſſatio generaliter prolata reſtringitur, & intelligitur, ſi modum probabilem non exceſſit, vt interpretatur Vlpian. in l. 9. Sed Iulianus, §. quod dicitur, Ad ſenatuſconſult. Macedonia. lib. 14. ff. tit. 6. Secundo reſtringitur ratione idoneæ materiæ, quæ ſubdita eſt generali pronunciationi, nec ad extraneam extenditur, Modeſtin. in l. 11. vt at gradatim, De muneribus & honoribus lib. 50. ff. tit. 4. Bald. in l. 20 quia ait, qui ſatisdare cogantur, in ff. & ſuper l. 1. in fine C. de fide inſtrum. ſcribit, ſtatutum generaliter, quanquam probationem requirentem, intelligi de idonea. Tertio, ſi id, ſuper quod generalitas adhibetur, ſit ſpeciale: veluti poſtulo aliquid pro certis hominibus, conceſſio generalis in impetratione adiecta, contrahitur ad ſpecificata, facit l. 2. De iudiciis. C. diſputat de his Felinus Sandeus in Commentariis ad cap. ſedes, De reſcrip. Ext. numero 5. tractat & hæc idem Felinus in c. in omni De teſtibus in Decret. num. 2. Bart. Alexand & alij in l. 1. §. nunciatio, De operis noui nunciat. in ff. Vbi & quartum addunt, quod diſpoſitio generalis in prohibitionis materia reſtringitur, vt non ſequatur abſurditas, vel correctio legis,

Nam in his potius inspicitur mens legislatoris, quàm verba dispositionis, vt respondit Modestinus in simili proposito dubio, in l. 15. scire oportet, § aliud. De excusat. tutor. lib. 27. ff. tit. 1. Restringitur & vniuersalis & indefinita propositio, ratione adiunctorum collatione cum his facta, vt in l. fin. §. fi. De tritico, vino & oleo lega. in ff. Item generaliter verba prolata, ciuili quodammodo exceptionem tacitam in sermone continent, vt, quod ciuiliter fieri commode potest intelligatur, vt si tibi viam per fundum concessero generaliter, intelligatur concessio, non vt per quascunque partes velis liceat ire, sed vt partem vnam viæ causa sine meo incommodo eligas, vt notat Celsus in l. 9. si cui simplici vsu, De seruitu. lib 8. ff. titul. 1. Octaua, Genus non de differentia, sed de quibus differentia, videtur prædicari, vt animal de homine & boue, & aliis gressilibus animalibus: non autem de ea differentia quæ de specie dicitur: nam si ab vnaquaque specie differentiarum prædicetur animal, multa animalia ab specie prædicabuntur: nam multæ differentiæ causa ab specie prædicantur, Aristot. lib. 6. Topicor. c. 3. Nona Argumentum ab specie ad genus valet affirmatiue, vt quod est in specie sit in genere: non contra à genere ad speciem. vt apud Vlpian in l. 2. §. doli. Vi bonor. raptor. lib. 47. ff. tit. 8 dum ait, *Dolo malo mentio hic & vim in se habet: nam qui vim facit, dolo malo facit: non tamen dolo malo facit qui que qui & vim facit: & ita dolum habet in se & vim.* Decima, generaliter dictum, generaliter est intelligendum, Vlpian. in l. 1. § generaliter, De lega. præstand. lib. 37. ff. tit. 5 l. 4. quinque. §. prætor ait, De in ius vocand. lib. 2. ff. titul. 4 l. 2. §. homines, vi bonor. raptor. lib. 47. ff. titul. 8. l. Item apud Labeonem. §. generaliter De iniuriis l. 1 §. cum vrbem. De offic. præfect. vi bis lib. 1. ff. titul cum similibus ibi notatis à glossis. Restringitur tamen generaliter dictum per rationem expressam subiectam & subsequentem, Baldus in l. si quis seruo C. de furtis. Vndecima, indefinita prolatio æquipollet vniuersali, si nihil excipiatur, Innocen. 3. sum. pontifex in c 22. quia circa, De priuileg. lib. 5. Decr. tit. 33. Can. si rom 19. distinct.

## *De Specie.* CAP. IX.

OPtimo ordine post relatiuum, generis correlatiuum, nempe Species ponitur: referunt enim se mutuo, nec genus

genus dicitur nisi habeat Species, nec Species nisi habeat genus. Cicero Species vocat formas, & Porphyrius vnius cuiuscunq; formam. Quot autem modis accipiatur Species, diximus lib. 2. Syntaxium nostrarum, cap. 10. & tradit Chrysostomus Iouellus tractat. 4. De prædicabilibus. ca. 3. post Porphyrium in libello de quinque vocibus. At quia & genus generalissimum dicitur, quod cum sit genus, non est species: & genus subalternum, quod cum sit genus respectu inferiorum, potest esse Species respectu superiorum: sic & Species apud logicos dici potest, subalterna & specialissima. Subalterna, quæ & genus, & Species esse potest: specialissima, quæ non potest esse genus, & tantum sub se habet individua. Species omnis autem logica sic definitur, Species est quæ sub genere ponitur, de qua genus in eo q̃ quid est prædicatur: id est, pars generis, nam & species pars dicitur, quanquã non omnis pars Species sit, vt scribit Plato li. 16. in ciuili, vel de regno per quã genus in eo quod quid est, prædicatur. Id est, Species est id per quod, cùm quæritur quid est, genus in mediũ producitur: id enim est genus prædicati, id est, genus in finitione Speciei adferri vel adferri posse. Vt quid est Species hominis: Solutio, est animal, dicimus in eo quod quid, quod Græci ἐν τῷ τί ἐστι, & in hoc distinguitur Species à proprio, à differẽtiis, & ab accidẽtib. quæ per qualitatem & quale, non per quid, explicatur. Definitur seorsum etiam specialissima Species, vt sit quæ prædicatur de pluribus differentibus numero tantum, in eo quod quid est. Numero inquam, vt homo prædicatur à Ioanne, Francisco: nam interrogando quid Ioannes, dices, est homo. Notandum autem, vltima genera Species appellari, respectu superiorum. Vt coruus, rhombus, ficus, homo, bos, &c. vt scribit Galenus tom. 1. de temperamentis. Plato singulis Speciebus, vel formis, singulas ideas præesse dicebat. lib. 23. dialogo. 10. De Repub idque docet in exemplo lecti picti: nam inquit, Idea naturæ, à Deo est, idea lecti faber, picturæ autem pictor. Naturalis itaque vna idea, & vna forma. Quamobrem & facile est distinguere formas specificas, quia vnius modi sunt: omnes enim homines, paris formæ sunt, & in pari omnes cameli, & in pari sues omnes. Et Vlpianus in l. 4. De lega. 3. lib. 30. ff. titul. 1. id valde stultum homini ducit, Specierum differentias non nosse, sed confundere. Veluti putare, auri appellatione argentum contineri: vel, quod stultius est, auri appellatio.

ne vestem comprehendi. Et Maximus Tyrius Serm.1.philosophico,claras & fulgentissimas rerum Species ante oculos nobis à Deo constitutas dicit, quodammodo ad Dei naturam cognoscendam inducentes, vt & D. Paul. ad Romanos,c.1.scribit. Quo factum est vt etiam asini norunt,& Species,& non tantum Species,sed etiam individua numero distincta,vt annotat Galenus tomo 6.lib.2.Methodi medendi,c.7. *Species*,inquit,*& individua numero norunt asini, siquidem camelum nunquam visum si videant, sese contrahunt & stupescunt: postea tamen similes camelos videntes, consuetudine,quamuis non eundem numero videant, tamen Speciem norunt.nec trepidant.* Sic de hominibus: neque enim diuersis oblatis terretur, iam Speciem ab aliis distinguentes; Quin & vltra idem numero individuum cognoscunt: siquidem agasonem cognoscunt, & illi auribus & cauda blandiuntur. Quod non contingit illos facere, dum alios homines,etsi Specie similes, intuentur: quod nos admonet Species ab spectando vel speculando dictas, quia se spectantibus vltro dignoscendæ offerant.Sic etiam Cicero 1. Academicar quæstion mentis complexionem & contemplationem indicemque rerum, ideam Græcis dictam, Speciem ipse interpretatur, quod & repetit 1. Tusculanar. quæstion.Nec valde refert,quod individua interdum, non omnem effigiatam Speciem semper repræsentent, sed aliqua magis, aliqua minus:nam hic, dum de Speciebus determinandis agimus, semper id, quod summum in vnaquaque Specie esse potest, contemplandum est.sicut in voluptate summam voluptatem, in dura Specie, eximie durum,sic de similibus,vt scribit Plato lib. 10. in Philebo, vel de summo bono. Nam plus & minus non constituunt differentiam Speciei, sed Species substantiæ sunt, & illarum diuersitate constituuntur, vt notat Aristot. lib.1. De partibus animalium,c 4. Quæ sunt diuersæ Speciei.contrariam habent differentiam vt plerumque,vel inter se multum distantem, cum tamē quæ eiusdem Speciei sunt numero differant,vt scribit Aristot.Metaphys. lib.10.c.11. & lib.7 Metaph.cap 7 Regulæ pro argumentis ab Specie istæ tibi sint. Prima, semper generi per Speciem derogatur: & illud potissimum habetur,quod ad Speciem directum est, idque apud Iurisconsultos receptum. Papinian.in l.81 in toto iure. De regu. iuris lib. 50. ff.tit. 17 Bonifacius octauus in cap. generi,34.De regul.iuris lib.6.lib.5.sexti Decretal.titul fin.

Quia

Quia generis vniuersalitas per Speciem restringitur in speciali, vt de alia specie quàm de proposita non fiat mentio, & fit quædam generis in eo limitatio. Secunda, Argumentum accessorium à participatione Specierum ad similitudinem substantiæ. Tertia, In quocunque est species, ibi & est de genere: sicut vbi album, ibi & color: vbi grammatica, ibi & disciplina, Aristot. lib. 4. Topicor. cap. 5.

## *De Differentia.* CAP. X.

PRimus & vniuersalis distinctionis modus circa differentias est, quæ possunt esse & generum, & specierum propriè: Impropriè autem circa individua, quæ potiùs distinctiones dicuntur accidentales & numeri Tantùm quędam de differentia annotabimus, cætera tractaturi dum de distinctione Deo iuuante loquemur, Colligimus itaque, de differentia hoc schema ex Porphyr De quinque vocibus, & aliis. quod notandum pro solutione argumentorum. vt alia sit accidentalis, alia substantialis, quæ vel generica, vel specifica. Accidentalis est, quæ facit alterum ab altero numero, in his quæ differunt communiter ex accidenti separabili. per multum, magis, & minus, quod in individuis locum habet. propriè ex accidente inseparabili, vt si quis habet oculos cæsios, differt à non habentibus. Alia substantialis & essentialis magis propria, quæ facit aliud ab alio: generica, cùm diuersi sunt generis, vt equus, & ficus: nam sub diuerso genere sunt prius sub genere animalis, brutū, ficus sub genere arboris: specifica, in his quæ in proximo genere communicant & explicant qualitatem, & ea speciē ab specie differre facit. In his quæ non nimium distant, permanifestæ sunt ex alio ad aliud Differentiæ, vt scribit Aristot. Topic. lib. 1. c. 4. cùm multæ sint Differentiarū distinctiones. quas ex Porphyr. de quinque vocibus, & aliis tradidimus per epitomen dilucidè lib. 2. Syntax. c. 12. Admonendum autem censui, nos tantùm hîc loqui de specie specifica, quæ ita definitur verè ab omnibus: Vt differentia magis propria & specifica, illa sit vniuersalis, quæ de pluribus specie differentibus in eo quod quale est, prædicatur, non in quid, vt Aristot. scribit lib. 4. Topic. cap. 2 Nec approbo *illam* finitionem, qua definitur Differentia, vt sit, qua species superabundat à genere: nam existimo omne quod in speciebus est, & contineri sub genere: nec species superabūdare vel excedere genus, sed excedere quidem speciem aliā

ſpeciem, non genus, expreſſione differentiæ. Et genus dico non ſuperari Differentia in ſpecie, ſed limitari expreſſione Differentiæ in ſpecie, ne vltra limitem Differentiæ communitas generis vagetur. Sentiant alii quod velint, mea hæc eſt opinio. Differentia tria agit, magis propria: primò diuidit genus. & limitat in ſuis ſpeciebus: ſecundò conſtituit ſpecies ſua diſtinctione: tertiò facit ſpecies differre ab inuicem. Ariſtoteles differentias dicit ſpecificas in materia. 1. De partibus animal. c. 3.

## *De Proprio.* CAP. XI.

MOdus ſecundus diſtinguendi vniuerſaliter, eſt per Propria, quæ pluribus vel eiuſdem generis, vel eiuſdem ſpeciei conueniunt. Plato libr. 31. dialogo 9. De republ. vel de iuſto, Proprium cuique eſſe ait, quod cuique eſt optimum. Et Cicero epiſtola ad Curionem lib 7. Epiſtolar. familiar. epiſt. omnium 130. Proprium id eſſe cuiuſque exiſtimauit, quo quiſque vtitur ac fruitur. Sed nomen ipſum inſinuat, id Proprium eſſe, quod propiùs accedit rei, ſi in dominio, & proprietas potior poſſeſſione: quia quod eſt proprietatis, firmius ius domino diſponendi præbet, quàm quod poſſeſſionis, quæ non ſemper concomitatur dominium. In ſumma namque poſſeſſionis, non multum intereſt iuſtè quis, an iniuſtè poſſideat, quod verius eſſe ſcribit Paul. Iuriſconſultus in l. poſſideri 3. §. ex contrario, De acquirend. vel amittend. poſſeſſio. lib. 41. ff. tit. 2. Cæterùm apertiùs dici Proprium, quatuor modis cum Porphyrio & aliis tradimus lib. 2. Syntaxeos c. 12. Primo modo Propriũ alicui ſoli ſpeciei, & tamen non omni indiuiduo. Secundo Proprium omni indiuiduo alicuius ſpeciei. Tertio Propriũ ſoli ſpeciei, & omni eius indiuiduo, non tamen ſemper. Quarto Proprium ſoli ſpeciei, omni eius indiuiduo & ſemper. Qui modi notandi ſunt pro ſolutione argumentorum ſophiſticorum à proprietate ſumptorum; nam ea diſtinctione acceptionum Proprii, apparent qualia ſint. Iuriſconſulti etiam Proprium vocant, id quod commune vſu cum aliis non eſt, commune tamen omnis, qui eius ſpeciei eſt populi. & hoc quarto modo Proprium. Sic Proprium ius ciuitatis dicentes ius ciuile, quod ſibi populus quiſque conſtituit, vt ſcribit Caius in l. 9. omnes populi. De iuſtitia & iure, libr. 1. ff. tit. 9. Iuſtinian. in § ius autem ciuile, De iure naturali gentium & ciuili, lib. 1. Inſtitut. iuris ciuilis,

ciuilis, tit.2. & §. ius autem potestatis, De patria potestate, lib.1. Institut. tit.9. & Iabolenus Proprium fundum distinguit ab eo qui cum alio communis est, Proprium vsurpans pro eo quod singulariter vnius actu est. in l.5.proprium fundum,communia prædiorum lib.8. ff. tit.4. Apud Iurisconsultos etiam quædam considerantur naturali iure communia omnium, quædam vniuersitatis,quædam nullius, quædam singulorum: quæ omnia explicantur à Marciano, Florentino, Caio, & Pomponio in l.2.3.4 5.6. & sequentibus,De rerum diuisione lib.1. ff. tit 8.& à Iustiniano in tit. De rer.diuisione lib.2. Institut. iur.ciuil.tit.1. Propria quædam animalium à sono vocis: infantium,vagire: hominum loqui: canum, latrare: Equorum, hinnire: suum, grunnire: boum, mugire: vulpium, gannire: Camelorum, blatterare: elephantum, barrire: aprûm, frendere: pardorum, fremere: vrsorum, gemere: asinorum, rudere: leonũ, rugire: ouium, balare. Volatilium,anserum,strepere & sibilare: picarum, garrire: cornicum, cornicari: coruorum, crocitare: ciconiarum, crepitare: cicadarum,stridere,&c.

## *De Accidente.* CAP. XII.

TErtius distinguendi vniuersaliter modus est per Accidens: qui modus vniuersalis dicitur, non ratione concreti, sed ratione abstracti, id est, non ratione eius quod in subiecto est, sed ratione eius quod abstractè consideratur sine subiecto. Veluti albedo hominis, in hoc homine est in subiecto, & in concreato vel concreto: Albedo autem per se, sine aliquo subiecto, est in abstracto. Pluribus autem modis Accidens accipitur, potissimùm autem apud Aristotelem quatuor modis. Primùm dicitur omne id, quod est extra propriam cuiusque naturalem formam & rationem,veluti in homine, omne quod est extra rationem, vt risibile, grossibile, est Accidens: Sic nomina Ioannes, Petrus, Andreas, & alia, non sunt homines, sed eius accidentia. Secundo sumitur pro omni ente,quod non est substantia, sed inhæret substantiæ: & sunt nouem modi,de quibus infrà,veluti quantitatis,qualitatis,&c. Hi autem modi prædicamenta dicuntur, quæ aliud dicunt & prædicant: hoc autẽ dicitur predicabile,quod ab aliis prædicatur:hoc vniuersale in abstracto, illa in concreto particularia. Tertiò accipitur Accidens pro casu, vel fortuna eueniente,vt si fodiendo agrum vt seminet, quis inueniat thesaurum. Quartò acci-

accipitur Accidens pro omni eo, quod positum in prædicato facit propositionem per Accidens, siue illud sit substantia, siue Accidens prædicamentale: nam alia est propositio per se, alia per Accidens. Cæterùm vt fiat propositio per se, oportet prædicatum esse de essentia, aut de ratione subiecti, aut proprium eius quarto modo: omnia autem alia prædicata proprii, faciunt propositionem per Accidens. Quamobrem hæc est propositio per Accidens, Animal est homo, & hæc, Homo est Ioannes: idque vniuersaliter, quando inferius prædicatur de superiori, & omnis propositio in qua prædicatum est Accidens, commune, siue inseparabile: quoniam tale Accidens non est de definitione subiecti, nec eius proprium, aliter soli subiecto conueniret. Vnde hæc propositio est per Accidens, Homo est albus, Nix est alba, Æthyops niger. Quòd autem sit hæc propositio prædicabilis distincta ab aliis, docetur: quia & nigredo vniuocè prædicatur & de coruo, & Æthyope, & carbone. quæ tamen diuersa sunt specie. Et hæc quæ tibi subieci, me docuit Chrysostomus Iauellus Canapitius in compendio Logices, tractatu 4. c. 6. In finitione Accidentis omnes quotquot sunt Dialectici consentiunt, inquantum est prædicabile, id est, inquantum à pluribus effetri potest. Accidens est, quod adest, & abest sine subiecti corruptione. Logicus ita interpretatur secundùm modum prædicandi, Philosophus & Physicus secundùm modum essendi Logicus sic ait, Adest, vel abest, id est, est illud prædicabile quod abest, id est, quod prædicatur à suo subiecto vel affirmatiuè, vel negatiuè præter subiecti corruptionem, id est, vt non ideo minus sit subiectum, & vt ideo illud non remoueatur, sed remoueat: sicuti album, sedere, stare, accidentia sunt homini, quia ea ab eo prædicantur & dicuntur affirmatiuè, vt homo est albus. sedet, ambulat: item & negatiuè, homo nō est albus, non sedet. pro materia contingenti, & tamen semper subiectum hominis remanet. siue non sit albus, vel sit. Philosophus considerat Accidens, vt sit ens quod adest, vel abest, id est, quod aduenit subiecto iam in esse. quo ad substantiam constituto, interest & illi, & remoueri possit ab eo, sine subiecti destitione: quæ tamen intelligenda sunt de subiecto communi & separabili, non de proprio inseparabili. Generalius autem Accidens definitur ita, Accidens est id, quod contingit inesse, & non inesse subiecto. Verùm, quomodocunque definias, semper facessit finitionibus contro-

controuersia quæ affertur de nigredine corui, quæ cùm Accidentis sit, tamen non contingit, nec potest abesse. Cæterùm ego existimo & abesse posse sine subiecti corruptione, & primum coruos natos albos implumes, deinde nigros factos, quin & veruſtate, alios aliis subalbidos fieri, & alios aliis nigriores esse: & coruos aquaticos caluére scribit Plinius lib. 11. cap. 37. Vel, vt omnia cum cæteris tollamus, & cum Porphyrio, Boëtio, & aliis, color niger in Æthyope, vel coruo, dicitur accidentalis, quòd sine eo possit homo & coruus considerari, & intelligentia vel omitti, vel accipi, sine subiecti & sine substantiæ corruptione: nam etsi deplumis coruus sit, tamen coruus erit. Porrò vt possis venari facilè Accidentium distinctionem, accipe methodum. Accidens aliud dicitur separabile à subiecto, vt sedere, ambulare: inseparabile, vt nigredo in coruo, Æthyope. Hanc diuisionem maximè Physicus considerat, cuius & ratione affert: quia dum Accidens caussatur à caussa naturali fixa & inseparabili, est Accidens inseparabile: vt nigredo in coruo, quæ oritur ex caussa fixa naturali, nempe ex intensa caliditate & siccitate complexionali, quæ prædominatur in eo supra frigidum & humidum: & nigredo in Æthyope, quæ caussatur ex aduſtione regionis, propter vicinitatem solis circa tropicum Cancri. Si autem in subiecto ex caussa mobili & non fixa fit, & de non naturali subiecto, fit Accidens mobile & separabile, vt ægrum esse, doctrina, scientia, obliuio, vri sole, & dealbari in frigore. Commune in multis substantiis inueniri potest, vt calidum, frigidum, humidum, siccum, asperum, lene omnia quæ ex principiis nostris, bona, magna, durantia, potestatis, &c. Et hæc Accidentia communia, & eius continua, sunt inconuertibilia cum subiecto, nam latiùs subiectis patent: ideo ad subiecti determinationem intelliguntur, vt Petrus albus, lapis niger, homo, fuluus, &c. Proprium quod conuertitur cum subiecto, & vni soli generi vel speciei cõuenit sine adiectione termini subiecti, veluti lux in Sole, summum calidum in igne: hic commune & proprium in secundo proprii significato intelliguntur. Vocant medici accidentia & causſas morborum, ſymptomata, quanquam aliud alio latiùs pateat verbum, vt scribit Galenus libris de ſymptomat. causſis, & methodo medendi, 1. cap. 8. & alibi Hippocrates etiam Accidens notiſſimum totum morbum dicit lib. 7. Aphoriſmor. Aphor. 59. & ibi notat Galenus, & alii medici eadem fatentur,

tur, scribuntque remotis caussis, remoueri accidentia ex caussis nascentia, vt annotat tomo 7. Galenus in libr. 2. Aphorismor. Hippocratis, aphor. 22.

*Quæ sint Communia, Propria, & Differentiæ prædicabilium quinque Porphyrio, Aristoteli, Cæsario, Titelmanno, Pschonero, Damascreno, Boetio, D. Thom. Trapezuntio, & alijs.* CAP. XIII.

PRimò omne de pluribus prædicatur. Secundò commune est omnibus excepto accidenti, de quibus prædicantur vniuocè prædicari. Differentiæ horum sunt plures. Prima, Genus latiùs omnibus patet, nam prædicatur de speciebus, & indiuiduis. Species minus genere, sed latiùs indiuiduis, quia prædicatur de indiuiduis tantùm numero differentibus. Proprium prædicatur & de specie cuius est proprium, & eius specici indiuiduis. Secundò differunt, quòd genus & species prædicantur in eo quod quid est, alia verò, nempe differentia, proprium, & accidens, in eo quod quale quid, vel in accidentibus, etiam quomodo quid se habet quippiam. Tertiò differt differentia à proprio, & accidente, quòd differentia prædicatur in eo quod quale quid est, secundùm essentiam: proprium verò & accidens, secundùm quale quid, secundùm rerum inhærentiã. Quartò proprium ab accidente differt, quòd proprium conuersiuè prædicatur de eo, accidens minimè. Hæc autem omnia exprimuntur per verba. Porrò ne te fallant ipsa & rerum nomina, scito ea diuersa esse: alia enim nomina sunt Vniuoca vel Synonyma, quorum & nomen commune est, & secundùm nomen ratio vel definitio substantiæ est eadem: vt homo & equus, vniuoca appellatione & substantia animalis continentur, quamuis in particulari diuersa ratio, & finitio. Æquivoca siue Homonyma, quorum nomẽ quidem commune, ratio autem vel definitio substantiæ diuersa, vt nomen Canis marinum & cœlestem continet, sed definitio illorum substantiæ diuersa. Æquiuocũ duplex, à casu, & à consilio. A casu quod plura habet significata æquè principalia, ita vt vnum illorum non significet declinatione vlla ab altero, sed casu impositum vtrumque æquè pluribus diuersis rebus sit nomen: vt in Canis nomine, quod nulla proportione & stellam, & piscem, & quadrupedem continet: & Petrus, plures diuersos Petros continet. Æquiuocum

uocum à consilio, dum similia sunt nomina, sed vnum principale ad quod alia analogiam habent, vel proportionem, & similitudinem: vt Homo, hominem vnum principaliter continet, & minùs principaliter, pictum, aut sculptum. Vtrumque certè distinguendum, sed magis quod à casu est: nam analogum stat in dubio pro principali significatione: illud Æquiuocum duplex, à casu propriè Æquiuocum, à consilio analogum dictum. Polyonyma sunt diuerso modo ab Æquiuocis, quia Polyonyma nomine quidem diuersa sunt, sed vnam eandem rem significant: plura, inquam, nomina de vna re dicta, vt ensis, gladius, sica, pro eodem. Heteronyma sunt, quæ neque in nomine, neque in re conueniunt quid habent, vt animal, & scientia. Denominatiua, quæ declinatione nominis, ab alio appellationem habent, vt à grammatica grammaticus, iustus à iustitia. Dicuntur & quædam Homogenea sub eodem prædicamento ordinata, eiusdem generis. Heterogenea, quæ diuersi prædicamenti, diuersi q; generis. Homoidea, quæ cõmunicant specie, ratione substantiæ: vt Petrus, & Paulus. Heteroidea, quæ distinguuntur specie & substantia, vt homo, equus.

### *Prædicatum, Prædicamentum, Prædicabile, Subiectum, quid sint.* CAP. XIV.

PRædicatum est id, quod vel de subiecto prædicatur vel dicitur, hoc est, exprimitur, vel expressè, vel tacitè à subiecto: expressè, vt homo est animal, animal expressè prædicatur ab homine, subiecto. dum dicis homo, prædicatur animal tacitè, sicuti amatum, quod amatur actu, ita prædicatum, quod actu prædicatur: grammatici appositum dicunt, Græci κατηγορημενον. Prædicabile, est id, per quod, id quod prædicatur, exprimi potest: quia quod prædicatur, effertur vel per modum generis, vel speciei, vel proprii, vel accidentis. Prædicabile itaque, genus, species, differentia, proprium, & accidens: vt si dicas, amabile pulchrum, & bonum & iustum, id est, quòd ea amari possunt, vel amari digna sunt, κριτικῶς ἀξιῶ. Prædicamentum dicitur κατηγορια, scilicet terminus quidam, ad quem Prædicata referuntur & colliguntur. Trapezuntio nihil aliud est, quàm series quædam terminorum incomplexorum natura: id est, ratione rerum ordinatio Prædicamẽtum autẽ dici potest, quasi prædicati mentio. Sunt namq; decem genera, sub quib. omnia existentia coordinãtur: & ideo

omnium

omnium generum, & ſpecierum & proprietatum, & accidentium dicitur in his fieri mentio: quia omnia Prædicata & Subiecta in altero horum decem neceſſariò participant, vel in pluribus eorum. Subiectum dicitur id, quod illa recipit, vel quod Prædicamentum & Prædicatum dicit, à quo cætera dicuntur, illud verò non amplius ab alio, vt ſcribit Ariſtot. 7. Metaphyſ. cap. 3. vniuerſale, & particulare conſtituit Subiectū: vniuerſale, quod extra particularem materiā etiam recipit conſiderationem eandem, etiā mutatis temporibus & materiæ diuerſitate, ſicuti trianguli demonſtratio, & in ſolidis, & in planis, & omni tempore fit, vt ſcribit Reſolutionum poſteriorum libr. 2. cap. 5. particulare contrà.

## *De Indiuiduo.* CAP. XV.

POſt illa vniuerſalia, ſequitur ad Indiuidua deſcendamus. Indiuiduum autem dictum, quod vſque adeò anguſtè concluditur, vt illud diuidi nequeat in alia, ſalua re: nam diuiſione facta omnino perit: vt Petrus non diuiditur in Petros, nec Ioannes in plures Ioannes. Quo factum eſt, vt etiam grammatici nomina propria plurali numero orbauerint, quòd particularia indiuidua pluralitatem in ſe non admittant. Sed aliter apud Iuriſconſultos Diuiduum & Indiuiduum, aliter apud Logicos. Nam apud Iuriſconſultos ſectio realis tantùm conſideratur: quæ autem ſectionem non admittunt, dupliciter conſiderant, vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm determinationem. Illud Indiuiduum reale, iſtud legale vocant. Reale indiuiduum eſt id, quod diuidi in partes non poteſt, ſalua forma ſubſtantiali: Veluti primum exemplum eſt in corpore animato, Petrus homo, non poteſt in partes diuidi, ſalua forma hominis, quamuis corpus totum in partes diuidi poſſit. Paulus in l. 2. §. & harum, Vlpian. in l. 85. in executione, §. pro parte, de verb. obligat. libr. 45. ff. tit. 1. Secundum exemplum Indiuidui realis, in corpore certam formam vel naturalem, vel artificialem habente: nam mutata vel diuiſa forma, penè eius ſubſtantia interimi videtur, vt notat Vlpianus in l. 9. Iulianus ſcribit, §. ſi quis rem fecerit ad alium peruenire, Ad exhib. lib. 10. ff. tit. 4. Legale Indiuiduum dicitur, vel quia incorporeum, vel quia determinatione, id eſt, lege contrahentium, vel legis generalis cauſſa non diuidatur. Incorporeum non diuiditur. Iura autem omnia & particularia

ria determinata à iure, ad vsum rerum distribuendum inuenta, non diuiduntur, vt hæreditatis ius vel dominium, via, iter, actus & aliæ seruitutes, quæ vsu indiuiduæ sunt, di. & l 2. §. & harum. & Vlpian in l. 72. stipulationes non diuiduntur, de verbor. obligat. Papinianus in l. 34 vnus ex sociis, De seruitutib. rusticor. prædior. lib. 8. ff. tit. 3 cum similib. Neque tantùm in seruitutibus rusticorum vel vrbanorum prædiorum id obtinet, sed & in aliis mediis dominii quæ verbo illo iuris apud Iurisconsultos signantur, & pro incorporalibus habentur, vt scribit Paulus in l. 1. §. final. De rerum diuisione lib. 1. ff. tit. 8 & Iustinianus in §. final. De reb. corporalib. lib. 2. Institut. tit. 2. Ex conuentione autem & lege fit Indiuiduum, id quod aliàs per se diuiduum est, si cautum est ne pro parte, sed in solidum quid præstetur. Vt patet in exemplo fideiussorum, quorum quisque simul se obligauit in solidum fideiussione interposita, apud Diocletian. & Maximi in l. 1. & 2. & Authentic hoc ita, De duobus reis stipulandi, lib. 8. C. tit. 40. Dehinc legis dispositione, insolidum fit & indiuisè executio, & petitio aduersus eum qui se constituit soluturum pro alio, vt scribitur in Authentic. si quando, De constituta pecunia, lib. 4. c. tit. 19. fit & Indiuiduum quod deducitur in obligationem faciendi, cum fecisse quis non dicatur, nisi integrè perfecerit, vt scribitur ab Vlpiano in d. l. stipulatio. non diuiduntur, De verbor. oblig. vbi & tractant interpretes, quando oblatione, vel solutione Diuiduum vel Indiuiduum quid dicatur, & de Diuiduo & Indiuiduo reali. Quæ qui scire latius desiderat, perlegere poterit per se: mihi sufficit summo digito hæc pauca pro breuitate methodi indicasse. Veruntamen hîc consideremus oportet, non tam Indiuiduũ nos considerare ea ratione quòd diuidi possit, quantum perpendimus quòd singulare siue in partes diuidatur, siue non diuidatur, pro eo quod vsque adeò particulare est, vt non prædicetur ab alio, sed numero tantùm distinguatur. Illud autem quatuor modis contingit, quorum accipe schema, vnde noscas quibus quod particulare, singularéve, & Indiuiduum dici possit. Indiuiduum vel singulare dicitur quatuor modis apud Logicos, & ratiocinatores, & aliis modis quoque apud alios. Primò, determinatione: est enim demonstratio nomen & nota etiam in rebus quibus res singulares fiunt & internoscuntur, tollituráj; genus, ex Venulcio in l. 196. qui ex pluribus, De verbor. oblig. lib. 4.

ff. tit.1. cum similib. Cuiusmodi sunt propria nomina, quæ ex placito cuiusque rebus imponuntur, quamuis ea nomina per se vniuersaliter significent, velut primus homo dictus Adam: propriè itaque primum hominem illud significat, quanquam per se nomen significet omnem terram rubeam. Sic Petrus & Apostolum, & petram omnem significat: quod in aliis pariter obseruatur, siue in nominibus propriis Angelorum, siue hominum, siue brutorum, siue locorum, sic libri appellatio in legato, non de sectionibus librorum, sed de vno volumine quod liber nominatur, intelligitur apud Vlp. in l. 50. librorum. §. si cui, de lega. 3. lib. 32. ff. tit. 1. Secundo ex demonstratione Indiuiduum fit, & singulare, cùm vniuersali additur pronomen demonstrativum, veluti hic, ille, iste, is: vt, aurum hoc, intelligitur de demonstrato indiuiduè. Atque ita variato demonstratiuo pronomine variatur vniuersale: Vt, lego quæ eius caussa parata sunt, detrahitur partim per hæc vniuersitati, Paulus in l. 44. ea tamen adiectio, De lega. 1. lib. 32. ff. tit. 1. Demonstrationem quoque facit rei præsentia, quia præsentia rei omne dubium erroris tollit, cùm constat de corpore. Vlp. in l. 32. si in nomine, De verb. obli. li. 45. ff. tit 1. & in l 4. De lega. 1. lib. 30. ff. tit. 1. cũ similib. ibi pluribus notatis, Paul. l. 22. si id quod aurũ, De verb obl. lib. 45 ff. tit. 1. Tertio dicitur vagũ, quando nõ quidem adjicitur demonstratio, nec determinatio, sed vniuersale cum indefinita particula dictione dicitur: Vt, quidã homo, quędam ciuitas, aliquod animal, vt in quæstione determinata à Pap. in l 13. cùm incertus. De lega. 1. lib. 30. ff. tit. 1. Incerto nomine speciei legata, si vnus solutus sit, ille singularis legatus dicitur. Quarto ex hypothesi dicitur Indiuiduum, id est, ex suppositione, ex vniuersali singulare intelligimus, vt MARIÆ filius, intelligitur CHRISTVS. Sic Iurisconsulti nominatim eum esse exheredatũ putant, qui ex hypothesi intelligitur, vt exhęredo Seia natam, non filium meum, latronem, &c. apud Vlp. in l 3 de lib. & posth lib. 28. ff. tit. 2. Quinto ex potentiori significatione, vt du ius ciuile simpliciter dicimus, ius Romanorum intelligimus Dum simpliciter poetam, ex Græcis Homerũ, ex Latinis Virgiliũ intelligimus. Iust. in §. sed ius quoddã ciuile, de iure nat. gentiũ & ciuili lib. 1. Inst. tit. 2 Sexto ex rei ipsius propositæ determinatione. vt si filium dico meum, illa generalis filii locutio si vnicum tantùm habeo, de eo solo & singulari intelligitur, Vlp. in l. 2.

De li-

lib. & postb. lib. 28. π. tit. 2. idq; propriè fit certum & singulare, relatione facta ad aliud. vt fructus qui nascentur ex fundo Tusculano, partus ex Seia quos mihi Titius debet, vt scribit Vlp. in l. 45. vbi autem non apparet. §. illud autem dubitationem. De verb. oblig. lib. 45. π. tit 1. Celsus in l. si iactum retis. de action. empti, lib. 19. π. tit. 1. cum similibus.

## *De Quæstione Quotuplex, & Quantus.*

### CAP. XVI.

EXplicatis finitionibus rerum, sequitur Quæstio quotuplex: nam, vt scribit Rodolph. Agricola lib 1. De Inuentio. c 7. proximum est, vt cùm quid sit vnumquodque dixeris, deinde quotuplex sit ostendas. Et Galenus tom. 6. li. 1. Method. medendi c. 3. *De re qualibet, ô puer, & num principium optimum esse id oportet, de quo proposita Quæstio est: aut prorsus est abeundum.* Plato quodam in loco ait, non ad diuidendum modò quidquis ab ipsa rei quæsitæ essentia, nobis esse inchoandum, sed etiam in omni disquirendi re, huiusmodi esse semper principio vtendum, primumque definiendum. Hæc quæstio pertinet potissimùm ad diuisionem & partitionem: nam per ea ei respondetur. Et quemadmodum permixtio & confusio, intelligendi præcludit viam, sic diuisa tractatio faciliorem parat & methodum & intelligendi facilitatem, vt scribit Iustinian. in §. sed non vsque, verf. sed ne in primis. De lega. lib. 2. Institut. tit. 20. vt Galenus tom. 1. lib. 9. De decretis Hippocratis & Platonis, amolientem rem tractare sine diuisione, in errores maximos labi scribit Et Plato lib 20. in Phædro. vel de pulchro. id indicat: dum inibi Socrates dicit: *Huiusmodi ego diuisiones ac collectiones, ô Phædre, amo, quo & loquendi & intelligendi sim compos.* Et Seneca lib 14. Epistolar epistola 89 scribit diuisione faciliùs per partes in cognitionem totius adduci, Diuisio vniuersum, est vnius rei in partes conueniens & facilis distributio & separatio, quæ integrum euacuat: non minùs quam dum paterfamilias substantiam omnem diuidit inter hæredes & legatarios, vt nihil nõ diuisum remaneat. *Diuisio* quia explicat definitionem, sicut *ipsa finitio*, & rei, & vocum, & nominis est: sic diuisio alia rei, alia vocum. Rursum rei, alia propriè diuisio, alia partitio, vt scribit Galenus tom. 1. lib 9. de decretis Hipp. & Platonis in fine. *Diuisio* rei, propriè est generis in species per differentias deductio. *Differentiæ* autem illæ sunt distinctiones sibi contrariæ, vt rationale, irrationale, cor-

poreum, incorporeum, animatum, inanimatum, vt domesticum, ferum, salubre, ægrotum, & hæc valde propria diuisio, vt scribit Galenus tom. 2. lib. ad Thrasibulum, num ars tuendæ sanitatis ad medicinalem artem pertineat, & Aristot. lib. 10. Metaphys. c. 11. Sed quia & aliis modis quàm contrariis expressis potest fieri diuisio bona, dicimus non semper contrariarum exigi formarũ expressionem: sed ita diuersima inter species, vt vna proprietas alii non congruat. Sicut animal aliud gressile, aliud volatile, aliud reptile: & sic de similibus, vt docet Rodoldphus Agricola, lib. 1. De Inuentione, c. 7 Ciceronis verba illi adjicienda sunt, vt latiùs hæc quis animo complectatur: is enim in lib. Topicor. ad Trebat. sic scribit. *Differentia partitionis, & diuisionis in partitione quasi membra sunt, vt corporis caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, &c. In diuisione, formæ sunt, quas Graci ἰδέας vocant, nostri qui hæc scriè tractãt, species appellant, non pessimè id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo: nolim enim, ne si Latinè dici possit, specierum & speciebus dicere, & sæpe his casibus vtendum est, at formis & formarum velim: cùm autem vtroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Genus & formam diffiniunt hoc modo. Genus, est notio ad plures differentias pertinens: forma vel species, est notio cui ne differentia ad caput generis & quasi fontem referri potest. Notionem appello, quod Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita & antè percepta cuiusque formæ cognitio, enodationis indigens.* Colligimus itaque species esse formas essentiales, quibus quippiam ab alio eiusdem generis distinguitur: item & quodammodo accidentales proprias, vt per illud, volatile, non volatile, gressile. Neque semper egemus bimembri sectione necessariò obseruata: nam & plures duabus sub vno genere inueniri possunt, vel ex parte formæ, vel materiæ, vel aliorum, vt scribit Aristoteles lib. 1. De partib. animal. c 3. & 4. Scribit Galenus tomo 1. libr. 9. de decretis Hippocratis & Platonis, Hippocratem vsum diuidendi & methodum primum exercuisse: & Plato etiam libr. 15. in Sophista, vel de ente, tradit caussam veterem diuisionis in species superioribus ignotam fuisse, quò effectum fuerit vt nominum proprionum inopes essent. Dupliciter in diuisionibus peccatur præcipuè: alii enim excedunt, alii deficiunt: nam aliqui plura attribuunt diuiso: alii omnia comprehendunt, vt scribit Galenus tom. 1. lib. 9. de de-

de decretis Hippocratis & Platonis, & tom. 6 lib. 3. Method. medendi, c. 3. Methodum diuidendi tradit idem tom. 3. lib 3. De difficultate respirationis: *Methodus*, inquit, *sanè ad id quod diu dictur, respicere debet qualis natura existat. Si enim simplex fuerit, ea quæ iuxta ipsius substantiæ rationem sunt, quot sunt, & quæ, & qualia, considerare oportet, atque ex his diuidere. Si verò compositum, utrumque aut singulas partes diuidere, vt dictum est, oportet: totum verò ex modo compositionis.* Differt itaque diuisio à partitione, quòd diuisio sit rerum plurium in singulas, partitio singularum in partes discretio, secundùm Quint. lib. 7. Inst. orat cap. 1. vel diuisio est generis in species: partitio cùm totum in proprias partes scinditur. Enumeratio, vel diuisio vocis, cùm vox multa significans, in significationes proprias recipit sectionem: & hanc vocat distinctionem Georgius Trapezuntius Partitionem Cicero lib. 1. De Inuentione rectè habitam, in causa perspicua, totam & illustrem ait perficere orationem. Illa diuisio, quæ partitionis est, vsq; adeò in omnib locũ habet, vt secundùm Cic. lib. 1 Acad. qq nihil sit etiã minimum in rerum natura, quod diuidi nequeat: omnia. n quæ sunt in natura corporea, ex quatuor primis elementis sunt, in quæ omnia resoluuntur. Diuisio recipit & subdiuisionẽ & superdiuisionẽ. Subdiuisio, est vnius partis diuisæ iterata sectio: vt diuisio animalis in rationale & irrationale, vnam partem, id est, rationale, subdiuidimus in mortale & immortale. Superdiuisio est, cùm post diuisionem rei, rursus aliam eiusdem facio diuisionem: vt, diuiditur homo in masculum & fœminam, ecce diuisionem: & rursum diuiditur homo in animam & corpus, ecce superdiuisionem. Fit autem superdiuisio non semper, sed quando omnia explicari nequeunt priori diuisione, D. Ioan. Dam. lib. Dial. c. 12. Collegimus autem modos, per quos diuisio fit, præcipuè ex iis quæ tradit Arist. 1. de part. anim. & Rodolph. Agric. lib. 1. De Inuent, c. 7. & D. Ioan. Dam. in Dial. c. 12. & alii, quam subiecimus c. 16 lib. 2. Synt. Tradit Damascenus regulam eodem loco: Quod in nullo modo diuisionis consideratur, & in sectionibus, natura prius est posterius: neq; magis vel minus, nisi in his quæ ab vno & ad vnum: inuenitur enim pharmacum salubrius pharmaco. Quotus, diuisionem numeralem indicat, & ordinem numeri: vt alius. 1 ius. alius 2 us, alius 3 us, &c. vel alius ordine primo, alius secundo, &c. Argumentorũ hinc loci pa-

res, vnde conficio regulas Prima: Quod dictum est de toto, habet & locū in eius aliqua parte, pro modo partis, vt scribit Caius in l. 75. quæ de tota *De* rei vendic. lib. 6. ff. tit. 1. in §. nihil autem, de fideic. hęred. lib. 2. Instit. tit. 24. Quod ego intelligo tantùm verum esse de substantia & proprietate totius, & cùm pars est eiusdem naturæ cum toto, nō aliter, nec in alijs. Nam si dico de toto ex collectis alterius substātiæ partibus, vt de domo, quod locum habet in integro, habet & in partibus, falsum est Veluti plures habitant in domo, ergo plures habitabunt in partibus, falsum illud. Et vt vno verbo dicam, locum id habet cum totius partes solùm numero, & natura numeri, non specici diuersitate distinguuntur, vt loquitur Aristot. problemat. sectio. 16. quæst. 7. & ita in toto pars continetur. Secunda. qui totum vel omne dicit, omnes partes comprehendit, neq; aliquam earum excludit, Vlp. in l. 66. Iulianus. *De* lega. 3. lib 32. ff. tit. 2. & Celsus in l. 32. Balista, ad senatusconsl. Trebel. lib 36. ff. tit 1.

## *De Quæstionibus duabus, De quo, & ex quo.*

### CAP. XVII.

PEr hanc quæstionem A quo, aut *De* quo, quærimus generationis, productionis, & originis initium & materiam, ex qua quid factum, generatum, productum, & natū fuerit: & breuiter quærimus principium, & materiam. Habet autem tres modos generales solutionis quæstio, Ex quo, Et *De* quo est: nam vel non ab aliquo, nec de aliquo, vt *Deus*: vel non de aliquo, sed ab aliquo, vt creatio omnis, Angelus, Anima: vel ab aliquo & de aliquo, vt corporalia, nempe ex præiacente materia generata, producta, facta, formata, & fit ex aliquo corpore materiæ sensibilis aliquid ex materia præiacente, vel conuersione, transmutatione, commixtione, constitutione, compositione, quod intellectiuè in materia spiritali obseruamus, vt percurrimus lib. 2. Synt. c. 17. Secunda materia, quæ ex alia alterutrúve materia tanquam parte essentiali componitur, eaque materia non pura potentia, sed etiam formam essentialem includente tanquam partem substantialem sui, Vt aurum vel argentum dicitur materia statuę aureæ vel argenteæ, in quam dissolutæ statuæ resoluuntur, vt scribit Galen. lib. 3. *De* temper. hinc à materia secunda, dicimus plures materias. Sed de Materia latiùs in Physicis, & in artis iuris principio: hæc interim repetita sufficient cùm *De* quo quærimus, vt intelliga-

ligamus materiam quæri, Ex qua Ex his pro topicis rationibus duo colligo: primum, quòd materia non est separabilis à corporibus. Arist. lib. 5. Physic c. 7. quia materia est ex qua species fit, & sine qua species non potest constitui, vt scribit Caius in l. 7. adeò §. cum quis, *De* acquir. rerum dom. lib. 41. ff. tit. 1. *Dicunt enim Physici, quod physicè verè est non in creatione*, ex nihilo aliquid fieri non posse, sed exigere præexistens quid, & materiam, vt scribit Arist. 7. Metaph. c 7. & Lucretius fæpe in 1. & alibi reperit, ex nihilo nihil fieri: scribit & Plutar. in libello *De* vitanda vsura. Secunda conclusio Qualis materia, talis sequitur materiati actus, & diuersæ materiæ diuersum esse actum, vt scribit Arist. lib. 8. Metaph c. 2. & ita Horatius concludit, Fortes generantur fortibus, Nec generant feroces Aquilæ columbam imbellem.

## *De Quæstione Vnde, & Per quem.*
## CAP. XVIII.

VNde, quærit originem extra materiam vt inuentorem: vt si dicamus, Vnde fluxit hic mos, Quis fuit inuentor formæ Testamentorum, legum, iuris, & sic de similibus. Et breuiter hic quæritur origo vel causa vnde quid tale fluxit de quo disputatur In flumine quæritur à quo fonte vel vnde profluat: à quo monte præcipitetur, & hic à quo dicitur deriuatiuè. Item effectiue, velut origo actionis in iure, à facto contrahentium oritur, & pro diuersitate causarum diuersitas actionum. Et in morbis causæ effectrices morborum considerantur, num ex nimio exercitio, vel situ, vel cibi repletione, vel egestione nimia, & aliis similibus. Considerant Mathematici potissimùm ortus syderum. In summa, omnis ars, omnisque res à suis originibus repetita, facilior redditur, vt scribit Caius in l. 1. *De* origine iuris, lib. 1. ff. tit. 2. Quamobrem & Iurisconsulti in rebus ambiguis tecurrunt ferè semper ad rerum originem, & illarum formam contemplantes, omnia iuxta illarum causas componunt: sic Cæsares Seuerus & Antoninus in l. 3. ad Senatusconf. Macedonianum, In conuentione fœneratitia ex pretio venditionis facta cum filiofamilias, & in quæstione, num Macedonianum senatusconsultum locũ haberet: Responderunt originem potiùs obligationis quàm titulũ actionis considerandum, neque in aliis contractib. quàm in mutuo locum habere. Sic etiam Hermogenianus in l. 34.

qui id quod, De donatio. lib. 39. π. tit. 5. scribit, eum qui donare decreuerat, postea se obligantem de eo, constituendo se pro donatore soluturum, non secundùm constituti actionem omnino teneri, sed secundùm donationis priuilegium, inquantum facere posset, eo quòd donatio prior fuit origo illius constituti: causam enim, inquit, & originem constitutæ pecuniæ, non iudicii potestatem, (id est, actionem de constituto) prætualere placuit. Pariter Vlpian. in l. 6. clàm possidere, De acquirend. possess. lib. 41. π. tit. 1. originem possidendi intueri iubet non clàm ab initio, vel bona fide quis possederit, vt sciatur num iustè possideat. Sunt plura alia iureconsultorum testimonia, quæ omitto: ea enim sufficient vt habeas loci topici aliquam probationem ex origine, & à quæstione A quo. Et Salomon etiam sapient. cap. 7. in principio, docens eandem hominum esse, siue regum, siue inferiorum conditionem, hoc argumento ducto ab initiis & à quo, docet quòd ex genere ipse rex sit etiam terreno, in ventre matris figuratus caro, coagulatus ex sanguine & semine hominis quod natus acceperit communem aërem, in similem deciderit terram, in inuolumentis fuerit mulieris: quodque nemo ex regibus aliud habuerit initium natiuitatis, &c. & Eccles. c. 39. c. versic. 30. rejicit creationem boni ad initium rerum, dum ait, *Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala.* Et Dominus noster IESVS CHRISTVS Matth. 19. 6. volens probare illam propositionem veram, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, & ad libellum repudii ex Mosis permissione concessi respondens, *Propter duritiam cordis vestri*, inquit, DEVS *permisit: ab initio autem non fuit sic.* Et D. Ioannes in principio 1. Epist. c. 1. confirmationem dicendorum proponit, *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, & c. annunciamus vobis:* & c. 3. 6. docet peccatorem Diabolum, *quia*, inquit, *ab initio diabolus peccat*, Sequitur alius modus quæstionis PER QVEM: Voluerunt autem aliqui, instrumentum illo significari, vt D. Basilius Magnus Cæsarien. Episcop. libr. De Spiritu sancto ad Amphylochium Episcopum Iconii c. 3. Cæterùm mihi placet hìc non tantùm instrumentum eo significari, sed & eum qui vtitur aliquo vt instrumento: de instrumento dicimus cum quo factum est, & per quod factũ est. Per quem itaque, aut per quod, significatur hìc causa efficiens, & faciens, & instrumentũ facientis, & idem interdum ac cùm dici-

dicimus à quo factum est: & pro eo qui dedit causam faciendi vel non faciendi. Sic D. Chrysostomus interpretans illud D. Matth. cap. 18. *Væ homini per quem scandalum*, 5. Tomo 2. Homil 60. in Matthæum, *Noli admirari, si, Per quem scriptum est*, inquit: *non enim vt alio per ipsum agente hoc dicit, sed tanquam ipse totum efficiat. Consuevit namque scriptura nonnunquam Per quem, pro A quo, dicere: & ita Gen. 4. Accepi hominem per Deum, & 1. Corinth. 1 Nonne per Deum manifestatio eorum est.* Et Iurisconsulti illud, PER QVEM FACTVM ERIT, late interpretantur, de eo non solum qui fecit propriis manibus, sed etiam qui per suos fecerit, vel per alios rogauerit, vel fieri procurauerit alio modo: & ita interpretatur Vlpianus in l. 1. De eo per quem factum fuerit quo minus quis in iudicio sistat, li. 2. ff. tit. 10. & in l. 5 si per alium, Ne quis eum qui in ius vocatus est, vi eximat, lib. 2 ff. tit. 7. & in l. 1 § deiecisse, De vi & vi armata, lib. 43. ff. tit. 15. cum similibus ibi notatis à glossis. Fit autem ab aliquo vel per aliquem constitutiuè, compositiuè, effectiuè. vt per instrumentum actionis secundum negotij & artificij exigentiam, vt militaria sunt, galea, ensis, arcus: agricolæ, marræ, rastra, aratra, &c. sutorum, acus, filum, forfices, & sic de similibus: cognitionis, qualia pædagogi, libri, instrumenta literaria, documenta, præcepta, virtutes, &c. Quintilianus lib. 2. Instit. orat. c. fin. Instrumentum esse dicit id, sine quo formari materia, & id quod velimus nō potest effici, & ita libr. 12. cap. 5. instrumenta oratoris ait esse, verborum figurarumque facilem copiam, rationem inueniendi, vsum disponendi, memoriæ firmitatem, actionis gratiam: & naturalia instrumenta, animi præstantiam, impauidam vocem, latera, decorem. Considerant etiam Iurisconsulti instrumentum cum quo aliquid fit vel fieri solet: num pugno, num armis, num lapidibus quid patratum, num sine armis. Inuentionis duo instrumenta, experientia & ratio: Gal. tom. 6. lib 3. Methodi medendi, cap 2 Regula, Omnis facultas qua alicuius causa agit, instrumenta quærit ad opus opposita: idem tom. 3. lib. 1. De causis pulsuum.

## *De Quæstione Iuxta quod, vel secundum quod.*
## CAP. XIX.

PRimum hac quæstione quæritur de animi conceptione: secūdo de exemplari seu de formatione rerum men-

tali, in mente artificis: tertio de ideis exemplaribus, nempe de similitudinibus, quas quis imitatur: quarto de ideis & formis cœlestibus, ad quas inferiora diriguntur. Prima quæstionis pars, de animi conceptione, num negotium secundum eam factum sit, magni ponderis est in hominum actibus, siue in vitiis, siue in virtutibus censendis. Et hic est quæstio præcipua voluntatis præcedentis, quæ ad principium voluntatis transeendentis referenda est. Cæterum nostra est alia & diuersa ab illa: nam illa quærit quæ sit voluntas, nostra autem an negotium secundum illam voluntatem effectum sit, vel num dictum iuxta conceptum. Sic Papinianus actum perpendit scripturæ in l. 101. cùm auus, De conditionibus & demonstrat. libr. 35. ff. titul. 1. Defecisse fideicommissi cõditionem factam nepoti, si nepos liberos suscepisset, quia præsumitur id dictum esse, & dictũ nõ fuisse scriptum. Quod confirmat Iustin in l. 30. cùm acutissimi, De fideic. lib. 6. cap. titul. 42. quod scriptum est, vt ad exemplar voluntatis legitimæ negotium institutionis liberæ & legitimæ confirmetur: & ita recurritur ad exemplar vnde negotium manauit. Simili modo Vlpianus in l. 52. ex conuentionalibus. de verb. oblig. lib. 45. ff. tit. 5. scribit, in verbis propositis à prætore interpretandis recurrendum ad exemplar, nempe ad mentem prætoris, à quo interpretatio, vel detractio, vel additio, vel immutatio fiet, vt etiam idem Vlpian. tradit in l. 1. §. fin. de prætoriis stipulationibus, lib. 45. ff. tit. 5. & sic de similibus. Quod intelligitur, quoties potest constare certò de exemplari non immutato, nam si vel deperditũ obliuione sit exemplar, vel dubium sit num id corruptum sit, negotium & actus, tanquam remanens imago exemplaris mentis, potius sequenda. Sic qui semel mente lucrifaciendi rem alienam cõtrectauerit, furtum facit: nec hoc exemplatum furti mutari potest mutato postea consilio, nec ex pœnitentia facti, vt scribit Vlp l. 67. qui ea mente, De furtis lib 47. ff. tit. 2. Quo fit, vt quod palam expressum non est, & sic propositum in mente retentum; non consideretur & amissum censeatur à Celso in l. 99. quicquid adstringendæ, De verb. oblig. lib 45. ff. titul. Idemque dicendum, si confusè, expressum vel minimum ambiguè, quódve interpretari nequit certo modo: & ita Paulus l. 5. in ambiguo. De rebus dubiis. lib. 34. ff. tit. 5. *In ambiguo*, inquit *sermone, non vtrumque dicimus, sed id dumtaxat quod volumus: Itaque qui aliud dicit quam vult, neque id dicit*

*quod*

*quod vox significat, quia non vult, neque id quod vult, quia id non loquitur.* Idem dicit Celsus in l. 7. Labeo, De supellectile lega. lib. 33. ff. tit. 10. Quæruntur item, num iuxta exemplar mentis, delictum commissum vel attentatum fuerit: nam si remanserit mens in exemplari propositi ma eficij, neque extrinsecus iuxta exemplar quidquam cõmissum fuerit, nulla est pœna, in iure humano ciuili vel saltem non grauis: contra tamen si ad aliquem actum perueniat, vel exequi cogitatum delictũ quis amoliatur: Triphon l. 225. fugitiuus, & Paul. in l. 53. sæpe, de verb. & rerum signif. lib. 50. ff. tit. 17. Vlp. l. 18. cogitationis pœnam nemo patitur, lib. 48. ff. tit. 19. De amolitione facti ex voluntate pun. Diocl. & Max, in l. 7. is qui cum telo, Ad leg Corn. de sicar li. 9. C. tit. 15. & Grat Val. & Valens l. 8 si quis necandi, eod. tit. & Iouia. in l 5. si quis non dicam rapere, De ep. & cler lib. 1. C. tit. 6. cum similibus ibi annotatis ab Accursio. Collige etiã & exemplari mentis & ex proposito, distingui maleficia, & actus alios hominum. Ideo quæritur secundum quod mentis exemplar, vel secundum quod propositum, quid factum sit, vt Vlpianus tradit in l. 40. verũ est, De furtis. li. 47. ff. tit. 2. cum sim. ibi notatis. Sed perpulchrẽ Iustin. in l. 20 si quis, De furtis li. 6. c. ti. 2. Sic dicitur remanẽre pura & casta mẽte, nõ corrumpi carnẽ, etsi per vim quis violetur. can. reuera, & canonib. sequent, 32. q. 5. Quæ enim exeunt ex corde, coinquiãt hominẽ, Matthęi 15. 6. Marc. 7. c & id regulariter seruatur. Sunt tamẽ casus in quib. nõ semper conatus punitur facto nõ secuto. quos notat Felinus Sandæus proprio trãctatu, An conatus absq; effectu puniatur. Secũdò diximus hic quæri de exẽplari, & secundũ exemplarẽ formam quæ in mente artificis opus examinat probè: nẽpe quia ipse artifex in mente fingit prius & in cogitatione q̃ facere destinauit, antequã manũ operi re ipsa adhibeat Deinde ad exẽplar illud prospicies. ad illius similitudinẽ opus perficit, vt scribit D. Basilius Magnus lib. De spiritu sancto ad Amphilochiũ, c. 3. exẽplar autẽ hoc, paulatim producitur, q̃ vocat ideã Vitruuius, lib. 1 c. 2. quia futurũ opus in eo ab artifice videatur & ab aliis etiã, tum cũ idea illa mentalis transit in ideas visibiles, quæ triplices sunt: Imperfectæ duæ, alia perfecta & tertia vna dicitur & rudior, Ichnographia, circini regulæq; modice continẽs vsus, ex qua capiuntur formarũ in solis arearum architecti penitũ descriptiones: vocant nostri, platam formam, quasi planam formam, alij plantã, siue plan,

plan, Latini Vestigium. Altera dicta est Orthographia, quæ est erecta operis imago, modiceque picta rationibus, operis futuri figura: siue ea sit operis frons, vel facies exterior, vel interior. Et istæ duæ sunt imperfectæ ideæ visibiles, ad perfectum præuiæ, & quasi dispositiones, confusè quodammodo opus repræsentantes. Tertia autem perfecta idea, quæ dicitur Scenographia, vel Sciographia: frontis & laterum abscedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum responsus Hæc dum ex ligno constituitur perfectior est: vocant nostri Modellum eleuatum, quasi modum futuri ædificij erectum, sicuti erectum est in animo artificis, qui mentem artificis quæ potest conceptionem obliuisci, retinet. Ad quam postea Scenographiam, artifices dum operantur prospicientes, errores quantumuis minimos deprehendunt in opere. Ad imitationem artificum etiam suas componit & perficit ideas dicturus orator: nam primum animo Ichnographiā, & cogitatione paucis admodum horis magnas etiam causas complectitur & inuenit, idque quodammodo confusè delineat Deinde ad orthographiam peruenit, disponit, coniungit & res & verba, postea ornat & polit, & scenographiam complet. Interdum vt tutiùs hanc scenographiam obseruet, eam visibilem reddit, & scribit, vt ex ea scriptura, si erret, facilius diiudicet: postea opus aggreditur, & in publicum prodit, vt colligere licet ex Quintiliano libr. 10. Instit. orat. cap. 6. & ex Cicerone in Rhetor. ad Herennium, c. 3. & de Inuentione c. 3. & alibi, & Dionysius Halicarnasseus 1. Antiquitat. Rom. *Meritò*, inquit, *omnes putant orationem suam cuiusq; animi esse imaginē*. Tertiò diximus, secundum quod, referri ad ea quæ quis imitatur, in quo id quod quis imitatur, est exemplar eius à quo imitatio trahitur. Et ita dicimus componere aliquem sese ad exemplar Christi, præceptorumque eius: hoc est, sequi eum vestigia, & actiones, & præcepta Dei CHRISTI IESV: id est, similia aliquo modo facere quo Deus CHRISTVS fecit, vel iussit. Sic D. Paulus scribit. 2. ad Thessalonicen. cap. 3. vers. 9. εἰς τύπον, in formam sese dedisse, vt imitarentur illum Thessalonicenses: & 1. Corinth. 4. D. Imitatores mei estote fratres, sicut & ego Christi: & ad Ephes. 5. estote imitatores CHRISTI. Sic Dominus noster IESVS Deus D. Ioann. cap. 13. b. *Exemplum vel ὑπόδειγμα dedi vobis, vt quemadmodū ego feci, & vos faciatis*. Quod & scribit D. Petrus

trus 1.c.2.d.& D.Paul.ad Titum c.2.b. *In omnibus ostende te ipsum exemplum bonorum operum.* Et aliis quamplurimis locis eadē inuenīuntur in sacra pagina, quibus exemplum, & typus, & forma, & exemplar, pro eo ponitur ad quod inspicientes, id quod significatur illo, obseruamus. Plato lib. 13. in Theæteto vel de scientia, exemplaria summa duo ponit: vnum diuinum, idque beatissimum: aliud Dei expers, illudque miserrimum. Nam qui se actionibus iniquis immiscet, ille his se similem reddit. Et ita homo imprudens, stolidus factus, dicitur in scripturis similis equo & mulo, quibus non est intellectus, Psal. 48. cap. Sic Homerus in Odyssea scribit, socios Vlyssis à Circe in feras porcósve mutatos, eo quod mores illorum induissent & imitarentur, vt optimè interpretatur Plutarchus libro, Num feræ ratione vtantur. Vt contra, per actiones bonas & Dei mandatis conuenientes, Dij efficimur, participatione. Sic enim & scriptum est. *Nonne ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes*, Psal. 81. b. & Ioan. Euang. cap. 6. & 8. Sic dicitur, *Regis ad exemplum totus componitur orbis*: id est, secundum formam & modum viuendi Regis, populus componitur, qui eius mores imitatur. Et apud Iurisconsultos etiam, exemplum dicitur illud, quod sua ostensione nos aliquid facere vel non facere admonet: vt grassatores & latrones publici in exemplum publicum grauius puniendi, vt alij deterreantur: id est, vt metu, quod similem pœnam si similia committant passuri sint, à criminibus arceantur, vt scribit Callistratus in l. 28. capitalium. § grassatores, & § famosos, De pœnis, lib. 48 π. tit. 19. cap. clericos, De cohabita. clericor. & mulier. in Decretalibus cum similibus. Estque pœnæ genus quod παράδειγμα dicitur, de quo in iure nos agimus, & Gellius libr. 6. c. 14 factum hinc est, vt picturæ ex aliis transumptæ, & scripturæ etiam transcriptæ, Exemplaria dicantur: quia ad exemplaris similitudinem vel formæ, vel dictionum, factæ sint. Regula autem hîc constituenda est Iurisconsultis. Instrumentum vel documentum, quod secundum aliud seu ex alio transcriptum esse dicitur, vel ex alio sumptum, non probare, sed exhibendum esse primùm: cuius mentio fit in secundo & exemplato, teste Paulo in l. 2. De fide instr. lib. 22. π. tit. 4 Iustinian. in §. & hoc insuper, vt sponsalitia largitas, &c. in Authen. colla 9. tit. 2. vnde desumpta est Authentic. si quis in aliquo documento, De edendo, lib. 4. C. tit. 1. Quod tamen verum non est, si iudicis autho-

authoritate fuerit originale publicatum, & ex publicato exemplatum factum fuerit: nam tunc propter authoritatem iudicis, æqualis authoritatis cum authentico originali & exemplari transcriptum. vt expresse Iustin. in §. illud quoque, vt fratrum filij, &c. colla. 9. tit. 7. in Authentic. & Gregorius 9. in cap. fin. De fide instrum. lib. 2. Decretal. titul. 2. Creditur etiam non originariæ scripturæ, si originales sine dolo potentis perierint, Scævola in l. 58 chirographis, De administratio. tut. lib. 26. ff. tit 7. Alia Regula, vbi quod secundum exemplum fieri petitur, deficiente exemplari, deficit exemplandum, vt scribit Alphenus in l. 27. in testamento, De conditionibus & Demonstr. libr. 35. ff. tit. 1. Notandum etiã pro faciliori nominum cognitione, illud ex quo exemplum sumitur, dici triplici nomine solitum, nempe originale, Authenticum & Exemplar. Item id quod secundum exemplar fit quadruplici nomine dicitur: Index, Exẽplum, Sumptum, & Memoria. Singula tibi explicat glossa in l. 2. De fide instrum. in Pandectis super verbum, indices. frequens certe hæc quæstio secundum quod, in iure: nam interdum respondetur per secundum leges secundum exẽpla, l. nemo, de iudicis. Secundum authoritatem rerum iudicatarum, Callistratus in l. 37. nam & Imperator noster De legib. libr 1. ff. tit. 3. Secundum consuetudinem, Vlpian. in l. diuturna, cum quatuor ll. sequentibus, eodem tit. cum similibus. Item per nostra principia transcendentia secundum bonitatem, magnitudinem, durationem, &c. Secundum virtutes, vitia, accidentia, quæstiones, & examinationes. Et tot sunt hinc argumenta quot modi, secundum quos respondetur. Et Medici secundum loca medicamenta obseruant, Rhetores argumenta secundum locos, & omnes breuiter hinc artes fulcimen & quæstionem haurire possunt: nam & Mathematici habent suas figuras, lineares, sphæricas, curuas, rectas, &c. secundum quas agunt & demonstrant. Quarto, generalis modus, secundum quod, facit relationem à visibilibus ad inuisibilia, particularium ad vniuersalia. Sic mundus triplex, Homo mundus corporalis, mundus Angelicus, exemplar omnium Deus, & mundus superior inferioris exemplar. Nam, vt ait Rabi bẽ Ezra in פירוש עשרתה רברים pirəsc ainasrah hadebarim. 1. commentariis in decem præcepta, Ipse sanctus Deus est qui collocauit mundum superiorem per virtutem suam, & mundum medium per virtutem diuinam, & suorũ sanctorum

rum Angelorum, qui scilicet sunt in mundo superiori. Hunc vero mundum inferiorem, in quo nos sumus, constituit virtute sua & duorum mundorum superiorum. Sic Rabi Abraham in libro IETZIRA scribit de triplici mundo & dependentia inferioris à superiore. Plato etiam, non solum principium materiam constituit, sed etiam exemplare ad quod ideæ ipsæ reducuntur, & principium paternum, quod ad Deum rerum omnium causam pertinet. Est autem idea ad Deum intellectio Dei, ad mundum verò sensibilem exemplar, ad seipsam essentia: Quicquid enim intelligentia fit, ad aliquid referri necesse est, quod quidem operis exemplar erit. Quod autem in Deo sint ideæ omnium sic probatur apud Alcinoum qui de his scribit libr. de Doctrina Platonis c. 9 Siue Deus intellectus sit siue intellectuale quiddam, notiones illi adsunt æternæ atq; immobiles. Quod si hoc ita se habet, ideæ sunt: etenim si mensura per seipsam materia caret, ab aliquo superiori, & à materia penitus absoluto mensuras suscipiat necesse est. Verum autē est antecedens, verum igitur consequens: & sic hoc ipsum, ideæ, sunt, mensuræ nempe sine materiæ mistione existentes. Accedit quod si mundus non temerario quodam casu talis est, non solum ex aliquo, verum ab aliquo, factus est, neque id solum, sed etiam ad aliquid fabricatus. Id verò ad quod effectus est quidnam aliud præter ideam existit? Certo si intellectus à vera opinione differt, intelligibile quoque ab opinabili discrepabit. Hoc si verum est, extabunt opinabilia ab intelligibilibus differentia: vt sint prima quoque intelligibilia & sensibilia prima, vt ideas quoque esse concludatur. Adde, omnem artificem nō casu sed præmeditate omnia ad certam formam perficere. Est igitur idea & prænotio ante opus. Talis & in Deo, & perfectius, tanquam sine comparatione super perfecto omnium rerum visibilium & inuisibilū opifici & creatori, aliter non intelligeret quod ageret. Scio tamen Aristotelem, Platonis ideas vel species, & Theophrastum labefactasse Diuinas, vt etiam meminit Cicero lib. 1. Academicar. Porrò ego illorum reprehensionem non probo omnino. Docuimus nos alibi etiam, ob similitudinem cœlestium corporum plura in hac inferiori mundi parte fieri, eaque mirabilia: vt docet Proclus libr. de sacrific. & Magia. Locutique sumus de sympathia & antipathia rerum aliqua, dum de appetitu disputaremus, ex quibus constat secundum quædā aliqua fieri,

fieri, quæ si non obseruentur non fiunt Obseruant agricolæ cœli statum & tempestates vt glebam vertant, porcas faciant, arent, seminent, materiam cædant, tondeant pecus, inserant arbores, & alia operentur Et aues, & pisces, & animalia alia certis tantum temporibus copulantur, & coëunt, pariunt, & certis quibusdam conuolutis signis, vt vere terra gremium aperiens, partus varios educit. Et nullus est, qui dubitare iusse possit, formas esse quasdam spirituales (vocare lubet rerum species) à Deo generaliter determinatas, à quibus & concreta sine declinatione fiunt, vt bos bouem semper generat, aliter monstrum, ouis ouem, homo hominem: præstituta namque est singulis rebus species idealis, & à Deo, & in Dei cognitione determinata. Atque Plato lib 32. in Timæo, quia vidit mundum tot animalium materiam suggerere, & prolem tam innumeram habere, voluit mundum esse exemplar omnium animalium, atque esse animal, cuius animalia cætera & singulatim & generatim partes sunt. Cicero etiam lib. 2. De natura Deorum, vbi de ratione agit, scribit in mundo superiori in Deo quandam esse perfectam rationem, ad cuius perfectionem veluti per gradus nostra ratio properet: neque enim dici potest in vlla rerum institutione non esse aliquid extremum atque perfectum. Legimus & hominem factum à Deo ad imaginem Dei, & eius similitudinem Geneseos cap. 1. Quia enim corpus ab exemplari corpore mundi visibilis similitudinē ducebat, vt Microcosmos homo dicitur, sic oportuit ipsam animam ad similitudinem mundi spiritalis, Dei similitudinem in aliquo referre. Quo fit vt homo per quæstionem illam, secundum, secundum corpus sit carnalis dum animum carni seruire permittit, diuinus autem & spiritualis dum corpus animæ subiicit Quamobrem Arca Dei, quam Deus iussit Mosi sibi fieri à filiis Israel, & in qua adorari debebat, facta est secundum exemplar cœleste monstratum Mosi in monte, vt ad similitudinē inuisibilis throni Dei, & ex visibili similitudine, inferiora hæc superioribus conformarentur, vt scribitur Exod. cap. 25. & 26. ad Hebræos 8. D. versic. 5. Actuum 7. F. versic. 44. Sic etiam D. Dionysius Areopagita ecclesiasticam istam Hierarchiam secundum cælestem ordinatam fuisse scribit libris De cœlesti & ecclesiastica hierarchia. Et qui philosophati antiquitus sunt, indubie existimarunt hominem esse quo ad corpus, ad vniuersi mundi habitum institutū, ideoque

que habere partem supernam quæ caput rectum in sublime vniuersum, vt scribit Arist. 1. De histor animal c.15. Dicebatque Argazel, Hominem esse epitomen mundi, & tabulam abreuiatam orbis. Respondetur igitur ad quæstionem, Secundum, vel iuxta quod, secundum mentis conceptionem voluntatis, ideæ, operis, & exemplarem formam vel ichnographiam rudem, orthographiam magis distinctam, scenographiam magis politam. Exemplar efformatur vel per protoplastem, vel scripturam, vel picturam, vel imaginē exemplatam: vel ratione habita ad loca, tempus, occasiones, & huiusmodi relatiua: vel secūdum similitudinem, exemplum, iudicatum, alias probatum. Topica: Cicero in Topicis, *maximam*, inquit, *facit fidem ad similitudinem veri primum exemplum, deinde introducta res similitudo*. Fabula etiam nonnunquam, etsi sit incredibilis tamen homines commonet.

*De Quæstione Cuius.*

## CAP. XX.

PEr hanc quæstionem de eo qui possidet inquiritur & de dominio. veluti si quæramus, cuius est hæc domus, statim respondemus Sempronij, Socratis, Regis, occupantis, & per similes modos quibus nancisci quis possessionem potest, vel dominium. Translata etiam appellatione modorum: veluti dum respondemus esse donatarij, vsufructuarij, emptoris, permutantis, & sic de similibus titulis acquisitionis, de quibus in rubricis generalibus, De acquirenda possessione, De acquirendo rerum dominio, De præscriptionibus. Vsucapionibus, De verborum obligationibus, & aliis singularibus contractuum, Donationum, Legatorum, & similium titulis in vtroq; iure occurrentibus. Habet etiam locum & hæc quæstio, & eius solutio in his quæ alterius vel suæ potestatis sunt: hîc etiam congruunt tituli. De his qui sunt sui vel alieni iuris. Sic filius in potestate patris vxor mariti, seruus domini, monachus abbatis, & sic inferiores superiorum potestatibus subiiciuntur. Quæstio Cuius, etiam petit authoritatem: vt. cuius est legem statuere? hoc est, ad quem pertinet, quis habet potestatem condendæ legis? & respondetur ad id cuius est, est principis legem publicam & generalem condere, magistratus communem intra territorium, priuati in rebus suis.

Notabis quæstionem Cuius differre à quæstione De quo, & Ex quo: quia Cuius non notat vt sit de essentia, vel substantia, vel materia, vel forma. Cùm autem quæras De quo, consubstantiam & eandem materiam determinari petis: quia, si quæras De quo statua fit, dicis de ligno, & manet cũ ligno statua. Sed si dicas, Cuius statua, respondendo Petri, non concludis esse Petrum ex substantia statuæ, vel ex materia eadem. Nec ignorandum, in quæstione Cuius Aristotelem 7. Physicor. longe d sceſſisſe à Platone, quia Plato putabat quiditatẽ rei differre à re vel suo supposito: veluti quiditatem hominis ab homine, & ita suppositũ esse quiditatis. Et ita posse admitti ad interrogatum cuius sit homo, responsionẽ quod esset quiditatis hominis, vel essentiæ. Aristoteles contrà specificam naturam suppositi & suppositũ idem esse probat. Ego magis accedo ad Platonem, qui ideas ponit priores abstractas, quas dicit priores substantias illis singularibus. Et illæ ideæ, quas formas abstractas dicimus, habent adhuc Cuius in Dei mente, cuius voluntate omnia creata & distincta sunt, & formas suas sequuntur singulis speciebus destinatas à Deo: & ita Deus est vnũ tantùm ens, per se simpliciter primum. Vnde tollitur ratio Aristotelis, vt non ideò sequatur processus in infinitum: nam Dei nulla est idea vt possit dici de eo Cuius: nihil enim est infinito infinitius: infinitus autem Deus, prima omnium suprema causa. Dicimus itaq; & cuius accipi à concreto abstractum. In eo tamen solo, quod latiùs patet abstractum suo concreto, non in intrinseca quiditate: ea enim est eadem cum subiecto, nam ex ea tantum est. Et ea non est alicuius quàm ipsamet sui: Neq; quenquam deterreat ab hac opinione, quod non norit quomodo subsistant & determinentur ideæ illæ specificæ: cùm enim nec nouerit quomodo creantur incorporeæ, & quomodo Angeli & Animæ subsistant, tamen ideo non negat substantias esse. Item secũdò, & euidentiùs, subiectum & accidens dicitur Cuius, vt albedo est alia cygni, alia hominis, alia solis, idque illa quæstio Cuius distinguit. Idem de reliquis accidentibus ad substãtias, vt de quantitate, qualitate, & prædicamentis aliis. Respondetur itaque ad Cuius, quia possidentis domini per modos acquirendi possessionem, occupationes, titulo, vel per dominum vsucaptam, per modos quibus quis in potestate habet, vt in potestate patris, filius, & filia, & nepos: mariti, vxor: Domini, seruus, ancilla, vel quia est sue potestatis.

testatis: Abbatis, prioris, præpositi monachus, episcopi clerus, ducis miles, superiorum inferio. Item passionibus & vitiis obnoxius in potestate eorum & satanæ, quia ab his superatus est: autoritatem habentis, vt imperatoris in reguios, regum in subditos, magistratuum in sui territorij homines, ducum in milites, patrisfamilias in domesticos, Cuiusque in ea quæ sua sunt. l. nemo extèrus. C. de Iudæis cũ similibus. Iurisprudentum potestas & in consultationum resolutionibus, & legum sanctionibus. Iamq; indicauimus id probari titulis propriis, generalibus & particularibus in π. C. Institut. & Decret, sexto Clementin. De acquirend. possessio. De acquirend. rerum dominio. De rerum diuisio. De vsucapio. Tituli de contractibus, vt de contrahend. emptio. Transactio rebus creditis. Donationibus. Legatis, &c. B. §. 1 de patria potestate lib. 1. Inst. tit. 9. Caius in l. 3. Vlpian. in l. 4. & 5. & 6. De his qui sunt sui, vel alieni iuris lib. 1. π. tit. 6 Dionysius Halicarnass. libr. 2. Histor. Rom. Iulius Cæsar lib. 6. Commentar. cum simil. c. de viri potestate in vxorem Aristot. 8. Politic. c. 10. can. est ordo. can. mulier. can. noluit. 33. q 5. in prima parte Decret. can. fœminæ. 30. q. 5. Genes. 3 sub viri potestate eris D §. 1. De iis qui sunt sui vel alieni iuris apud Iustinian. Institut. libr. 1. tit. 8. Paulus in l. 215. potestatis De verbor & rerum significatio. lib. 50 π tit. 16. Sed de his latius infra in Syntagmate iuris Deo fauente dum de personis loquemur. E. F. G. De his scriptum est, obedite præpositis vestris, ad Titum c. 3. a. & ad Hebræos c. 13. c Nominatim Monachi, cum propriæ voluntati renuntiauerunt, priorum & præpositorum voluntati omnino subiiciuntur, canon. non dicatis 12. q 1. in secund. parte Decret. Gratian. & gloss. 1. in can. noluit 33. q 5. scribit monachos magis subesse præpositis, quam vxores viris. Magis autem tenentur obedire abbati quam episcop. can. 1. & 2. 38. distinctio in 1. parte Decret. gloss in can. quæ contra mores. 8. distinctio. F. Honor. & Theodos. in l. 6. omni innouatione, De Sacrosanctis ecclesiis, lib. 1. C. tit. 5. Episcopus est iudex tam corporum quàm animarum, can. de persona. 11 q. 1. & 10 q. 1. can. quæcunque. De potestate episcopi vide 18. q 2. cum similibus. Cùm autem de Episcopis loquor, intelligo Archiepiscopos, Patriarchas, & Metropolitanos, quia & hi appellatione episcoporum continentur. can. cleros 21. distinctione. Item & summum Pontificem, qui regiæ est authoritatis, imò & super Regem in spiritua-

libus cano. duo sunt 96. dist. canon. imperium vestrum 10. distinc. Innoc. 111. in ca 8. solitæ, De maiorit. & obedientia lib. 1. Decret. tit 3. L. De regibus, iura regum ponuntur. 1. Reg. c. 8. M. Magistratuum in subditos, quia est Iurisdictio potestas de publico introducta, cum necessitate iuris dicendi, gloss. in l. 8 De iurisdict. omnium iudic. & ibi Bartol. dicta l. potestatis verbo, De verbor signific. in ff. N. De Ducum in milites potestate. Modest. in l 3. desertorem. Arrianus in l. 6. omne delictum. §. contumacia Marcian. in l. 12. officium regentis, De re militari, lib. 49. ff. tit 10. Hic est regula generalis, vt maiores potestates præferantur in obedientia inferioribus, can. quæ contra mores, in fine, 8. distinct. Valentinian. Cæsar in l. 5. potioris gradus, De offic. rector. prouinc. libr. 1. C. tit. 44. Et ad maius tribunal vocatus, non tenetur coram inferiori eó tempore, quo ante maiorem potestatem oportet sistere, comparere. Paulus in l. 54. contra pupillum, De re iudic. lib. 42. ff. tit. 1. Et Dionysius Halicar lib. 1. Antiquita. Rom. *Sempiterna lege*, inquit, *atq; vniuersali receptũ est, inferiores parere superioribus.* Et breuiter de vtrisque Cicero lib 2 Tusculan. quæstion. *Hæc ratio*, inquit, *vt imperet illi parti animi qua obedire debet id Videndum est Viro: quonammodo, inquies? velut seruo dominus, velut imperator militi, velut pater filio.* Sed de his potestatibus latiùs in iure dum de personis agimus.

## *De Quæstione, propter quid.* CAP. XXI.

HIc locus considerat causam finalem, non quòd de fine hic quæstio sit, qualis ille sit, nam id propriè tractatur in tit. finis, infrà. sed quia considerando finem, & propter illum finem vel illum respondetur. Vt propter quid homo hic positus est? Respondeo, vt Deum & mundum contempletur, vt scribit Cicero lib. 2. De natur. Deorum: & tamen id illud non est, ac contemplatio Dei ac mundi. Et quia etiam ad multa alia homo vtilis est, dicimus plures fines, sed non absolute, vt homines hominum causa generatos, vt mutuò sibi prodessent. 1. offic. Cicer. & in Lælio, & 3. Offic. 3. De Finibus & alibi. Si inuenias etiam finem illum esse bonum, affirmatiuè concludes propter illum id esse Si inuenias nisi ita fieret, aut esset, vel diceretur aliquid, in malum rem vergere, conclude ita factum, vt id vitaretur malum. Et interdum inuenies aliquid ex vtroque fine rationem accipere, vt si dicas, Matrimonium propter quid introdu-

troductum est? bonum habes finem. Propter propagationem hominum, sed statim etiam finem alium, ad remedium, ad cuitandum malum, nempe fornicationem: *Propter fornicationem unusquisque habebit uxorem, & unaquaque virum*, D. Paul. 1. Corinth. 7. a. Aliud exemplum: punitur delinquens, vt satisfaciat delicto: sed vltra, ne iterum criminibus grauioribus illaqueetur, & ne Deum grauiùs offendat, & ne simile facere postea pertentet, vt scribit Iustinian. in l. 20. si quis. De furtis, lib. 6. C. tit. 2. sunt enim nouissima delicta grauiora prioribus, dum diutius anima delinquendi consuetudine obnubilatur, & redditur pertinax & grauis. D. Lucas c. 11. b. Et mali homines & seductores proficiũt in peius, vt scribit D. Paulus 2. ad Timoth. 3. c. grauioraque peccata, quanto diutius animam detinent alligatam. Greg. nonus in c. final. de consuetud lib. 1. Decretal. tit. 4. Alexand. tertius in c. 5. cum haberet, De eo qui duxit in matrimon. quam prius polluerat per adulter. libr 4. Decret. tit. 7. cum similibus & Eccles. ca. 8. b. versic. 11. quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Puniuntur etiam vt aliis sint exemplo, vt scribunt Diocletian. & Maximi. de punitione plagiariorũ in l. 7. quoniam seruos ad legem Flauiam De Plagiar. lib. 9. C. tit. 20. cum similibus. Quod & scribit Plutarch. lib. De sera numinis vindicta. *Sic*, inquit, *consideremus præceptorem cùm ex pueris aliquem corripit cæteros admonere, ac imperatorem cùm decimum quemque tollit omnes ad officium reducere: & quanquam via illa videatur longa, tamen consideret medicum, qui per viam longè diuersam procedit ad curandum morbum, medicamentaq; ob alia per alia insinuat, veluti qui venam incidunt vt ab ophthalmia leuentur.* Et ità etiam addit corpus propter animam castigari, his verbis certè Christianis, proinde non solum parti ob partem aliã, sed & animæ propter animam, longè plus quàm corpori ob corpus, affectus, vexationes, passiones, ac emendationes accidere solent. Scribit & Horatius, *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Hic locus certè latissimè patet: nihil enim vt scribit Iob cap. 5. in terra fit sine causa, siue ea sit bonus, siue malus finis. Et animalia ad finem diriguntur aliquem vt scribit Aristot. 1. Ethicor. ad Nicomach. cap. 1. Hæc quæstio propter quid, quæ docet propter finem aliquem, siue bonum, siue malum, vel indifferentem, aliquid esse, differt à principio respectiuo finis: quòd hic essentia, vel acciden-

tia finium non examinantur, vt ibi, sed tantùm docetur quomodo res hæc, vel illa est, vel potest esse propter illum, vel illum finem, quia propter illum vsum parata videtur. Regula: Semper deterius melioris gratia est, siue sit secundum artem, siue sit secundum naturam: & semper cuique id est maximè expetendum cuius, potiri est summum. Aristot. lib. 7. Politit. cap. 14.

## *De Quæstione, Quare.* CAP. XXII.

CVm Homo sit inter omnia animalia rationalis creatura, nihil, si fieri potest, agere debet sine ratione, vel saltē nihil cōtra rationem amoliri. Et Seneca lib. 5. Epistol. epistol. 37. *Si tibi omnia tibi subiicere, te subice rationi: multos reges si ratio te rexerit: ab illa disces quid & quemadmodum aggredi debeas, &c* & lib. 10. epist. epist. 77. eleganter docet, hominem omnia habere communia cum cæteris rebus & animalibus, imò ab his in illis superari. in sola autem ratione solam proprietatem hominis, characterem que proprium esse, & proprium bonum, vt etiam scribit Cicero lib. 2. De Finib. bonor dum ait, *Homines enim, etsi in multis aliis, tamen hoc vno plurimum à bestiis differunt, quod rationem habeant à natura menti datam, & acrem & vigentem, celeriterq; multa agitātem simul, & vt ita dicam, sagacem, qua & causas rerum, & consecutiones videat, & similitudines transferat, & disiuncta coniungat, & cum præsentibus futura copulet, omnemq; complectatur vitæ consequentis statum* Et Aristot lib 1. De partibus animal, & earum causis cap. 1 *Ratio*, inquit, *est principium pariter in rebus tam arte quam natura constituendis. Vbi enim vel per intellectum, vel per sensum medicus sanitatem opifex ædes diffinierit, rationes & causas rei quam facit reddere solet, & cur ita facit subiungit. Quanquam illa, cuius gratia, causa, & ratio boni, & pulchri, natura operibus potius quàm artis coniuncta est.* Et rursus lib. 7. Politicor. cap. 14. *cum deterius*. inquit, *sit melioris gratia, melius est illud quod rationem habet.* Vt libr. 8. Topic. c. 5, admonet rationes nos habere oportere ad quotidiana problemata. Cicero lib. 1 De inuentione hunc locum ratiocinationis minimè negligendum esse etiam scribit, & ideo vocat rationem libr. 2. Tusculanar. dominam omnium rerum, & reginam. Plato autem lib. 32. in Timæo, vel de natura, rationes cum his rebus quas exprimunt cognationem quandam natura habere videri dixit: ideoque

cùm

cùm de re firma & stabili, & mente comprehendenda differitur, stabiles similiter immutabiles q; , & quammaximè fieri potest inexpugnabiles esse oportere. Admonebat etiam D. Petrus 1. Epist. c 3 c. fol. 15. vt ad rationem reddendam parati de rebus grauibus fidei & spei essemus, dum ait, *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe & fide.* Et dominus noster IESVS CHRISTVS, verus Deus & verus homo, exacturus est à nobis singulis rationem operum singulorum nostrorum, cur egerimus, vel non egerimus ea, vt scribitur apud D. Matthæum c 12. c. & cap. 18. c. & cap. 25. b. & D. Luc. c. 16. a D. Paul. ad Rom. ca. 14. a & D. Petr. Epist. 1. c. 4. b. can. quotiens. 22. q 5 Paulus huius quæstionis Quare solutionem, dilucidiores res reddere docet, dum ait in l. 1. De except. dol. l. b 44 π. tit. 4. *Quo dilucidius intelligi possit hæc exceptio, prius de ea videamus quare proposita sit, &c.* Neque tantummodo ad dilucidam pertinet orationem ratiocinatio, sed etiam ad fulcimentum propositionum: nam ea veluti fulcimento sustinentur, vt scribit Arist. lib. 1. Topic. c. 1. Ad Quare itaq; respondetur per collectionem argumentorum ex principiis omnibus, & ex concretis: veluti quia bonum, vel aliquid est eius quod sub bono est, veluti vtile, honestum, conueniens, decens, &c fic de reliquis. vt quia magnum. vel quia sufficit, illa magnitudo, &c. Respondetur etiam per quæstionem quiditatis & vtrum, quia necessarium, quia contingit ita fieri, quia forma talis essentialis est: nam ratio siue forma est id quod superuenit composito simplici constans, & inuariabili essentia, vt scribit Gilbertus in principio libri De sex principiis Perpenditur etiam hic causa efficiens, quæ producit sibi similia. siue mala, siue bona. fit etiam solutio ad quare, illatiuè, ad consequentiã alicuius: vt quare peperit? solutio. quia prægnans erat.

Cicero lib 1 de Inuentione, Ratiocinationem de finit, vt sit Oratio, ex ipsa re aliquid probabile eliciens quod expositum, & per se cognitum, sua se vi & ratione confirmet.

COMMENTARIORVM

# IN TERTIVM LIBRVM SYNTAXEΩN, ARTIS MIRABILIS DE PRINCIPIIS EXAMINATIVIS, reſpectiuis, liber tertius.

*De diuiſione & conſideratione principiorum examinatiuorum in genere.*

## CAP. I.

SVPERIORIBVS exanthlatis queſtionum ſolutionibus ad ampliorem calculum rem propoſitam perſequentes incipimus reuocare, cõparatione facta rei, vel ad ſe ipſam, vel ad alia: iamque extranea tentamus adferre, per quæ noſtra ſuſcepta diſputatio nobilitetur, & lumine puriore reſplendeat. Quamobrem in principio diſtinctiones adferimus. Hîc fertilis eſt campus maximus, exornatus floribus, patulis faucibus quaſcunque res probandas, collaudandas, vel vituperandas aut reprobandas excipit. DEVS namque, vt mentis æternæ magnificentiam & ſapientiam oſtenderet, tanta & perfecta, abſolutaq; varietate res omnes diſtinxit, vt neq; minimum quippiam ſit, quod ab alio ſpeciali quadam nota nõ diſtinguatur. Apparent in cælo orbes, motu, ſtellis, ſitu, pulchritudine, & aliis modis diſtincti. Stellæ aliæ ab aliis claritate, curſu, magnitudine differunt, & elementa inter ſe. Quot quæſo fluminum, terrarum, climatũ, marium, & reliquarum aquarum, & ſoli proprietates diuerſæ? Varia, vt ait Eccl. c. 43. c. beſtiarũ genera, hominum, pecorũ & creaturarũ belluarum. Quanta varietas herbarũ, ſtirpiũ, arborũ in ſuperficie terræ? quot piſciũ formæ diuerſæ, & auiũ: nõne extra cœlũ Angelicę varię & mirabiles poteſtates, & ordines? nõne in inferno Dæmonum, caniſicumq; terribiles, horrendæ, diuerſęq; ſpecies, ſupplicia infinita, varia, vt in cœlo diuerſi, varij, diſtincti glorię gradus? Sed & in homine, in

ne, in quo ſpiritualia & corporalia vnica hypoſtaſi iunguntur, vt ait Ouid. 1 De Arte:

*Pectoribus mores tot ſunt, quot in orbe figura.*

Et vt ſcribit Horat lib. 2. epiſt.

*Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,*
*Ille Bioneis ſermonibus, & ſale nigro:* & rurſum,
*Caſtor gaudet equis, ouo prognatus eodem*
*Pugnis quot captum viuunt, tot ſtudiorum millia.*

Et Perſius Satyra 5.

*Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus.*

Quibus conſentiunt omnes alii poetæ: Propert. libr 3. *Hic ſatus ad pacem, &c.* Virgilius Eglog. 2. *Trahit ſua quemque voluptas*: Terentius in Phormion *Quot homines tot ſententiæ.* Et natura quæ præſcriptum Dei iuſſum ſequitur, veritate plurimùm delectatur. Quare & animalia ſingula diuerſis penitus armis, ad tuendam ſalutem & munit & exornat: nonnulla validis vnguibus, aliqua dentibus robuſtis, cornibus acutis, pernicitate pedum, ardore denique iræ, ac veneno, vt ſcribit Maximus Tyrius ſerõne Phil. 32. & Iuſtinianus naturam deproperare nouas edere formas ſcribit in l. 2. §. Sed quia diuinæ quidem, De veteri iure enucleand. lib. 1. C. tit. 20. Sed & vnumquodque in ſeipſo & à ſeipſo, per tempora & momenta diſtinguitur, vt in animalibus aliud caput, aliud pes, vterus, venter & diuerſa alia inter ſe membra: in ſtirpibus fructus, à flore, flos à foliis, à ramis rami, à caudice caudex, à radice diſtinguuntur: ſtellæ nunc fulgidæ, nunc obſcuræ: Motus nunc citus, nunc tardus: ſic in ſimilibus. Porrò & à ſeipſis res differunt: nam & Varro ſcribit 4. De lingua latina, quem vidiſti puerum & formoſum, vides muſcidum & ſenem: ſuccedit puer infanti, puero vir, viro ſenex, ſeni fouea. Primum res tenera, poſtea rudis & hiſpida, nunc planta, arbuſtum poſtea, durata & nodoſa arbor. Omnia etiam in ſeipſis creata mutantur: quæ in tempore facta ſunt, cum tempore proficiunt & deficiunt, vt ſcribit Plato lib. 9. in Parmenide, vel de vno omnium principio. Omnia cœlum complectitur, cœlum autem ſub perpetuo motu eſt. Motus qui continuus, continuas efficit ſedis mutationes: mutationes illæ, varias generationes & corruptiones, rerum naturalium & corporalium efficiunt, omnia per conſequens mutationi alterationi ſubiecta, vt etiam annotauit Iuſtinianus Imperator in §. vt autem lex, De non alienandis rebus eccleſiæ collat. 2.

tit. 1. in Authenticis. Quamobrem existis omnibus quàm facile est venari differentias & dissimilitudines: est tamen communio quædam & vinculum omnium rerum: quia omnia ad vnum pergunt & ex vno dependent, vt scribit Plato in libr 9. in Parmenide, & in Timæo, & alibi. Et Seneca circa principium lib. 2. Naturalium quæstionum, vbi illud axioma probat, *nihil nasci sine vnitate, & habere vnitatem quicquid alicuius naturæ pars est: & semper totum manere ex quo pars pereat.* Et Aristoteles ad vnum omnia coordinata esse dicit, libr. 12. Metaph. cap. 9. Et ferè omnium hominum similem esse naturam scribit Iustinian. Cæsar l. 13. veteris. §. final. De contrah. & committend. stipulatio libr. 3 cap tit. 38. Sic in singulis videmus catenam illam rerum humanarum, per annulos omnino ligari, & ex singularibus fieri species: ex speciebus colligi genera: ex generibus alia generaliora, donec veniatur ad vnũ in creatis, ad vnam substantiam, quæ ad vnum vsque peruenit creatorem, Deum. Videmus ex literis pluribus syllabã vnam: ex pluribus syllabis, dictionem vnam: ex pluribus dictionibus clausulam, ex clausulis orationem vnam: & ex variis vocibus vnum concentum fieri: ex pluribus partibus hominem: ex pluribus hominibus familiam: ex pluribus familiis ciuitatem vnam: ex pluribus ciuitatibus Regnũ: ex pluribus regnis imperium vnum: ex pluribus euaporationibus humidis fontem, ex pluribus fontibus, fluuium vnum: ex fluuiis pluribus mare vnum. Sunt & plura huiusmodi, quæ ad vnum omnia conspirare arguant, quod fieri nequit sine quodam symbolo & quadam communis naturæ contributione & participatione. Sic omnia elementata, siue animalia siue inanimata sint, componuntur communi quasi materia elementorũ quatuor: quatuor autem elementa, similitudinẽ corporis primi elementaris & ætherei referunt, illud autem vnum & simplex. Videmus & omnes voces idiomatum omnium, in vocales & literas conspirare, etsi diuersam mixtionem patiantur. Sed ne omnia confunderentur, si penè æqualia fierent omnia, voluit Deus optimus sapientissimusque, quædam singulis adjicere rebus, quæ confusionem prohiberent, quibus inter se incommutabiliter distinguerentur, & sibi occurrentes non commiscerentur vllo modo, & contraria dicimus ista. Quæ quidem omnia, secunda contemplatione iterum offeruntur perpendẽnda, ratione principii, medii, & finis, quæ

ita

ita se mutuo sequuntur, vt alterum sine altero esse non possit. Nam quod oritur, intereat quoque necesse est. quod autem interit, & finem habet. Necessarium est etiam vt medium recipiat, quod inter ortum & finem sit, vt docebimus Deo iuuante. Sed & tertia deinceps se offert rerum indagatio statim circa superiora, & omnia quæ sub his conijduntur: nempe, quid maius minusve, quidve æquale sit. Quæ tria ita se mutuò consequuntur, vt non possint vllo modo etiam hebetiorum mentes effugere, sicuti nec superiora. Quocirca hæc principia dixerunt Tullius & alii optimo iure respectiua: nam vnum sine alio esse vix potest. Vt si in medium adferas differentiam, statim admoneris de concordantia, & contrarietate quærenda si sit. Si deinceps ad triadem secundam peruenias, & ad vnam cellulam manum amoueas eius, veluti ad finem, statim ibi de medio & principio, per quæ ad finem peruenitur, admoueris. Idipsum si de medio vel de principio sermo incipiatur: quod de tertia triade intelligendum. Nos autem hæc principia examinationes diximus, quia certè per hæc maximum lumen adfertur rebus & tractationibus. Diuidimus itaque examinantia respectiua principia in tres triades relationum, singulis triadibus tres cellulas continentibus, vnde fiunt nouem cellulæ, accipe igitur typum. Prima trias, differentia, concordantia, contrarietas. Secunda trias, principium, medium, finis. Tertia trias, maioritas, æqualitas, minoritas. Quare cum Dei inuocatione, & eius ascita priùs gratia, ad ea sigillatim explicanda breuiter, properemus.

## *De Differentia.*

## CAP. II.

VSus tum Græcorum, vt particula δὶς, tum apud Latinos di, vel dis, in compositione, vel difficultatem, vel negationem demonstrant. Quamobrem & Differentiæ nomen satis per se indicat quandam diuersitatem eorum, de quibus dicitur, quòd se inuicem ferre nō possint simul, vel difficulter coniungantur in eo in quo differunt. Nemo autem dubitat & ferre verbum traduci ad similitudinem: nā dicimus, ferre alterius mores, & aduersa, pro eo qđ est, pati & similiter conformari, coaptari, vel condescendere. Inde Differentia dicta eorum, quæ se non patiuntur, vel ægrè consentiunt: Græcis dicitur διαφορὰ. Constituit autem Aristoteles lib. de Mundo pugnam & contrarietatem

tem inter συμφερομενο· & διαφερομενον, inter consentiens & dissentiens, vt inter συμφωνον & διαφωνον, consonum & dissonum Dicebant antiqui Differitatem pro Differentia, vt scribit Nonius, & ita vtitur Lucretius lib 4. de philosophia naturali: *Tantaq; in his rebus distantia est, differitasq;*. In prædicabilibus Differentia non ita generaliter, quæ est specifica Differentia, accipitur vt in hac tractatione, inqua omnes species dissimilitudinis admittimus. Quamobrem annotare debemus. Differentiam communiter, propriè, & magis propriè accipi, cuius typum accipe. Differentiã communem facit quodlibet accidens separabile, quod ineſt alicui, per quod differt à quocunque alio non habente illud, vel saltem non habente in æquali gradu, & per quod quid differre potest à seipso, vt sanus ab ægro respectu temporis, vel alterius. Et sic generaliter Differentia est rei cuiusq; sufficiens diuisio & separatio, vt scribit Speusippus libr. de definitionibus Platonicis, & Aristoteles in Prædicamentis. Sufficientiam intelligo pro distinctione qualitercunque signatam, vt latè docet Galenus tom. 4. lib. 2. De different. pulsuum, circa finem. Propriam Differentiam constituit omne accidens proprium, vel commune inseparabile ab eo cui ineſt, per quod differt à quolibet non habente illud, vt coruus differt à cygno per nigredinem: inseparabileq; hîc accidens facit proprium Differentiam. Proprium autem diximus quatuor modis: primo, quod soli speciei competit, sed non omni individuo, vt grammaticum esse hominem. Secundo, quod omni individuo, sed non soli speciei competit, quia alii competit speciei, vt bipedem esse hominem. Tertio, quod omni & soli speciei competit, sed non semper, vt canescere hominem, quia non semper senescit. Quarto, quod omni speciei & soli & semper competit, vt risibile homini. Per magis propriam Differentiam quid ab alio differt essentialiter & quidditatiuè intrinsecè, vt etiam remoto omni accidentali Differentia intrinsecæ essentiæ remaneat. Rursus differentiarum quædam facit alterum, & est illa qnæ facit differre habentem à non habente: Accidentaliter conuenit differentiæ communi, magis, propriæ, minùs. Quædam facit aliud, vt essentialis Differentia & propria. Quædam separabilis ab eo cui ineſt, vt Differentia communiter accepta. Quædam inseparabilis ab eo cui ineſt, vt Differentia propria, & essentialis: inseparabilis autem aut per se, vt Differentiæ magis propriæ, aut per accidens,

Diffe-

Differentiæ propriæ: Quædam suscipiunt magis & minus, vt Differentiæ communiter dictæ, præcipuè eorum quæ sunt in tertia specie qualitatis, quales colores, sapores, odores, tangibiles qualitates: quædam non suscipiunt, quales Differentiæ propriè, & magis propriè. Quædam sunt Differentiæ etiam verborum: quædam rerum animatarum, Angelorum, hominum, animarum, plantarum: quædam inanimatarum, vt corporum arte, vel natura constitutorum. Sed de his satis cuique facere arbitror ea quæ compendiosè tradimus lib. 3. Syntaxeωn nostrarum, c.2. Inter artifices longa est differentia & ingenii, & naturæ, & institutionis, Vlpianus in l 31. inter artifices De solutionib. lib. 36. ff. tit. 3. Differre Lucretius lib. 2. dicit, res, materia, interuallo, via connexus, pondere, plagis, concursu, motu, ordine, positura, figura. Et secundùm Aristot. lib. 8. Metaph. c. 2. Democritus Differentias præcipuas rerum existentium ponit tres, vt differant vel rhythmo, id est figura, vel trope, id est situ, vel diatage, id est ordine. Sed & aliæ sunt, vt materiæ, misturæ, clauorum in arca: ligaminis fascis, glutinis in libro: positionis, vt limen & superliminare: temporis, vt cœna, & prandium: loci, vt venti: sensibilium, in passionibus, vt molle, durum, densum, rarum. Sunt & Differentiæ petitæ, vt concordantiæ, ex transcendentibus, bonitate, magnitudine, &c. Item ex quæstionibus, essentia, quidditate, origine, materia, &c. Item ex accidentibus, quantitate, qualitate, relatione, &c. Item ex virtutibus & vitiis: item ex principiis materialibus, elementis, elementatis, vegetabilibus, &c. item ex examinationibus istis respectiuis differentia, concordantia, &c. principio, medio, & fine, &c. Qui tutè itaque atque copiosè de rebus propositis disputare, vel obiecta soluere desiderat, has omnes contempletur oportet distinctiones: colliget enim inde fertilem vel dicendi, vel effugiendi viam, & segetem veritatis & orationis fertilissimam colliget. Nam secundùm Arist. lib 1. Topicor. c 6n. vtilis est Differentiarum inuentio ad syllogismos, qui de eodem, & diuerso fiunt, & ad cognoscendum quod est vnumquodque. Et idcircò idem Aristoteles lib. 8. Metaphys. c. 2. vocat Differentias principia existentia. & Galenus lib. 9. De decretis Hippocratis & Platonis. Qui in vllo, inquit, fallere, vel falli non vult, similitudinem & dissimilitudinem rerum tenere debet. Decipiunt namque similitudines etiam peritos interdum, vt idem scribit Gal. tom. 7. in lib. 4 Aphorismor. Et

Hippo-

Hippocrat. Aphorism. 2. Plato lib 10. in Philebo, vel de summo hominis bono, dialecticam existimauit donum Dei, quia sicut in mundo perpetuum est eius officium diuidere & componere, ita & Dialectici est, in arte opus. Et ideo libr. 26. in Phædro, vel de pulchro, perfectum Dialecticum, quem accipit pro Metaphysico, existimat esse tanquam Deum colendum: quia quemadmodum omnia Deo sunt propriè nuda & aperta, & nihil eorum quæ sunt, quæve futura sunt, eum latent, sic homini vtenti distinctione, radius quidam in parte aliqua similis diuinitati participatiuè effulget: claritas est eius conceptuum differentia. Et quia deceptio maximè solet accidere in his quæ parum differunt, vt scribit Plato lib 26. in Phædro, vel de Pulchro, ideo nec sunt contemnendæ exiguæ rerum differentiæ, ne his hallucinati in confusionem rerũ deuoluamur: cui & subscribit Galenus com. 1. in principio lib. 9. De Hippocratis & Platonis decretis. Omitto recensere quot errores etiã apud peritissimos quosque, & præstantes ingenio viros, orti sunt ex confusa notione, & ex proximè accedente ad veritatem oblata similitudine: ea enim qui desiderauerit, videre poterit apud Valerium Maximum lib. 9. c. 15. Iam in libro Syntaxeon nostrarum 3 exhibuimus Syntagma nominum quæ ad Differentiam referri possunt, vel quæ aliquam Differentiam arguunt: quorum quædam hic explicabimus, veluti quid Aliud vel Alterum, Discordia, Discretio, Disparitas, Disproportio, Disiunctio, Dissimilitudo, Dissonantia concentuum harmoniæ, Diuersitas, Distantia, Diuisio, Inæqualitas, vnde Disparitas, Longinquitas, Multiplicitas, Multiplicatio: Nomina propria, cognomina, agnomina, appellatiua: Non idem, Pluralitas, pronomina: Præpositiones omnes singulares & demonstratiuæ: Remotio, Varietas. Pugnat confusio, Inordinatum, Mixtura, Temperatura.

Differunt ALIVD & ALTER, quòd ALIVD specificam & propriã infert differentiã, ALTER qualemcunq; & accidentalem. Plato in vtroq; Differentiam esse consentit, verumtamẽ vtrumq; confundere videtur, dum ait lib. 9. in Parmenide, vel de vno omnium principio, suppositione nona: *Si de aliis sermo fit, alia profectò altera sunt. An non idem tu aliud & alterum vocas? equidem. Alterum nonne ab altero alterum, & aliud ab alio aliud esse dicimus? Vtiq;. Ergo ipsis aliis, si modò alia futura sunt, aderit aliquid à quo alia*

*alia erunt, cùm illud minimè sit. Nonceriè. Inuicem ita, alia sunt: id enim solum restat, alioquin à nullo alia futura sunt. Rectè. Idcirco secundum multitudinem singula inuicem alia sunt.* Hæc Plato ibi, & lib. 5. in Sophista, vel de ente: *Quicquid*, inquit, *reuera alterum est, ex necessitate sequitur, vt secundum id quod est, alterum sit. & ita differre.*

Iurisconsulti interdum ALIVD Differentiam quidem constituere fatentur, verùm in aliquo cum eo à quo id aliud est, veluti in genere, dicunt. Quod potiùs est reiciendum ad materiæ, de qua agitur proprietatem, quàm ad verbi significationem. vt colligitur ex glossa cap. 1. in verbo Alius, de præbend. libr. 3. sexti Decret. titul. 4. Volunt enim interdum relationem implicare, sicut si dicamus, *Dabitur* mensis alius, verbum illud Alius refert alium mensem vel alium terminum fuisse datum, & cùm quid datur eiusdem esse conditionis ac prius. Verùm ibi Alius pro altero accipitur, vt & monuimus hæc interdum confundi. Cæterùm aliud implicat & refert quidem alterum, ad quod Differentiam confert, non tamen eius similitudinem in substantia: sicuti in auth. qui semel, Quomod. & quando iudex, &c. lib. 7. C. tit. 43 vbi postquam tres menses Imperator absenti concessit ad litem subeundam addit quod postea aliud anni spatium indulget. Vbi & glossa optimè notat, hoc verbum Aliud non implicare datum fuisse antea annum, quia tantùm tres menses dati sunt, & ibi iura similia notantur, quæ idem probant, quæ breuitati studens prætermitto. Quo fit vt Iurisconsulti dixerint, Aliud pro alio inuito creditore solui non posse, Paulus in l. 2. §. mutui datio, si certum petatur, lib. 12. ff. tit. 1 quia propter differentiam quæ in his est illud Aliud videtur esse extra consensum cõtrahentium & obligationis Quod etiam explicatur à Paulo in l. 99. Paulus respondit, De solut. lib. 46. ff. tit. 3. Sed meliùs Diocl. & Maxim CC. in l 16. eum à quo, iuncta Authentic. hoc nisi: vbi illud non obtinet, dum debitor discussis facultatibus apparet non soluendo in pecunia numerata: titulo De solutionibus, libr. 8. C. tit. 43. CONFVSIO, vide infrà perturbatio

DISCORDIA dicta est à diuersitate & differentia cordium, cùm videlicet diuersitas sententiarum est, vt scribit Cicer. 1. Tusculanarum quæstion. Dehinc & discordia mentium, separationem inducit, canon. Ismael, 65. distinct. in pri-

in prima parte Decreti Gratian. Separationem autem differentiam esse infrà docemus Quin & ex differentia cultus, morum & religionis sæpissimè discordia oritur, canon. perlatum 90 distinctione. in Decreto Gratiani.

DISCORDIA accipitur in rebus ipsis, pro quadam ἀλλοτριότητα & contraria quodammodo diuersitate, translatione facta à corde hominum ad affectus naturales Porrò propriè discordia & concordia in hominum voluntatibus dicitur: quo fit, vt etiam in communione rerum, & concordia, ipsarum discordia quædam dicatur, discordia videlicet dominorum. Et ita Iurisconsulti dicunt, Discordiam ex communione rerum oriri: accidit enim vt in communibus, dominorum non sit eadem vel similis voluntas, vt scribit Papin. in l. 79 cùm pater. §. dulcissimis, De legatis 2. lib. 31 ff. tit. 1. naturale quippe vitium est, negligi quod communiter possidetur, vtque se nihil habere qui non totum habeat arbitretur: denique suam totam partem quis corrumpi patiatur, dum inuidet alienæ, vt notat Theodos. Imp. in l. 2 quando & quib. quarta pars debeatur, lib. 10. C. tit. 34.

DISCRETIO & DISCERNERE nihil aliud est, quàm nota aliqua separare, & distinctè. Sic discretæ nominibus suis syluæ apud Plinium lib. 15 cap 30 & indiscretum nullo modo separatum, sed confusum. sic discretio, Differentiæ annotatio, inter aliqua dicitur: item discrimen, λύσιμα separatio, & discriminare διαχωρίζειν, διαιρᾶν, diuidere separare dices. Cicero itaque lib. 4 ad Herennium, *Discretio*, inquit, *nominatur qua rerum consequentium continet perspicuam & dilucidam cum grauitate expositionem.* Sic Discretio pro separatione accipitur & distinctione, apud Iurisconsultos, & apud Iustin. in l. 10. discretis, Qui testam. facere possunt, lib. 6. C. tit. 22. & in § sic itaque discretis, De action. lib. 4 Instit. atque pro differentia ponitur, in l. fin. De sacrosanctis ecclesiis, lib. 1. C. tit. 5. Quo factum est, vt quamplurimi prudentiam illam distinguendi vtilia bona ab inutilibus & malis, Discretionem quasi distinctionem & separationem dixerint. Et ea significatione dicunt Discretionem matrem esse virtutum, in cap. 1. De officio custodis, lib. 1. Decret. Gregorii tit. 27. & cano. præsentium 1. quæst. 5. in decreto Bonifacii. Et hæc Discretio electio agendorum cum distinctione rationis est, quæ prout dignitatibus & officiis cuiusque incumbit, quemque respicit, canon. ponde-

ret,

ret, 50. dist. Debet esse discretio in episcopo circa correctionem, dicto can. ponderet, 50. distinct. in sacerdote & prædicatore, circa auditorum in mysteriis reuelandis capacitatem, vt scribit Nicolaus pontifex summus, in can. dispensatio, 43. distinctione. Item ne tacenda proferat, aut proferenda taceat, in can sit rector, eadem 43. distinct. & D Gregorius in suo pastorali cap. 15. Dehinc & cæteris sacerdotibus, quibus exomologesis audienda, & absolutio peccatorum committitur, discretio quæritur, in distinctione macularum peccatorum, in can. si is qui prædatus est, 23 quæstion. 4. in secũda parte Decreti Gratiani. Omne enim summum, difficile, & ambiguum, olim ad sacerdotes deferebatur distinguendum, qui iudicium scientiæ & cognitionis ferebat inter lepram & lepram, causam & causam, sanguinem & sanguinem, ex Dei præcepto, Deut. c. 17. h. & breuiter omnibus ad bene viuendum necessaria boni malive discretio, canon hinc etenim 49. dist.

DISPAR illud est, quod excedit, vel minus habet: quamobrem & illud plus, & minus, differentiam & distinctionem adferant necesse: & est idem, quod inæqualitas, & dissimilitudo. Plus autem & minus, vel qualitate, vel quantitate, vel consideratione alterius rei contemplationi subsident. Sic anomalum, irregulare, & varium huic subjicitur disparitati.

DISPROPORTIO dicitur id quod malè conuenit, vel inæqualitatem habet. Et apud Aristotelem lib. 5. Metaph. c. 9. Differentia dicuntur, quæcunq; diuersa sunt, cùm idem quid sint: modò non sint idem numero, sed aut specie, aut genere, aut proportione.

DISIVNCTVM quod malè vel ægrè alteri accedit, aliquidq; habet, quo extrema differant. Huius refert exemplum Aulus Gellius lib. 5. Noctium Atticarum, cap. 11. loquens de syllogismo Biantis circa rem vxoriã huiusmodi: ἤτοι καλὴν ἕξις, ἢ αἰσχρὰν, καὶ εἰ καλὴν, ἕξις κοινήν: εἰ δὲ αἰσχρὰν ἕξεις ποινήν. ἑκάτερον δὲ σὺκ ἀγαθὸν, ἀ λητέον ἄρα. Id est, *aut pulchram duces, aut deformem vxorem. Si pulchram, communem habebis: si deformem, pœnam Non igitur ducenda.* Conclusionem autem hanc improbat, quoniam non necessum est, alterum ex duob. quæ distinguuntur, verum esse: & ideo inter pulchram & deformem, medium esse formam, vxoriam nempe & pudicam.

DISSIMILITVDINEM esse ad alia, & alia altera esse quàm vnũ, & ideo disiunctionem & differentiã admittere docet Plato libr. 9. in Parmenide, vel de vno omnium principio. Idem Plato etiam lib. 26. in Phædro, vel de pulchro, docet Differentiã in ea versari, dum ait *Oportet eũ, qui cunq; aliũ decepturus sit, ipsũ minimè decipiendo, similitudinẽ & dissimilitudinem rerum exquisitè cognoscere. Nam qui praeter rerum naturam opinantur, falsi q; sunt, constat propter similitudines rerum sic esse effectos, quas dissimilitudines norunt, errorem illum vitasse.*

DISSONVM Columella lib. 1. De re rustica, c. 1. opponit Consono & conuenienti, dum scribit: *An vniuersã, quã maiores prodiderunt, huius temporis cultura respondeãt, an aliqua dissonent, considerandã sunt.* Græci dissonum dicũt διάφωνον, ἀσυμφωνον. Aristot. lib. Problem. sect. 19. probl. 20. Dissonũ causari, scribit, ex disparitate in vno tertio nõ consentiente. Quamobrem Consonantiam maximam in tertia chorda, quam lichanon vocant, quia illa ex vtrisque vicinis participat, aliæ absunt. Refert etiã verbum Dissonũ quiddam, ratione cuius fiat disproportio cum alio, quamobrem & differentiã id arguit. Et ideo Plato lib. 25. in Conuiuio, vel de amore, Dissonum disproportionatum dixit, & Consono aduersum & distinctũ. Antiqui nouem gradus, vel distinctiones Consonantiæ & Dissonantiæ obseruãrunt, vnde & nouem numero Musas exhibuerunt, quas colligit Marsilius Ficinus lib 31. Dialog 3. De republica, in argumento. Et gradus vt sit primus in ratione, vt opinio cum ipsa rei veritate consentiens, vel dissentiens opinione falsa 2. in imaginatione, cuius Consonantia est consecutio rationis, Dissonantia consecutio externorum. 3 in effectu, vt temperanter sequi rationem, vel intemperanter imaginationem. 4. in sermone decoro vel indecoro quatenus consentit rationi, vel imaginationem tumultuariam sequendo, non sequitur illam 5. in cantu, cuius Consonantia est decorem imitari sermonem, dissonantia indecorum. 6 in sono, cantum aliter, vel aliter imitante. 7. in saltu concinno, vel inconcinno ad choream pertinente. 8. in quadam membrorum totiusque corporis compositione, tam spectaculo grata, quàm exercitio gymnastico prompta. 9. in artificiosis cuiuslibet artis operibus, Musicæ quadam proportionẽ compositis. Optima verò concordantia & harmonia omnium animi, quam & sequentes cæteræ imitantur, & vicissim cùm frequen-

quentantur, augent. Sic nulla peior *Dissonantia*, illa qua quis sibi ipsi dissonat & repugnat, vt scribit Plato libro 24. in Gorgia, vel de Rhetorica.

DISTINCTIONEM existimamus separationem, quam, cùm citra vel numeralem vel specificam non possit fieri differentiam, non immeritò inter modos constituimus *Differentiæ*. Sic Cicero action. 6. in Verrem iungit per synonymum separationi, dum ait, *Sed quo pacto ea possim distinguere, ac separare nescio:* & primo De Legibus, *Lex est distinctio iustorum & iniustorum.*

DIVERSITAS dici poterit ab eo, quòd inuicem ea quæ varietatem habent, malè sese compatiuntur, & ad inuicem non conuertuntur. Quo fit, vt in ea aliquid sit, quod aliud, vel alterum faciat, & per consequens differentiam & distinctionem. *Diuersa* dicuntur Aristot. libro 5. Metaphys. cap. 9. quorum vel species plures, aut materia, aut ratio substantiæ: & omnino, *Diuersum* dicitur oppositè ad id quod vnum dicitur. Pluralitatem autem, & quæ idem non sunt, habere distinctionem & separationem propter quæ talia sunt, per se notum. Et ibidem Arist. *Differentia* sunt, quæcunque diuersa sunt, numero, vel genere, vel proportione non eadem. Et libr. 10. Metaph. cap 5. *Diuersum* esse oppositum ad id quod idem est, & aliud inferrè scribit. Et diuersitatem magnam adferre formarum differentiam docet argumento ab studiis, & rerum serie, Maximus Tyrius, dum sermone philosophico 19. in hæc verba scribit. *Sic itaque humana res se habent, vt inter se prope dissentiant omnes, tametsi cunctos mortales communis quidam amor ac desiderium exerceat, vbi veruntamen tam multis variisq; itineribus, ad ipsum contendunt, vt propter diuersitatem studiorum, negotiorumq; nunquã eandem sortem, paremq; fortunã sortiantur.* Et diuersitatis diuersam & differentem caussam esse sciunt Iurisconsulti. Ideo & qui diuersum apud eos dicit, diuersitatis caussam promat oportet: exemplo Pauli, qui caussam explicat quare diuersum dicat in l 3. si existimas, pro soluto, lib. 41. ff. tit. 4. & in l. 1 §. si sub conditione, pro emptore, libr. 41. ff. tit. 5. Et diuersas sententias dixit Modestinus, quæ ita differentes sunt, vt inuicem se non patiantur, nec possint consentire, in l. 28. duo iudices. *De re iudicata*, libr 42. ff. tit. 1. Et *Diocl.* & Maxim. in l. 14. scripturæ diuersæ, *De fide instrum.* libr. 4. C. tit. 21. *Differentiam* aliam diuersitatis,

aliam repugnantiæ, aliam contrarietatis, esse existimat: tribus enim his vtitur pro alia scriptura demonstrata.

DISTANTIA quomodocunq; sumatur, vel pro interuallo, quod Græcis διάστημα, vel ἀπόστασις, vel metaphoricè pro omni differentia, constat à diuersa statione vel intercapedine tractum habere nomen. Nemo autem dubitat, loci vel rationis inde assumi mediam incommixtam intercapedinem vnde vtrumq; distantiũ ab inuicem separatur, & alia sunt. Sic Plato lib. 9. in Parmenide, vel de vno omniũ principio, distantia dissidere inter se & differre ait, & mediũ ideo inter illa ad coniunctionem exigi. Et Galenus tom. 7. cum Hippocrate Aphoris. 33 lib. 7. Aphorismor. distantes vrinas vocat, separationem facientes subsistentiæ, & quandam notabilem differentiam incontinuitatis demonstrantes.

Quia & in diuisione accidit separatio vel essentialium vel substantialium, quæ non communicantur inter diuisa, vel accidentalia, vt docuimus cùm tractaremus quæstionẽ Quotuplex. Ideo & differentiam constitui in his necessariũ est, quanquam leuis sit diuisio: quia omnia djuisa numerũ recipiunt, vt scribit Arist. lib. Problem. sectione 16. quæst. 7. Numeralem autem separationem distinctionem realem recipere, & alterum, & aliud, constat.

INÆQVALE dicitur alterius ratione, propter aliquid excedens, vel deficiens. Quamobrem & aliud ab alio cùm sit, constituet Differentiam.

DISTANTIAM iam diximus esse Differentiæ notam, quocirca cùm longè alterius ratione distinguatur per distantiam & intercapedinem, longinquitatem constituere differentiam non ambigitur.

MVLTIPLICATIO & MVLTIPLEX, cùm diuisionem referant numeralem partium, & adiectionem ad vnum, distinctionem & differentiam constituere dicimus: vt & docet Plato lib. 9. in princ. Parmenidis, vel de vno omnium principio Arist. etiam 1. Top. c. fin. dum tractat de differentiis, addit, *Vtile autem est ipsum quod multipliciter quidem dicitur considerasse ad claritatem: magis enim quis sciet quid ponatur, si manifestetur multipliciter dictum. Nam in manifesto existente eo, quod multipliciter dicitur, & ad quid ferens ponat, contingit vt non ad idem & respondens & interrogans ferat intellectum.* Quamobrem in multiplici latere Differentiam, eamq; exercendam docet. Docetque in

omni

omni multiplicitate numerum ineſſe, qui & *Differentiam* conſtituit.

NOMINA etiam diſtinctionem inducunt, ſiue ea ſint propria, nam tunc indiuidua diſtinguunt, cùm ad recognoſcendos ſingulos impoſita ſint, vt ſcribitur in l. 1. *De* mutatio. nominis, lib. C. tit. ſiue ea ſint cognomina. nam & ea diſtinguunt familias: ſiue agnomina, prænomina, appellatiuáue. In his enim diſtinctio fit notiſſima, & realis, & generica. vt tractat tit. Probus in Epitome lib. 10. Valerii, Varro de lingua Latina libris. accedit l. 4. *De* lega. 1. in *princ.* Et Plato 23. in Cratylo, vel de recta nominum ratione, Nomen eſſe inſtrumentum docendi diſcernendique rerum ſubſtantias ſcribit, ſicut & pecten ipſe & radius telæ. Radius autem textorium eſt inſtrumentum, quo cum pectine textor vtitur. Refert etiam lib. 34. Dialog. 6 de Legibus, ad differentiam promptè habendam ciuium. & ad magiſtratus eligendos nomen expedire: *Vnuſquiſque*, inquit, *vnde ortus, & genere, in ara Dei nomen ſuum, & patris, & tribus, & gentis, in tabula ſcriptum deponat, luceatq; cuiq; ſi velit ſi tabulam quamcunque non rectè ſcriptam ſuſpicabitur, in loco publico ponere, vbi non minùs quàm triginta dies permaneat. Trecentasq; tabulas ſic approbatas vniuerſa ciuitatis magiſtratus, oſtendant, quæ quos velit de iſtis, iterum & accipiat & reijciat, &c.* & Ariſtoteles primo Perihermenias, cap. 1. nomina, & quæ in ſermone verſantur, ſigna eſſe affectuum dicit: cæterùm affectus varii & differentes cùm ſint, conſtituunt & per conſequens differentia ſigna, & nomina differentiam per conſequens notet oportet. Scribit & idem in Poëtica, non minimum conferre partem ad dictionis perſpicuitatem & ad vulgare excludendum, productiones, conciſiones, nominumq; immutationes: quandoquidem id quod præter vſum commune fit, quatenus à proprio diuerſum eſt, illud minimè plebeium efficit: quatenus verò cum vſu communi conuenit, claritatem. Quare autem ex nominibus diſtinctio habetur, colligere poſſumus ex eodem Ariſtotele Metaphyſ. *11.* cap. *4.* quia nomen quod aliquid ſignificat, & hoc verificatur, oportet illud neceſſariò eſſe. Porrò ſi diuerſa ſunt nomina ſignificantia, & per conſequens differentes res eſſe conſtat, vt etiam ſcribitur à Conſtantino Cæſare in l *7.* ſi idem, *De* codicillis, lib. 6. C. tit *36.* cum ſimilibus.

Quod non idem eſt, diuerſum eſſe neceſſe eſt, & diuer-

sum ratione alicuius: quod manifestè demonstrat, *Differentiam* in non idem contineri.

Pluralitas. vide Multiplicatio.

PRONOMINA inducunt etiam *Differentiam*, quia separationem realem vel personalem continet. Primitiua octo numerantur, Ego, tu, sui, ille, iste, ipse, hic & is Item deriuatiua, Meus, tuus, suus, noster, & vester. nostrâs & vestrâs, & his composita.

OMNES præpositiones etiam *Differentiam* constituunt, siue sint accusatiuo, vel ablatiuo, vel vtriq; casui deseruientes. Nam referuntur ad aliquid certũ, quod colligit cum aliis *Differentiam*, vt ad, aduersus, ante, &c. vltra, præter, supra. infra, &c. in, sub, super & subter, &c. circũ, circa, &c.

REMOTIONEM etiam *Differentiam* arguere ex eo constat: nam id à quo aufertur, minus est ablatione facta, siue in quantitate corporis sit, siue in detractione alterius, vel dignitatis, vel iurisdictionis, vel similium, vt scribit Aristot. lib 3. Topic cap 3. illam autem differentiam constituere nemo ambigit.

SEPARATIONEM Philo Iudæus lib. de confusione linguarum, vnius ait in plura sectionem, sicut cùm genus in plures diuiditur species. quamobrem & *Differentias* ibi constitui par est, opponitq; confusionem. Separatorum propriam & differentem esse naturam, & considerationem habere diuersam scribit & Iulian. in l. 7. qui fundũ, §. si fundum pro emptore, lib. 41. π. tit 5. & in in l 13. si quis ita libertatem, §. si duo serui, *De* statu liber. lib. 40 π. tit. 7. Quamobrem statim vbi membrum aliquod est putridum, vel alioquin declinat à communi bonitate in malorum cõsuetudinem, eius iubetur fieri resecatio, ne totum, cui adhæret pars illa corrupta, inficiatur tabe morbi. Sic separantur praui ab iniquis: morbidum pecus à sano, in cano. resecandæ. 24. quæst 3. in decreto Gratiani, parte secunda.

PERTVRBATIO & CONFVSIO secundùm Philonem Iudæum, lib. *De* confusione linguarum, est facultatum simplicium corruptio, quæ simul congestæ, quampiam rem generant. Ea autem fit cùm penetrantibus se inuicem partibus, qualitates earum pereunt, vt corruptis rebus quæ priùs fuerant, vnius nouæ & à prioribus diuersæ existat generatio, quod accidit in medicorum compositione, quam vocant Tetrapharmacum, quæ constat cera, pice, resina, & adipe. Quæ composita semel, non possunt

arte

arte vlla separari, vt redeant ad qualitates pristinas, sed cùm singulæ nusquam appareant, ex omnibus corruptis vna egregia facultas conficitur. Plato libr. 31. *Dialogo* 4. *De* repubi. vel de iusto, confusionem sine discretione esse docet, cùm inquit: *In ciuitate tria hominum genera sunt, horum confusio alterius, in alterum commutatio, extrema ciuitatis calamitas est, & maxima corruptela.* Medici etiam dicunt quendam morbum oculorum confusionem, dum humores oculorum non consistunt, proprium ordinem seruantes, sed huc illucque feruntur, vt scribit Galenus in Isagogicis, libro introductorio, vel in medico, dum agit de oculorum affectibus, & libr. Finitionum medicarum. Iurisconsulti etiam verbo confusionis, pro extinctione speciei resolutæ vtuntur. Sic debitori tuo si hæres extitisti, & hæreditatem adiuisti, aditione confunduntur actiones, id est, pereunt & tolluntur, hæreditatis cum bonis propriis facta confusione. Antonin. Cæsar in l. 7. debitori, *De pactis*, lib. 2. C. tit. 3. cum similib. iuribus à glossis ibi notatis, quæ citare brevitati consulens omitto: Sic duæ materiæ, in vnam confusionem conflatæ, non amplius singulorum, sed communia sunt, tanquamq; confusæ neq; discretæ, §. si duorum, de rer. diuis. lib. 2. Instit. tit. 1.

CONFVSIO apud Plinium iuniorem epistol. 22. pro animi perturbatione sumitur, in qua animæ notiones perturbantur & commiscentur, vt distinguere non valeant bonum à malo. Sic sæpe in scripturis sacris confusio sumitur. Item pro ignominia, & pro erubescentia interdū turpi, interdum honesta. Est enim Confusio adducens peccatum, & Confusio adducens veniam, Eccles. 4. capit. cum similibus.

OMNE INORDINATVM est confusum, sed non contrà, omne confusum non est inordinatum, notat glossa in §. inordinatum, *De* hæredib. & Falcidia, collat. 1. tit. 1. in authenticis.

MIXTVRAM confusioni similem esse in aridis scribit Philo Iudæus libro De confusione linguarum. Substantia quidem inconfusa in aridis durat mixtis: sed realis diuisio propria cuiusque grani, ob difficultatem separationis, puta Milii, Tritici, leguminum, confusa dicitur. §. quòd si frumentum, De rerum diuision. libr. 2. Institut. titul. 1. & explicatur ab Alpheno in l. 34. in naue, Locati, lib. 19. ff. tit. 2. & Vlpian. in l. 3. idem Pomponius. §. sed si plumbum,

*De* rei vendicatio.lib.6.π.tit.1.Et Aristoteles lib.1. *De* generation. & interitu, cap. fin. id quod in mixtione recipitur similare effici docet, neque vllam admittere diuisionem, sed confusionem partium mixtarum fieri, non coaceruatione vel additione. Mixtura itaque, non est id quod componitur per tertias quasdam species, vt colligere licet ex Iustiniano in l.13. veteris, *De* contrahend.& committend.stipula. lib.8. C.tit.38. & Callistrato in l.81. cùm seruus, circa med. *De* conditio. & demonst.lib.35. π. tit.1. Confusio autem in mixtis, liquidis, & qualitatibus, diuersimodè consideratur ratione nostri, & ratione naturæ, & *Dei*. Et vt planiùs hoc appareat, adferam verba quæ hac de re notat Galenus lib. 1. De Temperam. *Atque*, inquit, *tota eiusmodi corpora per tota se miscendi calidum, inquam frigidum, humidum, & siccum, huiusmodi facultas non est. Terra enim aqua confusa miscetur quidem (quatenus scilicet videri cuipiam possit) atque ita tota toti contemperatur: caterum apposito exiguarum partium ea est, nequaquam totorum per tota mistio. sed ambo ea per tota miscere, Dei vel naturæ est opus Magnæ, etiam si calidum aut frigidum inter se tota per tota miscenda sunt. attamen appositionem eiusmodi efficere vt sensum effugiat singula simplicium corporum, non solum naturæ opus Deive est, sed etiam nostrum. Neque enim difficile est tali mistione, lutum, quod medium sicci humidique sit, molliri, &c.* & hæc ad verbum Galenus.

TEMPERATVRA cùm non sit coniunctio, sed dissimilium partium penetratio mutua, vt scribit Philo Iudæus libro de confusione linguarum, non mirum si eam dicamus speciem confusionis: idem enim quod mixtura est in aridis, in humidis est temperatura, vt idem Philo eodem scribit. Vocant itaque hanc liquidorum mixturam, inseparabilem confusionem, vt Vlpian. in l.5 idem Pomponius, *De* rei vendicatio lib.6 π. tit.1. Sic Medici peritissimi, certos inuicem succos & naturas, certa quadam ratione cõmiscent, per quam in vnam nouamq; formam plures atq; diuersæ formæ coëant, nouamq; vim adipiscantur. Quod in Mithridatis confectione, & Theriaca manifestum est. *Docet* & in mixtione simplicium non remanere priorem eandem naturam puram Galenus tom. 6. libr.3. Method. meden. cap. 2. pariter vt Musici, grauissimas voces quasi materias frigidas, voces acutissimas quasi calidas, & mediocriter graues quasi mediocriter humidas, &

acutas

acutas vt siccas, ita ratione certa contemperant, vt vna noua forma fiat ex pluribus. Sic quatuor elementorum naturæ & qualitatis in corpore commixto, quintam faciunt complexionem & qualitatem.

REGVLA, Naturarum siue temperamentorum diuersitas, diuersam requirunt medendi rationem: neq; enim omnes naturæ eadem medicamenta admittunt, sed infirmiores molliores q́ue, mitiora, validiores siccioresq́; valentiora. Galenus lib. 3. Methodi medendi, cap. 7. tom. 6.

## *De Concordia.* CAP. III.

QVædiximus de Differentia, in hoc capite repetenda sunt, quod ad rerum dispositionem pertinet, ex quibus sicut Differentiæ, ita & concordantiæ colliguntur: neque aliud interest, quàm quòd differentia distinguit, Concordantia colligit. Sic sunt concordantiæ sicuti Differentiæ primæ & secundæ intentionis, generis, speciei, proprij, accidentium, complexi, incomplexi. nominis, & orationis, & rerum, vt diximus suprà in Differentia. Concordia amicitiam maximè refert, & potissimùm animaliũ & hominum concordia: quia eiusdem cordis & voluntatis dicatur consensus, Concordia, vt scribit Cicero libr. 1. Tusculan. quæstion & Varro 4. de Lingua latina Concordia est à corde congruente, nempe de collatis & tractatis simul, eadem sententia, vt scribit Aristoteles lib. 9. Ethic. c. 6. Verum translata est appellatio etiam ad inanimata, quæ in aliquo consentire & concordantia esse dicuntur, ob quandam naturæ inter se, vel termini participationem. Dicebat & Empedocles Pythagoreus, omnia quæ sunt naturalia etiam concordantia contineri, & discordia dissipari & dissolui: itemq́ue quandam & amicitiam esse in rebus humanis, amicitia, ad generationem, lite ad corruptionem tendente: quod & scribit Cicero in Lælio. Quo factum est, vt optimè dictum sit, concordia res paruas crescere, discordia maximas dilabi, apud Salustium in bello Iugurthino in Micipsæ verbis. Et Cicero nihil vulius in republica dixit Epistolarum ad Atticum lib. 8. Epistola 156. Cneo Pompeio scribens Docet D Chrysostomus tom. 2. hom. 22. in cap. 6. Matthæi concordiam esse oppositam diuisioni, facereq́ue vnum ex pluribus, & in can. fin. 89. distinctio. scribitur, veram concordiam in Republica ex diuersis separatisq́ue gradibus, vnam esse contexionem vel vnionem. Proclus etiam

libr. Commentariorum in Alcibiadem primum Platonis, concordiam definit esse illustrationem ex vnitate procedentem, & esse vnionē differentium. Sic qui sciunt aliquid, circa vnum necesse est esse concordes, cuius quidem concordiæ causa prima est, ipsa rerum determinata natura: secunda, quòd ipsa iudiciaria cognitionis sunt eadem apud omnes: tertia, quòd in primis principiis, intellectus ad seipsum est vnitus. Cæterum vt media quædam in promptu & præ manibus habeamus, quibus concordiam possimus elicere, referam pauca exempla probationibus suffulta. Sic enim arbitratus fuit docentium ingenia posse reuelari hac opella: itaque hæc tibi concordiam referent: Amicitia, Æqualitas, Coniunctio, Copulatio, Coniugatio, Communio, Conuenientia, vt Amicitiæ, Contractus, Consensus, Conuentionis, Matrimonij, Pax, & similia: Consensus, Consonantia, Continuum, Harmonia, Identitas. Paritas, vide Similitudo: propinquitas rerum, sanguinis: proportio, Pax, Similitudo, Vnitas. Pugnat his discordia, & quæ eam referunt, vt superiori dictum est capite.

AMICITIA est concordiæ munus: nam in amicitia illa lex est præcipua, vt amicorum idem velle sit, & eadem voluntas, consensus conuenientia, vt scribit Cicero oratione 32. pro Cneo Plantio. Cæterùm idem consensus, & conuenientia, ad concordiam pertinent, vt suis locis docemus. Dehinc inter amicos est æqualitas. Nam amicitia, aut pares recipit, aut facit, vt scribit Arnob. libr. 2. Contra gentes. Et Dio Cassius lib. 39. Hist. Romanæ: *Quandiu*, inquit, *vtrinque omnia sunt aqualia, amicitia quoque valet: vbi autem alter alterum excellit, ibi inferior inuidia permouetur, odioq; superiorem prosequitur, &c. ex quo & altero indignato, bella & discordiæ sequuntur.* Porrò æqualitatem concordiam esse, infra docemus. Addendus D. Chrysost. tom. 3. homilia, in illa verba Ioan. c. 4. *veniet hora quando veri adoratores, &c. Diuersa*, inquit, *iungi non possunt, nec verum falsitas capit, amaritudinem dulcedo non patitur, perdet res quaq; quod nascitur, si aliquando amulo copuletur: adeo vt bonus malo si connectitur, aut pares reddantur, aut cito ab inuicem separantur. Amicitia enim aut pares facit, aut iungit.* Diuersa verò, aut voluntas, aut necessitas iungit, & vt lupus non conueniat agno, sic ne iustus peccatori, Eccl. 13. c. & prohibet id D. Paul. 2. Cor. 6. c. Subinde similitudine morum amici-

amicitia constat, vt scribit Cicero in Lælio, aut similitudo concordiam habet, vt infrà docemus. Est etiam amicitia concordia, quia ea definitur per consensum, vt sit diuinarum & humanarum rerum consensio, vt docet Cicero in Lælio, & 2. de Inuentione, quia & in religiosis & humanis inuenitur: amicitiæ verò consensus.

ÆQVALITATEM cõcordiam indicare & nomen indicat: nam æquale, est quasi æquè aliud ex duobus, medium namque est inter duo vel plura æquale, vt scribit Aristot. Metaph. lib. 10. cap. 8. Neque æqualitas est sine communi mensura, vt scribit idem Aristot. libr. 5. Eth. capit 5. & Plato libr. 9. in Parmenide, vel de vno omnium principio. *Quod æquale inquit est, earundem mensurarum est, quarum & illud cui æquale illud est, concordant in mensura æqualia.* Hinc libro 29. apud eundem in Phædone, vel de anima. *Res æquilibres in alicuius similis medio positæ, nec magis nec minus potest in partem aliquam inclinari: cumque similiter se habeat, ab inclinatione permanet aliena.* Docet & Philo Iudæus, libro de creatione principis, pluribus adductis exemplis pro laude æqualitatis, illam sociale esse rerum diuinarum & humanarum vinculum. Sic Solvnus dimetitur dierum ac noctium æqualiter vices & spatia, certis proportionibus, recursu annali. Iustitiam in negotiis humanis æqualitatem redigere communem gubernationem: in republica siue democratia, vel aristocratia, vel monarchia, æqualitatem illam & communionem coniungere, in corporibus sanitatem, virtutem in animis: sicut è diuerso, seditionem, & iniustitiam, morbos, vitia, inæqualitatem esse & separationem communitatis. Ad æqualitatem, iustum, iustitia, proportio, referuntur, vt diximus in bonitate, in synonymo æqui, & tradit Aristoteles in libro 1. Moralium cap. 34. & iustitiæ propriam æquitatem dixit Cicero 1. Officiorum dum tractat de fortitudine.

CONIVNCTVM & COPVLATVM idem esse scribit Aul. Gellius lib 16. Noctium Atticarum c. 8. Græcis συμπαπλεγμένον, vnde dicit sequi necessariùm veluti coniunctis simul ambulantibus, vt si dies est, Sol igitur supra terras est: si Plato ambulat, ergo mouetur homo. Coniugatio, Copulatio, & similia omnia verba significant concordiam in aliquo, veluti consensum & iunctionem sub iugo, quod participãt. Sic matrimoniũ & Nuptiæ, est maris & fœminæ

fœminæ coniunctio, diuini & humani iuris communicatio, individuam vitæ consuetudinem continens vt scribit Modestinus in l. 1. De ritu nuptiar lib.23.ff.tit.2.Iustinian. in §.1.De patria potestate, libr.1.Institution.tit.9 can.1.29. quæst.1. cum similibus pluribus iuribus ibi à glos. citatus. Coniunctio autem hæc iuris diuini & ex Dei institutione est,Gen.2. Matthæi 19. &.Marci 10. Docet etiam coniugationem in verbis esse Cicero, & eam vnius participatione dum circa primum Topicorum scribit: *Coniugata dicuntur quæ sunt ex verbis generis eiusdem. Eiusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab vno verbo variè commutantur: vt sapiens,sapienter sapientia.* Hæc verborum cōiugatio συζυγία dicitur,ex qua huiusmodi est argumentum:si compascuus ager est, ius est compascere: & rursum eodem paulò post hunc locum argumenti primum dicit. Huc pertinent coniunctiones copulatiuæ, &, que,atque, ac, quoque, etiam. Item Iurisconsulti triplicem coniunctionis modum habēt: fit namque aut re,aut verbis,aut re & verbis. Re,cùm pluribus vna res indiuisim assignatur, vel relinquitur: verbis, per coniunctiones copulatiuas, sub vno verbo structuram orationis conficiente: verbis & re, cùm vtrumque accedit. Totidem etiam modis disiunctio fit: quæ maximè considerantur & explicantur à Paulo in l.142.triplici,De verbor. signif. lib.50. tit.16 & in l.87.re coniuncti,de leg.1.libr.32. ff tit.1. Coniunctio autem separationi opponitur ab Vlp.in l.1.De vsufructu accrescendo lib.17.ff.tit.2.Coniuncta plura pro vno habentur, & ideo coniunctim iniunctis omnibus parere necesse est. Disiunctim verò iniunctis,sufficit separatim obtemperare,vt scribit Paulus in l.5. si hæredi plures,De conditio. Instit.lib 28. ff tit.7. Aliquando tamen cōiuncta pro disiunctis, & contrà accipiuntur: vt explicatur ab eodem Paulo in l.53 sæpe,De verb.signif.lib.50.ff.tit.16. quod vel ex re opposita ne absurdum sequatur accidit. Cōtinuatio secundum Senecam in principio lib. 2. Naturaliū quæstionum, est partium inter se non intermissa coniunctio. Cōnexum etiam Vlpianus vocat,quod communionē eam habet, vt facilè separari non possit in eo propter quod nectitur,l.18.de negotiis gestis lib.3,ff.tit.5.Idem autem est dicere coniunctum & connexum, vt apud Alexandr. tertium, summum Pontificem in cap.quanto 3.de Iudiciis li. 2.Decretal.Gregorij.tit.1. Plura negotia dicuntur connexa, quando vnum dependet ab altero, veluti crimen Lenocinij

& adul-

& adulterij connexa, quia vnum ab altero procedit vt scribit Bartolus in leg. 15. qui reus. ff. de public. iudicijs & in l. 2. §. si publico, De adulteriis, in ff. Dicuntur & coniuncta negotia, dum ad vnum effectum concurrunt & tendunt, vt in l illud, in fine. ad legem Aquiliam libro 9. ff. tit. 2. notat & gloss. in l. cum filius. §. 1. de verborum obligationibus in. ff. huc refer omnia dependentia, accessoria, & alia quæ dicuntur & probantur connexa ab scribentibus, à Cyno, Baldo, Angelo, Saliceto in l. siquidem, C. de exceptionibus, & ab Alexandro in l. Aurelius, §. eũ qui, De liberation. legata, in ff. & Angelo Aretino, & Iasone §. item si quis, in Institutionibus iuris ciuil. De Actionibus. Et ibi etiam tractant, quæ separata dicantur. Nota autem ex D. Chrysostomo, tomo 3. homilia in illud cap. 4. D. Ioannis, Veniet dies quando veri adoratores, &c. Quod nephas est coniungere quod natura copulari non patitur. Sic Deut c 7. prohibuit Deus coniugia cum infidelibus, & 2. Corinth. 6. cap. canon. caue. 28. quæst. 1. Imperator in l. ne quis, De Iudæis, libro 1. C.

CONVENIRE, Græcis συνίεναι, nihil aliud est, quàm simul & eundem in locum venire ex diuersis locis, vnde cõcordiam esse in eo docetur, vt scribit Vlp. in l. 1. §. conuentionis verbo, De pact. lib. 1. ff. tit. 14. quo fit, inquit, vt omnia genera contractuum, in quibus sententia eadem adest, cõtineantur. Consensus enim nihil aliud est, quam similis sensus interior, exterioribus notis vel facto, vel verbis explicatus: & in can. 1. 29. q. 1. Hinc ob diuersos modos explicandi sensum, diuersi consensus, & diuersa genera contractuũ ponuntur: quorum quidam nominati, id est, qui certo nomine insigniuntur, veluti emptio, locatio, & huiusmodi, vt scribit Vlpianus Iurisconsul. in l. 6. iurisgentium, De pact. li. 2. ff. tit. 14. alij anonymi, id est, sine nomine destinato, quales DO VT DES, DO VT FACIAS, FACIO VT DES, FACIO VT FACIAS, vt scribitur à Paulo in l. 5. naturalis, De præscriptis verbis, lib. 19. ff. tit. 5. Et Vlpianus in l. 1. & 2 de iudicijs lib. 5. ff. tit. 1. consentire iurisdictioni nihil aliud interpretatur, quàm scienter se subiicere iurisdictioni: Dico scienter, quia consensus ex mentis scientia pendet, non ex errore, vt idem Vlpianus scribit in l. 20. si per errorem. De iurisdictio. omnium iudic. lib. 2. ff. tit. 1. cum similib. ibi notatis à gloss. Hippocrates, vt scribit Galenus, tom. 3. in commentariis ad tertium eius, de morbis vulgaribus, tripliciter considerat consen-

consensum in membris humanis, cuius verba, quia ad alia quàm ad membra corporis referri possunt, subscribo. *Fiunt tribus modis consertia, aut propter vicinitatem, aut propter familiaritatem generis, aut operis: Generis, vbi nerosum neruoso, venosum venoso, arteriosum consentit arterioso: operis, cùm manuma & thorax partibus genitalibus.*

CONSONANTIAM esse concordantiam, docet nomen ipsum, quasi soni identitatem dicas.

CONTINVVM Aristot. libr. 5. Physic. c. 3. habere concordiam & vnitatem docet his verbis: *Continuũ est quid hærens. Dico autem nunc continuum esse, cùm vtriusque rei fines, quibus se tangunt, vnum idemq; fuerunt facti, atque vt nomen significat, continenter: quod quidem esse non potest si extrema sunt duo, hoc definito, patet in his esse continuum, ex quibus vnum quid fieri aptum est, tactu: & vt vnum sit ipsum continuum vnum, sic & ipsum totum fore vnum, velnuts clauo, vel glutine, vel tactu, vel copulatione.* Hæc Aristotel. s. & rursum libr. 6. Physic. capit. 2. & 3. partium coniunctionem continere vniuocè continuum docet.

COMMVNIO refert rerum quandam participationem. Commune dicunt, in quibus partes sunt duorum, vel plurium pro indiuiso vel sub eodem, diuisim: veluti domus cõmunis, quæ ad duos pertinet, vel in quibus duo vel plures sub eodem tecto habitant. Sic vna & eadem res, & propria & communis dici potest, diuersis respectibus: Propria respectu contingentis partis, vel quæ contingere potest: communis, ratione vinculi quo vtriusque pars participantium iungitur. Et ita intelligendus est Caius. dum ait, Libertam communem rectè meam posse dici: meam, inquam, ratione partis in l. 46. illud. De ritu nuptiar. libr. 23. ff. tit. 2. Et ita etiam Martianus intelligendus in l. 6. in tantùm, §. vniuersitatis, De rerum diuision. libr. 1. ff. tit. 8. dum ait, Res vniuersitatis singulorum non esse: singulorum, inquam, ratione ea qua communia vniuersitatis sunt: sed tamen singulorum esse, ratione ea qua participant singuli ex his, veluti apud Ciceronem 1. Offic. *Sicuti theatrum cùm commune sit, rectè tamen dicimus cuiusque locum esse, quem quisq; occuparit.*

IDEM tripliciter diuiditur, numero, specie, & vtroq; simul modo. nam secundum ea, indifferentia & concordantia sunt: Aqua aquæ idem specie, homoque homini. Numero

mero eadem, quorum nomina plura, res vero vna: vt tunica & vestis, item ea quæ secundum accidentia eadē sunt: vt musicum esse, sedere, idem cum homine, vt docet Arist. libr. 1. Topicor. cap 6. & libr. 5. Metaph. c. 9. & Galenus tom. 6. libr. 3. Methodi medendi cap. 2. Plato adhuc libr. 15. in Sophista, vel de Ente, quartam speciem addit, nempe quod cum ente idem est. Vel quod ipsum est, Ens est. IDEM differre à simili, scribit Galenus tom. 5 libr. 3. Method. medendi. c. 25. Relationem enim habet similem ad id cui imitatur: sed rei idem, sine relatione non est alterius quàm eius quod dicit. Notatur & gloss. in l. quod Nerua. in verb. dolum, ff. depositi, nullum simile esse idem.

PROPINQVITAS arguit concordantiam in eo cuius propinquitas est. quin & quanto quid propinquius, tanto similius fit ei cui approximatur, vt scribit Aristot. libr. Topic. 3. c. 2.

PAX est tranquillitas ordinis, & hominum ordinata concordia, canone quid colligitur 23. quæst. 1.

PROPORTIO est æqualitas rationis, saltem in quatuor consideratæ: vnde manifestum est, & diuisam & continuam proportionem, in quatuor membris consistere: vno enim bis vtitur, ac bis dicit: vt quemadmodum A ad B, sic B. ad C. vbi B bis dicitur. Et hæc proportio Geometrica, quia totum ad totum, & alterum ad alterum comparatur: verùm non est continua proportio, neque enim fit æquale numero cui, & quod. Alia autem proportio Arithmetica, quæ in commertiis dicitur esse, ut hæc annotat Aristoteles libr. 4. Ethicor. ad Eudemum, & libr. 5. Ethicor. ad Nicomachum, cap. 5. quæ persequitur vsque ad librum octauum, & libr. 1. Moralium, cap. 34. Hæc autem verba concordantiam demonstrare nemo dubitat, tum ex finitione, tum etiam ex diuisione. Sed adde argumentationem eiusdem Aristotelis libr. Problematum sectio. 19. problem. 14. Proportio in sonis æqualitas est: æquale autem omne ad vnitatem referendum est.

SIMILIA sunt, quæ sunt eadem in qualitate aliqua: nam eadem in illis sunt, vt colligere licet ex Vlpiano in l. 8. qui liberis, De vulgari, libr. 28. ff. tit. 6. etsi in pluribus differant aliis quæ similia in aliquo dicuntur. Similitudo concordiam infert, quia similitudo dicitur plurium, cùm in pluribus idem reperitur aliquid, siue sint diuersi generis, vel spe-

vel speciei, vel alterius numeri, vel differentiæ, vt scribit Arist. 1. Topicor. cap. fin. Porrò idem concordiam demonstrare iam diximus Et rursum 2 Top. c. 4. Similia aliquid habere vnum in quo ea ratione qua similia sunt, concordant, probat: *In similibus*, inquit, *contemplandum si similiter se habent. Vt si disciplina vna sit plurium & opinio. & si visum habere. est videre, & auditum habere, est audire*, &c. Adfert & idem lib. 4. de Generatio. animalium, c 3. causam similitudinis & dissimilitudinis fœtuum à progenitoribus ab spermatis prædominatione viri & fœminæ, ob similitudinem & dissimilitudinem naturæ prædominantis & materiæ. Quanquam Galenus tom. 1. de formatione fœtuum, cùm ignorare se fateatur animæ naturam, & alia formationis fœtus, nihil ausus sit hac de re pronuntiare. Similia in similitudine participare, communicare, docet etiã Plato lib. 9 in Parmenide, & Galenus tom. 5. lib. 3. de Naturalibus facultatibus cap. 25. & 26. dum similitudine substantiarum attractiones fieri dixisset, id explicat, dum quodammodo quoddã idẽ in attracto & attrahente esse demõstrat, vnde per cõcordiam attractio fiat: sicuti, inquit, pituitosum pituitã trahit. Scribit & eodem loco Galenus. similitudinem longè differre ab identitate, nec simile esse idem: item & similitudinem & actu, & potentia considerari. Sed & magis illam conuenientiam similium docet tom. 7. super secundum Aphorismor. Hippocratis, aphor 34. & 39. & li. 3. in aphorism. 3. Similitudines adesse nobis facilè denotant aduerbia similitudinis, qualia sunt, quasi. seu, tic, sicut, sicuti, velut, veluti, vt, vti, ita. item illa, pariter, similiter.

Quæ VNITATE participant, in vno participant, veluti in principio: quia vnum aliorum principium est, vt scribit Plato lib. 9. in Parmenide, vel de vno omnium principio. & Seneca lib. 2. Natural. Quæstion. Vnitas est sine commissura continuatio, & duorum inter se coniunctorum corporum tactus. neque quod dicit vnum contraria habet, vt Plato notat li. 6. in Alcibiade, vel de Voto. Docet & vnitatẽ esse concordiam partium, amor, quo partes continentur & ligantur, vt Plato docet lib. 25. in Conuiuio, vel de amore. Vnum autem ab eo dicitur, quod in quæstione subiectum fuerit: siue illud substantiam, siue accidens proprium habeat, vt annotat Galenus tom. 1. lib. 9. de Decretis Hippocrat. & Platon. in fine. Galenus concordiam partium in vnitate esse docet, dum scribit tom. 3. libr. de Differentiis morb.

morb. c. 9. *Suarum*, inquit, *vnicuique vnitas partium, quæ cùm adfuerit causa erit, vt pars qualibet sua esse dicatur, vnumque actum vel vsum perficiat. Quod si qua solutio contingat, partù illius erit agritudo.* Et postea latiùs cap. 10. eius libri. Atque iterum vnitatem concordiam continere docet rerum experientia: quia & Roma duos non potuit ferre dominos, sed alter alterius parricidio sublatus est, vt scribit Liuius in pr. ab vrbe. Dionysius Halicarnassæus in 1. histor. Romanæ, Lucanus in pr. Horat. libr. Epodom. ode. 7. Nec in Rebeccæ vtero, principes illi ESAV & IACOB concordare potuerunt, Genes. cap. 25. Sic & animalia quædam vnitate illa concordiam continent: in apibus, in gruibus, & aliis vnus dux, canon. in apibus caus. 7. q. 1. in secunda parte Decreti Gratiani. Vnio tripliciter consideratur, primùm, cùm aliquid alteri subiicitur, & tunc vnitum eius iuris est & priuilegii, cuius est id cui fit subiectio, vt scribit pontifex Alexand. tertius in c. 1 ecolentes 3. de statu monachor. libr. 3. Decretal. Gregorij, tit. 35 Secundò Vnio fit, cùm duo, vel plura simul iunguntur, nec aliud alij iungi, vel vniri dicitur Et tunc ex omnium vnione retinetur vel iuris, vel priuilegij, quod melius & commodius videtur, cano. medicamentum de pœnitent. Distinctio 1. & can. non est culpandus. 32. quæstione 1. Et tunc nobilius & melius trahit ad se minus nobile & dignum, vt quod validius in contractibus, minus validum roborare dicitur, Iustin. in l. 1. de rei vendicatio. libr. 5. C. tit. 13. Tertiò fit vnio, cùm quidem vtrumque seorsum remanet, sed ad vnum reducuntur dominum: & tunc singula, priuilegia sua & consuetudines & iura, conseruant, de hac vnione in can. & temporis qualitas. 16. quæstion. 1. & Greg. in c. 2. de religiosis domib. libr. 3 Decret. tit. 36. Quæ tria nota, quia sunt vt dicunt pragmatici de pane lucrando, dum quæstio est de vnionibus Ecclesiarum. Quæ tamen ita vera sunt, dummodo Vnionis forma non aduersetur. Nam is in cuius potestate est vnire, habet & cum potestate formam vnioni constituere. Quod notat Ioan. Andreas interpres, in c. 1. ne sede vacante, libr. 3. Decret. tit. 9. vbi & gloss. tres superiores casus vnionis ponit. Sequenda enim & conseruanda est forma rescripti, per quod de Vnione mandatur, vt scribit Innocen. tertius summus Pontifex, in cap. 22. cum dilecta, de rescript. libr. 1. Decretal. tit. 3. *Diligenter enim fines mandati seruandi sunt. Nam qui excessit, aliud quid facere vide-*

*tur: & si susceptum non impleuerit, tenetur*, vt scribit Paulus l. diligenter, Mandati. lib. 7. π tit. 1.

Vnio totalitatis, vt membrorum in toto corpore.

Item vnio conformitatis, vt vnus spiritus, vna voluntas pro similitudine.

Et vnio attributionis, quia vni rei plures attribuuntur, vt fides vna.

Adiicere lubet superioribus quædam generalia axiomata: Primum pares cum paribus, vt est in veteri prouerbio, facile congregantur. Recipiuntque omnes, Cicero & Aristoteles in Topicis, argumentum à pari, & similitudine, vel identitate rationis, vt si eadem in diuersis statuatur, idem sit ius extensiuè vt sancitum apud Iulian. in l. 11. non possunt, de Legib libr. 1. π. tit. 4. Et hinc toties argumenta trahuntur, quoties similitudo locum habet, etiam à separatis, vt à rebus ad iudicia, à tempore præterito ad futurum, à iudiciis ad testamenta: & sic de reliquis, quorum maxima sylua est. Secundo, simile simili naturæ cognatum. Lex autem tyrannus hominum, multa præter naturam cogit. Plato libr. 17. in Protagora, vel aduersus sophistam, & libr. 34. Dialogo 4. de Legibus, simile simili quod moderatum est, amicum est. Tertiò, quæ proportionem habent, si hanc diuerse habeant, habebuntur illa diuerse, Aristot. lib. 1. Resolutionum cap 42.

## *De Contrarietate vel Oppositione vel Repugnantia.* CAP. IIII.

ARistoteles libro decimo Met. cap. 5. & cap. 12. summam vocat differentiam rerum, Cõtrarietatem: Sicque Speusippus de diffinitionibus Platonicis scribit, *Contrarietas est maxima distantia eorum quæ sub eodem genere, per quasdam differentias continentur*. Demonstratione namque contrariorum, dubitationes de contrariis sunt, vt scribit Aristoteles 1 de Cœlo, C x sic & D. Ioan. Damascenus lib. 1. de Orthodoxa, fide, c. 5. ἡ δὲ διαφορὰ ἐναντίωσιν εἰσάγει, Differentia (scilicet specifica) contrarietatem inducit. Et Aristot. lib. 2. Ethicor. ad Nicomachum, cap. 8. quæ plus à medio distant, eidem magis esse contraria constare scribit. Quanquam 1. de partib. Animal. cap. 3. non esse differentiam constituat per priuationem, vt inter pẽnatum & inpenne animal: cùm fieri non possit, vt species alicuius sit, id

quod

quod non est priuatione Differentia entis. Cæterum in primis admonendi sumus, nos hic contrarietatem vsurpare, pro omni oppositione quæ est vel terminorum complexorum, aut incomprehensorum, aut localis. Terminorum complexorum, siue propositionum quæ pugnant inter se oppositio est, aut in quantitate, aut in veritate, aut in falsitate. Est & oppositio propositionum harum, vel contraria, vel subcontraria, vel contradictoria, vel subalterna. Terminorum incomplexorum est, eorum quorum significata ad inuicem repugnant: & hæc oppositio est duorum terminorum ad inuicem repugnãria, cuius genera vniuersalia sunt quatuor, de quibus tradit & Aristot. lib 5. Metaph. cap. 10. loquitur & de his Cicero in Topicis, & Arist. 10. Metaphys. cap. 7. Aut enim est oppositio Relatiua, vt pater filius, dominus seruus: aut cum aliquo collata, vt duplum, simplũ, vocat Cicero longum breue, aut Contraria seu aduersa, vt album nigrum: aut priuatiua vt nox, dies: iustum, iniustũ: & hæc habet maximè propositio, IN, vt dignitas, indignitas: Græcis dicuntur & στερητικὰ hæc: aut Contradictoria, vt albus est, albus non est: vocat Cicero Negantia, & valde contraria: Græci, ἀποφατικὰ, vt si hoc est, illud non est. Localis Oppositio, est ratione situs rerum: De hac Galenus meminit lib. 7. in Aphorismum 68 lib. 5. Aphorismor. Hippocratis, qualis sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, ante, post, infra, suprà. Quantitas propositionum, est extensio subiecti, & mensura quædam eius quod dicitur. Et quia res vniuersaliter, & particulariter, & singulariter, & indefinite stare, & concludi possunt: ideo, & in oratione, quæ rerum est significatiua, quatuor ij modi translati sunt, vt dũ quanta sit quæritur, respondeatur quòd ea sit, vel vniuersalis, vel particularis, vel singularis, vel indefinita.

*Vniuersalis* est illa, cuius subiectum est terminus cõmunis additus signo, vniuersale significanti, vt omnis, nullus, homo currit. *Particularis*, cuius subiectum est terminus cõmunis additus signo particulari, vt aliquis, & quidam homo currit. *Indefinita*, cuius subiectum est terminus cõmunis sine signo, vt homo est animal, animal est corpus. *Singularis propositio* est illa, cuius subiectũ est terminus discretus: vel terminus cõmunis iũctus pronomini demõstratiuo. De primo, vt Dominus noster IESVS CHRISTVS, est verus Deus & homo. De secundo, iste homo est scriba. Cũ his etiã quantitatibus, qualitas propositioni adiungitur.

Qualitates autem eius sunt, veritas, falsitas, affirmatio, negatio, necessitas, contingentia, possibilitas, impossibilitas: secundum quæ fiunt ad inuicem propositiones oppositæ per contrarietatem, subcontrarietatem, & subcontradictionem, vt docet Aristoteles 2. Perihermenias.

Oppositio contraria propositionum est, cùm vna earum est vniuersalis affirmatiua, & altera vniuersalis negatiua, de iisdem subiectis & prædicatis, vniuocè & æquè amplè, vel æquè strictè acceptis. Sunt itaq; eiusdem quantitatis sed diuersæ qualitatis, id est, ambæ vniuersales, vel particulares, sed altera negatiua, altera affirmatiua. Exemplum: Omnis homo est albus, Contraria, nullus homo est albus: prior vniuersalis affirmatiua, secunda etiam vniuersalis, sed negatiua & eiusdem subiecti, nempe de albo & homine.

Oppositio cõtradictoria est, cum vna propositionum est vniuersalis affirmatiua, altera particularis negatiua, vt omnis homo est animal & quidam homo non est animal: vel quando vna est vniuersalis negatiua, alia particularis affirmatiua: vt nullus homo currit, quidam homo currit, idq; de eisdem subiectis & prædicatis & copulis vniuoce & æquè amplè, vel æquè strictè acceptis.

Omnis contradictio itaque, debet habere quatuor vt sit bona: nempe vt affirmatio & opposita negatio sint de eodem secundum rem & vocem: referantur ad idem secundũ idem: quod teneantur similiter, eodemq; tempore. Exemplum de eodem: Marcus currit, Marcus non currit. Exemplum de non eodem; Cicero non currit. Exemplum de ad idem & similitudinem: Æthiops albus dentes, Æthiops non albus dentes. Exemplum de non ad idem: Æthiops non albus pedes. Exemplum de similiter: nullum animal est genus, aliquod animal est genus. Exemplum de nõ similiter, Animal est genus, diuersa enim à priore propositio est. Exemplum de eodem tempore: Petrus venit hodie, Petrus non venit hodie. Exemplum de diuerso tempore: Petrus venit. facit l. & an eodem, cum duabus præcedentibus. ff. de except. rei iudic.

Oppositio subcontraria est, dum vna propositionum est particularis affirmatiua, vel indefinita: Altera autẽ est particularis negatiua, vel indefinita, de hisdem prædicatis, & subiectis, & copulis vniuoce acceptis, & eodem modo supponentibus. Excluduntur hinc singulares propositiones quæ sunt contradictoriæ: quia duæ subcontrariæ possunt

esse

esse simul veræ & simul falsæ, vt, Quidam homo currit, Quidam homo non currit. Cæterum duæ singulares, simul veræ esse non possunt, vel simul falsæ: sed oppositio illarum adducit contradictionem, quia necessario vna eorũ falsa, alia vera, vt, Petrus est asinus, Petrus non est asinus.

Oppositio subalterna, cùm altera propositionum oppositarum est vniuersalis affirmatiua, & altera particularis, aut indefinita vel singularis, affirmatiua. Vel dum vna est vniuersalis negatiua, & altera est particularis vel indefinita, vel singularis negatiua, de iisdem subiectis vel prædicatis, & copulis inuicem acceptis. & eodem modo supponentibus. Subalterna dicitur oppositio hæc, quia vna subaltera propositio ponitur, vt particularis sub vniuersali. Et ab vniuersali quidem ad particularem non est oppositio, vt, Omnis homo est animal, sequitur quidam homo est animal: sed contrà, nempe, Quidam homo stultus, ergo omnis homo stultus, quia ab inferiori distributiuè ad superius affirmatiuè, non valet consequentia.

Oppositio incomplexi est repugnantia duarum dictionum, vel terminorum, qui quidem significant vel ens vterque, vel absolutè, vt album, nigrum. hinc Oppositio cõtraria; vel relatiue, vt pater, filius, hincq; Oppositio relatiua. Alter ex terminis ens, alter non ens significat, idque vel simpliciter, & est Oppositio contradictoria: vel non ens circa non absolutè, sed circa subiectum determinatum, & sic est Oppositio primitiua. De his quatuor modis Aristotel. 10. Metaphysic. cap. 5 & Cicero in Topicis. Relatiua Oppositio, est repugnantia relatiui & correlatiui circa idem subiectum, quia non se compatiuntur in eo in quo se referunt, vt pater filij non potest esse eius filius, vt Titius dominus Stichi, in eo quod eius est dominus, non potest esse eius Stichi seruus: & sic opponuntur respectu eiusdem. Respectu vero diuersorum, non opponuntur: nam qui filius patris est vnius & alterius filij sui respectu potest esse pater. hanc Oppositionem Cicero vocat, collationem factam ad aliud.

Oppositio contraria est, cùm opposita se mutuò expellunt positione sua in subiecto, vt calidum expellit frigidum, aqua ignem: nam separatim potest contrariorum vtrumq; existere, & alterum sine altero esse, vt aqua & ignis, frigidum & calidum, album & nigrum, sed non in eodem subiecto purè & eodem tempore. Nam contrariorum, dum

considerantur cùm in subiecto purè sunt, ea est lex, vt se mutuò perimant, vt notant Aristotel. 1. Physicor. capitulo 7. Mesue primo cap. canon. Medicinæ, Plato libro sexto in Alcibiade secundo, vel de voto. Notat & gloss. in §. neque autem, in verb. læsum, De mandatis principum, in authentic. collatio. tertia, titulo quarto. Quamobrem & Aristotel. libr. De diuturnitate vitæ dum inquirit num sit aliquid quod interitum non patiatur, respondet huiusmodi illud esse, cui nihil est contrarium: & ideò ignem in superiori parte vagari incorruptum, quòd ibi nihil sit contrarium. Infert & hinc Problematum libr. section. 8 quæst. 7. & sect. 9. quæst. 7. absurdum esse, vt idem res contrarias, inter se efficere possit eodem modo, sed aut contraria ambo adferre vni subiecto secundum aliquid diuersum, aut alterum secundum aliquid, alterum simpliciter: quod etiam scribit libro quarto Metaphysic. capitulo sexto, & ita etiam Vlpianus in l. octuagesima tertia, inter stipulantem, §. sacram rem, de verborum obligation. libro quadragesimo quinto. π. titulo primo. Vnam & eandem causam, & obligandi, & liberandi, & dandi, & non dandi in eodem casu, tanquam contrariorum, esse non posse. Nihil tamen prohibet, rem eandem contraria efficere, dummodo contraria modo eodem non agantur, sed diuerso. Cuius rei exemplum adfert Aristoteles Problemat. libro section. quæstione vigesimaquinta, in vino, quod vi sua calefacit, tamen alia ratione nimium exitum tremere facit, & ita infrigidat: quia tremor ab infrigidatione, vel affectu frigido. Docet & inibi Atistoteles, eandem sententiam pluribus exemplis, & Iurisconsulti norunt, modo diuerso, verborum formulas & obligationem parere, & rursum liberationem in acceptilatione, sed modo diuerso: vt constat ex titul. de verbor. obligatio. & de acceptilationib. Commiscentur & medio contraria: nam & contrarium contrarij, nutrimentum esse dicitur: & quod incrementum suscipit, tum simili cum dissimili crescit, vt notat Arist libr 8. Physic. cap. 7. Insunt & contraria secũdum accidens alicui, vt scribit Aristot. Metaphys. libr. 10. cap. 13. Quo fit etiam, hinc statim alia lex contrariorum, vt cognito vno contrariorum cognoscatur & aliud: vt si cognoscamus quæ rempublicam conseruant, cognoscamus quæ corrumpant, contrariorum enim contrarij effectus, vt scribit Aristot 5. Polit. c. 8. & Cicero 5. Tusculanar. contrariorũ

contra-

contraria esse consequentia scribit. Et rursum Aristot. Problem. Section. 22. quæst. 11 Plenius, inquit, eadem apud sua contraria innotescunt. §. 1. de his qui sunt sui vel alien. iuris apud Iustinian. libr. 1. eodem tit. Arguitur itaque à contrario sensu, in can. 32. hospitiolum, Si bonum est mulierem non tangere, ergo malum est mulierem tangere. Et huius contrarij fortissimum ait argumentum, in l. 1. §. huius rei, De offic. eius cui mandata est iurisdictio, in π. Contrariorum porrò, quædam habent media, quædam non habent: veluti, inter album & nigrum, quæ contraria sunt, medium est, nempe rubeum, fuscum, pallidum, & huiusmodi medij colores. At non habent quæ se mutuò tollunt, dicũturq; Oppositа, cùm vnius positione contrarium tollitur: vt iustum & iniustum, bonum malum. Dicitur & hæc vltima Oppositio contrariorum, contradictio: vbi medium non est, vt scribit Aristot. 1. posteriorum, c. 2. eoque differt à contrario quòd medium potest habere. differt & ab Oppositione ad aliquid, vt latè docet idẽ Aristot. libr. 10. Metaph. cap 7. Primitiua itaque Oppositio, est repugnantia habitus & priuationis in his quæ se non compatiuntur in eodem subiecto, nec possunt esse eiusdem rei, & temporis. nec medium admittunt quo possint in subiecto componi, vt scientia quæ habere significat, & ignorantia, quæ priuationem, memoria & obliuio, lux & tenebræ: Priuatio namque est negatio habitus. Aristot. libr 10 Metaph. c. 7. Priuationem, quandam contradictionem continere ait, aut impossibilitatem determinatam, siue simul acceptam cum susceptiuo. Contradictoria Oppositio, est repugnantia duorum terminorum incomplexorum, quorum significata non possunt de aliquo simul esse vera. cuius repugnantiæ nõ est dare medium vllo modo: vnum extremum est ens, aliud non est ens. sit enim per est & non. vt album, non album, dignum, non dignum, vt tractat Aristoteles primo περιερμηνειας, de interpretatione, capitulo quinto. sexto, & septimo. Dicitur vllo modo hic non posse dari medium, quia medium inter contraria duplex est: Vnum medium participans ab vtroq; extremo, vt rubeum participat ex albo & nigro: sunt & medij sapores, vt colores. Aliud medium est negatio vtriusque extremi, cùm vtrunque extremum negatur: sicuti medium huiusmodi est: lapis nõ est, nec pater, nec filius, nec dominus nec seruus. Substantia incorporea, nec alba, nec nigra est: & elementum: nec

viuum, nec mortuum dicere verum est. Breuiter autem, vt Aristot. libr. 1. Resolution. Posterior. cap. 2. contradictio est Oppositio cuius per se medium nullum est. Partiũ autem, inquit, ea quidem, qua quippiam cuipiam adiungitur, affirmatio: ea verò qua quippiam à quopiam semouetur, negatio nuncupatur. Docet & idem Arist. contra Anaxagoram. qui media in contradictione omni constituebat, impossibile esse in contradictione medium quoddam poni, quia omnia falsa essent, lib. 4. Metaphys. cap 7. & lib 10. cap 7. Regulas de Oppositione aliquas cape. Primò, Contrariorum, si alterum est natura, & alterum esse necesse est natura. Si sit contrarium, atque aliquam ipsius esse naturam est enim eadem contrariorum materies: & affirmatio priuatione est prior, veluti calidum frigido. Quies vero ac graue, per leuitatis, motúsve priuationem dicuntur. Atqui si terra est atque ignis, ea quoque corpora esse quæ sunt inter ipsa necesse est: Aristotelis hęc verba lib. 2. De cœlo ca. 3. Secundò, vsque ad contrarietatem initia & sequentia differre non possunt, & ita principia contraria sibi non sunt: sicuti contrariantur sedere non sedere, Macrob. libr. 2. in somnium Scipionis, cap. 16. ὧν δὲ τὸ εἶναι ἐναντίον, τούτων καὶ ὁ τοῦ πῶς εἶναι λόγος ἐναντίος, ἤγουν αἱ ἰδιότητες. D. Ioan. Damascenus lib. 1. de Orthodoxa fide, capitulo tertio, id est, *Quorum esse est contrarium, horum quoque simili pacto, ratio vel sermo est contrarium, id est, proprietates.* Contraria se inuicem fugant, & simile attrahit sibi simile, vt apud Galenum & alios medicos legimus, Carthamum attrahere phlegma, quia simile sit, quod & facit Turbith: id tamen fit qualitate & similitudine occulta sine forma specifica, de qua scribit Gal. 3. de simp. medic. quia qualitate manifesta, hęc cõtraria sunt: nẽpe quia phlegma frigidum & humidum, Turbith autem calidum & siccum, vt scribit Mesuë in cap. 1. Canon. medicinal. & ibi tractat eius commentator. Quod & in reliquis intelligendum est. Vnde & Vlpian. in l. 99. Titiæ si non nupserit, de conditionibus & demonstrat lib. 35. ff. tit. 1. Ridiculum esse ait, vt aliqua tanquam nupta, & tanquam vidua admittatur, quia contraria sunt. Formarum accidentalium quibusdam insunt contraria, vt caliditati & siccitati, &c. quibusdam verò minimè: vt formis de prædicamento substantiæ, & quantitatis, de cuius numero paritas & imparitas numeratur.

Oppo-

Oppositionis vel Contrarietatis media quoque quędam hîc breuiter explicabo qualia erunt: Abrogatio, Bellum, Contentio, Contrarium, Contradictio, Controuersia, Corruptio, Derogatio, Destructio, Disiunctum, Dissensus, Diuortium, Inimicitia, Iurgium, Lis, Negatio, Oppositio, Repudium, Repugnantia, Resistentia, Pugna. Propositiones accusatiuo deseruientes, vt, Contra, aduersus, zelotypia.

Cùm per abrogationem sublatio vel interitus sequatur rei abrogatæ, & in quo abrogatur, satis patet abrogationē oppositionem indicare, & de hac plura diximus in iuris explanatione cap. de duratione.

BELLVM & PVGNA, eadem contrarietate dicuntur: interest tamen, quòd pugna est in actu dum conferuntur manus, vel comminus vel eminus: Bellum autem dicitur, dum pugna etiam non fit, sed contraria voluntate quis alium persequitur, vel aduersum alium defensionem præparat. Veluti PAX & INDVCIÆ discrepant: nam Pax perpetua est & absoluta. Induciæ autem, limitata ratione temporis pax est, Et ita vtrumq; distinguit Aulus Gellius li. 1. Noct. Attic. c. 25. Bellum contrarietatē continere docet Cicero 8 Philippica: dum enim grauiorem esse tumultū bello diceret, & tumultum bellum esse, sed non omne bellum tumultum, TVMVLTVM diffiniens, quasi timorem multum, subdit omne bellum paci oppositum esse. Vt enim homines in pace sibi consentiunt, sic in bello mutuo aduersantur. Et forsan licet dicere bellum, ex eo quòd ex vno duos faciat: nam & Cicero in Oratore Bellum olim dictum fuisse Duellum, & inde nomen natum, sicut & nomen Bis à verbo Duis. Vnde & Varro lib. 4. De lingua Latina, DVELLONAM dictam quam BELLONAM dicebant, & Duellum quod Bellum dixerunt scribit. Et lex ponitur ant iqua, vel à Cicerone ficta lib. 3. De legib. DVELLA IVSTA IVSTE GERVNTO. Duella vocans Bella, quæ, vt ipse idem ait 1. Offic. ita demum iusta erant, si antè per fœcialem Romanum quàm gererentur, indicta hostibus & denunciata essent. Narrat & eodem libro, hostes antiquo nomine & peregrinos & perduelles vocari. Quanquam & nunc hodie Duellum dicatur pugna duorum singularis certaminis, quam vocant Græci MONOMACHIAM, quam & prohibet Duelli nomine Alexand. 3. Pontifex in cap. 1. De clericis pugnantibus in duello libr. 5.

Decret.tit.14. Xenophon etiam libr.qui Tyrannus. Bellum malum magnum esse tyrannis,& perpetuum ait:quia semper omnes sibi aduersos habent: oppositionem omnium belli nomine concludens pugnam, quæ corporis aduersus corpus est, VIOLENTIAM: quæ autem verbis aduersus verba committitur, CONTENTIONEM dixit Plato lib. 15. in Sophista, vel de ente. Ea autem fit, siue cum iracundia, siue sine ea: & ita Prouerb c.19.b dictum, *Vir sapiens si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inuenit requiem.* Stoici contentionem dicunt esse cupiditatem quandam circa opinionem tuendã, vt scribit li.7. Diogenes Laërtius in Zenone. Contendere idem est quod contrà tendere: Vnde contentio, verborum vel rerum oppositio, contrarietasq; cum conatu valido dicitur. Et contentio orationis, quæ per id quod Græci vocant ἀντίθετον fit, per contrariorum positionem, vt vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, apud Ciceronem pro Cluẽtio. Hesiodus lib. Operum & dierum in principio, duo contentionum genera facit: Vnum laudabile, quo quis in aliũ vel eius optimum opus aspiciens, contendit, & nititur æmulari illud, & contra propriam segnitiem ad opus se accingit: hancq; laudabilem contentionem existimat à Deo datam hominibus. Alterum autem pernitiosum existimat contentionum genus, dum quis odit quod alius amat, vel cõtrà cum illo, quo alius finitur, aliquẽ spoliare nititur. Quod genus seminarium est iurgiorum, cædium, bellorum, litiũ, & huiusmodi tumultuum. Et hanc contentionem, genitam à Nocte, & pernitiosas attulisse filias tradit in Theogonia his verbis:

αὐτὰρ ἔρις συνερὴ, τέκεμόν πόνον ἀλγινόεντα
λήθην τε λιμόντε, καὶ ἄλγεα δακρυόεντα,
νεμίνασε. Φόνασε, μάχασθ' ἀνδροκτασίασε
νεικεάτε, ψολδέασε λόγως, ἀμφιλογίασε,
δυσνομίαν, ἄτην τε, συνήθεας ἀλλήλοισιν.
ὄρκον θ' ὅς δὴ πλεῖστον ἐπιχθονίως ἀνθρώπως
πημαίνει, ὅτε κέν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ, id est;

*Sed contentio odiosa peperit quidem Laborem molestum, Oblitionemq;, Fesseniq;, & Dolores lachrymabiles, Pugnasq;, Cadesq;, Praliaq; Stragesq; virorum Iurgiaq;, Mendaces q; sermones, Disceptationesq;, Lacunam, Noxamq;, familiares inter sese,*

*Iura-*

*Iuramentumq́ quod plurimùm terrestres homines*
*Ladit, quando quisquam volens peierauerit.*

Galenus etiam tom. 4. libr 3. de Differentiis pulsuum, in principio statim ostendit contrarias sententias hominum, caussam esse certissimam contentionum, *Quia non videtur*, inquit, *omnibus idem, neque honestum neque sapiens esse, neque verum, est in omnibus opinio: & ideo necesse est nasci inde controuersiam.* quod confirmat poeta Tragicus dum scribit,

*Si amor sapientiæ atq́ honesti singulis*
*Iuxta placeret, nulla fieret mortalibus*
*Contentio ambigua.*

Et Seneca, in contentionibus contrarium quippiam & rationi inesse, & sanitati mentis aduersum, docet latissimè atque magnificè lib. 2. vbi agit de simulanda iniuria, & Martian. in l. 2. De offic. Proconsulis & legat. lib. 1. ff. tit. 16. Contentiosam iurisdictionem separat à voluntaria: quòd contentiosa contra voluntatem etiã litigantium adiri & subiri debeat: Voluntaria non nisi inter consentientes reddatur. De contrariis diximus suprà q̃dam. cui adde canones hos.

Non auditur contraria allegans, imò est reprehendendus: Innocent. 3. in c. vnico, vt ecclesiastic. benefic. sine quaque diminut. conferantur lib 3. Decretal. tit. 12. cap. solicitudinem de appellationib. canon. gesta 74. distinct. canon. quod autem 23. quæst. 7. l. cùm precum. de liberal. caus. C. l. 10. huius. de offic. eius cui mand. est iurisdict. 2. Bonum est argumentum à contrario sensu in iure c. cùm virum, de his quæ fiunt à prelat. sine consensu Capituli, lib 3. Decret. tit. 5. cap. cum apostolic § penult. §. nec obliqui. De regularib. 3. Nullum contrarium est sine contrario altero. Quo enim pacto iustitiæ ratio esse posset, nisi essent iniuriæ: non fortitudo, nisi quia ignauia: non continentia, nisi quia intemperantia. Et sic de similibus scribit Chrysippus lib. 4. περὶ προσταξεως, & refert Gellius lib. 6 cap. 1. 4 *Cum.* inquit Plato li. 15. in Sophista, vel de ente, *priuatim minutis quibusdam argumentatiunculis interrogando respondendoq́ contenditur, contradictionem appellare solemus. Et est contradictio quadam seorsum considerandarum rerum ipsarum, quæ tacitè fit in commercio.*

CONTROVERSVM id omne est, de quo diuersa contraria, oppositáve sentiunt homines, vt scribit Cicero libro primo *De* Inuention. hinc controuersia, id est, contraria

traria versatio rei. Et lib. 2. Rhetoric. ad Herennium, Controuersiam ex scripto & sententia nasci dixit, quum videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire. Cornelius Fronto libro de nominum verborumq; differentiis, Controuersiam scribit pertinaciam efficere, & dum litigant homines, rem in controuersiam deduci, litem nasci, controuersiam litis summam. Illa autem controuersia tum demũ tantum est, cum oratione perpetua publicè de iustis iniustisue certatur, vocaturque iudicialis controuersia, vt scribit Plato lib. 15. in Sophist. vel de ente. Controuersiam tamen Iurisconsulti etiam ante litem inchoatam dicunt, post Vlpian. in l. 5. Diuus Pius, *De* petition. hæredit. lib. 5. ff. tit. 3. Sic etiam Iezechiel. 44. F. *Cùm fuerit controuersia, stabunt sacerdotes & Leuita in iudicio meo, & iudicabunt.* Controuersia autem fit agendo & resistendo. vel defendendo, vt scribit Vlpian. l. 39. non solùm, §. si status, De procurator. lib 3. ff. tit. 3. Modi corruptionis, quia priuationem notant, indicant inesse in ea oppositionem. Siquidem vt scribit Maximus Tyrius serm. Philosophic. 27. Quodcunque corruptioni obnoxium est, vel dissoluitur, vel liquescit, vel cæditur, vel scinditur, vel transmutatur, vel vertitur. Dissoluitur, vt lutum ab aqua: discinditur, vt ab aratro terra: liquescit, vt cera à Sole: cæditur vt planta aliqua à ferro: vertitur ac transmutatur, vt aqua in aërem, aër in ignem. Docet & finis corruptionis, illam habere contrarietatem, quia priuatio in ea est: quia corruptio ex ente in non ens fit: generationi in hoc etiam contraria, quæ fit ex non ente in ens, vt vtrumque docet Aristot. libro secundo de Generation. animal. capitulo 4. & Physicor. libro 5. capitulo 10. Dehinc, vt etiam Empedocles dicebat, contentio vel dissidium, lisue rerum corruptionem operatur, vt scribit Aristot lib. 3. Metaph. capitulo 4. contentionem autem nemo dubitat esse contrarietatem. Docet & lib. 4. de generation. animal. cap. fin. *Calores*, inquit, *& refrigerationes, cum moderatione quadam, generationes: sine moderatione, corruptiones efficiunt.* Scribit & libro primo de Cœlo capitulo 3. quòd omne qd̃ generatur, ex contrario & ex subiecto fit quodã: & identidem quod corrumpitur, subiecta materia, & à contrario & ad contrarium corrumpitur. Vtrumque etiam docet & probat Plato lib. 29. in Phædro, vel de anima, & contraria ex contrariis oriri, & interimi via medii. Philo Iudæus etiam libro quòd mundus sit incorruptibilis, priuationem ex finitio-

nitione corruptionis docet, *Corruptio*, inquit, *dicitur nunc in deterius mutatio, nunc interitus, ita vt nihil sint reliquum.* Derogatio: De hac diximus, vbi suprà monuimus de abrogatione nos dixisse.

DESTRVCTIO est priuatio prioris formæ: & ita etiam accipitur in can. pernotuit. quæst. 2. iuncto can. quod semel 19. quæst. 3 dum dicitur, non permittendum, laicos præesse religiosis, quantumuis sanctitatis specie polleant, ne monasteria destruantur, id est priore forma sublata in aliam transferuntur. De destructione & constructione, datur generalis regula in cap. 2. de Transactio. In Decretal. quòd corporalia facilius destruantur, quàm conseruantur: contrà autem, facilius construantur quàm destruantur incorporalia.

Quid Disiunctum vide in concordantia sub coniunctione. De disiuncto ita loquitur Gellius lib. 16. Noct. Atticar. capit. 8. *Omnia quæ disiunguntur, pugnantia esse inter se oportet: eorumq; opposita Græci ἀντικείμενα dicunt: ea queque ipsa inter se aduersa esse. Ex omnibus, quæ disiunguntur, vnũ esse verum debet, falsa cætera. Quòd si aut nihil omnium verũ, aut omnia, plura aut quàm vnum vera erunt, aut quæ disiuncta sunt, non pugnabunt, aut quæ opposita eorum sunt, contraria inter sese non erunt: tunc id disiunctum mendacium est, & appellatur παραδιεζευγμένον, id est, vitiosè disiunctũ, sicuti hoc est, in quo, quæ opposita, non sunt contraria aut currit, aut ambulas, aut stas. Nam ipsa quidem inter se aduersa sunt, sed opposita eorum non repugnant. Nõ ambulare enim, & non stare, & non currere, contraria inter sese non sunt: quoniam contraria ea dicuntur, quæ simul vera esse non queunt.* Hactenus Gellius. De vtrisque & ferè pari modo tradit Proclus in l. 124. hæc verba, De verbor. & rerum significatio. Vbi & differentiam ponit inter disiunctiuam & subdisiunctiuam orationem, quæ tamen dictio, *Aut*, amplectitur. Disiunctiuum vocat, cùm posito vno, necesse est tolli alterum: & contrà, sublato vno, poni alterum. Vt, aut dies est, aut nox est nobis, priuatione. Subdisiunctiuorum autem duo genera sunt: Vnum, cùm oppositorum vtrunque simul esse non potest, & tamen medium sine his esse potest: vt, aut sedet, aut ambulat. Vtrunque certè nemo simul facit, tamen medium sine his facit, dum accumbit. Alterum genus, cùm vtrunque oppositorum simul concurrere potest: vt, omne animal, aut facit, aut patitur, & tamen

aliquod

aliquod reperitur quod simul facit & patitur. Disiunctiuæ sunt coniunctiones, dictiones, Aut, Seu, Siue, Ve, Vel.

DISSENSVS est quasi diuersus sensus, & alia sententia. Audiant Iurisconsulti inter non consentire, & contradictionem illam, esse differentiam: quòd non consentiri videtur etiam is qui non loquitur, vel qui loquitur, sed qui iudicio caret: at contradicere is solus videtur, qui cum sermone expressè dissentit, vt colligo ex Vlp. in l. 4. inuitum, De seruitut. vrban. prad. lib. 8 ff. tit. 2.

DIVORTIVM, vide infrà repudium. Constat ex legibus diuortii, illud ratione contrarietatis coniugatorum admitti. DIVORTIVM ex eo dictum, quòd in diuersas partes eant qui discedunt, vt scribit Paulus in l. 192. inter diuortium, De verbor & rerum signif. lib. 50. ff. tit. 16. & Caius in l. 2. De diuortiis lib. 34. ff. tit. 2. *Diuortium*, inquit, *dictum à diuersitate sententium, vel quia in diuersas partes eunt qui distrahunt matrimonium.* Et Paulus in l. 3. eius tituli: *Diuortium non est, nisi quod animo in perpetuum dissentiendi fiat: itaque quod calore iracundiæ fit vel dicitur, non priùs ratum est quam perseuerantia apparuerit, iudicium animi fuisse: ideoq; per calorem missio repudio, si breui reuersa est vxor, nec diuertisse videtur.* Vt verissimum sit quod ille Orator pinguissimus, sed optimus Leo Byzantius dicebat, cùm pinguiorem se vxorem haberet, concordes vnicum lectum continere: discordes autem, nec totam domum. Lex autem diuortii apud Platonem lib. 34. Dialogo 11. De legibus, ita traditur. *Si vir & vxor propter morum acerbitatem inuicem non conueniant, Decemviri de legum custodibus qui medii sint, & decem mulieres de curatricibus connubiorum, prouideant. Quorum sententia si ita conciliati fuerint, valida & stabilis habeatur. Sin autem illorum animi, vehementius etiam iracundia fluctuent, facto diuortio illos pro viribus quæram qui vtrisque conueniant. Videntur autem in huiusmodi hominibus acerbiores natura mores inesse, &c.* quæ sequuntur. Docet & Plutarchus in præceptis connubialibus, præcepto 42. pugnam & oppositionem in diuortio adesse dum ait: *Vxor propter zelotypiam diuortij libellum scribens, & indignata secum ipsa dicat, Vbinam me potius amula riualiq; mea videre gauderet, quidve agentem aliud, quàm pra dolore seditionem aduersus maritum cogitantem, ac domum thalamumq; deserentem?* Et Homerus Odysseæ z. discordiam in matrimoniis,

omnium

omnium malorum & pugnarum fontem ait his verbis, dum Vlysses alloquitur Nausicaam:

σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς
ἄνδρά τε καὶ οἶκον καὶ ὁμοφροσύνην ὀπάσσαι
ἐσθλήν: ἐ μὲν γὰρ ἔ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον
ἢ ὅτ' ἰμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
ἀνὴρ ἠδὲ γυνή, πολλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
χάρματα δ' ἐσθλοῖσι, μάλιστα δ' ἔκλυον αὐτοί,

id est:

*Tibi verò (ô Nausicaa) Deus tanta det quanta animo concupiscis,*
*Maritum & familiam, & concordiam præbeant*
*Bonam. Non enim hoc quidquam præstantius vel melius,*
*Quàm cùm concordes consilio rem familiarē administrant,*
*Vir & coniunx. Multi dolores oriuntur,*
*Gaudia autem benevolis. Maximè autem exaudiunt ipsi.*

Primus apud Romanos diuortium fecit cum vxore Spurius Curuinus, post vrbem conditam anno ducentesimo trigesimo, cùm antè nihil tale factum fuisset. Prima quoque Pinarii vxor Talea nomine, Tarquinio regnante aduersum Citaniam eius socrum, iurgium fecit, vt scribit Plutarchus in Vitis, in comparatione Numæ ac Lycurgi. Aulus Gellius tamen libr. 4. Noctium Atticar. cap. 3. scribit, Spurium Caruilium primum, cui Ruga cognomentum fuit, virum nobilem, diuortium cum vxore fecisse, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur, anno vrbis conditæ quingentesimo vicesimo tertio, M. Attilio, & P. Valerio coss. In hoc quòd Caruilium dixerit primum diuortium fecisse apud Romanos, Plutarcho contrarius, tum etiam in annorum computatione: nam primum diuortium Plutarchus scribit fuisse anno ab vrbe 230 Gellius autē anno 523. Et rursum idem Gellius sibi vtcumque contrarius, qui libro 17. cap. fin. à seipso in annis dissentit, dum ita scribit: *Anno posteà post Romam conditam D. vndeuigesimo, Spurius Caruilius Ruga, primus Romæ de amicorum sententia, diuortium cum vxore fecit, quod sterilis esset.* Quibus accedit Dionysius Halicarnass. libr. 2. Antiquitatum Romanarum: *Constat*, inquit, *per quingentos viginti annos Romæ nullū accidisse diuortiū; Septimo demum supra centesimā Olympiadem,*

*dem, M. Pomponio & C. Papyrio coss primus dicitur vxorem repudiasse Sp. Carulium, vir non obscurus, coactus à Censoribus iurare liberorum caussa se coniugem dimittere: erat enim sterilis. Qui tamen ob hoc factum, quamuis necessarium, in perpetuum exosus fuit populo.* Quo fit vt exlstimem esse malè scriptum & nomen, & annorum numerum apud Plutarchum de Coruino, pro Caruilio: vel Caruiliũ postea idem quod Coruinum egisse: quod tutius est vltimum dicere. Nam & idem Plutarchus in vitis in fine comparationis Romuli & Thesei, sic scribit. *Ducentos & triginta perpetuos post Romulum annos, neque vir auspex est ab vxore, neque à viri vxor societate discedere. Sic apud Romanos omnes pernagatum est, Seruilium Spurium primum fuisse, qui cum vxore infœcunditatis caussa diuortium fecerit.*

Inter repudium & diuortium hoc interesse putat Paul. in l. 191. inter diuortium, *De* verbor. & rerum signific. libr. 50. ff. tit. 16. quod repudium dicatur de ea quæ adhuc vxor non est, & de sponsa. Diuortium autem tantùm de vxore. quod firmat Modestinus in l. 101. inter stuprum, §. 1 eod tit. *De* verbor. & rerum signif. in ff. Quanquam repudiari etiam dicatur vxor, in l. si qua, *De* ritu nuptiarum, in ff. Repudiandi enim verbum latè patet, vt & bona repudiare, & hæreditatem, & alia dicamus.

Inimicitia, iurgium, vide contentio, odium, ira. Quia primitiua particula, in, amicitiæ iuncta, facit inimicitiam, & hanc contrariis adjicimus, & ex finitione inimicitiæ, constat in ea esse contrarietatem. Nam Cicero 4. Tuscul. quæst. *Odium*, inquit, *ira est inueterata. Inimicitia, ira vlciscendi tempus obseruans. Discordia, ira acerbior, intimo odio & corde concepta.* Et Aristot. lib. 1. Magnor. moralium cap. 32. dũ adulatorem ab inimico distinguit, adulatorem plus quàm par sit, arrogare alicui dicit: Inimicum autem plus quàm oporteat, derogare. Et in medio amicum ponit, nec excedentem nec deficientem in laude alterius: *De*rogationem autem priuationem quandam esse diximus, vnde & inimicitiam contrarietatem nouimus. *Do*cet & apertiùs libr. 4. Politicor. cap. 11. cùm ait, cum inimicis non communicandum, quod & prohibet fieri Salomon Eccl. cap. 12. multis rationibus. Quo fit, vt etiam Iurisc rejiciant testimonia inimicorum, & eorum qui cum inimicis conuersantur, vt scribit Alex. 3. Pontifex in cap. 19. cùm oporteat, *De* accusat. li. 5. decret. Greg. tit. 5. Vlp. in l. 1. §. quæstioni, *De* quæst. lib. 48. ff. tit. 8.

tit. 8. can. 2. 3. quæst. 5. Et latè tractatur per Lud. Rom. cons. 482. col. 2. Dicitur autem inimicitia capitalis, sufficiens ad reiectionem testium: nempe cùm est inter eos controuersia, vel quæstio criminalis vel ciuilis, de omnibus bonis vel maiori eorum parte, glos. in l. licet, De arbitris in π. & in §. si verò, De testib. in authent. Panormit. super dictum cap. cùm oporteat. Sed audiamus Aristotelem apertè distinguentem lib. 2. Rhetor. ad Theodect. cap. 4. Inimicitiæ & odii efficientia sunt, ira, detractio, calumnia: sed ira est ex iis, quæ ad seipsum pertinent, inimicitia verò etiam sine illis: nam si talem esse suspicabimur, odimus. Præterea ira semper in singulos, vt Socratem, Calliam: odium verò, etiam in genera: omnes namque calumniantem & furem oderunt. Et alterum sanabile, alterum non: Ad hæc ira dolorem inferre cupit, odium verò affligere potiùs: nam qui irascitur, cognosci vult, hic verò non curat. Sunt autem cuncta quæ dolorem faciunt sensibilia: quæ verò maximè vitia sunt, ea minimè sunt sensibilia, veluti iniustitia, & amentia: non enim infert dolorem præsentia vitii. Itaque alterum cum dolore est, alterum sine dolore. Et dolet qui irascitur, qui odit, non dolet, &c. Et Stoici odium dixerunt cupiditatem. quia male alicui optamus cum profectu aliquo & incremento iram puniendi. Iracundiam iram inueteratam plenam odii, vlciscendi tempus obseruantem: vt excandescentiam, iram nascentem & subsistentem, vt scribit Diogenes Laërtius in 7. De vita Philos. in Zenon. Citeo. Quæ omnia aduersantia & pugnantia, inimicitiarum & odii materiam subministrare constat. Vnde & inimicos dicimus aduersos, infensos, aduersarios, hostes, inuisos. Plato etiam libro decimo octauo in Euthydemo, aliud conuitiari, aliud contradicere esse putat: nempe vt existimo, quòd non omnis contradictio & oppositio sit conuitium, quanquam omne conuitium sit oppositio. Sed & lib. 8. in Eutyphron. vel de sanctitate, detegit inimicorum oppositionem, dum scribit, inimicitias & iras, dissensiones de aliquibus gignere, dissensiones autem oriri ex oppositis: veluti ex iusto & iniusto, honesto & turpi, bono & malo. Docet & id Plutarchus libr. De vtilitate capienda ab inimicis, & Prouerbiorum, cap. 30. in fine *qui prouocat, pugnat, diligit discordias.*

CONTENTIO, inquit Plato lib. 15. in Sophista, vel de ente, *quæ arte procedit, & de iusto iniustoque, & de aliis*

*generatim ambigit*, LITIGIVM *appellari solet. Litigium q; duplex, alterum dissipat patrimonium, alterum pecunias cumulat. In primo qui huiusmodi controuersiis rauus sua negligens occupatur, nugator & garrulus vocandus. At verò qui ex priuatis litigiis pecunias cumulandi vacat, artificiosè litigando, aduersando, pugnãdo, Sophistæ nomẽ meretur.*

Inter LITEM & IVRGIVM, ex Cicerone 4. De Repub. colligitur interesse: Quod litigiũ inter vicinos & proximos, sit leuis concertatio & controuersia: Lis autem grauis dissidium. Quanquam & LITEM dictam à limitibus qui vicinorum certè sunt, existiment: Quòd bella & discordiæ ob illos priùs ortæ sint: vt notatur etiam ex Etymologiis Isidori in cap. 10. Forus, De verbor. signif. lib. 5. Decret. Gregorii tit. 4. vbi citatur illud Vergilii lib. 12. Æneid.

*Limes erat positus litem vt discerneret agris.*

Vtrumq; tamen confundit Varro lib. vlt. De lingua Latina, cuius verba hæc sunt: *Quod aut Iurgio, id est, litibus: Itaque quibus res erat in controuersia, ea vocabatur Lis. Ideo in actionibus videmus dici, quam rem, sine litem dicere oportet. Ex quo licet videre, Iurgare esse ab iure dictum: nam quis iure litigaret? à quo oburgatus si quis id facis iniquè?* hæc Varro. Cui subscribit Vlpian. l 36. Litis nomen, De verbor. & rerũ significatio. lib. 50. π. tit. 16. *Litis, inquit, nomen, actionem significat, siue in rem, siue in personam sit.* Et Nonius Marcellus, Controuersiam à pertinacia, pertinaciam à lite oriri. Cui subscribit Cornelius Fronto libro De verborum significatio. Lis enim & extra iudicium esse potest. Verùm lis extraiudicialis non pertinet ad iudicem, nisi in iudicium deferatur: in iudicium autem deferri non videtur, nisi coram iudice contradictio fiat, & contendatur interrogatione vel petitione negata: & tunc Lis iudicialis dicitur post contestationem, vt scribitur ab Impp. Vero & Antonino in l. 1. & in Authentic. offeratur, De litis contestation. lib. 3. C. tit 9. cum similib. ibi notatis iuribus. Contestatio autem ita tamen necessariò requiritur, si in certum aduersarium actio dirigatur, non aliter, vt notat glossa in l. 43. quinquaginta, in verb. Contestandas, De excusationib. tutor. & Bartol. expresiè in l. naturaliter, §. nihil commune, numero trigesimo quarto. De acquirend possession. in π Et iure antiquo, vt res litigiosa diceretur, sola denunciatio in iudiciũ facta non sufficiebat sine contestatione, vt scribit Vlpian. in l. 1. De litigiosis lib. 44. π. tit. 6. Hodie sufficit denunciatio.

citationem factam. & petitionem reo insinuatam, etsi non contestetur, Authentic. litigiosa res, C. de litigiosis libro 8. C. tit. 7.

NEGATIONIS finitio apud Aristotelem libro primo, De interpretatione, capitulo quarto, demonstrat priuationem quodammodo & contrarietatem eam habere. NEGATIO, inquit, *enunciatio est, qua aliquid ab aliquo denegatur*: *sicuti* AFFIRMATIO *est enunciatio alicuius de aliquo*. Negatio etiam dicitur in dictionibus incipientibus ab I N, & ex ea compositis, vt inæquale, indignum. insolubile: ibi enim est priuatio, vt vtrumque docet Aristot. quinto, Metaphys. cap. 22. Docet tamen & Plato li 9. in Parmenide, vel de vno omnium principio, Negationem & Negatiuam, non continere omnino contrarietatem. Et is in Sophista vel de ente, esse ens & non ens commiscere non posse scribit. Et paulò pòst animaduertere se ait, in oratione hæc duo inueniri, nempe affirmationem & negationem. Idemque per omnia in cogitatione reperiri quod in sermone, nisi quod cogitatio illa ipsa sit sine strepitu vocis, interior collocutio, qua sese animus noster alloquitur, sed per os effluxus ille prolationis ab illa, oratio nuncupatur. Negatio & factis & verbis fit: Verbis *Christum*, inquit Paulus, *fatentes, factis autem negantes* ad Tit. cap. 1. d. Fit & negatio verborum alia interdum à corde: vt negauit *D.* Petrus ore Christum, non autem corde, in cap. 26. D. Matthæi. Dicunt Iurisconsulti, aliam negatiuam iuris, aliam facti esse: Item aliam indefinitam & improbabilem, aliam limitatam: de quibus tradit Panormitanus in cap. bonæ, De electio. num. 13. & 14. Regulariter, verum illud est factum negantis per rerum naturam nullam esse probationem, inquantum negat, vt scribitur à Dioel. 7. & Maxim. in l. 25. actor, De probationib. lib. 4. C. tit. 20. & apud Gregorium in cap. quoniam contra falsam, *De* probatio. in Decret. cum similibus ibi citatis: quando autem & cuius negatiuæ exigatur probatio, traditur à Bartolo & aliis in l. in illa, *De* verbor. obliga. & l. de ætate, *De* minoribus. Duæ tamen negatiuæ, etiam apud Iurisconsultos, simul positæ, æquipollent affirmatiuæ, vt scribit Caius in l. 238. duobus negatiuis, De verbor. & rerum significat. lib. 50. ff. tit. 16. Regula negationis est, vt cùm duobus propositis simul, alterum negatur, videatur negans alterũ approbare vel affirmare, Gregorius Pontifex in cap. 5. nonne

benedicimus, *De* præsumptio. libr. 2. *Decretal.* titul. 23.

OPPOSITIO: De hac in principio Oppositionis satis verùm adhuc. Oppositio apud Heraclitum, vt bellum omnium pater dicitur. Et ita Amelius oppositionem adducit inter firmamentum & planetas Origenes inter dæmones superiores ad inferiores. item & pugnam & victoriam, illis potentia, istis numero excedentibus. Numenius inter generationem animarum sequentium Palladem, & generationem animarum sequentium Neptunum. Porphyrius inter *Dæmones* ad generationem, & animas ad supera cõtendentes. Iamblichus, Syrianus, Proclus, inter vnum & multitudinem inter terminum & infinitatem, idem & alterum, statum & motum, quod & annotauit Marsilius Ficinus argumento in Thimæum Platonis, c. 4. In Ecclesia hac militante, oppositi episcopi & antistites ideo dicti hæreticis & infidelibus: stant enim ex aduerso contrarii, & resistentes illis, vel esse tales debent: aliter iustè de illis conqueritur *Deus* per Iezechielem cap. 13. a. *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in domo Domini*: quod & scribitur in cap. 1. 45. distinctio. in 1. parte Decreti Gratiani. ODIVM: Vide inimicitiã.

REPVDIVM: Vide suprà, Diuortium. Continere Repudium contrarietatem & inimicitiam, satis in Diuortio docuimus, & verba concepta Repudii, docent contrarietatem esse in eo, de quibus meminit Caius in l. 2. De diuortiis, libr. 24 ff. tit. 2. *In repudiis*, inquit, *id est, renunciationibus, comprobata sunt hæc verba, Res tuas tibi habeto: Item & hæc, Res tuas tibi agito.* Sed & apertiùs causæ quæ in lege repudii ponuntur, de eadem re testimonium dant. Ea enim lex à Romulo lata est, quam refert Plutarch. in vita Romuli, quæ vxori virum relinquere non permittit, sed viro vxorem repudiare, si in veneficio natorum, aut in adulterio deprehensa fuisset, aut claues subiecisset: Quòd si aliter quis vxorem repudiasset, eius copiarum partem vxori dari, partem Cereri sacram esse iussit. Qui autem cum vxore diuortium faceret, eum sacrificare *Diis* inferis. Scribit & rursùm Plutarchus libro problematum in hæc verba: *Quare vxorem repudiare antea non licebat, nec nunc, vt videtur, licet: quanquam id hu temporibus permisit Domitianus. Sacerdotes autem diuortio affuerunt, multa sanè horrenda, atrocia, tristia perãgentes, &c.* Causæ nam-

què

que certæ tantùm erant apud Romanos, quibus libellum Repudii licebat tantùm coniugibus mutuò mittere, quæ enumerantur à Theodosio & Valentin. Cæsaribus, in l. 8. consensu, & à Iustinian. in l. fin. De Repudiis, lib. 5. C. tit. 17, quibus frenum diuortii positum est, cùm ex constitutione Anastasii, liceret passim & indistinctè matrimonium ex vtriusque coniugum consensu soluere, vt scribitur in l. 9. si constante, eodem tit. *De* Repudiis, quod correctum est Authent. quod hodie, eod. tit. sumpta ex constitut. Iustiniani, vt liceat matri & auiæ, § quia verò, in authent collatio. 8. tit fin. Cùm iure diuino non liceat matrimonium consummatum & perfectum, excepta caussa fornicationis, separare: *D.* Matthæi cap. 5. c. *Dico* consummatum, quia si consummatum non fuerit, ob frigiditatem vel impotentiam mariti ante matrimonium marito adhærentem, non autem post superuenientem, separantur coniuges, solennitatibus seruatis, quæ traduntur à Iustiniano in l. 10. in causis & Authentic. sed hodie, De repudiis, lib 5. C. tit. 17. cap 2. c laudabilem. c quod autem. c ex literis. *De* frigid. & maleficiatis libr. Decret. tit can. quod autem. §. ecce. 27. quæst 2. Intermittitur tamen torus ob religionem & orationem, 1. Corinthior cap. 7. & iure Iustiniani separabatur. in §. quia verò. & ex consensu. Vt liceat matri & auiæ in Authent. collat 8 tit. fin. in Authent. quod hodie, De repudiis. C. Quod non licet iure Pontificum, nec Diuino, canon. sunt qui. 27. quæst 2. neque iure diuino, alia caussa quàm fornicationis separatur matrimonium, nec tunc quoque non, nisi qd perstringet ad concubitum seu torum seiunctio fit, remanente etiam tum matrimonio, nulla data licentia repudiatis cum alio nubendi, dicto cap. 5. D. Matthæi, Neque si superueniret alicui coniugum morbus incurabilis, vt lepra cap. 2. *De* coniug. leprosor. Nec etiam recipitur Repudium in c. gaudemus, in verb. qui autem, *De* diuortiis, lib. 4. *Decret.* tit. Sicque abolita lex Romanorum de Repudiis, & lex Mosaica quæ eum permittebat, *Deuteron.* cap. 24. Quia veritas *Deus*, duritiam cordium molliuit, ob quam *D.* Matthæi cap. 5. ipse testatur, Mosem repudium indulcisse: dedit enim & legem & mandatum diligendi inimicos, & compatiendi mutuis infirmitatibus *D.* Matthæus 5. Lucæ 6. & 1. Petri 3. b. 1. ad Thessal. cap. 5.

ODIVM: Vide Inimicitia RELATIO: Vide in principio diuisionis contrariorum. Quia pugna bellum est, &

aduersantium mutua & opposita conflictatio, non dubitabit quis, REPVGNANTIAM, quæ iteratam pugnam significat, inter opposita ponendam. Et ideo repugnare Deo, pro eo quod est aduersari, inter peccata grauia ponitur, & quasi peccatū ariolandi & idololatriæ dicitur, 1. Reg. cap. 15. c. Et Isaias cap. 45. in fine, *confundentur omnes qui repugnant Deo.*

PVGNA: Vide Bellum.

PROPOSITIONES accusatiuo deseruientes, contraria signant quodammodo, Huiusmodi sunt, Ad, Aduersus, Aduersum, Ante, A, circum, circa, circiter, cis, citra, contra, Erga, Extra, Infra, inter, intra, iuxta, ob, penes, per, pone, post, postridie, præter, procul, prope, propter, pridie, secundùm, secus.

Cicero lib. 4. Tuscul. quæst. Æ MVLATIONEM, duplicem dicit, quam nos suprà diximus contentionem. Vna quæ est imitatio virtutis: altera quæ est ægritudo, si eo quod quis cōcupierit, alter potiatur, ipse careat. OBTRECTATIO autem ea est, quam intelligi, inquit, ZELOTYPIAM volo, Ægritudo, quòd alter quoq; potiatur eo, qd quis concupierit. Eadem scribit sensisse Zenonem Citteum Diogenes Laërtius in eius vita, lib. 7. De vitis Philosoph. Sed & Philo Iudæus lib. *De* specialibus legib. c. contra mœchos, grauiorem esse discordiam, quæ ex Zelotypia suboritur, ea quæ in separatione naturalium membrorum est Nā membra aliquo modo coniungi interdum possunt: at zelotypia, molestissimos affectus, graues calamitates secum adferre solet, & morbos immedicabiles: & ibi paulò pòst explicat legem de vltione sceleris zelotypiam inducentis, per illud poculum aquæ, mortale conculcantibus matrimonium, innoxium autem insontibus, de quo in lib. Numer. cap 5. Et certè grauem zelotypiæ esse morbum arguit, quòd etiā inueniantur animalia quædam, quæ ea in furorem agantur & diuexentur: Sicuti Ælianus libro primo De Historia animalium, capitulo decimoquarto & decimoquinto, de Merula piscē scribit, eum maxima zelotypia affici erga fœmellas: potissimùm dum pariunt. Spiritus enim ille zelotypiæ, & nimio sed inordinato amore ad odium & suspicionem amati & aliorum concitat: vt non immeritò sapiens Eccles. cap. 26. b. dixerit, *In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicare.*

De Prin-

*De Principio.*

## CAP. V.

ALiud principium sequitur, quod etiam è numero relatiuorum est, nempe principium, quod alterius ratione, quod est & inde oritur, dicitur. Quod certè latissimè patet, & toties dicitur, quoties & ens, vt scribit Aristot. duodecimo Metaphysicor. capit. 7. Quia nihil est præter Deum, quod principium non habeat: Et ideo Oicellus libello περὶ τῆς ὅλης παντὸς φύσεως, id est, de natura vniuersi, sic scribit: ἅπασα φύσει ἡ ἔχουσα διέξοδον, ὅρους ἔχει τρεῖς καὶ δύο διαστήματα. ὅρει μὲν οὖν εἰσὶ τρεῖς, γένεσις, ἀκμὴ, τελευτὴ. διαστήματα δὲ, τὸ ἀπὸ τῆς γενέσεως μέχρι τῆς, καὶ τὸ ἀπὸ τῆς ἀκμῆς μέχρι τῆς τελευτῆς. Id est. *Omnis natura habet exitum, terminos autem tres, & duo interstitia. Termini autem sunt tres generatio, vel ortus, siue principij: deinc robur, vel summum incrementi: postremo finis. Interstitia duo sunt. primum à generatione vsque ad robur: secundum à robore vel consistentia vsque ad finem.* Et Arist. lib. 5. Met. ph. c 17. de tribus superioribus terminis loquitur, ex quibus vnum tantùm esse principium scribit, nec omnem terminũ esse principium. Docet & Lucretius lib. 1. De rerum natura, nihil sine principio esse, quanquam in principiorum constitutione à vero, cum suis atomis declinet. Aristoteles etiã lib. 3. Metaphys. cap. 3. tot principia specierum, quot genera entiũ ponit, etsi vnica sit ratio substantiæ: nam ad eam omnia, velut ad vnum à Philosophis referuntur, vt principium Is enim etiam Aristoteles vnicum ait esse generale eq; omnium principium, lib. 2. Ethicor. ad Eudemum. Dubius tamen quid dicat, rerum naturalium vnũ principium esse negat: quia illæ, ex contrariis colliguntur: contraria autem, in vno non sint, idque tractat lib. Physicor. 1. cap. 6. Cæterùm annotandum est, principia quæ dicuntur, ratione sequentium quorum sunt principia dici, nõ superiorum Quamobrem, vt consulam ingeniorum tyrocinio, paucis me explicabo: nempe principiorum aliud dici principium principians & inprincipiatum: aliud dici principium principians principiatum. PRINCIPIVM principians & sine principio, propriè principium dicitur Nam, vt scribit Cicero in Somnio Scipionis, principio nulla est origo, quia ex principio oriuntur omnia ipsum autem, nulla ex re alia nasci potest. Nec enim absolutè id esset princi-

pium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, nec occidit quidem vnquam, cùm principium extinctum nec ab alio renascatur, nec ex se aliud faciat, siquidem necesse est à principio oriri omnia. Et Aristot. Ethicor. lib. 1. cap. 4. principium ex se esse ait, & ideo ei opus non esse ipsa quæstione CVR & quam ob caussam sit, Et lib. 11. Metaphys. cap. 1. magis principium dicit, quod simplicius est, quam quod minus tale sit. Explicant certè hoc optimè antiqui Stoici: sed quale sit illud quod omnibus rebus initium dederit, ipsum autem sine principio sit, non explicant, eo quòd illud non nouissent. Itaque alii aromos, alii æthera, alii aquam, alii ignem, alii alia sibi prima principia fabricârunt. Nos autem, qui radiis diuinitatis instructi, gratiam Dei consectamur, & authorem omnium nempe Deũ nouimus, & adoramus. hunc rerum omnium principium creatione sine principio, & credimus, & distincta voce confitemur. Sic dicimus in Genesi mundi, *In principio creauit Deus cælum & terram.* Sic D. Ioannes in Euangelio cap. 1. *In principio erat verbum: & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum.* Et Dauid Psal. 109. ad Deum, *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Et Dominus noster IESVS CHRISTVS, verus Deus, & verus homo, in Euangelio D. Ioannis, cap 8 de testatur de se: *Ego sum principium, qui & loquor vobis.* Et Apocal. cap. 1. & ca. 22. *Ego alpha & omega, principium, & finis*, cap. firmiter, De summa trinit. & fide catholica, in Decret. Gregor. & in cap. 1. *De* summa trinitate, in sexto Decretal. Scribit & Plato libr. 34. libr. 10. *De* legibus, Deum omnium esse principium. Aristoteles vtcumque id animaduertisse videtur, dum libr. 2. Ethicor. ad Eudemum, de principiis loquens scribit his verbis: Sed enim ea propriè dominantur, è quibus motus primum proficiscuntur: iustissime verò omnium ex quibus aliter nil queat produci, cuiusmodi penes Deum sunt. Apertiùs Alcinous Platonicus libr. De doctrina Platonis capitul. 30. *Deus*, inquit *profectò, vt antiquus sermo testatur, principium, medium, finemq; rerum continet, perficit singula secundum naturam, ordine circumcurrens.* Et ferè hisdem verbis eadem scribit Clemens Alexandrinus Oratione adhortatoria ad Græcos. Et quia vt diximus, principium intuitu alicuius dicitur, sic Deus principium dicitur ratione creationis, Item & alia ratione, relatione, inquam, filiationis tantùm, pater in Diuinitate di-

te dicitur principium filij, & pater & filius ratione processionis, principium spiritus sancti. Sic pater principium sine principio, filius principium de principio, spiritus sanctus principium ab vtroque procedens: quod latissimè tractatur in primo libro Magistri sententiarum, tota distinct. 29. & ibi fusè per interpretes. Vna tamen sanctissima trinitas, vna essentia, in relatione illa personarum principium vnicum rerum est sine principio: alia autem omnia principia relatione ad alia quidem sunt, sed quæ principium aliunde trahunt: omnia namque ex aliis orta sunt, & perpetua serie amicitia naturali & generatione nectuntur. Quod & docet Proclus libr. De anima & dæmone: *Oportet*, inquit, *triplicem ordinem constituere, non solum circa ipsum, sed & circa pulchrum, æquale, simile & species denique rerum omnes. Series enim vniuersi desuper per huiusmodi gradus deuenit ad extrema, quæ tandem talia sunt quæ permutari possunt: primo enim ad quid oportuit esse primum vnitabile, vt ipsum à nullo pendens, deinde aliud participatione immutabile tale: postea aliud quod aliquando sit illius particeps, aliquando non, &c.* Videtur & ex parte præsensisse Deum, vt primum principium, Aristot lib 7. Ethicor, ad Eudemum, cùm quærit principium principiorum cuius verba transferam. *Quæret*, inquit *forsan quispiam, an fortuna eius ipsius causa sit, & quid, & quando oporteat concupiscatur, aut sic omnium erit: num & cognoscendi consultandiq;. Neque enim consultant consultanit, & hæc consultanit, sed principium est quoddam: neque cogitans cogitanit id prius cogitare, atque in infinitum eiusmodi fiat progressio, neque igitur considerandi ipsius principium, neque consultandi consilium: quid igitur aliud nisi fortuna? Quoirca à fortuna omnia proficiscuntur, & quoddam est principium extra quod nullum reperiatur. Ipsa autem quæritur cuiusmodi facultate instructa, efficere huiusmodi queat: quod perinde est ac si principium motus in anima inquiratur. Patet autem sic esse, quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexistente in vobis numine. Rationis autem non ratio, sed præstantius quippiam est principium: quid autem scientia præstantius nisi Deus.* Et hæc Aristoteles. Principiū dictum, quasi primùm incipiens: Incipere, idem est quod intrà se capere Pachymerus rem diffiniens, *Principium*, inquit, *est, ex quo oriuntur. & in quod extremum recurrunt omnia.* Sed melius Aristoteles, in poëtica, Principium, in-

quit, illud esse dicimus, quod non necessario post aliud est. Contra, quod posterius aliquod esse, vel fieri, natum est. Vel secundum Chrysostomum Iauellum libr. 2. Physicor. tract. de causis cap. 1. breuius, Principium est id, à quo aliquid procedit. Vnde constat, principium non aliunde, nec ex alio, in quantum principium. dici, neque veluti compositum quoddam accipi. Sic & Plutarchus docet libr. 1. De placit. Philosophor. cap. 2. dum ait, *Aristoteles & Plato differre putant principium & elementum: Thales vero Milesius, idem esse arbitratur principium & elementum. Verum hæc magnopere differunt inuicem: Siquidem elementa composita sunt, principia autem nec remur esse composita, nec confectum quoddam. Verbi gratia: Elementa vocamus, Terram, aquam, aërem, ignem. Principia autem ita vocamus, quòd nihil se prius habeant à quo procreata sint: alioquin principia non essent, Verùm illud potius ex quo essent.* Scribit & ferè similia de principio Cicero in somn. Scipion. dum principium sine origine dicit. Et Aristotel. 5. Metaphysic. cap. 1. Commune omni principio esse vult, vt sit primum. Et libr. 1. Resolution. Posterior. cap 2. *Ex primis*, inquit, *esse, nihil aliud est, quàm propriis è principiis esse: idem enim primum atque principium dico.* Et Plato libr. 9. in Parmenide, vel de vno omnium principio *Principium*, inquit, *primum omnium sit.* Et Macrobius libr. 2. in Somn. Scip. cap. 13. *Principii nulla est origo, nam è principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest, nec enim id esset principium, quod gigneretur aliunde.* Veruntamen principium, quid primum intellige, ratione sequentium & relatiue, quod supra non habeat aliquid Sic Iustinianus in procœmio π. l. 1. §. in reliqua anni parte: *Quod primum est*, inquit, *aliud ante se habere non potest.* Potest tamen primũ sine sequente esse. Veluti primogenitus dicitur, non tantum is quem alij postea sequũtur geniti, sed qui primo natus, id est, ante quem nullus ex certa natus est, cuius is primogenitus est: vt explicatur abunde per sacros interpretes super caput primum D. Matthæi, potissimum à D. Hieronymo, cuius verba referuntur in cap 5. Ioseph. De verbor. signific lib. 5. Decret. tit. 40 Et Vlpian in l. 2. §. legitima hereditas, De suis & legitim hæredib. lib. 38. π. tit. 17. *Interdũ*, inquit, *idem primus postremusq; qui solus occurrit.* Cæterum omissa tractatione ineffabilis principij, nempe de Deo, qui in principio principium sine principio est, D. Ioan. cap. 1.

Agamus

Agamus paulo latius de principiis, quæ secundum quid, & ratione aliorum inde proficiscentium, dicuntur. Itaque vt principiorum tenere possimus summam, subiiciemus breuissimam tabellam principiorum, continentem præcipuas eorum partitiones, si prius intelligamus Platonem lib.34. Dialogo 10. de legibus, monuisse, eorum quæ fiunt omnia habere principia vniuersalia, vel à natura, vel à fortuna, vel ab arte. Horum illa quæ naturæ, & fortunæ sunt, maiora dici: minora quæ ab arte, nempe quia illa naturam imitantur. Aristoteles eadem, sed alijs verbis scribit libr. 5. Metaphysic. capitulo primo. *Omne*, inquit, *principium, Vel est, vel fit, vel cognoscitur.* Et ea omnia vel intrinsecè vel extrinsecè considerantur. Sicuti quod ex manu fit artificis, prius in mente conceptum, factum ante fuit intrinsecus, vt scribit idem Aristot. primo, De partib. animalium capitulo primo. Quæ artium fiunt demum, interdum etiam aliorum quædam sunt principia propria, quædam communia. Propria cuique, sicuti lineæ rectæ, rectitudinem habere. Communia, quæ cum alijs conferunt similitudinem quandam rationis, sicuti illa regula, quæ principium est demonstrationis, *Qui æqualia ab æqualibus demit, æqualia relinquit*, communis est Geometris in magnitudinibus, cum Arithmeticis, in numeris. Et homo commune principium actionum suarum, vt scribit Aristoteles 2. Ethicor. ad Eudemum, & primo Resolution. prior. cap. 31. Scribit etiam propria cuique arti esse principia quæ deligenda & confessa esse oportet. Et 1 Magnorum Moral. cap. 1. expedire in scientia qualibet propria assumere principia. PRINCIPIVM vel EST, vel FIT, vel à COGNITIONIS INITIO EST autem, à natura & substantia, vt homo hominis, planta plantæ principium: in rebus immobilibus, quiditatem principium dicit Aristotel. 2 De generatio. animal. cap. 4. Sunt & naturalia principia secundum Aristot. & Priuatio, Materia, forma, chaos: & horum principiorum alia propria, alia communia. QVOD FIT, vel est casus, fortuna, ars: Solus animalium homo principium actionum est, quia hic agere solus dicitur. Aristot. 2. Ethicor. ad Eudemum. Quod A COGNITIONIS INITIO est, habet demonstrationes, & elementa cuiusque artis, & præcepta prima. Porro quæ sensui nota sunt, præceptorum principia sunt, artis verò principium non sunt. Sicuti vestigia leporis, sunt quidem principia

inue-

inueniendi leporem, non tamen leporis principia sunt: quia lepus ex vestigiis non componitur. Præcepta aut ex sensu notis, aut in his quæ ex aliis conficiuntur, aut in his quæ præostensa fuere, aut in manifestis intellectui consistunt: principium autem, artis præcepta. Tractat hæc Galenus in Isagogicis, libro De optima secta ad Thrasybulum. Et quia diximus commune esse omni principio, esse priùs & primum, ideo non ignoremus oportet quinque modos prius & posterius, de quibus tractat Arist. 5. Metaph. c 11. quos redegit in Distichum Trelman. libr. 2. De prædicamentis cap. 65.

*Tempore, natura, prius, ordine dic & honore,*
*Causa Causato dicitur esse prius* id est,

Prius & posterius dicitur quinque modis. Primùm, tempore, vt fuit Adam prior Abelo: & ita id prius quod altero antiquius & senius, contra posterius. Secundo, natura: sic omnis numerus minor natura, maiore est prior: sic animal prius est homine: sic omne genus prius suis speciebus, species suis individuis, & pater prior filio. Tertio prius ordine: vt in Grammatica literæ, elementa, priora syllabis, in dialectica, prior notio prædicabilium, & prædicamentorum, enuntiationibus simplicibus, & illę priores argumentis: in oratione prius exordium narratione, illa prior conclusione. & prius fundamentum pariete, ordine, parietes tecto. Item loco, quod prius se offert: vt Sphęra Lunę nobis prior est Mercurij. Quarto, *Dc & honore*: vt Pontifex primus in ecclesia Princeps in regno, Paterfamilias in domo: sic in aliis, puta honorabilior dignióve. Ad hunc prioritatem dignitatis refer prioritatem speciei, & prioritatem formæ, respectu generis & materiæ: quoniam species est perfectior genere, forma dignior materia, vtpote actus eius. Quinto, *Causam Causato dicimus esse prius*, vt lux prior lumine. Brutius. Principium aut vniuersale, aut accidentale vel instrumentale, vel originale, vel positionis, vel ordinis, vel priuationis. Vniuersale est, vel genus, vel species, vel differentia, vel prædicamenta: Accidentale vel instrumentale, est vel materiæ, vel figuræ, vel doctrinæ, vel continentis. vel motus, qui est principium vel generationis, vel corruptionis, vel alterationis, vel argumentationis, vel diminutionis. Originale: aut positionis, vel loci: aut ordinis, vel naturæ, temporis, definitionis vel determinationis, cognitionis, coniunctionis, priuationis formæ, aut secundum Aristotelem,

lem, Instrumentale. Ex principiorum cognitione operis cuiusque reiq; maxima copiosaq; est vtilitas: imminet tamen labor, sed non contemnendus. Et vt Ouidius 2. De remedio amoris scribit:

*Sed tamen est artis tristissima ianua nostræ,*
*Et labor est vnus tempora prima pati.*
*Aspicis vt prensos grauis iuga prima iuuencos,*
*Vt noua velocem cingula ledat equum.*

Et Terentius, Scena vltima, in Heautontimorumeno:

*Hæc dum incipias grauia sunt,*
*Dumq; ignores vbi autem cognoueris, facilia.*

Et ideo Plato libr 23. in Cratylo, vel de recta nominum ratione: *Debet*, inquit, *quisque circa rei cuiusque principium statuendum, diligentissimè considerare, vtrum bene decernat vel ne: quo quidem sufficienter examinato, cætera principium consequi debent.* Et illud etiam dominus noster IESVS CHRISTVS faciendum esse admonet D. Lucæ cap. 14. f. *Quis*, inquit, *vestrum volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne postquam posuerit fundamentum & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei. Aut quis Rex iturus ad bellum contra alium, non sedens prius cogitat, si possit cum decem aut viginti millibus occurrere &c.* Scribit & Hel. libr. 4. Æthiopicæ historiæ πάθος γὰρ ἄπαν τὸ μὲν ἐξέως γινωσκόμενον εὐβοήθητον, τὸ δὲ χρόνῳ παραπεμπόμενον, ἐγγὺς ἀνίατον. id est: *Omne malum statim in principio cognitum, facilè curari potest, quod vero tempore transigitur, prope incurabile.* Caius in l. 1. De Origin. iuris lib. 1. ff. tit. 2. potissimam cuiusque rei partem principium esse dixit. Et Horatius lib. 1. Epistol. Epistola 2.

*Dimidium facti, qui bene cœpit habet.*

Aristot. 1. Ethicorum ad Nicomachum, c. 4. plus quàm dimidium. Idem Plato lib. 34. Dialogo 6. De legib. & dimidium & plus quàm dimidium. Et Galenus Tomo 1. li. 1. De semine, cap. 5. notat, Aristotelem & Platonem principium non solum dimidiũ existimasse & dixisse, vt vulgo dicitur, sed & totum esse facultate Et Ouidius 1. Fastor inquit:

*Omnia principijs inesse solent.*

Et Ausonius, in Monosyllabis, de inconnexis:

*Incipe quicquid agas, pro toto est prima operis pars.*

Quocirca plerumque & vt plurimum Iurisconsulti & legum

gum peritiam in negotiis examinandis, ad initium actuum se referunt, qua mente quóve animo incœpti fuerunt. Et ignorantiam consensus, ita ex initio perpendit Prætor, pro infamia irroganda ei qui vetitam duxit, apud Vlpian in l. 13. quid ergo, De iis qui notant. in famia, lib. 3. ff. tit 2. Similiter Hermogenes in l. 44. qui id quod, De Donationib. lib. 39. ff. tit. 5. in concursu actionis Donationis obseruat.

Axiomata Principii.

1 Ex principiorum mutatione, multa, quæ hinc consequuntur, mutari necesse est. Probat Aristoteles ab hominibus castratis, quibus postquam excisi sunt testiculi, qui videntur esse hominum principium, & multa quæ hominis sunt mutantur, lib. 4. De Natura Animal. cap. 1.

2 Negatis principiis, quæ ex principiis efficiuntur, negata videntur: Et nisi quis principia primùm fateatur, frustra de effectis fit quæstio: quod & notat Lucretius lib. 1. De rerum natura, dum ait:

*– nisi prima fides fundata valebit,*
*Haud erit occultis de rebus quo referentes*
*Confirmare animos quo cum ratione queamus.*

Et Arist. lib. 1. Resolution. posterior. cap. 2. scribit, necesse esse magis ipsis principiis, aut omnibus aut quibusdam credere, quam conclusioni: quia si ob prima scimus ac credimus, illa magis scimus & credimus, quoniam ob illa & ipsa scimus posteriora.

3 Doctrina quæ secundum rei naturam fit, idem principium cum re ipsa habet: neque potest quispiam, qui rectè exponere vel generationem, vel ortum, vel gubernationem alicuius velit, initium aliud quàm id quod verum est inuenire. Ortus quippe domus de fundamentis coget: ortus nauis, de carina primam mentionem facere. Eodem modo si volueris ciuitatis alicuius, aut gentis, aut exercitus administrationem explicare, prima in vnoquoque erit tibi origo repetenda: hæc verba Galeni tom. 1. lib. 6. De Hippocratis & Platonis decretis.

4 Quemadmodum lapsus semel in elementis & principiis, quamplurima postea cogitur falsa subiicere, ita qui veris principiis vtitur, hisque ipsis consentanea vsque quaque subiungit, eum recte dicere, sin minus, ad vnguem in omnibus, saltem in plerisque necessarium est. Galenus tom. 1. libr. 1. De Hippocra. & Platon. decretis. Nam ad modicum errorem principij, latissimus sequitur fluctuandi & errandi

errandi campus: sicuti accidit iis qui in triuiis viam veram deserentes, eligunt aliam: quanto enim magis per eam ambulant, tanto ampliùs ab itinere conueniente absunt. Et, vt vtar verbis Velleii Paterculi in libro posteriore historiæ Romanæ, *Non insistunt exemplo vbi cæperunt, sed quamlibet in tenuem receptæ tramitem, latissimè sibi euagandi viam faciunt: & vbi semel a recto deerratum est, in præceps pernenitur.* Subscribit & Aristot. lib. 1. De cœlo cap. 5. *Parum*, inquit, *exitus, sit hisce qui à veritate exorbitauerunt: si longè progrediantur, decies millies maior.*

5 Non omnium rerum principium quærendum esse dicitur: at rerum, quæ semper aut sunt aut fiunt, nullum principium esse quærendum non rectè asseritur. Sed ea duntaxat principia non recipiunt huiusmodi, quæ rerum sempiternarum sunt. Hæc sunt verba Aristot. libr. 2. De gener. anim. cap. 4.

6 Cum duo sint termini, prior & posterior, posterior sine priore esse non potest, quamobrem cui non potest competere prior, nec per consequens posterior potest competere, Aristot. libr. 1. De cœlo cap. 12. Interdum tamen & primus & postremus vnus, qui solus occurrit, dicitur, vt scribit Vlpian. in l. 2. §. legitima hæreditas, De suis & legit. hæred. lib. 38. ff. tit. 17

7 Omne quod est, vel est principium, vel ex principiis, Arist. lib. 3. Physic. cap 4.

8 Difficile est vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio, Leo Epist. Epistola ad Mauros, in can. principatus 1. quæst. 1 cum similibus ibi notatis. Sic bonam fidem iurisconsulti initio vsucapionis desiderant probè, aliter improbant. Vlp. in l. 10. si aliena res, & Papin. in l. 44. iusto, § etsi possessionis. libr. 41. ff. tit. 3. cum similib. ibi à gloss. notatis.

9 Ex transactis & præteritis colligitur, quid in futurum præsumamus de aliquo cap 3. ex studiis, & cap. 6. mandata, De præsumptio. lib. 2. Decret. Greg. tit. 23. vt ex studiis suis cognoscitur qualis erit puer. Prou 23.

10 Potest esse aliquid principium, & medium, & finis, sed diuersis respectibus: non eodem tempore, vel modo, vel omnino: sed secundū quippiam. Et hæc de regulis principij dicta sufficiant. Cæterum vt venari liceat facilius media, per quæ principiū aliquid esse docere possumus, adferā

quoque

quoque adhuc probationes quorundam, quæ principia suggerant, & explicent qualia erunt: Agens, Antecedens, Authoritas, Causa, Coactio. Electio, Elemẽta, Genera principia specierum, Generans, Influxus. Impressio, Ingressus omnis, & ingressui occurrẽtia, vt limen, ianua, Initium, Mandatum, Metus. Nobilitas, Origo, Potentia, Præcedens, Prædicamenta omnia, Prioritas Priuatio vt principium secundum Aristotelem Producens, Proximus, Præpositiones ablatiuo deseruientes, species intuitu indiuiduorum. Agens quod agit. siue sensibiliter, vt quod initiat aliquod opus, vel in animo quippiam agitat, principium est esse actionis ex eo sequentis. Quamobrẽ & instrumentum quo quid agitur, principium operari quodammodo dicitur. Sicuti & annulus, est principium sigilli: & qui imprimit homo, principium sigillationis, & oportet esse prius quod docear, quàm quod discat. & prius generans & efficiens, quàm quod generatur & efficitur, vt scribit Aristoteles libr. 2. De generat animal c. 4. Notabis tamen, quod pertinet ad nostram propositam que principij materiam, agere, facere, & operari idem: & agentem, facientem, & operantem, idem. Quanquam & Heliodus in Ergis, & Plato libr. 20. in Charmide, vel de temperantia, existiment, actionem & agere, & opus, naturalia in nobis, & ideo semper bona: factionem, & alio modo esse, & malam posse esse. Et Arist. libr. Pol. c. 3. quod possidemus actiuum dicunt: quæ verò instrumenta dicuntur, factiua sunt.

Antecedens, nominis ipsa significatione, demonstrat esse principium: quia ante incedat: prius autem esse, vel primum esse, omni principio diximus esse commune: & Natius in l. 3. Arist. Quæ res pign. obligari non potest. lib. 20. ff. tit. 3. Antecedentem creditorem, pro priore & antiquiore dixit. Huc pertinent omnia significantia cum compositione dictionis Ante, &c. semper enim prioritatem innuit, Antè, & ita principium quoddam.

Authoritas, principium quoque est, eo quod ea sit veluti origo, propter quam res aliqua fiat vel credatur. nam bonum dicetur ab authoritate eligibilius, illud quod probi, quod periti, quod lex sequuntur, apud Arist. Topicor. lib. 3. cap. 10. Sic obeditur iudicatis vel bene. vel male propter authoritatem rerum iudicatarum, vt scribit Quintilian. libr. 1. Institut. orator in principio. Et Cicero 2. ad Herennium, & oration. pro Aulo Cluentio, & Metianus in l. 65. seruo inuito. §.

10, §. cùm Prætor ad Sc. Trebellian. libr. 36. ff. titul. 1.

De causâ paulò pòst dicetur Interim, quod est caussa, quouis modo, prius quodammodo dici potest, vt scribit Aristot. in Categoriis, & 2. De generation. animal. cap. 4. Diximus & agens, vel efficiens esse principiu. Porrò efficiens, nihil aliud quàm causa est, vt scribit Plato lib. 11. In Hippia maiore. vel de pulchro. Et omnis causa ad aliquid est, vt scribit Galenus in Isagogicis in arte medicinali. Dehinc & Aristot. 12. Metaphys. cap. 4. & 5. causas principium dicit. Item & 1. Metaphys cap. 3. causas vocat principia. Cæterùm hæc inter se differre nomine docuit & Galenus, vel alius eius nomine, lib. De historia Philosophica. Siquidem aliqui principium & causam nihil differre inter se volunt. Alij principium quidem rerum omnium originem præcedere volunt, non tamen ipsum, euentus huius & causam esse dicunt, sed quod secundum vnumquemque modum res fiunt. Et Iones nihil differre principium & elementum arbitrantur: Plato contrà existimauit, atque vtrumque ita distinxit, vt elementum id sit, quod compositum & effectum est, quomodo ignem, aerem, aquam, terram, elementa vocamus. Principium dicitur, quod ie priùs quicquam non habet, ex quo gigni potuerit: alioquin principium nõ fore elementis: Priora namque sunt, tum materia informis & peremnis, tum forma, species, & entelechia, id est, perfectio nuncupata.

Electio, principium est, Aristot. lib. 5. Metaphysic. cap 11. & libro Ethicor. 3. ad Nicomachum cap. 2. Electionem ideo à voluntate inter alia differre dicit, quòd voluntas sit quodammodo finis, Electio autem, eorum quæ ad finem sunt. Eligens siquidem vult finem, vt idem ait libr. 2. Ethicor. ad Eudemum: habet enim præcedentem consultationem eligibile, vt idem Aristot. scribit lib. 3. Ethicor. ca. 3. Et electionem esse initium actionum siue bonorum, siue malorum docet Plato lib. 31. lib. 1. De Republica.

Genera, principia & sunt, quia prius est genus semper sua specie, vt notat Aristot. in Categoriis, cùm agit de modis simul: ideo genus principium erit. & genus quodcunque sit, & quomodocunq; sumatur, dicitur illud primũ, ex quo aliquid: vt idem Arist. lib. 5. Metap. c. 28. & Porphyrius in quinque vocibus, & vndecimo Metaphys. Aristot. Ens & vnum, genera dicit: ideò quia prima sunt.

Generans esse principium docet Aristot. lib. 2. de partib.

animal.cap 7 his verbis: *Omne quod gignitur ex aliquo, & ad aliquid suam generationem deducit, & a principio ad principium pergit. hoc est, ab eo quod primum monet. & naturam tam aliquam obtinet, ad formam aliquam, aut talem quampiam finem.* Et libr. De spiratione, in finitione generationis, primum addit: *Generatio*, inquit, *est. prima altricis animæ communio, cum calore, sicca autem illius, mansio.*

Influxus eius quod operatur, etiam principium est.

Initium: Vide de principio.

Ingressus, est primus ille motus, quo à quiete in gradationem mouetur: item, dum vel limitem aliquem transgrediendo, vel superficiem, vt campum, vel locum alium, vt ianuam, atrium, & huiusmodi ingredimur.

In mandato inest principium, nempe qui mandat: nam ea quę per amicos fiunt, quodammodo per nos ipsos fiunt, quippe quod principium sit in nobis, vt scribit iisdem verbis Aristotel. libro tertio Ethicor. ad Nicoma. capite tertio. Mandata porrò inter se differunt, non in agendo sed in mãdando, vt cuius gratia, vt idem Aristotel. libro septimo Politicor. capite 14. Et de hac differentia tractat etiam latè Caius in l. secunda, mandati, libro decimo sexto. ff. titulo decimo septimo Quod autem principium sit mandati in mandante, docent integri tituli in ff. C. Mandati, in quibus actio hæc directa in eum dirigitur.

Nobilitas, principium quoddam dignitatis. & splendoris generis est: nobile, inquit Aristotel. libro primo De Histor. animal. capite primo, illud est quod ex bono prodiit genere. Generosum autem, quod à sua natura non degenerat.

Origo, & principium insinuat.

Potentia etiam principium quoddam est, nempe actus, quem antecedit, illoque prius est, vt scribit Aristotel. primo De cœlo capite finali. Et iurisconsult. duo iungunt etiam in principiis actuum hominum, nempe voluntatem & potestatem: quorum altero deficiente, actus nequit perfici, vt notant Diocletian. & Maximian. Cæsares in l. sexta, multum interest, si quis alteri vel sibi, C. Et Aristotel. libro quinto, Metaphysic. capite vndecimo, quædam inquit secundum potentiam priora. quod enim excellit potentia, & fortius est, prius est. Tale verò est cuius electionem, vt alterum, & quod posterius est sequatur necesse est. ita vt non

mouen-

mouente illo, non moueatur, & mouente moueatur, electio enim principium est.

Præcedens idem quod antecedens.

Predicamenta genera sunt decem, & principia quasi prima, vt scribit Porph in quinque vocibus.

Prius est, quod propinquius cuidam principio determinato, & hoc quoddã principium est Arist. 5. Metaphys. c. 11. prius multiplex est, vt scribit Aristot. lib. 2. De generatio. animal. ca. 4. Nam prius dicitur quinque modis, Tempore, idq; proprie. Natura. ordine. perfectione. vel honore, Causa. Aristot in Categoris, & quinto Metaph cap. 11.

Priuatio principium multis modis secundum Aristot. lib 5. Metaphys. cap 22. dicitur. Primo si non habeat aliquid eorũ quæ apta sunt haberi, etiã si ipsum nõ sit natura aptũ habere: vt planta dicitur oculis priuari. Secũdo si cũ id aptũ vel in genere, vel in specie aptũ habere sit, nõ tamẽ habeat. Aptum autẽ diuersis modis, vt secundum se, secundum genus. secundum ætatem, vt cæcus homo. talpa, catelli. Item si cùm aptum sit, cùm tamen aptum est habere, non habet, vel quemadmodum natura fert non habet. Item priuatio alicuius, violenta ablatio. Et idem Aristot. 1 Physicorum cap. 7. existimat priuationem esse principium per accidens; eo quòd per priuationem prioris formæ, alia sequatur.

Producens, est initium generationis.

Proximus dicitur, quem nemo antecedit. Vlpian. in l. 26. hæreditas proximo, De suis & legitim. hæred. lib. 38. ff. tit. 17. itaque primus. Propositiones ablatiuo deseruientes initium aliquod referunt, quales sunt A, Ab, Abs, Cum, Coram. Clam. De, E, Ex, Pro, Præ, Palam, Sine, Absque, Tenus. Et illæ ambiguæ In. Sub. Super. & Subter.

Species & principia esse. & magis principia quàm genera, eo quòd simpliciores, docet Aristot. lib. 1. Metaphysicor. cap. 1. Cæterum species hic intelligitur, quæ habet sub se individua: nam earum respectu principium est, vt & scribit Porphyrius in quinque vocibus.

*De Causarum diuisione tractatione.*

## CAP. VI.

QVia cùm de potentia agebamus, reiicimus tractationem causarũ in hũc locum, ideo de his pauca quatenus

artis nostræ exigit necessitas tradamus. Plato igitur libr. 15. in Sophista, vel de ente, & lib. 32. in Timæo, vel de natura, dum enarrasset abditam & incomprehensibilem & sibi & nobis Dei filij generationem, duas causas in vniuersum diuinam & humanam, eamq; necessariam, posuit ad vnum finem, nempe ad Dei notionem concurrentes: verba eius hæc sunt. *Hæc sane omnia, sta nunc naturaliter effecta ex necessitate, ille pulcherrimis optimisq; operis fabricator, in his quæ gignebantur assumebat, quando Deum ipsum sufficientem & perfectissimum generabat: vtens quidem causis ad hæc ministris, quod autem bene se habeat, ipse in singulis agens: Duas enim causarum species distinguere decet, vnam quidem necessariam: alteram vero diuinam. Atque diuinam in omnibus quærere oportet, vt beatam vitam, quoad natura nostra possibile est adipiscamur: necessariam quoque causam illorum gratia perscrutari. Cogitare enim expedit, absq; his illa in quibus studium ponimus, non posse intelligi vel comprehendi, vel quomodocunque aliter percipi.* Hæc Plato. Et Arist. lib. 1. Metaph. ca. 3. tum scire vnumquodq; dicimus, cùm vsq; ad primam causam nos nosse arbitramur. Et lib. 3. Ethicor. ad Nicomachum c. 4. consultationes, resolutiones, contendere ait, vt per plures causas ad vnam postremam veniamus causam. Stoici porrò vnam tantùm causam existimarunt, nempe id quod facit. Dixerunt namque, in rerum natura duo tantùm esse ex quibus omnia fiant, nempe causam & materiam: materiam autem iacere inertem, rem ad omnia paratam, cessaturam si nemo moueat: causam autem, id est, rationem, materiam formare, & quocunq; velit versare, & ex illa varia opera producere, quia esse debet vnde aliquid fiat, deniq; à quo fiat. Hoc causa est, illud materia, quod de vniuerso ad artem, quæ imitatrix naturæ est, transferri potest: & à materia prima ad secundam, sicut docet vtrumq;, meminitq; sententiæ Stoicorum Seneca, lib. 8. epistol epistola 67. Est causa vnde effectus, vel propter quam contingit quid: vel à qua, ex qua, ad quam, & propter quam quid fit, vt ait Plato & Plutarchus libr. 1. De placitis Philosoph. cap. 11.

Descendimus autem lubentissimè ad causarum explicationem, quòd, vt verbis vtar Aristotelis. lib. 2. Physic. cap. 3. *Nostra pertractatio sciendi sit causa, scire autem vnumquodque non prius putemus, quàm circa vnumquodque, propter quid est capiamus, id autem sit, primam accipere causam.*

Cæte-

Cæterùm quantùm pateant causæ, sequentibus facilè venabitur aliquis, & saltem vel vnam vel alteram intelliget quàm necessario inquirentibus producat: Nihil enim in terra fit sine causa, vt scribit Iob ca. 5. vt non immeritò Galenus dixerit, tom. 1. lib. 4. & 6 De decretis Hippocratis & Platonis. *Ego quidem certe scio id quod omnibus constat, nihil quod vel factum sit vel fiat sine causa existere.* Quamobrem Arnobius lib. 7. aduersus Gentes, *Quicquid geritur*, inquit, *debet habere causam sui, neque ita esse à ratione seiunctum, vt in operibus feratur casus, & in vanu ludat inanitatu erroribus.* Et voluerunt aliqui differentias rerum, earum causas esse, vt scribit Aristot. 1. Metaphys. cap. 4 quamobrem & eas nosse, ad vitandum confusionem maxime expedit. Et medici, sine causarum inquisitione, vix ad curatricem perveniunt artem. Hic enim est causarum inquirendarum fructus, vt qui intemperatorum causas nouit, is ad naturam suam ea reducat, vt scribit Galenus tom. 1. libr. 2. De natural. facultat. & tomo 6. libro quarto, Method. meden. cap. 8

Causam plerique à cauendo dicunt, quod cautè forsan & ordine producat effectus. Alij à Chao, quia in causis confusio sit quædam effectuum. Alij à Græco verbo καύσις, quod est ardor, incendium, eo quod causa nos impellat, & ardere mentem faciat, ad agendúmve impellat.

Amplector certè lubentiùs priorem & secundam sententiam: respuerem omnino vltimam, quia nec ita Græcè causa καῦσις dicitur, sed αἰτία, neque eandem retinent verba analogiam, tum etiam, quod & minus omnibus conueniat causis. Causæ definitiones adfert Galenus: vel aliut eius nomine, in Ilagogicis libr. De finitio. medicis: Causa est, quæ in corpore quicquam facit. expersq; ipsa est corporis, vel secundum Athenæum Attallæum, causa, est ea quæ facit. Plutarchus lib. 1. De Placitis Philosophor. cap. 11. *Causa*, inquit, *est, ex qua effectus. vel propter quam contingit quid.* Aristoteles autem 5 Metaph. cap. 2. *Causa*, inquit, *uno modo dicitur, ex qua insita aliquid fit, vt ai, statua: argentum, patera*: & 1. De generat. animal. cap. 1, Causa est cuius gratia quippiam fit. Cicero in partitionibus oratoriis, *Causam appello rationem efficiendi effectum, id quod est effectum.* Causa itaque finitur, vt sit principium ex quo pendet, vel sequitur effectus. Inter causam & rationem multùm interesse putant: quòd causa in homine est animi impulsus ad ali-

quid agendum, vt accipitur in l. 1. §. sexum, De postul. in 7. Ratio autem, sit gerendorum ex causa venientium ordo, Ioannes Monachus in c. vlt. De iuramento calum. in sext. Sic causa sine ratione esse potest, ratio tamen non est sine causa. Notat & hac de re plura Tiraquellus, in prima parte regulæ, *causa cessante, &c.* num 3. & 4. & 6. vult Causam esse de præterito, vel præsenti Rationem de futuro. Quanquam hæc sæpe etiam apud Latinitatis authores, nempè ratio pro causa, & contrà, promiscuè accipiantur. De diuisione causarum iam tractauimus in summa libr. 3. Syntaxeos artis mirabilis cap. 5. ideò ad illud caput te remitto, membrorum tamen aliquorum subiiciam explicationem.

*Quòd Diuina voluntas omnium essentiam habentium, causa, & principium primum.*

## CAP. VII.

QVia Deus omnia quæcunque voluit fecit, in cœlo & in terra, Psal. 113. b. & Psal. 134. b. & Iob. cap. 23. vers. 13. de Deo sic scribit: *Ipse solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius: & anima eius quod.unque voluit hoc fecit.* Et Salomon cap. 11. vers. 26. ad Deum sic loquitur: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum esset, conseruaretur?* Et rursum cap. 12. cap. vers. 18. *subest tibi, cùm volueris, posse:* & Psal. 29. a, *Vita in voluntate eius.* Et nos quotidianam habemus, cius ore edoctam, orationem Matthæi cap. 6. in qua vt eius voluntas fiat efflagitamus. Clarè etiam id explicat Dionys. Areopagita, dum libro de cœlesti Hierarchia cap. 13. scribit: *Diuinum*, inquit, *quia omnibus est remotum, & vniuersale, neque primus, eorum quæ sunt, essentiæ simile est & adhuc eorum omnium ipsum principium & causa substantifica: & eorum, quæ sunt, secreta singularitate, immutabile fundamentum, ex quo & esse & bene esse etiam ipsis summè manstu est virtutibus.* Et rursum libr. 1 De Diuinis nominib. cap. 2. & de Mystica Theologia capite quarto, & quinto, plura de diuina causa congerit. Notabis tamen Deum causam efficientem & finalem dici posse, vtpotè ex quo, & ad quem, omnia referantur. Cæterum nullo modo dici causam materialem. Nam in Deo materia aliqua non potest considerari, nec ipse est materia, vnde res, cùm purissimus, & simplicissimus, & superpurus, & supersimplicissimus sit. Ne-

sit. Neque etiam Deus potest esse formale esse, vel causa formalis rerum. vt errantes aliqui cõminiscuntur, quos reiicit Dionys Carthusian. in commentariis in cap. decimotertio, Dionysij Areop. lib. De cœlesti hierarchia. Tractatur & de causis quæ in Deo solo, & quæ in Deo & creaturis sunt & naturæ, à D. Augustino, libr. 9. super Genes. cap. 16. Tractat & Magister tentent. & eius interpretes, lib. 2. distinctio. 18. literis F. & G. Socrates à *Deo* omnia proficisci ait, & in Deum omnia referi, apud Platonem libr 3. Dialogo Theages, vel de sapientia. Et libr. 34. dialog. 4. De legib. Plato, Deum ex testimonio antiqui sermonis admonet, principium, finem, & media rerum, cõtinere, recta peragere, secundum naturam circuendo. Et Seneca libr. 8 Epist. epistol. 106 *Sednes nunc primam & generalem causam quærimus. Hæc simplex esse debet. nam & materia simplex est. Quærimus quid sit causa, ratio faciens. id est Deus*, Hippocrates etiam libr. De fœminea natura, in principio. *Maximam quidem causam & potissimum quid in hominibus esse diuinũ numen dico sentiõe, deinde naturas & colores.*

## *De quatuor causis propriè generalibus generaliter.*

## CAP. VIII.

QVatuor sunt illæ causæ generales vniuersali omnium consensu receptæ: Efficiens. Materialis, Formalis, Finalis. Quarum duæ, Materialis & Formalis, intrinsecæ sunt, quia sunt de essentia compositi: omne enim, quod est creatum, cõstat materia & forma. Aliæ duæ, extrinsecæ. nempe efficiens & finalis, quia non adhærent rei. Ab efficiente, principium motus & quietis est. De his Aristot. 2. Physic. cap. 3. & 7 & 5. Metaphys. c. 2. Et rursum quatuor esse causas scribit Arist. 12. Metaphysic. cap. 4. & 1. Metaphys. c. 3. enumerat. & 1. De generation. animal. cap. 1. Seneca libr. 8. Epist. epistola 66 omnium. *Stoicis*, inquit, *placuit, vnã causam esse, id quod facit.*

*Causam Aristoteles putat tribus modis dici, Prima*, inquit *causa est ipsa materia, sine qua nihil potest effici. Secũda, artifex. Tertia, forma quæ vnicuique operi imponitur tanquam statuæ: nam hanc Aristoteles εἶδος vocat. Quarta quoque*, inquit, *his accedit, propositum totius operis. Quid sit hoc, aperiam. Aes prima statuæ causa est:*

*nunquam enim facta esset, nisi fuisset id ex quo funderetur, ducerúrve. Secunda causa Artifex est: non potuisset enim as illud inhabitum figurari, nisi accessissent perita manus. Tertia causa est Forma: neque enim statua ipsa Doryphoros, aut Diadumenos vocaretur, nisi hac illi esset impressa facies. Quarta autem causa est faciendi propositum: nam nisi hoc fuisset facta non fuisset: Quid est propositum? quod mouit aut artificem, quod ille secutus fecit: Vel pecunia est hoc si venditurus fabricauit: Vel gloriam si laborauit in nomen: Vel religio, si donum templo parauit. His quintam Plato adiecit, Exemplar, inquam, quod Ideam vocat: hoc est enim ad quod respiciens artifex, id quod destinabat efficit. Nihil autem interest, vtrum artifex intra se, Vel extra, oculis exemplar proponat.* Hæc Seneca. Qui & addit, Platonis quinque causas has esse, id ex quo, id à quo, id in quo, id ad quod, id propter quod. Plutarchus tamen libro primo De placitis philosophor. cap. 11. ab hoc dissentire videtur, quia existimat tantùm apud Platonem tres causas esse. Eius verba hæc sunt. *Plato trifariam causam posuit: est enim, vt ipse dixit, Aqua: ex qua: ad quam: præcipuam autem putat eam ex qua: hac autem rerum efficiens quæ eadem mens.* Inuenio etiam Aristot. lib 5. Metaph. cap. 2. causam, speciem, & exemplar dixisse. Cicero tamen, omnes causas ad duas videtur reſoluere, libro Topicorum, dum in hæc verba scribit. *Causarum igitur duo sunt genera, vnum quod vt sua id, quod sub ea subiectum est certe efficit: vt ignis accendit. Alterum quod naturam efficiendi non habet sed sine quo effici non potest. vt si quis as statua causam velit dicere, quod sine eo non possit effici.* Proponit tantum sibi Cicero duas causas, efficientem, & materialem. Galenus etiam tom. primo libro sexto. De vsu partium corporis humani, capite decimotertio, quinque etiam causarum genera ponit: primum quidem ac potissimum, cuius causa aliquid fit: secundum verò, à quo fit: tertium, ex quo: quartum, per quod. & quintum, inquit, si vis, quale fit. Et capite decimo quarto, primam ad artificis prouidentiam refert: secundam ad materiam. Et plenius de omnibus tom. 3. libro De causis procatarticis.

Causa efficiens, est illa ex qua aliquid fit, vnde alicuius rei principium, atque initium capitur: vnde principium mutationis & quietis, vt inquit Titelmanus lib. 2. De causs. rer. natural. cap. 3. & Aristot. libr. 1. De generation. animal.

capite

cap.7. Sicuti causſa filii, pater: & causſa talis consiliatio, qui consulit: atque omnino quod efficit, eius quod efficitur: & quod mutat, eius quod mutatur. Arist. lib. 2. Physic. cap 5. & quinto Metaphysic. cap. 2. Et libro 1. *De* generation. & interitu, cap. 7. *Efficiens causſa*, inquit, *dicitur vnde initia motus trahuntur, cùm causſa, qua his nominibus cuius rei gratia notatur, agens non habeatur* Semper Aristoteles ierè causſam efficientem dicit, vnde principium motus, vt & libr. 1. *De* generat. animal. cap. 1. Efficientem causſam Cicero in Topicis dicit, quæ res efficit. Causſam efficientem, actiones in animali Galenus dici vult facultatem, libr. 1. *De* natura facult. cap. 2. Aristot. libr. 2. Physic. cap. 1. vno modo naturam dici scribit, primum cuique subiectum, materiem eorum quæ motus in se mutationisque principium habent: alio modo ipsam formam & speciem, quæ rationi accommodatur. Et lib 1. *De* partib animal cap. 1. Naturam bifariam intelligi scribit, vt altera pro materia sit, altera pro substantia, quæ quidem vt mouens, & vt finis sit Harum causſarum efficientium, alia vniuersalis prima, vt Deus: aliæ subordinatæ, vt Sol, Luna, planetæ, &c. aliæ particulares, vt hominibus, pater generans. Causſarum facientium abolitio fit à contrariis: sicuti morbus à causſa frigida, à calida tollitur: & contraria contrariis curantur, vt docet Galenus tom. 7. in libr. 2. Aphorism. Galeni Aphorism. 22.

Causſa ex qua aliquid fit, ea est, quam materiam dicimus: à quo verò quippiam eorum est quæ naturâ sunt: ipsum autem aliquid, homo aut planta, aut quicquam aliud similium, quæ maximè dicimus substantias esse. Cuncta verò, quæ aut naturâ, aut arte fiunt, dicimus materiam habere, Aristot. 7. Metaphys. cap. 7. & 1. De generat. animal. cap. 1. Materialem causſam dicit Cicero in Topicis. id, sine quo non potest effici: vt æs causſa est statuæ, quia sine eo non possit effici.

Causſam formalem, quidditatis rationem scribit esse Aristot. libr. 2. Physicor. cap. 3. formalis causſa est illa, quæ aliquid totum explicat, docétue: nam forma cuiusque propria, in perfectione consistit, vt etiam docet Caius in l. 79. si is qui quadringenta §. quædam legata, Ad leg. falcid. li 35. ff. tit. 1. Et ita res, quæ forma corrupta priore redditur, videtur abesse: veluti si tabula, rasa pictura reddatur. vel scyphi colliti, vel res corrupta, vt notat Paulus ex Labeonis & Sabini sententia in l. 14 Labeo & Sabinus *De* verb. & rer. signif. li. 50. ff tit. 16.

Causſa finalis eſt id, cuius gratia cætera fiunt, Ariſtot. 2 Phyſic. cap. 3. & 5. Metaphyſ. cap. 2. & libr. 2. De generatio. animal. ſcribit finem eſſe id, cuius gratia aliquid fit. Eã causſam in legatis iuriſprudentes conſiderant: nam ea ſolet legatum generalius in causſa finali reſtringere. vt ſcribit Vlpian. & ibi interpretes in l. 10 ſi habitatio. §. 1. De vſu & habitatio. libr 7. ff. tit. 8. Et in criminibus maximè, finalem causſam, propter quam quid agimus, conſiderandam docet exemplis D. Auguſtinus libr. De doctrina Chriſtiana: ex quo tranſcriptis can. quiſquis 41. diſtinctio. in Decret. Gratiani. *Cauendum*, inquit, *eſt, ne temerè flagitia reprehendamus: fieri enim poteſt vt ſine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, pretioſiſſimo cibo ſapiens vtatur, inſipiens autem fœtiſſima gula flamma, in vilſimum olus ardeſcat: & ſanius quis maluerit, more domini piſce aſſo, quam lenticula more Eſau nepotis Abrahæ, aut hordeo more iumentorum, &c.* Poſtea latiùs in can. delictæ, & can. quod dicit, eadem 41. diſtinctio. hæc ſemper finis ratio in operibus Dei & naturæ conſideranda eſt. Quia Deus & natura, nihil faciunt quod non habeat certum & neceſſarium vſum, vt ſcribit Ariſtot. libro primo, De cœlo, cap. 4 & natura ſemper finem quærit, & infinitum vitat, vt ait idem Ariſtot. libro primo, De generation. animal. capite primo, & rurſum libro De communi animalium greſſu, repetit, nihil fruſtra naturam agere, ſed ad id reſpicere, quod potius ſit & melius. Item libro ſecundo De partib. animal. capite decimotertio, & libr. 4. De partu animal. capite 11. & alibi.

Exemplarem formam conſtituit Plato, ſecundùm quam quid fit: ſiue in mente artificis ſit, ſiue extra mentem ante oculos eius poſita fuerit, vt ſcribit Seneca 8 lib. Epiſtol epiſtol. 66. Meminit & exemplaris formæ Ariſtotel. 5 Metaphyſic cap. 2. Cæterùm Ariſtoteles illam cum formali exemplarem confundit, & pro vna, quidditatis, inquam, causſa accipit, 2. Phyſic. cap. 3. Exprimit itaque hæc causſa ſimilitudinem. Sunt præter has causſas aliæ metaphoricè, vt quibuſdam placet, dictæ, ratio & controuerſiæ, quæ ab oratoribus causſæ dicuntur.

Ratio principium eſt paritet in rebus tam arte quàm natura conſtituendis, vbi enim vel per ſenſum, vel per intellectum, medicus ſanitatem, opifex ædes definierit, rationes & causſas rei, quam facit, reddere ſolet, & cur ita faciat, ſubiun-

subiungit, Aristotel: libro primo De partib. animal. capite primo. In caussa autem rationali secundùm Ciceronem, aut authorem Rhetoricæ 2 ad Herennium primò quæritur, ecquid in rebus maioribus aut minoribus, aut similibus, similiter scriptum aut iudicatum sit. Deinde, vtrum ea res sit similis ei rei, qua de agitur, an dissimilis. Deinde vtrum consultò de ea re scriptum non sit, quod voluerit cauere. aut quod satis cautum putauit, propter cæterorum scriptorum similitudinem. Permittunt enim leges hanc ad similia constituentium extentionem, vt scribit Iulian. in l. non possunt, & in l. 12. nam vt ait Pedius De legib. libro 1. ff. tit. 3 Nihil autem sine ratione faciendum est, vt scribit Seneca lib. 4 De beneficiis, dum agit de depósito reddendo.

Caussa apud oratores dicitur, res quæ habeat controuersiam in dicendo positam, cum personarum certarum interpositione. Itaq; secundùm determinationem Hermagoræ, quam recipit Cicero 1. De inuentione, & lib. 2 De oratore, Caussam vocant rem positam in disceptatione rerum & controuersia. Idem Cicero lib. 2. Rhetoric. ad Herennium, Tria genera caussarum amplectenda scribit oratori: demõstrativum, deliberatiuum, & iudiciale. Demonstratiuum genus est, quod attribuitur ad alicuius personæ laudem, aut vituperium. Deliberatiuum quod positum in consultatione, habet in se persuasionem & dissuasionẽ. Iudiciale quod est positum in controuersia, habet accusationem in se, aut petitionem cum defensione. Eadem repetit in Partitionibus oratoriis, & in Topicis. Et Aristot. 1. Rhetoricor. ad Theodectem cap 3. & 4 & Rhetorica ad Alexandrum. Qualitates autem orationis & caussarum superiorum sunt quinque, quas Cicero 1 De inuentione vocat genera caussarũ: Nempe honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum. Honestum, cui fauent initio auditores sine nostra oratione: Admirabile, à quo alienatus est animus eorum qui audituri sunt: Humile, quod negligitur, & non magnopere attenditur ab auditore: Anceps, in quo aut iudicatio dubia est, aut caussa & honestatis & turpitudinis particeps, beneuolentiam pariat & offensionem. Obscurum, in quo aut tardi auditores sunt, aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis, caussa implicita est.

De me-

*De modis Causſarum.*

## CAP. IX.

ARistoteles libro octauo Metaphyſ. c. 4. Materiam, propriam & proximam vocat cauſſam: cauſſarum per accidens aliæ aliis propinquiores ſunt. Ariſtot. Phyſic. c 2. & 5. Et 2. Phyſic. cap. 3. inter cauſſas quæ ſunt eiuſdem generis, aliam priorem, aliam poſteriorem eſſe ſcribit: eſt ſanitatis, medicus, atque operis artifex. & concentus, is qui omnes ſonos complectitur, duplum ac numerus: & ſemper eæ quæ continent, ad eas quæ ſunt ſingulares. Omnis cauſſa primaria, plus eſt influens ſuper cauſatum, quàm cauſa vniuerſalis ſecunda, vt ſcribit Author de cauſis, propoſitione 1. Et Proclus libr. De elementaribus theoremaribus. *Omne* inquit, *productum à cauſis ſecundis, à prioribus* & vniuerſalibus producitur eminentius: quia effectus cauſæ ſecundæ habet vim à prima, ideo illa prior virtus nobilior & maior, quæ ex ſe eſt, quam quæ ex alio. In communibus appellationibus, ſemper cauſa, de proxima, non de remota intelligitur. Sicuti in carbonum appellatione, materia proxima, nempe lignum vſtum, non remota, nempe lignum inuſtũ conſideratur & intelligitur, vt abundè tractat Vlpianus in l 57. ligni appellatio, *De* lega. 3. libr. 32 ff. tit. 1. & in l. 167. carbonum, De verborum & rerum ſignificat. libr. 50. ff. titul. 16.

Vt ens aliud per ſe eſt, aliud per accidens eſt: Sic & cauſa, alia per ſe, alia per accidens eſſe poteſt. Vt domus per ſe quidem, ædificatiuum eſt cauſa, per accidens autem illud ædificatum, eſſe muſicum vel album. Ea igitur cauſa quæ per ſe eſt, definita eſt: ea verò quæ per accidens eſt, indefinita. Et in his quæ per electionem fieri ſolent per ſe, per accidens fit actio, vel caſu, vel fortuna, quæ omnia tradit Ariſtot. libr. 2. Phyſicor. cap 5 Galenus quoque tom 3. libro de Symptomatum cauſis ſcribit, in his quæ ex continuatione & ſerie cauſarum fiunt, diſtinguendum eſſe, id quod per ſe cauſat, ab eo quod facit per accidens, alioquin plurimos abſurdiſſimosque errores contingere. Significat autem illud, id per ſe facere, idem quod per vnum facere. Voluti, ſi calculis ordine poſitis, primum eorum moueat quis, & ille primus ſecundum, & ſecundus tertium, & deinceps vnuſquiſque eum qui ſibi ſuccedit à mouente digito, primum calculum dicimus per ſe, ſecundum moueri per accidens, tertium

tium & secundum per accidens, nempe ex contactu ordinationis. Sic primum per se mouet secundum, ex accidenti verò tertium. *Docet* & idem Galenus tom. 3. lib. De causis procatarticis, vtramque causam, & per se & per accidens etiam in artificialib. necessariò considerandam. Per accidens sunt causæ, casus, fortuna, occasio.

Causarum etiam alia simplex, alia composita dicitur: has vel coniunctas, vel simpliciter agentes causas, vocat Aristot. libr. 5. Metaphysic. cap. 2 Sic & oratores causas etiam considerant, vel simplices vel coniunctas. Simplex dicitur, quæ absolutam in se continet quæstionem: veluti, *Corinthijs bellum indicamus, an non?* Coniuncta ex pluribus quæstionibus, in qua plura quæruntur, hoc modo: *vtrum Carthago diruatur, an Carthaginensibus reddatur, an eo colonia deducatur:* Cicero libro primo De inuentione Plato libro decimo sexto, in ciuili, vel de Regno, Causas vocat per se operantes: concausas verò instrumenta & organa, sine quibus agi non potest, vel aliquid perfici.

Rursum & quædam in potentia, quædam in actu causæ sunt. Cùm omnia aut potentia, vel actu sint, interest inter hæc tantùm, quòd causæ actu sunt singulares, & ea, quorũ sunt causæ, simul sunt, & non sunt: vt hic qui medetur cum hoc qui sanatur, & hic qui ædificat cum hoc quod ædificatur. Sed quæ sunt potentia, non semper: non enim simul domus & ædificator corrumpitur, Aristot. lib. 2. Physicor. cap. 3. quæ repetit lib. 5. Metaph. cap. 2. Galenus etiam libro De artis medicæ constitutione, *Causa*, inquit, *potissimùm cùm agunt appellatione dignantur: sæpenumero tamen, etsi nondum quicquam agant, ex eo solo quòd possint dicuntur: veluti & incoctio, morborum author perhibetur, quamuis morbum nondum adferat. Incoctionem autem voco, non coctionis solùm in ventriculo frustrationem, sed in vasis quoq;, & iecore & mole vniuersa.*

Item alia communis, alia propria. De causa communi & propria meminit Aristoteles circa principium lib. 1. Ethicor. ad Eudemum. *Sunt*, inquit, *causa huiusmodi non equidem vtra sanitatisue propria, sed communes. vt sic loquar, omnium habituum. & operationum: nam absque respiratione, neq; vigilia, nec motu, nec bonum ac malum, in vniuersum, vllum subsistit. Alia verò propria sunt magis vnicuiusq; natura, quas ignorare non conueniat.*

Deini-

*De initiis causarum in genere, & deinceps in specie, de nihilo causa a Deo & necessitate.*

CAP. X.

ARistoteles Metaphys. lib. 7. cap. 7. *Eorum*, inquit, *quæ fiunt, quædam natura, quædam ab arte, quædam à casu fiunt. Omnia verò quæ fiunt, & ab aliquo, & ex aliquo, & aliquid fiunt.* Sed latius libro Rhetoricor. ad Theodectem 1. cap. 10. *Quæcunque homines agunt, sex decausis agere oportet: fortuna, vi, natura, consuetudine, ratione, ira, cupiditate.* Et rursus libr. 3. Ethicor. ad Nicomachum cap 3 *Causæ videntur esse, natura, necessitas, fortuna & mens insuper, ac omne quod per hominem efficit.* D. Ioannes Damascen. hæc colligens scribit, libr 2. De orthodox. fide, c. 25. *Eorum quæ fiunt omnium, aut Deum dicunt caussam esse, aut necessitatem, aut fatum, aut naturam, aut fortunam, aut casum: & extra hæc etiam, homo voluntatis liberæ ea libertate principium est suarũ actionum.* Eadem scribit Nemesius Episcop. libro περὶ φύσεως ἀνθρώπου, De natura hominis, cap. 39.

Initium immediatè a Deo, & bene vniuersa geruntur & competenter, si rei principium fiat decens & amabile Deo, Iustin Imp. in §. 1. Quomodo oporteat episcopos, collat 1. tit. 6. in authentic. Dei opus substantia & prouidentia. D. Damascen. libr. 2. De orthodox. fide, cap. 25. Nemesius libr. *De* natura hom cap. 39. Tribuit & *Deo* necessitatis & fati legem Seneca, dum libr. 4 de beneficiis sic scribit: *Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare: & Iouem, id est optimum maximum vtè dices, & tonantem, & statorem. Quis non (vt historici tradiderunt) ex eo, quòd post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quòd stat beneficio eius omnia, stator statiuoq; est, hunc eundem & fatum si dixeris, non mentieris: Nam quum fatum nihil aliud sit, quàm series implexa caussarũ, ille est prima omnium caussa, ex qua cætera pendent, quæcunque voles, illi nomina propria aptabis, vim alsquam, effectumq; cælestium continentia. Tot appellationes eius possunt esse, quot munera.* Hæc Seneca. Necessitas non æquè in rebus omnibus naturæ ineſt: nam ineſt quidem rebus æternis simplici absolutaque ratione. Sed caducis etiam gignendisque omnibus, ex suppositione tribuitur: quomodo in artificiosis, vt ædibus & quibusuis aliis generis eiusdem, Aristotel, libro primo, *De* partib. animal. capite pri-

te primo, Necessitas est motus eorum quæ semper eodem modo se habent, *D.* Damascen. libr. 2. *De* orthodox. fide, cap. 25. Nemesius libr *De* natura hominis, cap. 39 *Necessitas*, inquit, Phlornutus libr. *De* natura Deorum, cap. de Parcis, *est, quam cogere, aut superare nequimus, aut in quam velut causam omnia quæ fiunt, referuntur.* Et Galenus in Isagogicis, libro qui ars medicinalis, dum corporis consideratæ salubritatem, alterari illud necessariò scribit, & non necessariò interdum: necessariò ab iis quæ nulla est euitandi ratio, non necessariò reliqua. Necessaria illa exprimens, aërem circumiacentem semper attingere, bibere, comedere, vigilare, dormire. motum, quietem, quæ assumuntur, retinentur, excernuntur, animæ affectus. Rerum principia, quædam secundùm naturam, alia præter naturam, alia contra naturam. Secundùm naturam sunt propriè, quæ prima ratione à natura fiunt, & tanquam fines ab ea conjectantur, non quæ ex consequutione quadam aliis succedere consueuerunt: Galen. libr. 6. *De* Hippocratis decretis tom. 1. idem scribit tom 3. libr. *De* Marasmo. ibique, quæ secundùm naturam sunt necessariò euenire notat. Et tom. 6. libr. 14. *De* methodo medendi, cap. 14. Quicquid autem præter naturam est, aut affectus sunt, à quibus primò defunctio læditur, aut causa horum, aut symptomatum, vt idem Galenus scribit libr 3. *De* præsagitione ex pulsibus, tom. 4. & in Isagogicis, libro *De* artis medicæ constitutione: contra naturam autem, quod naturæ cum destructione pugnat.

## *De Natura initio.*

## CAP. XI.

PRincipium rerum, inquit Aristot. libr 1. *De* partib. animal. cap. 1. natura potiùs, quàm materia est. Naturæ sunt, ortus, interitus, accretio, stirpes, animalia, Damascen. libr. 2. *De* orthodox. fide, cap. 25. Nemesius libr. *De* natura hom. cap. 39. & Galenus in Isag. libro finition. medicarum. *Natura*, inquit, *est cui quæ ex seipsa mouetur anterior generationis, formationis & perfectionis, item & facultas, qua docentur veluti à causa. animalia omnia fungi sine vllo præceptore suis actionib. & proprietatibus*, vt idem Galenus scribit tom. 1. libr. animal. sic quod in vtero est, & tom. 4. libr. 6. *De* locis affectis cap. 6. vocauitque ideo naturam Hippocrates eruditam, medicum, sufficientem, iustam, vt idem Galenus notat tom 1. lib. 9. *De* Hippocratis, & Platon. decretis

cretis. Hæc necessitati à Deo impositæ subiacet, vt non ab humana ratione his obuiam iri possit: quia nec obuiam ire, vel repugnare rebus bene constitutis etiam conuenit. Diuinus autem ille omnium rerum artifex *Deus*, ea quæ necessitatis nexu coniunxit, ita fieri oportere prospexit, vt melius fieri posse nequeant: sicuti & quæ citra necessitatem in libera actionis dispositione reliquit, ita fieri oportuit. Super vtrumque tamen, ipse qui legem posuit, ex causa quæ sibi probetur, non autem quæ nostræ solæ voluntati ancilletur, dispensare, abrogare, derogareue potest, & solus ille, nō autem nos. Eius enim solius est, legem interpretari & tollere, in cuius potestate est ponere, vel non ponere, vt & norunt Cæsares, Constant. in l. 1. Iustinian. in l. fin De legibus lib. 1. C. tit. 17. Sic intelligendus Lucretius lib. 2 de rerum natura dum scribit,

*Quantum cuique datum est per fœdera Naturai,*
*Nec rerum summam commutare ulla potest vis.*

Et Phalaris Tyrannus scribit epistola ad Gorgiam 106 fatū ab hominibus legem non accipere, & quæ Ethnici his similia dicunt. Nam, vt Arnobius scribit 2. aduersus gentes, rationibus veris peræguntur res *Dei*, & quod semel decretum est fieri, nulla potest nouitate mutari. Cui Hippocrates consentit, dum libro de victus ratione sic scribit: *Naturam omnium, Dei, vt ait, ornauerunt: quæ verò homines fecerunt, nunquam similiter semper habent rectè, & non rectè sed quæ Dei, semper eodem modo, & ritè habent.* Et Aristot. libr. 10. Ethicor. ad Nicomach. cap. fin. Naturam non esse in nostra potestate, sed inesse in hominibus per causam quandam diuinam, scribit Et Ecclesiast. cap. 3. *Didici*, inquit, *quòd quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum, non possumus eis quicquā addere, quæ fecit Deus vt timeatur.* Siquidem vt habetur cap. 8. a Sapientiæ: *Sapientia* id est Deus, *attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Consentit Cicero, dum libr. 1. Academic. quæst. sic scribit: *Dicunt Philosophi, partes mūdi esse omnia quæ insunt in eo, quæ natura sentiente teneantur, in qua ratio perfectè insit, quæ est eadem sempiterna. Quam cùm animum dicunt esse mundi, eandemq; esse mentem sapientiamq; perfectam, quem Deum appellant, omniumq; rerum, quæ sunt ei subiecta quasi prudentiam quandam procurantem, cælesti maximè. Deinde in terris ea quæ pertinent ad homines, quam interdum eandem necessitatem appellant: quia nihil aliter possit, atque ab ea constitutum sit,*

intra

*intra quas fatalem & immutabilem continuationem ordinis semper erit. Nonnunquam tamen eandem fortunam, quòd efficiat multa improuiso hac nec opinata nobis propter obscuritatem ignorationemq; causarum.* Hæc Cicero. Porrò quæ à natura & mente, & electione fiunt, alicuius rei gratia fiunt, Aristot. libr. 2. Physic. cap. 5. & libr. 11. Metaphysic. cap. 7. Plato libr. 15. in Sophista vel de Ente, naturæ opera diuina & per Deum fieri existimat, vt verum est: nam iussu eius producit, & ad eius imperium, Genes. cap. 1. Est ita natura diuinæ prouidentiæ infimum instrumentum, æquè seipsum ducens, sed à prouidentia Dei & eius legibus ducta, vt etiam orat Marsil. Ficinus in argumento in primum Dialogum Platonis De legib. Eadem docet Seneca lib. 4. De benefic. Naturæ autem lex & dicitur, quæ cuncta superat confirmátve, vt scribit Hippocrates libr. *De* semin. genital. natura. Hanc idem Hippocrates & Galenus libr. 4. *De* decretis Hippocrat. & Platon. libr. 1 nihil sine caussa facere scribunt. Naturam Galenus sæpe pro omni facultate naturali, siue ex voluntatis nutu pendeat, siue extra illum sit, accipit, vt tom. 3. lib. 2. De symptom. caus. c. 1. & pro his quæ adsunt singulis quæ generantur corrumpunturq; libr. 1. contrariorum de natura humana, in princip. tom. 1. & ibi etiam ex Platonis in Phædro, & aliorum sententia tradit fuisse ingeniram illam vniuersalem substantiam, Naturam dictam, quod & scribit Aristot. lib. 1 *De* partib animal. ca. 1. vbi & posuit naturam rerum esse principium quam materiam dicit.

## *De Causa à fato & fortuna.*
## CAP. XII.

QVæ de necessitate dicuntur, ad fatum transferri possunt, sed & alia addo. Quidam, imò ferè omnes antiquorum, fati necessitatem ad Syderum vim transtulerunt, quorum coniunctione necessitari omnia vsque ad voluntates hominum rati sunt: hoc pacto, & cultum *Dei*, & arbitrium omne, actiones laudabiles & vituperabiles, imò & Dei administrationem tollentes: quam opinionem vterque Picus & nepos & patruus, euertunt libris aduersus Astrologos editis. Improbat & Rabi Moses epistola ad Iudæos Massiliæ, aitq; esse fundamentum legis diuinæ, quòd omnia in mundo cõtingentia, & omnes castigationes, quæ omnibus hominibus eueniunt, insunt & inducuntur pro-

pter delicta, vel inquit ex voluntate nostra procedunt. Quomodo fatum à natura distinguatur docet Gellius libr. 13. cap. 1. fati, vt inquiunt Damasc. libr. 2. *De* orthodox. fide, cap. 25. & Nemesius libr. 3. De natura hominis cap. 39. quæ sunt, ex necessitate perficiuntur, nam fatum necessitatis est. Et Phornutus in libro qui Theoria περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως, *De* natura *De*orum, c. περὶ μοίρων, De Parcis, ἀμαρμένην, inquit, vel fatum, est sempiterna quædam & indeclinabilis rerum series, voluens se metipsam, seseque implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus aptata nexaq; est. Sicuti monere videtur nomẽ ἁμὲρ, quasi εἱρμὸς, id est catena, forsan & pro prima Parca accipere possumus Fatum, quam idem Phornut. vocat αἶσαν, quamque sic denuit: Æsa est obscura, & minùs explorata causa eorũ, quæ nobis aduenium: nam & id nomen denotat, nos ignorare quæ futura sunt singulatim. Vel αἶσα, dicitur ἀεὶ οὖσα, id est, semper existens: hinc & fatales Parcæ dictæ sunt ineuitabiles, nascendi, viuendi, & moriendi determinationes, vel decreta à *De*o facta vniuersalia, de quibus & nos in libris de Themidis filiabus diximus. Et apud Ciceronem in Oratione quam habuit in Senatu post reditũ, *fatalis animus*, pro mortali ineuitabilique sumitur. Sed inter necessitatem naturæ & fati, illud mihi interesse videtur, quia quæ naturæ sunt, causam habent necessitatis cognitam: quæ fatalia autem sunt, nobis insciis contingunt. Quod colligo ex Vlpiano in l. 51. merito, § damna, pro socio libr. 17. π. titul. 2. dum ait, *Damna, quæ imprudentibus nobis contingunt, id est, damna fatalia, socij non tenentur præstare* Ita rectè reprobatur & Astrologorum fatum, ex his & per Nemesium libr. De natura hominis cap. 35. & 36. Arnobium 7. aduersus gentes. Et apertè irrisum per Platonem dum libr. 24. in Gorgia vel Rhetorica scribit, mulieribus esse relinquendum, nec illis adhibendam fidem dicentibus fatum vitari non posse. Ipse autem Plato fatum in rerum substantia animam dicit vniuersi. & in numeris rerum, functionem qua vires & proprietates exeruntur, vult esse diuinam legem immutabilem, ob causam ineuitabilem. hanc legem Adrastiam à Deo vniuerso dictam, vocatque etiam prouidentiam libr. 31. dialog. 5. De Republic. & lib. 26 in Phædro. Sed & Cicero de fato ita sentit, lib. 1. de Diuinatio *Fatum id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id est, ordinẽ seriemq; causarum, cùm causa causa nexa, rem ex se gignat. Ea est ex*

*omni*

*omni aeternitate fluens veritas sempiterna: quod cùm ita sit, nihil est factum, quod non futurum fuerit, eodemq; modo nihil est futurum, cùm non causas id ipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur, vt fatum sit, non id quod superstitiosè, sed id quod Physicè dicitur, caussa aeterna rerum, cur & ea quæ præterierunt, facta sint, & quæ instant, fiant, & quæ sequuntur, futura sunt.* Hæc Cicero ibi. & latiùs idem Cicero in libro De fato, fatum ad naturæ legem refert. *Nam si fati*, inquit, *omnino nullum nomen, nulla natura, nullaq; vis esset, & fortè, temerè, casu, aut pleraque fierent, aut omnia, & aliter ac nunc eueniret.* De fato plura tractat D. Thom. libr. 3. contra gentiles, cap 93. & 1. parte quæstion. 116. Sed nunc de fortuna, occasione, & casu, agamus. Dicebat Plato 4. de legib. Ingenium primum, deinde fortunam, & postea opportunitatem temporis, omnia administrare. Addit Maximus Tyrius sermone 3. hominum artem. Ideo de iis nunc. Patet fortunam causam esse per accidens, in his quæ per electionem alicuius gratia fiunt, vel fieri solent, vel non fiunt. Indefinitas itaque causas esse oportet, à quibus id fiet, quod proficiscitur à fortuna, hæc omnia Aristot. 2. Physicor. cap. 5 eadem repetit libr 11. Metaphys cap. 7 vbi & fortuna bona vel mala dicitur, cùm bonum vel malum modo dicto aduenerit, & quod aduenit, fors, fortuna, & infortunii, idem & 2. Physic. cap. 24. & libr. 7. Ethicor. circa finem. Damascenus autem libr. 2. de orthodox. fide, cap. 2 & Nemesius libr. De natura hominis, cap. 39. definiunt, fortunam, congressum & concursum duarum causarum, quæ ab electione & voluntate principium habent, & aliud quippiam efficiunt, quàm natura paratum sit vt faciant: vt si quis foderit thesaurum inuenit expressi in l 63 si is qui in aliena, vers. quòd si seruus, De acquir. rerum dominio, lib. 41. ff. tit. 1. De fortuitis Artabanus Xerxem regem Persarum alloquens, sententiam tulit, non esse in potestate hominum, his verbis apud Herodotum in Polymnia, siue libr. 7. *Intellige*, inquit, *homines in arbitrio fortuitorum, non fortuita in arbitrio hominũ.* Fortuna Græcis τύχη, vt ait Pausanias in Messanicis, Plato dixit esse σύμπτωμα Φύσεως, ἢ προαιρέσεως, id est, accidens naturæ, vel propositi. Proclus in Platonis Timæo, Dæmonis potestatem putat, causas inter se diuulsas congregantem, quod tamen permissione Dei fieret. Neq; etiam ignorandũ est, nõ omne quod habet occultã causam, fortunæ assi-

gnandum, quia Dei dispositione & interdum sit, vt admonet D. Augustinus libr. 1. Retractation retractans, quod ità latiùs dixerat, contra Academicos cap. 17. vultq; fortuitum nobis & latens, ex Dei prouidentia proficisci. quod forsan voluit exprimere Pindar. Olymp. Ode 12.

λύσομαι πρὸς ξενὸς ἐλθόντα

Ἱμέρᾳ Δρυσθενεῖ ἀμφὶ πόλει σώτειρα τύχα, id est, *Supplico tibi filia Iouis libertatis præsidu, pro Himera potenti vrbe, seruatrix fortuna.* Inter casum & fortunam hoc interest, quòd casus ad plura se extendit: etenim quòd à fortuna proficiscitur, à casu etiam fit, hoc autem, non omne prouenit à fortuna. Fortuna itaq; eorum solùm est quæ in actionem veniunt: quare quæ agere nequeunt, neq; quidquam à fortuna efficere possunt. Nec puer, nec bruta, quicquam efficiunt à fortuna, quoniam electionem non habēt. Neque prosperitas fortunæ, neq; infortunium his competit, nisi per similitudinem, & ita tantùm similitudine fortunati dicuntur lapides. At casus cæteris animatis & inanimatis competit, Aristot. lib. 2. Physicor. c. 6. Possem hîc fimbrias extendere, & in fortuna laudanda vituperandáve, tempus terere, & implere chartas, si sequi vellem Ethnicorum nugas, qui & Deam fortunam, eamque Deam bonam, & malam ridiculè fecerunt, affectibus suis seruientes, & stoliditati suæ nullum modum ponentes: quòd potiùs rerum euentus improuisos, vel bonos, vel malos suspicerent, quàm priam animi inconsiderationem & exiguitatem: non præcogitantes, res naturales, suas omnes caussas, imò nec vix vnam nobis apertè monstrare, quod & Galenus optimè etiàm sentit, dum lib. 4. de Decret. Hippocrat. & Platon. tom. 1. scribit, nihil temerè fieri, vel casu, vel fortuna. Et quicquid temerè, aut casu fieri dicitur, id ex cognitione nostra, non ex veritate appellari consueuisse, vt diuinus Hippocrates testatur, nobis quidem fortuitum est, sed caussæ ipsi minimè fortuitum. Scribit & idem Galenus tom. 1. libro An animal sit quod in vtero est: ineffabilem, reconditam, longeq; nostra cognitione profundiorem ipsam per se naturæ operationem. Dehinc neque se consilio præmunientes aduersus ea quæ contingere possunt, & ita inconsideranter agentes, potestatem suis euentibus, vel, vt dicunt, fortunæ fecerunt, vt scribit Senec. lib. 1. De tranquillitate vitæ. Vel nō animaduertentes multa à Deo immitti, quæ nos mala malè vocamus, in vltionem iustam: & in correctionem peccatorum,

rum, quæ nos humano more odimus, sicuti & bonis à *Deo* datis vt plerumque abutimur: quò fit vt *Deus* meritò ea veluti ab indignis possessoribus extorqueat: quodque impii eadem peccatis obducentes, non iusto iudicio Dei, sed mutabilitati fortunæ tribuerunt. Et Plato lib. 24. in Gorgia, vel de Rhetorica, id nouit, dum ait: *Peritia efficit, vt natura nostra per artem incedat: imperitia autem, vt per fortunam temerè circumuagetur.* Benedictum nomen filii *Dei*, qui sua doctrina errores antiquorum detexit. CASVS opera sunt inanimatorum, aut bestiarum euentus, sine natura, vel arte. D. Ioan. Damascen. libr. 2. *De* orthodox. fide, cap. 25. & Nemesius libr. *De* natura hominis, cap. 39. Casus, dicitur caussa per accidens, eorum quæ raro contingunt ex indeterminatis. FORTVNA caussa per accidens eorum quæ rarò fiunt, & inexpectatè accidunt agenti ex proposito, cùm inquirenti eueniunt, quæ euenire ex actu notum non est: vt fodienti sepulchrum, si aurum inueniri contingat. Est & ibi incerta causa, de qua Diuus Augustinus quædam lib. 5. *De* ciuitate *Dei*, cap. 1. OCCASIO autem est, rei cuiusdam oblatio, ex qua quid consequitur, non tamen inde res habent directò effectum, vel esse. Sed quia ita res per occasionem accidit, etsi aliàs accidere non debuisset. Nec etiam semper occasio est tempus oportunũ, Aristot. libr. 1. priorum cap 37. sed, vt ait Cicero 1. De inuent. occasio est pars temporis, habens alicuius rei faciendi vel non faciendi oportunitatem. Et istæ omnes caussæ à naturali caussa differunt, quia naturâ fiunt, quæ caussam & ordinem in seipsis habent: nam aut semper, aut vt plurimùm ita eueniunt. Fortuna autem & casu quæ fiunt, & quæ occasione, ita fiunt. vt cùm eorum caussa indeterminabilis sit, neq; vnius gratia, nec semper, nec vt plurimùm, nec ordine fiant, Aristot. lib. 1. Rhetor. ad Theodect. cap. 10. Ideo & Galenus lib. 9. De decretis Hippocr. fortunam ab arte distinguit, quòd quæ fortuna sunt, semel aut bis accidunt, quod æquè fit, artis sit. Ex quibus patet ratio, cur fortunam dicant Cæcam, vt Aristot. libr. Problem. sectio. 29. quæst. 8. & Maximus Tyrius serm 26. Et ab aliis mobilis. Cicero lib. *De* Amicitia, non tantùm cæcam, sed etiam quæ cæcos efficiat, dixit. Rursus 2. De natura *Deorum*, constantiam respuentem vocauit. Et Pacuuius Philosophus scribit, fortunam dictam insanam, cæcam, brutam, saxoq; instare globoso: & quò saxum fors impulerit, eò cadere. Cæcam, quia

quò se applicet, non inspiciat. Insanam, quia atrox, instabilis & incerta. Brutam, quia dignum ab indigno nequeat internoscere, vt author Ciceron. est ad Herenn. Eadem fermè Cebes in Pinace vel tabula, in eius imagine depinxit: sed vltrà pro globo cylindrum subiecit: atque nunc comptam, nunc incomptam facit Artemidorus Daldianus libr. Onicrocriticôm. mulierem, Galenus in Isagogicis oratione exhortatoria ad artes. Quæ ab arte fiunt, ex artificis potestate procedunt, vt facere vel non facere. Suntque in arte quælibet propria & determinata principia, & facultates separatæ, quæ operibus & faciendis & iudicandis causæ sunt propriæ, vt notat Plato libr. 14. in Io, vel de furore poetico. Rursùm in 16. vel ciuili, siue de regno, ita loquitur, *In primis artes geminas circa omnia quæ fiunt, considere nos: vnã quidem generationis, vt ita loquar, concausam: alteram verò causam ipsam. Quæcunque rem ipsam non fabricant, sed fabricantibus organa subministrant, quibus absentibus institutum opus nequaquam perficeretur, eas concausas vt ita dixerim, nominamus. Eas autem ipsas quæ principaliter faciunt, causas appellamus.* Scribit & lib. 24. in Gorgia, vel de Rhetorica, nullam posse dici artem, nisi quæ operis sui rationem & causam afferre possit: in quo differt ars à peritia, quæ sine ratione facit.

## *De Principio à Voluntate, & appetitu.*
## CAP. XIII.

CVm ea, quæ ex libero hominis arbitrio pendent, non procedant à natura, nec casu, nec à Deo, nec fortuna, nec fato, oportet ea ex voluntate libera nasci, vt probat D. Damascen. libr. 2. De orthodox. fide, cap. 25. & Nemesius lib. De natura hominis, cap. 39. & 40. Quæ enim sponte nostra fiunt, ea ex nobis vt à principio procedere oportet: aliter si in nostra potestate non esset actio, ex qua laus, vel vituperatio sequitur, frustrà essent adhortatio, lex, prohibitionesque & præcepta. Item nulla esset consultatio, quæ est de rebus in vtramque partem facilè contingentibus. Contingentia autem, quæ possumus & non possumus sunt, & circa hæc omnis etiam ars versatur. Sic principium peccati & iustè facti, electio & voluntas: & ex corde exeunt cogitationes prauæ, immunditia, adulterium, &c. Matth 15. & Eccl. 36. d. verbum nequam immutabit eos, ex quo quatuor partes oriuntur, bonum & malum, vita & mors. Et

bonus

bonus homo de bono thesauro cordis profert bona, malus de malo mala. Luc. 6 facit can. 1. 15. quæst. 6. Et breuiter, cor hominis immutat faciem illius, siue in bono, siue in malo. Eccl. cap. 13. *Populus labiis me honorat, cor eorum longè est à me.* Isaiæ 29 d Sed de voluntate & appetitu, cùm latiùs dixerimus in principio voluntatis, non hîc vltra immorabimur. Potes hîc etiam principium colligere ex mixtis ex voluntate cum aliis & ab his quæ habent occasiones à nobis, & principium aliunde. Concupiscibilem & irascibilem vim, causam esse perturbationum dicit Galenus tom. 1. lib. 4. *De* Decretis Hippocratis, & docet ex authoritate Platonis & Chrysippi.

*Axiomata Caussarum.*

## CAP. XIV.

PRimum nulla causa sine patientis aptitudine agere potens est. Galenus tom. 3. libr. 1. De differentiis febrium cap. 4. Sic corpora quæ ex victus prauitate putredini obnoxia sunt, febribus pestilentibus ex infectione aeris obsessa, originem febribus pestilentibus dant. Sic in generatione ægritudinum magnam partem habet, eius qui passurus est habilitas corporis, vt idem eodem loco scribit: Docet & idem eod. tomo, libro De causis procatarticis. cap. 2.

Si vel in re qualibet breui, causæ ratio claudicet, simul in reliquis, vbi videatur abundare, meritò titubabit. Vbiq; enim sibi, siquidem vera est, constare illa debet; Galen. tomo 4. lib 2 *De* dignoscendis pulsibus.

Interdum simul atque opifex causa fuerit separata, affectus soluitur. Accidit autem nonnunquam, vt efficiens causa pertransiens, non firmum in particula faciat affectum, quem Archigenes vmbram affectus vocare solet. Interdum etiam tanta est soluendi difficultas, vt diutiùs permanere possit, causa etiam ablata. Docet Galenus vtrumque, ex morborum & eorum caussarum exemplo, tomo quarto, libro primo, De locis affectis. Sed & hæc facilius explicentur ab eodem Galeno, libr. De Historia Philosophic. tom. octauo, dum causas is, vel alius nomine Galeni, distinguit. *Caussarum genera*, inquit, *quatuor ijdem statuunt, praecedens, quod ab euentu separari potest, idq; quod iam efficit, permanet. Continens quod rem quam facit, non deserit: nam eo præsente res gignitur, absente desinit, & orgente ei esse, desistente minuitur. Perfectum, quod per se solum rem peragit.*

*Concausans, quod cæteris pares vires in euentum confert: Vt in arando videmus, in quo vel plurimum affert. qui minimum etiam adiumenti confert, Vt bobus quidem duobus arator indigeat, sed multò facilius opus absoluat, si tertium iumentum adiunctum, alterorum laborem iuuet.*

Quòd autem Iurisconsulti in ore quotidie habent, Cessante causa cessare effectum, id potissimùm intelligendum in permissis, de causa cessante finali, ob quam aliquid ita constitutum est. Sicuti intelligendus Iustinian. in l. 40. generaliter, De episc. & clericis libro primo C tit 6. vbi excusat à tutelæ munere monachos, clericos, vt possint liberiùs officio ministerii cultus diuini deseruire. Ecce causam finalem, qua cessante, nempe vagantibus, & non deseruientibus clericis, priuilegium illud adimitur. Sic Vlpianus etiam intelligendus, in l. 2 § fin. *De* donatio. lib. 39. ff tit 5. dum reuocari ait donationem ea conditione & causa factam, si Stichus emeretur, Sticho ante impletionem mortuo. Huc pertinent tituli in ff. & C. Iustinianeo, De conditione ob causam, & fine causa, & De Condition. causa data causa non secuta, item *De* conditionibus & demonstrationibus.

Sed & causa formalis, tanquam ea quæ rem continet, dum durat, rem etiam talem ostendit, & dum tollitur, tollitur etiam res, quia forma est, potissimùm si essentialis sit, quæ dat esse rei. & illa perempta res interit. Vt scribit Caius in l. 7. adeò. §. insula. De acquir. rer. dom. lib. 41. ff. tit. 1. Vlp. in l. 9. Iulianus, §. si quis, Ad exhibend. lib. 10. ff. tit. 4.

Causa. vel ratio impulsiua. in negotiis valde consideratur, potissimùm si ea expressa sit, vt apud Papinian. in l 65. emptor, §. fin. De rei vendicatio. libr 6. ff. tit 1. vbi recipitur voluntas patris, in qua exhæredata est filia ab eo, vel minùs quàm oportuit, ei reliquit, si ex causa adjiciatur id factũ, propter dotis ac peculii antè dati contemplationem. Consideratur & ab Vlpiano in l. 3. in fideicommissi, § cùm Pollydius, *De* vsuris libr. 22. ff. tit. 1. In hypothesi, qua Pollydius institutus à matre, rogatus erat fundo retento hereditatem quum ad maiorem ætatem peruenisset, restituere, adiecta ratione à matre, se id fecisse, ne filiæ tutoribus, sed potiùs propinquorum necessitudini res committeretur. Ex ea enim ratione, non hęredem institutum Pollydiũ, sed potiùs tutorem à matre factum colligitur, & ideo hunc omnes fructus hæreditatis restituere teneri, retento fundo.

De cau-

Decausa impulsiua & aliis, vide Bartol. sup. l. 2. § fin. De donatio. in π.

Quintum axioma. Sufficit sine causa nouisse quod experientia cõprobat. Galenus tom. 7. in h. 2. Aph. hom. Hippocrat. Aphorism. 24. Nam, vt scribit Columella li. 1. De re rust. c. 1. vsus & experiẽtia dominãtur in artibus neq; est vlla disciplina, in qua nõ peccando discatur. Nam vbi quid perperam administratum, cesserit improspere, vitatur quod fefellerat, illuminatq; rectam viam docentis magisterium.

Sextum. Vbi non est causa nõ est effectus sublimanus in § deportatio. De nuptiis, in Authen. Collat. 4 tit. 1.

Causa non sunt permiscendæ rerum, quia ex his differentias rerum colligimus, vt scribit Venuleius in l. 52. permiscere. De acq irenda possessio. lib. 41. tit. 2.

Confessis principiis & admissis, necessarium est principiata quoque recipere, Guill. Benedictus in repetit. cap. Raynutius, in verb. ablq; liberis. tractatu 2. in tractat. pupil. substitu. num. 87.

## *De Medio.* CAP. XV.

OPportune à principio ad medium peruenit disputans: est enim via qua ad finem, & ab vno extremorum ad aliud peruenitur. & principium quoddam, vt scribit Aristot. lib. Problem. sect. 20. 19. quæstion. 43. principium autem finis, vel eius quod sequitur intuitu. Et media tendunt ad finem: veluti medicatio dicta, ad sanitatem, instrumenta, ad finem operis, vt scribit Aristotel. quinto Metaphysic. cap. 2. Et in poetica idem scribit, *Medium est, quod alicuo prius, alicuo posterius est. Medium est quod ab extremo vtroque distat.* Aristot. 2. Ethicor. cap. 6. Et Medium duo trahere extrema tradit gloss. in l. qui fella, §. final. De seruitut. lib. rustic. prædior. lib. 8. π tit. 3 Contraria & se inuicem fugantia, & distantia oppositaq;, medio tantum iunguntur. Quin & omnia quæ in cœlo, quæue in terra, non possent consistere absque medio, vt scribit Maximus Tyrius, 27. sermone Philosophico. Sic aer, medium facit inter ignem & aquam, aqua inter aërem & terram: nec vocales literæ, sine mutis & consonantibus significant: nec homines, nisi mediante sermone sese intelligunt: nec statim sine mediis inferiora superioribus iunguntur. Mediatis gradibus, terra plantæ iungitur, essentia: planta bruto, vegetatione, brutũ homini, sensu: homo angelis, spiritu: & anima immortali

imagine Dei, Deo: verbum æternum homini, incarnatione. Et ad naturæ imitationem, rationales homines media in dignitatibus honoribusq; adinuenerunt: atque omisso medio gradu, ad superiorem promoueri inhibitum. Et antiquitus Equestris erat ordo medius inter Plebem & Senatũ, ex quo aũ senatorium perueniebatur ordinem. Dicti & selecti iudices, vt scribit Plinius libr. 33. Historiæ naturalis c. 2. vnde & Alexander Imperat. solitus erat, ordinem Equitum vocare seminarium Senatus Extat & lex quædam apud Ciceronem 3. de legibus : *Magistratibus minoribus ad amplorem honoris gradum is primus aspectus esto.* Et Theodos. Cæsar l. final. De officio præfecti vrbis, libr. 1. C. tit. 31. subrogat tantùm in prædefuncti magistratus locum, proximiorem, prædefuncto in matricula vel albo proximè scriptum. Prohibent canones, omisso medio ordine, ad superiorem promoueri gradum ordinis, Innocen. 3. in c. 1. De clerico per saltum promoto, libr. 5. Decret. Greg. tit. 29. Vetant etiam Cæsares, omisso medio, à minori ad principem appellare, vt scribit Papyrius in l. 21 Imp. De appel. lib. 49. ff. tit. 1. Considerantur & in re medica media: nam eductio primorum humorum non fit à corpore: forma specifica à pharmaco, sed à natura. Cæterùm pharmacum est id, per quod illud fit, & est illud naturæ, quod instrumentum est artifici, vt scribit Mesue in can medicinalib. Qui autem facit peruenire instrumenta, est medicus, vt scribit Auicenna 4. canon. fen. 1. cap. de cura putridar. in generali. Sunt & in determinandis medicinarum bonitatibus, vel in temperanda malitia, media quædam apud Mesuẽ nouem: primum, ex parte substantiæ, vt subtile, grossum, tenerum, tenax, rarum, spissum. Secũdum, ex parte complexionis. Tertium, ex parte qualitatum tangibilium, vt molle, durum. Quartum, ex parte qualitatum odorabilium, vt ex parte acuti, obtusiue odoris. Quintum, ex parte saporis acuti, stiptici, pontici. Sextum, ex parte coloris vel albi, rubri, nigri, &c. Septimum, ex parte loci, vt scammonea ex loco Corasseni malignior eâ, quæ in aliis locis nascitur. Octauum, ex parte temporis, vt medicina solutiua, recenter collecta, melior antiqua. Nonum, ex parte vicinitatis rerum, quibus adnascuntur, sicut scammonea nata in loco vicino scyllæ melior, vt docet hæc commentarius in canones primos Mesuẽ.

Porrò vt in cæteris, ita in hoc medio consulam facilitati copiæ,

copiæ,& referam & probabo paucis,quæ medium indicēt, vt facilius quis,quid medium sit, inuenire possit: Est enim difficile in vnoquoque medium capere,veluti circuli medium inuenire,non cuiuslibet,sed scientis tãtùm,& ita in reliquis,vt scribit Aristot libr. 2. Ethicor. ad Nicomach. cap. fin. Ergo medium dicunt, Æquum seu æquale, Affirmatio, Coniunctio, Comprehensio, Consistentia, quæ est naturæ perfectio, medium inter incrementum & declinationem, vigor vel morbi vel sanitatis constitutio proba, non declinans in alteram extremorum partem. constructio, destructio,indifferens instrumentum,iudex,magistratus, mediocritas, mensura, negatio, medium solutionis, participatio, pecunia,priuatio,proxeneta,status, tacere, virtus. Extrema medius, & sibi inuicem opponuntur, effectus & excessus: quia medietas defectu superior,excessu inferior, Arist.lib.2. Magnor. moral. cap. 9.& Ethicor. ad Nicomach libr. 2. cap.8.

Æquum, medium est inter iniusta, deficientia vel exuperantia, Aristot.libr.5. Ethic.ad Nicomach.cap 3. & sequẽtib. Et cap.5. eius libri, æqualitatem fieri ex communi mensura:nempe numo,qui ad equalitatem defectus,& exuperantias rerum reducit,scribit.Idque maximè in commerciis hominum,vt Paulus etiam scribit in l.1 De contrahend. emption.libr.18.ff.tit.1 sic & numus & mensura. ex genere medij sunt. Porrò quia æqualitas & æquum dupliciter consideratur, ita & dupliciter medium horum. Nam æquũ aliud numero, aliud dignitate,numero,quod multitudine seu magnitudine idem & æquũ dignitate, quod secundum rationem tale,ceu tria excedunt duo, secundũ æqualem numerum,& hæc,vnum: Arist.l.5. Politicor. cap 1.

Affirmatio,negatio,sunt duo media, per quæ voluntatis nostræ sententiam clarè ad aures transmittimus audientium,vel legentium Inter quæ etiam adhuc aliud medium inuenitur,nempe tacere,Paulus in l.185.qui tacet, De regul. iuris.lib.50 ff.tit.17. nam qui tacet nec fatetur, nec negat: Medium affirmationis vel negationis in syllogismis vocant Dialectici, id quod subiecto & prædicato commune est;vel competit:de quo Aristot. libr 1. Posterior. cap. decimoseptimo,& 18 & alibi.

Commixtio & commixtum, mediũ simpliciũ est:vt albi, & nigri mediũ fuscus color.Plutarch.li. De virtut. Mor.

Coniunctionẽ esse medium inter ea,quæ coniungit, nemo du-

mo dubitat, siue illa sit realis, veluti glutine coniunctæres glutẽ medium habent, & fundi limitibus coniunguatur siue ea sit coniunctio verbalis, vt in neruis lyræ Melon, ve medius inter acutum & grauem, est veluti coniunctio sonorum, maximeque elgantiorum, quo detracto insuauior sonus. Sicut & detractis coniunctionibus. τε τοι, oratio minus Græca & inelegans relinquitur, vt scribit vtrumque Aristot. Problematum section. 19. quæst. 20.

Comprehensio, medium etiam vtriusque extremi particeps. Et Plutarch lib De virtute morum. quod continet & continetur, ipsius continentis & contenti medium facere scribit: vt duodenarij & quaternarij, octonarius numerus est medius.

Constructio, Destructio, Priuatio. per hæc res transit in aliam formam, vel qualitatem a prima, quare & media sunt.

Quod ad externa pertinet Zeno argentum, aurum, & cætera externa adiaphora & media existimabat, præterquã his bene legitimeq; vti. Plato & Lycurgus mala, ære excepto, teste Athenæo lib. 6. Dipnosophist. cap. 4.

Quod neutrius extremi particeps est, vt boni & mali quod est indifferens, medium est extremorum, Plutarch. lib. De virtute morum.

Instrumenta, media sunt, quibus mens artificis ad opus peruenit, & illud perficit.

Iudex & magistratus in Rep & medium faciunt inter prauos & bonos: nam aliter boni cum malis viuere nequirent, nisi illo medio existente, Plato libr. 34. Dialog. 6. De legibus.

Mediocritas, medium est inter exuperantiam & defectũ vitiorum vt scribit Arist. 2. Ethicor. ad Nicomach. cap 6. In pluribus autem illa mediocritas consideratur, in medicina, in alimento, in bellicis, &c. similibus, vt admonet idem Aristot. lib. 1. Ethicor. ad eundem circa finem. In sanitate mediocritas, sicut morbus excessus & defectus vt idem Arist. notat problem. Section. 1. quæstione 2. Galenus 1. De elementis, & alibi. Breuiter, mediocritas, ad omnem vsum cultumque vitæ referenda est, estq; in omnibus rebus optima, vt scribit Cicero 1. Officior.

Mensura, est medium inter exuperationem & defectum, extra mensuram existentium. Vbicunque enim videtur, neque esse auferendum neque addendum, ibi certa mensura

sura est, siue in ponderibus leue vel graue: siue in liquidorum, vel aridorum mensuris, plus minusq; consideres, vt etiam notat Aristot. lib 10. Metaphysic. cap. 2. considera etiam mensuram in tempore, & in aliis axiomatibus, in quibus nihil præter modum, id est, mensuram, & ne quid nimis facere admonemur. De negatione vide in affirmatione.

Participatio, est quædam continuationis extremorum species: quamobrem & Arist. lib. 2. Ethicor. ad Eudemum scribit, constituendum esse in omni continuo diuisibiliq; excessum, defectum, medium quc: atque hæc, vel mutuò ad se inuicem, vel nostri respectu. & lib. Metaphysic. 10 cap. 10. Medium esse scribit, aut omnia, aut nihil eorum quæ sunt. Omnia, composita vocat, participantia ex vtrisque contrariis.

Pecunia, medium est & mensura, qua rerum quantitas ad æqualitatem reducitur, Aristotel. 5. Ethicor. ad Nimomach. cap 5. & Paulus in l 1. De contrah. emption. libr. 18. ff. tit. 1. Priuatio: vide constructio.

Proxeneta, est is, qui officium suum præstat, quiddam medium inter contrahentes, vel qui conciliat, vel interpretem se duobus aut pluribus reddit: de quibus Vlpian. in tribus legibus de proxenetis, libr. 50. ff. tit. 14. Et hi mediatores dicuntur apud Gregor nonum, in cap. 1. De testib. lib. 2. Sext. Decret tit. 10.

In virtutibus, medium esse dicitur, non secundum quantitatem, sed secundum regulam rationum. Et in iustitia medium rationis est, medium rei: & ita intelligendus D. Thomas in 2. quæstion. 64. & lib. 3. contra gentiles, cap 134 Explicat id latè Arist lib. 6. Ethicor. ad Nicomach. cap. Nempe quod in omnibus habitibus virtutum sicut in cæteris, est quoddam signum, ad quod is inspiciens qui rationem habet, intendit atque remittit: estque quidam terminus mediocritatum, quas inter exuperationes defectusque dicimus esse, ita sese habentes, vt recta ratio statuit. Idem docet Plutarch. lib. De virtut. morum. Virtus medium ipsum & inuenit & expetit, ab exuperantia & defectu aliena, vt scribit Aristot. 2. Ethicor. ad Nicomach. cap. 6. & Horatius Epistol. lib. 1. Epist. 19. Ad Lollium scribens, *Virtus est medium vitiorum & vtrinque reductum.* Tacere medium est, l. qui tacet, De regul. iuris in ff. Cæterum his expositis admonere par est, distinctiones & axiomata Medij.

Media

Media vel cõsiderantur in essendo, vel in causando. In essendo Medium est, quod secundum suum esse, absolutè mediat inter duo, ita quod secundum se est propinquius vnicuique illorum, quam illa sint inter se: sicut locus medius inter duo loca, & tepidum inter calidum & frigidum. Medium in causando est, quod mediat inter causam & effectum, tanquam propinquius & immediatius causans effectum: sicut homo generans, est medium in causando inter solem generantem & hominẽ qui à se gignitur. Quod iisdem verbis explicat Franciscus de Sy ueritris in commẽtar. super cap 96. lib. 2. Diui Thomæ contra gentiles. Item & apud Aristot. lib. 2. Ethicor. ad Nicomach. ca. 6. Medium vel rei, vel quo ad nos dicitur. Medium rei, quod ab extremorum vtroque æqualiter distat: idque est apud omnes vnum & idem, ex Arithmetica, proportione que rationum medium. At quod nostri respectu est, quódve non exuperat nec deficit, non apud omnes æquè idem. Sic ludimagister pro medio, sex minas ciborum indulget ei cui octo minas edere nunium, vel duas tantum parum, illi certe medium sex comedere, at Miloni & athletæ parum, & illa exuperantia & defectus proportionis Geometricæ sunt.

Axiomata porrò Medij sunt hæc. Primum, Mediorum quorum extra aliquid vltimum & primum est, necesse est quod prius est, causam eorum esse quæ post illud sunt Aristotel. secundo Metaphysic cap. 2.

Media diuersorum comparatione, & exuperare & deficere possunt, vt & æquale: nam vt æquale maius quidem est, cum comparatur ad minus, minus autem cum comparatur ad maius, sic & habitu medij, respectu quidem defectuum exuperant, respectu autem exuperationum deficiunt, tam in affectibus, quàm etiam in Actibus. Aristot. lib. 2. Ethicor ad Nicomach. cap. 8.

Quæ magis à Medio absunt, magis opposita existimantur. lib. 1. Magnorum moralium cap. 11.

Mediam in cunctis secare viam, summæ & artis & consonantiæ est. Plutarch. libr. De liber. educandis. Dicebat Cleobulus vnus ex septem sapientibus, ἄριστον μέτρον, optimam mensuram omnium, vt scribit Ausonius in septem sapientibus & alij. Dicebat & alius, μηδὲν ἄγαν, nẽ quid nimis, quod & scribit Plato in Menexeno, & Terentius in Andria, actu 1. scena 1. Admonebat Sol Phaetontem apud Ouidium, lib. 2. Metamor. fab. 1.

Altius

*Altiùs egressum cœlestia tecta cremabis,*
*Inferiùs terras: medio tutissimus ibis.*

Et lib. 7 fabula 3 Dædalus *instruit & natum, medioq; vt limite curras, Icare, ait, moneo, ne si demissior ibis, Vnda grauet pennas, si celsior ignis adurat. Inter vtrumque vola.* Et chorus Scena 5. actus 4 apud Senecam in Oedipo. Trag. 5.

*Tuta me media vehat vita.*

*Decurrens via.* Et Martial. libro primo Epigrammat. ad Florum,

*Illud quod medium est, atq; inter vtrumq; probamus.*

Et nos annotabimus ferè Dei mirabilia, medium quoddam obseruasse. Sic Deus plantauit lignum vitæ in medio paradisi. Gen. 2. Media nocte vltus Israelis inimicos, & cecidit primogenita Ægypti Angelus, Exod. 11. Et dicitur Deus iudicare in medio Synagogæ, Psalm. 81. a. In medio congregatorum in nomine eius adstare se dicit. Matth. 18. d. Media nocte illum venturum iudicem credimus, ob parabolam sponsi, qui media nocte venit ad virgines, Matth. 25. a. In medio doctorum Christus disputans inuentus Luc. 21. g. Et post resurrectionem in medio discipulorum stetit, annuncians pacem, Luc. 24. & Ioan. 20. e. Dixit & D Ioann. Apocal. cap. 2. Deum in medio septem candelabrorum: & cap. 5. b. Agnum sedentem in medio throni & seniorum. Dicitur & Deus Christus, mediator Dei & hominum, 1. Timoth. 2. b ad Hebræos 8 b. & cap. 9. d. & cap. 12 F. Dixit & Dominus habenti manum aridam, *Surge, & sta in medio*, Luc 6.

Iurisconsultis etiam quod medium est, visum est esse optimum, & sequendum, vt scribit Iustinian. in §. 1. De consulib. in Authenticis collat. 4. tit. 3. Et Vlpian. in l. 6. solent, §. fin. De offic. proconsulis lib. 1. ff. tit. 16. modum in xeniis mediumque quoddam statuit, ex veteri illa parœmia, *οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε οὔτε παρὰ πάντων, neque omnia, neque semper, neque ab omnibus esse accipiendum*, sed medium quoddam seruandum. & placuit media sententia Iustiniano in §. cum ex aliena, De rerum diuisio. lib. 2. Institut. iuris ciuilis tit. 1. cætera prætermitto.

## *De Fine.* CAP. XVI.

QVia in finis contẽplatione, fœlicitatis humanæ vltim⁹ terminus ponitur, vt & scribit Gal tom. 2. li. De cuiusq; animi

animi peccatorum notitia atq; medela. vt Aristoteli 1. Magnor moral cap. 2 finis perfectus dicitur fœlicitas: & quantumuis rerum omnium finis tempore posterior sit, tamen est potior: ratione enim finem nobis proponentes, ea quæ ad illum deducunt quærimus & comparamus, vt ait Suidas in τέλος. Ideo non inutile studium nostrum erit, circa finis ratiocinationem immorari paulisper, atque calculum disputationis à principio medioque ad finem transferre Locus namque communis nobis est, qui & omni quæstioni suffragium & animam disputandi præbet, eò quòd omnium certos atque determinatos oporteat esse necessario fines. Sic in iure ciuili, finis iustitia: in Dialecticis conferrationibus, veri indagatio: in Rhetorica, persuasio: Grammaticæ, congruus sermo: Medicinæ, sanitas: Architecturæ, ædificium: & in singulis actibus & artibus singuli fines, vt scribit Aristot. 1. Ethic. ad Nicomach. cap. 1. Nihil quippe est, quod infinitum verè sit præter Deum, qui nullis limitibus, extremisq; circunscludi potest. Est enim principiū & finis, vt scribitur Apoc. 1. finis, inquā. sine fine. & in quo terminantur veluti in fine & limite omnia: sed qui cū omnia cōtineat, à nullo cōtineatur, vt scribit D. Athanas. li. de Diffinitionib. verbi Et finitū esse ait, quod ita se habet, vt terminos suos non excedat, veluti cælum, terra, mare, quæ suos terminos non excedunt: ponitque respectu horum, infiniti creati quandam speciem. eo quòd non omnino nobis constet, & finitionis non propriè nostri intuitu capacem. Cuiusmodi dicit Angelum, Animam. & Dæmonem. Et quod non totum, sed aliqua sui parte cognoscitur. Quæ tamen respectu Dei finita sunt, quia ipse à fine vsque ad finem omnia complectitur sicuti sunt. Sapient. 8. a. Deinde, vt scribit Ludouicus Carretus Iudæus, libro, quem inscripsit SEPHER MAREOT ELOIM, librum reuelationum Dei. Omne agens cum electione libera, ac voluntate, finis alicuius proculdubio causa agit: & natura quæ agit, alicuius finis gratia facit. Imò & animalia quæ agunt: finem considerant. Nec sine fine facit hirundo nidum, aranea telam, arbor folia quæ tegunt fructus, vt & docet Arist. lib. 2. Physicor. cap. 8 Scribit & lib. 1. Ethicor. ad Eudemum, circa extrema, finem causam esse omnium inferiorum, quia alicuius gratia sint: Et libr. 2. De Generat. animal. cap. 3. proprium esse cuiusque generationis finem scribit. Quod & scribitur Eccles. cap. 14. c. *Omne opus*, inquit, *corruptibile, in fi-*

*in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cũ illo.* Iubemur itaque perpetuò recordari nouissima, ne in æternum peccemus, Eccles. 7 *Quia in fine hominis, denudatio operum illius est.* Eccles. cap. 11. d. Quod factum est, vt nobis perseuerantia vsque in finem bonorum operum commendata sit, vt bonum facientes non deficiamus ad Galat. 6. Exemplo agricolæ, qui per patientiam ad finem maturitatis vsque, fructus excolit & expectat, vt D. Iacob. scribit in Epistol. cap. 5. Non enim qui bene cœperit, sed qui perfecerit saluabitur. D. Matth. cap. 10. & vincenti, id est, perficienti bene, tantũ dabitur corona gloriæ, Apoc. 2. Ideo Apoc. c. 3. admonetur episcopus, & quisq; nostrum, vt teneamus coronã, ne alius eam accipiat à nobis. Incœpit bene Adam, & fuit in gloria lapsus, in fine pulsus è paradiso. Genes. cap. 2. & 3. Lucifer primo glorioſus valde, fine malo in baratrum abyssi ob superbiam præcipitatus, Iesaiæ c. 14. Schelomo Dei amicus in principio, in idolatriam, collapsus postea. Sanson tandem fraude deceptus mulieris. Annibal multis victoriis præclarus, post multos exhaustos labores, superatisq; montium abruptis cacuminibus, mollitie in Campania resolutus, vniuersam antea partam gloriam effudit. Sic & dux ille eximius Pausanias, deliciis Asiaticis fine turpi, principium & medium gloriæ præclaræ sepeliuit. Iis similes occurrunt plures, quibus anteacta bene vita, accedente eius peruersione, potiùs infamiam, quàm laudem adiunxit. Nec prodest nautæ peritissimo, per Syrtes, Charybdes & voragines Pelagi, naufragij periculum sæpius vitasse, scopulos & arenas sapienter præteriisse, si dum in portu proximus est fini laborum, negligenter in cautes vel palos versuram & naufragium experiatur. Portum & quietem onusti, interdum bonis operibus quærimus: omnes vel ad illum inuiti ex fato naturę rapimur. Caueamus oportet studiosè vt ne inter pericula istius maris magni, antoquam portum appellamus. iacturam mertium patiamur: nec videndum, quod bene egerimus, nisi caueamus ne malè postea agamus. Neque quod iam bene nobis omnia succesisse videantur obdormiendum est, nec quod pacata nostra videntur, finis negligendus, sed eo magis metuendum. Tum enim maximè horribiles tempestates pauidi nautæ & vigiles expectant, cum placidum mare, quodam latenti & profundo sub murmure latratus surdos excitat: tumque ad excipiendos fortiter fluctus, ventos, & tempestates, anche-

ras & malum præparant: atq; subitò concitatis vndiq; ventis, pretiosa quæq; abiiciunt vt nauim exonerent, & quę ad finem vsq; portus peruchere decreuerant, miserè præcipitant. Arbores sæpe vsq; ad maturitatem fructus producũt, verùm non omnes finem destinatum vident, neq; in vsum hominum perueniunt: sed pars eorum decidit in terram, putrefactionique cedit, multa à bestiis deuorantur: & tũ maximè dum maturi proximique; collectioni fiunt. Et hunc ferarum morem Satan ille astutissimus imitatur, & calcaneum obseruat. Siquidem, postrema sæuissima in homines pios illius sunt tela, vt quos initio ab opere bono reuocare non potuit suasionibus, nec in medio potuit immiscere alienis negotiis, sub finem fortiùs inuadat: vt vel operis cõtemptu, vel nimia facti complacentia, & gloria inani, securitatis & negligentiæ præsumptione, conquisitum magnis laboribus thesaurum eripiat: & tunc veluti mandragora sopitos iugulat, & nudat. Et hoc maximè molitur iis qui magis bonis operibus intenti videntur, vt admonet Deus, Genes. cap. 3. dum ad serpentem loquens dixit: *Inimicitias ponã inter semen tuum, & semen mulieris, ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Calcaneo autem insidiari & semini Dei, non est aliud, quàm insidiari fini hominum Christianorum, qui non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, D. Ioan. cap. 1. Estq; calcaneum, vltima pars hominis, finemque eius demonstrat. Quod explicatur Apocal. cap. 12. de muliere, quam persecutus est draco, quamque cùm non posset vincere, iratus est draco in mulierem, & abiit vt faceret prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium IESV CHRISTI. Et si benè obseruemus ex hac vita migrantes, dum in agone sunt mortis, & ad extremum vitæ spiritum propius aguntur, videbimus quandam cum Satana institui acerrimam pugnam, vt ex illa spiritus concertatione acerrima, crebra & præcipitata suspiria exsurgant, sudores exerantur, animus agitetur, nempe laborante satana circa naufragium bonorum decedentium è vita, & in fine piorum merita subuertere conante. Atque apud Xenophõtem in Cyripædia li. 7. Cyrus admonebat suos milites. *Nihil* inquit, *ad perfectionem sufficit, fieri bonos viros, nisi quis & usque ad finem curet in bonitate perseuerare: Magnum quidem opus existimo, vel principium agere, multo ma-*

*ius etiam*

*ius etiam qui tueperit id tueri. Nam incipere sæpe illius fuit, qui præstiterit audaciam solum, sed continere quod cæperit non etiam hoc sine temperantia, non sine multa continentia, non sine multa diligentia fit*, hæc Cyrus. Et D. Athanas. in lib. *De* diuersis quæstionib. quæstion. 120. *Tota*, inquit, *hominis vita si malè transacta, finis autem bonus fuerit, beneficium est & gratia: si verò finis diuersus fuerit, hoc deterius est miserum. Nam vbicunque ceciderit lignum, sive ad Austrum sive ad Aquilonem, ibi ardebit*, Ecclesiastes cap 11. & in vita non proficere. sed in eodem statu manere, deficere est. Sicuti mittens manum ad aratrum, & respiciens retro non est aptus regno Dei, Luc. 9. g. Quod fabula Orphei, ducentis Eurydicem per multos labores ex orco, ab antiquis figurat is enim, quia respexit retrò secùs quam iussum erat Eurydicem amisisse fertur, & temerè laborasse, vt scribit Ouid. libr. 10. Metamorph. Eundum enim semper est, de virtute in virtutem, nec stundum, nec quæ retro prætereunt contemplanda, ne in statuam salis sicut vxor Loth, Genes. 19 immobiles conuertamur. Testatur etiam Deus, constituisse discipulos: vt irent, non vt starent, & fructum afferrent. D Ioann. 15. d. Quo factum est, vt dictum sit ab Euripide, & bis à Sophocle, & Dionysio Tyranno, Herodoto, Plutarcho, Platone, Ouidio, & aliis. *Quod dici beatus ante obitum nemo, supremaq; funera debet*: &, vt idē Ouidius 2. Pistiola, *nisi exitus acta probet*: Et Ecclesiastici cap 11. *Ne laudes ante mortem quenquam hominem*. & canon. Si ex bono, De pœniten. distinct 4. & Iustinian. in l. 11. cùm Syllanianum § fin. ad Syllania. libr. 6. C tit. 35. nihil actum esse existimat, si aliquid supersit addendum. Atque euentum negotiorum, potissimùm in criminibus iubet expectari lex apud Claud. l. 16. aut facta, §. euentus, De pœnis, libr. 38. ff. tit. 19. vbi casus singularis casu factum puniri. etsi mitiùs. Nec videtur ius dicenti obtemperasse, qui quod extremum est in iurisdictione non fecit, vt scribit Vlpian. in l. 1. §. 1. Si quis ius dicenti non obtempera. libr. 2. ff. tit. 3. Et Vlpianus suprema testamenta, id est, posterius facta, in bonorum possessione conferenda contemplatur, l. 1. §. 1. De bonor. possess secund tabulas, libr. 37. ff. titul. 11. vt semper posterius testamentum consideratur. Scribit & Plutarchus in vita Annibalis, sapientes viros, & optimos rerum publicarū gubernatores, finem magis in rebus humanis quàm initium spectare, & priusquàm ad arma bellaque

prorumpant, experiri omnia consilio debere. Et Isocrates in Paræneſi vel oratione 1. *In omnibus*, inquit, *operibus non ſic principii recordamur, vt finis ſenſum accipimus: plurimas in vita noſtra res, non propter ipſas, ſed euentuum cauſa celebramus.* Et Aristot. 1. Ethicor. ad Nicomach. cap 7. finis cauſa, cætera ſcribit agi: ſcribit & 2. Ethicor. ad Eudemum, finem & principium eſſe fundamentum conſultationis: omnes enim gratia alicuius conſultant, quemadmodum fines ſunt in contemplatiuis ſcientiis, hypotheſes. finis nomen eſt impoſitiuum, nullam recipiens illuſionem. Quod autem pertinet ad rei eſſentiam. Aristot. in Poëtica ſcribit, finem eſſe illud ipſum, quod poſterius aliquod eſſe vel fieri natum eſt. Sed expreſſiùs, finis eſt vniuſcuiuſque rei extremitas & termi nus: & ita Cicero 3. de Finibus, *Sentio*, inquit, *credo, me iamdiu quod τέλος Græcus dicat, id dicere tum extremum, tum vltimum, tum ſummum, licebat etiam finem pro extremo, aut vltimo dicere.* Per hanc generalem finitionem finis, variantur cuiuſque rei fines. Sic in motu, finem intelligit Aristot. lib. 1. De partib. Animal. cap. 1. in quem motus terminetur. Et Plato in homine finem naturæ, conſentientem vitam dixit finem. Vt Author Galenus tom. 1. lib. 6. de Decretis Hippocratis & Platonis, & tom. 2. libro, num ars ſanitatis tuendæ ad medicinalem artem pertineat, ad Thraſyb. finem in artibus, dicit eſſe propoſiti conſecutionem.

Res finiuntur, vel finem accipiunt, vt ſcribit Diogenes Laertius, lib. 3. in vita Platonis, quatuor modis, Lege, Natura, Arte. Fortuna.

Secundum leges finem res accipiunt, vt cum decretum aliquod lege firmatur & impletur.

Secundum naturam finis rebus accidit: ſic dies omnis, & anni tempora naturali lege finem accipiunt: ſic res interitu, corruptione, morte.

Secundum artem finis rei imponitur: ſicut Architectus arte conſummat ædificiũ, & nauium fabricator itidem perficit nauem.

Fortuito finis contingit, vt cum ſecus ac putabamus, ac præter opinionem aliquid accidit. Apud Aristot. lib. 1. Magnor. Moral. capite 2. finis alius perfectus, alius imperfectus.

Perfectus, cuius acceſſu nullo amplius nobis opus eſt, veluti fœlicitatis is optimus abſolutuſque finis.

Imper-

Imperfectus, cuius aduentu alium desideramus, quemadmodum iustitiæ tantùm aduentu, plura alia desideramus.

Finem autem lex imponit, aut publica vel priuata. Publica lex, quæ communiter omnibus imposita: qualis ius est diuinum, humanum, ciuile, edicta principum, consuetudines, & huiusmodi quæ rebus fines constituunt, & negotiis. Sicuti dum determinant, quibus modis finitur tutela, fines eius ponunt pubertatem pupillorum, id est, in masculis decimum quartum annum, in fœminis duodecimum, apud Iustinian. in §. 1. quibus modis tutel. finitur, lib. 1. Institut. Ciuil tit. 12. in quo titulo & alij fines ponuntur tutelæ, per sequentes §§. nempe arrogatio, deportatio, seruitus. mors pupilli vel tutoris, capitis minutio vtriusq; temporis, conditionis aduentus, remotio suspecti, & alij de quibus & tituli similes in ff. & C. loquuntur: quorum concordantiæ citantur à gloss. in dicto titulo Institution.

Considerant & fines in solutione patriæ potestatis, in tit. 12. eiusdem lib. 1. Institut. iuris ciuilis, Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur, cum similibus iuribus ibi ex ff. & C. notatis à gloss. nempe mortem ciuilem, vel naturalem, dignitatem, captiuitatem, emancipationem, adoptionem, & huiusmodi.

Dant & leges fines mensuris, limitibus, diuisionibus, & similibus. Sunt & certi fines solemnitatum in contractibus, à quibus transgredientes conuentiones diuersæ efficiuntur à seipsis, apud Vlpian. in l. 1. §. fin. & l. 7. iuris gentium De pactis l. b. 2. ff. tit. 14. Omitto fines præscriptionum, temporum, iurisdictionum, & aliorum, quæ legum suis concluduntur propriis terminis.

Legem publicam imitantur conuentionum, vltimarum dispositionum placita, quæ propriis concluduntur finibus: & huiusmodi transactio finem litibus imponens. l fratris, l. non minorem, C. De transactionibus. Item iusiurandum finem contentionibus adfert, l. 1. De iureiuran. in ff. & sententia definitiua, l. 1. De re iudic. in ff. d l. 1. De iureiurando, & l. non minorem, C. De transactionibus.

Et vt quædam in promptu habeas, quibus promediis argumentorum vti dextre possis, adferam etiam breuem tabellam eorum, quæ finem iudicant, qualia sunt acceptilatio, de qua Iurisconsultorum proprij tituli extant: completio, consummatio, cõsumptio, corruptio, effectus, euentus, exitus, extremitas, impletio, intentio, iuramentum, li-

mes, mors, nouatio, obiectum, perfectio, portus, postremum, priuatio, propositum, putrefactio, quies, scopus, status, solutio, summum, supra, infra, terminus, transactio, vltimum.

Completio, impletio, ostendunt finem ponendi, cùm nihil superaddi potest, extremumque quod addi poterat adest, & vacuum finem accepit: sic lagenæ impletio explicat finem vacuitatis eius.

Docet esse finem consummationem, Dauid Psalm 118. *Omnis consummationis*, inquit, *vidi finem*. Dicimus & consummatum matrimonium, pro perfecto, quod finem habuerit perfectionis.

Consumptio rerum, idem quod interitus est: mors autem & interitus, fines sunt in inanimatis formæ & essentiæ, in animalibus vitæ, & in plantis. Docet & Iob. ca. 4. b dum ait, *Vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos flante Deo periisse, & spiritu iræ eius fuisse consumptos*. Et consumptionem existimo interitum paulatim factum, postea interitum vel mortem dici omnimodam consumptionem. Et ita forsan Eccles. cap 27. legimus, *Laqueo peribunt qui oblectantur casu iustorum: labor autem consumet illos, antequam moriantur*. Sic apud Iurisconsultos, res quædam mobiles dicuntur, quæ vsu consumuntur, id est, intereunt, apud Gregor. 9. in cap. fin. De pignoribus lib. 3. Decret. tit. 21. Et Vlpianus in l. 1. De vsu earum rerum quæ vsu consum. lib. 7. ff. tit. 5. explicat consummare idem quod tollere, nimisve esse.

Corruptio est finis, quia per eam res desinit, cum sit mutatio entis in non ens, vt scribit Aristot. lib. 2. De genera animal. cap. 4. & Physic. 5. ca. 1. dicit esse mutationem ad id quod non est. Et omnis corruptionis esse finem, idem scribit. 1. Physicor. cap. 4. Et Galen. lib. 1. De naturalibus facult. tom. 1. opponit corruptionem, veluti finem, generationis principio. Porrò corruptionis multi modi sunt, non secus ac interitus: propriæ enim singulis rebus sunt corruptiones, vt oculis lippitudo, & corpori morbus, frugibus cibisque ærugo, lignis caries & putredo, æri ferroque rubigo, animæ iniustitia, & reliqua prauitas, vt docet Plato lib. 10. De Repub. vel de iusto.

Corruptio tamen ab interitu videtur differre, quòd corruptio rem non omnino, sed perfectionem tollit, vel incisione, vel deprauatione, siue in corpore aliquo, siue in anima &

ma & moribus contingente. Sic Vlpian. in l. 7. si quis id quod, in vers. in seruo, De iurisdict. omnium iudic. lib. 2. ff. tit. 1. *Hoc interdicto*, inquit, *de albo corrupto, tenetur & qui tollit, quamuis non corruperit*: differentiã ponens inter tollentem, & corrumpentem. Et Iulian. in l. 43. qui tabulas, ad legem Aquiliam lib. 9. ff. tit. 2. Corruptas tabulas existimat, non omnino abolitas, sed quæ ita deleta sunt, vt omnino legi non possint. Sic corruptores virginum dicuntur, qui puritati & integritati earum finem imponunt, à Paulo in l. 48. si quis aliquid, § qui nondum, De pœn. lib. 5°. ff. tit. 19. Sic seruus & filius corruptus, & liber dicitur, qui aliquo modo deprauatus est moribus, vt late tractat Iurisconsultus in tit. De seruo corrupto lib. 11. ff. tit. 4. potissimum Vlp. in l. 1. §. 1. & sequentibus legib. Lata tamen appellatione, verbum corruptio & effusionem, deperditionem & mutationem, & deprauationem significat, vt docet Vlp. in l. 27. si seruus seruum, §. inquit lex, ad leg. Aquiliam lib. 9. ff. tit. 2. Corruptionis nomine intelligit Plato etiam dolorẽ, dum scribit lib. 10. in Philebo, vel de summo bono, *Quoties corrumpitur animata species ex infinito & termino secundum naturam, vt dicit gentile, huiusmodi corruptio dolor est.*

Exitus, Effectus Euentus proxima sibi inuicem Exitus signat aliquem limitem & finem rei vnde exitus fit, sicut introitus ostendit principium: sic Ouid. 2. Epistol. scribit,

*Exitus acta probat, careat successibus opto,*
*Quisquis ab euentu facta notanda putat.*

Exitus opponitur ingressui, tanquam finis principio: sic Sapient. 7. a. *Vnus introitus hominibus omnibus venientibus in vitam, & vnus similis exitus.* Exitus itaque finis conclusionis est.

Effectum natura sequi causam priorem effectricem scribit Plato, in 10. in Philebo, vel de summo bono: & lib. 11. in Hippia maiore, vel de pulchro.

Extremum esse finem eius quod illo clauditur, nemo dubitat. Sic scribitur Prouerb. cap. 14. *Risus dolore miscetur, & extrema gaudii luctus occupat.* Et rursum Eccl. 1. *Timenti dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Extrema voluntas, dicitur vltima & finalis in l. 2. Si secund. nupt. mulier 15. C. & esse in extremis. ponitur in c. Raynutius, de testam. in Decret. pro mortis tempore. Intentio siue propositũ, in adiaphoris & incertis finẽ deter-

minat,can.quisquis,can. deliciæ, & can.quod dicit.41.dist. hæc & intentio, bonum actum, intuitu eius qui mala intentione agit malum reddit, vel saltem sine merito vel absque retributione bene agentibus debita. Sicuti dum exprobrat Deus cap.6. Matth. dantibus eleemosynam, & orantibus, opera tam bona, eo quod faciant vt videantur ab hominibus. alia exempla ponuntur in can. cùm minister. 23. quæst.5 respicit & Deus magis intentionem quàm actum, can. 1.15. quæst. 6. & can. qui per miraculum, 22. quæst.5. Nec ea quæ præter intentionem contingunt, imputantur. can de occidendis 24. quæst.5.

Limes finem & terminum ponit, iuxta illud Vergilij Georg.1.

*Nec signare quidem aut partiri limite campum, Fas erat:*
Et rursum alibi.
*Limes erat positus litem vt discerneret agris.*

Et cap.forus, De verbor.signific apud Greg. Et tit.finium regundorum, & de termino moto, in π. & apud Festum.

Mors metaphoricè, dicitur finis, quoniam vltima & finis, vltimorum e genere est Aristot.lib.5. Metaphysic.cap. 16. & libr.3. Ethicor ad Nicomach. cap.6. ideo terribilem videri mortem ait, quia vltimum vitæ, siue ea sit naturalis, siue violenta: naturalem dices, quæ intrinsecus originem ducit, qualis in stirpibus ariditas, in animalibus senectus.

Violentam verò, cùm extrinsecus vitium accidit, vel cæde, vel alio accidente ante naturalem finem, vt scribit Aristot.lib. De spiratione.at vtrumque, finem vitæ imponere constat. De hinc mors naturalis, est quædam putredo, & caloris interioris refrigeratio, vt scribit Arist. libr. Problem. section. 14. quæst.9. Putredo autem finis est, vt infrà docemus. Et mortem Plato nihil aliud esse dixit, quàm finem societatis corporis & animæ, nempe horum solutionem, libr.vigesimo quarto, in Gorgia, vel de Rhetor. & lib. vigesimo nono, in Phœdone, vel de anima. Docuimus & late in Bonitate, dum de mortis consideratione ageremus, Mortem esse finem & vltimum.

Obiectum, vt scopus, quidam finis est, in quem dirigitur quippiam. Propositum, vide intentio.

Perfectum nihil est, quod non habeat finem. Aristot, lib. 3 Physic. cap.7. dicit & 2. de cœlo. cap.4. perfectum id esse, extra quod nihil eorum quæ sunt ipsius, accipi potest: vt perfectum tempus, extra quod non est vllum accipere tempus,

tempus, quod pars huius temporis sit. Quod repetit libr. quinto, Metaphysic. cap. 16. vbi & perfectum, & secundùm virtutem, & secundum vitium dici existimat: vt perfectus dicitur musicus, perfectus calumniator. Item perfectum secundùm finẽ, quem res habent: & colligo ex cap. 19 Matth. vers. 20. & 21. perfectionem esse dum finis imponitur adhibenti necessaria. Nam quamdiu quædam operi requiruntur, finem non habet labor: ibi enim qui obseruasse se mandata Dei dicebat, interrogans *Dominum Deum* CHRISTVM, quid adhuc deesset, responsum accepit. *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Et apud Vlpian. in l. 139. ædificia. § perfecisse. De verbor. & rerum signif. lib. 50. ff. tit. 16. *perfecisse ædificium is dicitur, qui ita consummauit vt frui esse possit.* Et Caius perfectum dicit, quod omnibus suis partibus constat in l. 1. *De* origin. iuris, lib. 1. ff. tit. 2.

Portus est finis quidam nauigationis, & nauium statio: statio autem finis quidam, vt dicimus in Statu. Est & ibi statio nauium, & locus circumclusus quò importantur merces, & vnde exportantur. vt scribit Vlpian. in l. 59 portus, *De* verbor. & rerum signif. lib. 50. ff. tit. 16.

Aristot. lib. 4. Meteoror. cap. 1. *Putredo*, inquit *finis est omnium quæ natura constituuntur, nisi quippiam ea corrumpatur & labefactetur. Siquidem liser carnem, os, & quodvis eiusdem generis deurere: quibus omnibus finis naturalis est putredo: quamobrem quæ putrefiant primum humescunt, demum siccitatem contrahunt, &c.* & paulò pòst, *Putredo, est interitus propriæ ac naturalis caloris in quouis humore, ab alieno proficiscens calore.*

Sicut prius principium est, ita & posterius finis. Et modis quot prius est, tot & posterius, nempe quinque, tempore, idque propriè, natura, ordine, perfectione, vel honore, apud Aristot. 2 de Generatio. Animal. cap. 4 & 5. Metaphys. cap. 11. Postremus, inquit Vlpianus, is, quem nemo sequitur, l. 2. § legitima hæreditas, De suis & legitimis hæredib. libr. 38. ff. tit. 17.

Priuatio respectu eius quod adimit, est finis adempti, & interitus habiti. Et Aristot. lib. 1. Physic. cap 9. in eo quod corrumpitur. esse priuationem scribit: corruptio autem, vt docuimus, finis est.

Quies, finis est motus: siquidem quies est motus priuatio, vt scribit Aristot. Physic. 8. cap. 1. priuatio autem finis

est. Et Plato libr. 24 dialog. 6. *De* legib. quietem, laborum finem statuit, & inde originem trahere. Vt Galenus tom. 7. lib. 2. Aphorism. Aphorism. 48. quietem laboris esse remedium, scribit.

Scopus dicitur finis aliquis, in quem fit directio, sicuti est sagittariis signum aliquod: consulentibus autem in iusto, iustum: Medicis, sanitas: & sic de similibus.

Status quietis species: nam status est, aut vnde mobile fertur, aut ibi, quò fertur, aut in medio, vt scribit Aristot. libr. 2. De cœlo, cap. 6. aliqua enim parte quiescit id quod aliquo modo manet, vt idem scribit 5 Phys. cap. 6. Sic Plato libr. 15. in Sophista, vel de ente, motum, & statum, maxime contraria existimat.

Summum, infra. supra. medium fines loci esse, & vltima, scribit Aristot. libr. 4. Physic. cap. 4. Cicero primo De finibus. summum. extremum, vltimum, finem dicit, quod Græcis τέλος: idem libr. 3. *De* finibus.

Terminus dicitur id generaliter, quod aliquid claudit & determinat. Terminum syllogisticum Aristotel. Resolution. prior. libr. 1 cap. 1. vocat, in quem resoluitur propositio, vel vt prædicatum, & quo de, id vel appositio vel separato, esse vel non esse prædicatur. Sic & Topicor libr 1. cap. quarto, Terminum vocat, orationem qua aliquid finitur, id est, qua certus animi sensus clauditur. Et Plato libr. 9. in Parmenide, vel de vno omnium principio, Terminum dicit id omne, quod comprehendit.

Termini etiam pro extremis limitibus, & finibus agrorũ ponuntur, quos transferentes puniuntur, vt habetur l. 1. & 2. De termino moto in ff. & *De*uteron. cap. 27. Maledictus qui transfert terminos proximi sui, canon. tanto. 86. distinctio. canon. in legib. 12. quæst. 2. canon. 1. & 2. 9 quæstion. 2. can. transferunt 24. quæstion. 3. cum similibus. Et per metaphoram, termini antiqui patrum, pro dogmatum finitione, Prou. ca. 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.

In vltimo, finis vltimorum quippiam est: nam finis est quod alicuius gratia vltimum est, Aristotel. Metaphysic. libr. quinto, cap. 16. Vlpian. Vltimum eum dicit, quem nullus sequitur, scilicet eiusdem generis in l. 2. § legitima hæreditas: De suis & legitim. hæredib. libr. 38. ff. titulo 17.

Infinitum pugnat finito. Infinitum fine caret, & ideo natu-

natura, quæ semper finem quærit, illud euitat, Aristotel. libr. 1. *De* generation. animal. cap. 1. Docet & id vberiùs Aristotel. libr. 11. Metaphylic. cap. 9. *Infinitum*, inquit, *est, aut quod impossibile est pertransire, eo quod non sit aptum permeari, quemadmodum vox inuisibilis: aut quod transitum habet inconsummabilem, aut quod vix, aut quod natura aptum non est habere, nequaquam autem transitum aut finem habet. Item secundùm oppositionem aut ablationem, aut ambo* Repetit 3. Phytic. cap. 4. Ideo & infinitum est indiuisibile: & Problem. section. 5. quæst. 25. infinitum id dici ait quod determinatum non est, quo-luc non nouimus quantum sit. Infinitum itaque, & nostro respectu dicitur, cuius finem non nouimus, vel non comprehendimus: vel ex se, quod verè fine caret. Et talis est *Deus*, cætera verò infinita per accidens. Qua ex re sopitur facile antiquorum & Aristotelis controuersia, num infinitum aliquod sit substantia. Nam substantiam faciunt ipsum infinitum Pythagorici: negat Aristoteles multis rationibus 3. Physic. cap. 5 6 7. 8. Dicimus itaque secundùm se, & simpliciter, in rebus creatis nihil infinitum, per accidens autem, quòd nos ad comprehensionem illorum substantiæ, vel finis, vel virtutis plenam peruenire non possumus, omni ex parte nostri. per consequens nostro respectu. infinitum. Sic sensibus omnia comprehensa finita, infinita substantiæ notione. *Deus* autem solus simpliciter infinitum quid Ratione tamen alicuius, quædam dicta sunt infinita, vt punctum, ratione ea videlicet, quia diuidi nequit, cùm tamen finitum loco est ambiente: item affectio, & vt Platonici dicunt, magnum & paruum, infinita: quòd omnia his mensurentur sine diuisione, Plato in Philebo, Aliqui naturales, ipsa elementa infinita dicunt, vt Anaxagoras, & *Democritus*, dicentes infinitum vnum tactu continuū. Alii alia infinito subijciunt, vt recenset Aristot. 3. Physic. cap. 4. quæ multis ipse subuertit Ego autem existimo vnico verbo, omnia transigi posse, infinita quidem esse secundùm quid, non absolutè: & ita subscribo Aristoteli libr. 1. De Cœlo, cap. 5. vbi docet, nullum corpus, vel simplex vel compositum actu, esse infinitum.

*Axio-*

*Axiomatum Finis.*

CAP. XVII.

Τὸ παλαιὸν ἔπος, ὡς ἔν εἴρηται, τὸ μὴ ἄμμα ἀρχῇ τὸ τέλος καλῶς φαίνεσθαι. id est, Vetus adagium, quo benè dicitur: Non ſtatim cum initio apparere finem: Herodotus in Polymnia, ſiue lib. 7.

*De*ſiuiſſe non videtur, quod non incœpit, Paul. in l. 95. Titio vſufructus, De cond. & demonſtrat. lib. 35. ff. ti. tul. 1.

Omne quod naſcitur, & habeat finem neceſſe eſt, Ariſt. 3. Phyſic. cap. 1.

Cùm plures ſint fines, & horum quoſdam ob alios expetamus, vt diuitias, tibias, inſtrumenta q.. omnino perſpicuum eſt, non omnes fines eſſe perfectos. At finem optimum, perfectum quid eſſe conſtat. Quare ſi tantùm vnius perfectus ſit finis, is hic erit qui quæritur: ſin plurium, is erit perfectiſſimus. Eum autem qui per ſe eſt expetibilis, perfectiorem eo dicimus eſſe qui eſt propter alium expetendus: & eum, qui nunquam ob alium expetitur, his vniuerſis qui per ſe, & propter illum etiam expetuntur. Talis autem finis ipſa felicitas maximè videtur: hanc enim propter ſeipſam ſolam, & nunquam ob aliud quicquam expetimus. Honorem autem & voluptatem, mentem, virtutem denique omnem, & propter ſe expetimus (quippe cùm vnumquodque ipſorum expeteremus, ſi nihil inde etiam proueniret) & felicitatis etiam gratia, per hæc ipſa felices fore nos arbitrantes, Ariſtoteles hæc omnia ad verbũ tradit libr. 1. Ethicor. ad Nicomach. 1. cap. 7. & ita finis fini præſtat, Ethicor. ad Nicomach. cap. 1. Et id melius, cuius gratia ſunt & alia: & quæcunque ita habent, & eorum finis melior. Præſtat & finis perfectus imperfecto, vt idem Ariſtoteles ſcribit 1. Magnor. moral cap. 2. Et Galenus libr. 2. *De* ſanitate tuenda, *Finis*, inquit, *his quæ præ ſe, ſemper eſt præſtantior: quantò nimirum id cuius gratia, his quæ ipſius gratia ſunt.*

Homo quodammodo finis: quia eius gratia omnia ſunt, Ariſtot. lib. 2. Phyſic. cap. 2.

Ignorantia finalis cauſſæ, circa rem quamlibet, efficit vt & cæteræ cauſſæ ad eandem pertinentes, ſimiliter ignorentur: quoniam finis eſt cauſſarum prima, præcipuaque ac potentiſſima: huius enim gratia & efficientes cauſſæ faciunt, & quæ fiunt, efficiuntur, Procl. in commentariis

riis ad Alcibiadem primum Platonicum.

Vires infinitæ sunt infiniti, & infiniti vires sunt infinitæ: quare & id quod mouet, infinitum esse necesse est. Aristot. 1 de Cœlo, cap. 7.

Infinitum à finito pati non potest. neque finitum ab infinito, finito tempore: nec infinitum ab infinito aliquo tempore: & infinitum aliquo tempore, infinitum non mouet. *Docet* hæc omnia Aristot. lib. 1. De cœlo, cap. 7.

Naturæ operibus iunctum illud præcipuè est, vt nihil temerè viceque fortuita commutetur, sed alicuius gratia omnia agantur. finis autem cuius gratia quicquam vel cōstat vel conditum est, boni honestiue obtinet rationem. Aristot. lib. 1. De partib. animal. cap. fin.

Cùm non sit processus in infinitum, finis lationum erit diuinorum corporum aliquod, quæ in cœlum feruntur libr. 12. Metaphys. cap. 8.

## *De Maioritate & Minoritate.*
## CAP. XVIII.

QVia in rebus humanis, siue creatis vel ex his productis, nihil est quod certum finem non habeat, vel quantitatis, vel qualitatis, vel numeri, vel intentionis, vel propositi, vel quietis, & huiusmodi: necessarium est per consequens, omne humanum & creatum terminatum. Et quia diuersimodè terminatum fit, sunt & necessariò plures distinctiones terminorum: quamobrem, & aliæ aliis dicuntur æquales, vel inæquales aliquo modo. Inæqualitas autem, in excessu & defectu. Excessus autem & defectus, plus, magis, & maius, & minus continent. Consequenter itaque, facili quadam via, à fine speculatorei tractatio ad maioritatem, æqualitatem, & minoritatem contemplandam animus transfertur: quæ respectiua & relatiua vltima tria principia sunt. Et ita Aristot. 2. Ethicor. ad Nicomach. cap. 6. scribit, in omni re continua diuisibilique, aliud plus, aliud minus, aliud æquale, vel ex parte ipsius rei, vel ex respectu nostri accipi posse. Plato etiam libr. 29. in Phædone, siue de anima, inter maius & minus medium esse dicit. Quippe quia & Aristoteli maius & minus videntur vtcunque contraria libr. 2. Ethicor. ad Eudemum. Si velis latè & fusè disputare, quotuplex sit Maioritas, vide quæ notat Felinus Sandæus in Rubric. de Maior. & obedient. vbi citat plura iuris vtriusq; capita.

Mai o-

Maioritas est excessus alicuius in aliquo, alterius respectu. Dico alterius respectu, eo quòd nulla sit absolutè dicenda magnitudo, vel paruitas, nisi intuitu alterius, respectu cuius & magnum & paruum dicitur. Sic minoritas dicitur defectus alicuius in aliquo: respectu alterius, Maioritas. Et ita maiore parte anni, quis possedisse dicitur, etiam si duobus tantùm mensibus possederit: non respectu reliquorum mensium, sed respectu possessionis minoris aduersarii, si modò aduersarius eius, aut paucioribus, aut diebus nullis possederit, apud Licinium in l.156. maiore parte, De verbor. & rerum signif. lib.50.ff.tit 16.

Tot distinctiones & species, & media maioritatis, & minoritatis sunt, quot sunt species & media magnitudinũ & paruitatum. Et quia de his copiosè sub magnitudine tractauimus, non opus est hìc iterum ea repetere. *Dicitur* & maioritas, & minoritas, & æqualitas, de omnibus principiis transcendentib. examinationum, quæstionũ, materiarum, siue prædicamentorũ & aliorũ. Vt autem tyrones habeant quandam anacephalæosin, potissimùm qui ad iuris scientiam, & reipublicæ moderamina vocantur, accipiant hanc breuem Maioritatum & Minoritatum (concedatur mihi his verbis uti) distinctionem.

Maioritas & Minoritas dici potest ordinis, dignitatis, præstantiæ & consequentiæ negotiorum, numeri, numeri & qualitatis, ætatis, corporis vel molis, spiritus. Sic maiores dicuntur in stemmatibus, qui superiores mediæ personæ, ad quam fit relatio, sunt, velut pater, auus, abauus, tritauus: & minores qui eam sequuntur, vt filii, nepotes, abnepotes, trinepotes, & reliqui posteri, apud Theodosium Imp. in l.1. De imponenda lucratiua descriptione libr.10. C. tit.35. Paulusque in l.10. Iurisconsultus §. parentis, *De* gradib. affinitatis, lib.38.ff.tit.10 scribit, parentes vsq; ad tritauum, apud Romanos proprio vocabulo nominari: vlteriores qui habent speciale nomen, maiores appellari: item liberos vsque ad trinepotem, vltra hos posteriores vocari. Quod & repetit Vlp. in l 4. quiq; litigandi § parentes, De in ius vocando, lib. 2. ff. tit.44. Vbi & Cassi sententiam videtur approbare, qua parentes omnes superiores dicuntur. Sic & dicti fuerunt senatores, maiorum gentium, qui ex patribus & patritiis in senatum constituebantur: alii autem, patres minorũ gentiũ, allecti etiã in senatoriũ ordinem ex posterum stemmatibus, vt meminit Cornelius Tacitus lib. 11. de Claud. principe loquens.

Maio-

Maioritate dignitatis, maior omnibus hominibus dicitur Deus, in cap etsi CHRISTVS 26. De iureiurand. lib 2. Decret. tit.42. & ad Hebræos cap.6.ibi, homines per maiorem se iurant, id est, per *D*eum.

Maioritas & minoritas numeri, & quantitatis, elucet in consensu maioris partis creditorum, minori parti præiudicium afferente, vt tractat Marcellus in l. 8. & suum hæredem, *D*e pactis, lib.2. ff. tit.14. Papinianus autem in l.9 maiorem partem, eod. tit. ita interpretatur: *Maiorem esse partem pro modo debiti, nō pro numero personarum placuit: quòd si æquales sint in numero debiti, tunc plurium numerus creditorum præferendus est. in numero autem creditorum pari, authoritatem eius sequitur prætor, qui dignitate inter eos præcellit: sin autem vtrinq; omnia ad æqualitatem concurrāt, humaniior sententia à prætore eligenda est.*

Numeri & qualitatis: veluti in electionibus, Maioritas hæc consideratur, in cap.1. dudum, *D*e electionib. libr. *D*ecretal. tit. & in cap. fin *D*e his quæ fiunt à prælatis sine consensu Capituli, lib.3. *D*ecret. tit 11. cum similibus. In quibus sanior & maior pars requiritur, saniorem & maiorem partem eligentium existimat, cap. dudum, eorum qui authoritate, dignitate, & ætate prævalent.

Axioma vnum cape:

In eo quod plus est, semper continetur quod minus est, can. plus semper *D*e regul. iuris, in sexto. l. in eo quod plus. ff. eod. vide ibi & dilata. Porrò quod pertinet ad æqualitatem, Æqualitas est medium inter defectum, & excessum.

*F I N I S.*

# COMMENTARIORVM IN SYNTAXES ARTIS mirabilis

## *TOMVS SECVNDVS;*

*In quo primùm agitur de Transcendentibus; estq;*

## LIBER QVARTVS

### *De bonitate & malitia, vtrum sint.*

CAPVT I.

QVÆSTIO de bono per se difficilima, vt ait Plato lib. 31. siue dialogo 6. de Repub. vel de Iusto Dicamus igitur primò vtrum sit bonitas aliqua, vel malitia. Et esse bonitatem, quæ ab ea proficiscuntur, & tot genera bonorum, satis demonstrat. Siquidem naturaliter productum productus demonstrat: nec bona arbor malos fructus facit: nec contrà mala bonos. arbor non degenerans à fructu cognoscitur, vt dixit dominus noster Iesus Matth c 12. c. vers. 33. Et Lucæ 6. f. vers. 43. & 44. Et *D* Iacobus Epistol. c. 3. c. vers 11. & 12. *Nunquid fons de eodem foramine producit dulcem & amarã aquam? nunquid potest, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus? sic neque salsa aqua dulcem potest facere.* Et quia Deus bonitas ipsa vera, vt docebimus, ideo eius opera, & omnia quæ fecit, erant valde bona, vt scribitur in libro Genes. c. 1. in fine. Et in Ecclesiastic. c. 49. c. vers. 21. & D. Basilius, περὶ τῶ πλουτῆσαι, oratione 2. vel in 19 in Matthæ. *Quæ bonus*, inquit, *est, bona quoque docet ac tradit.* Vnde & Eusebius Pamphilius libr. 4 de præparat. Euangelica c. 6. sumpsit argumenti præcipui aduersus Porphyrium occasionem, probaturus nullos esse bonos dæmones, à boni productione,

quòd, inquit, cùm bonum non possit nisi non prodesse, dæmones tamen illi habiti falsò boni, noceant hominibus. nempe, quod & sibi immolari homines patiantur, & postulent, vt ille scribit. Et Senec. lib. 13. Epistol. vel epist. 87. contra Peripateticos, bona docet esse, quæ bonos faciunt. Quo etiã argumento adducti, qui parum in bonitatis & mali disquisitione subtiles fuerunt, bonum & malum, duo principia diuersa posuerunt, vt Empedocles apud Aristotelem libr. 1. Metaphys. c. 4 & duos deos, vnum bonorum, alium malorum authorem constituerunt, tanquam impossibile omnino ducentes, ex eodem fonte nasci bona & mala, coæterna hæc facientes, nempe principium boni, & principium mali. Sic & Manichæi rati, vt scribit D. Augustinus libr. 1. Retractatio. c. 9. & c. 15 & lib. de hæresib. ad Quod vult Deũ c. 46. Et Ioan. Damascenus lib. de hæresib. Cuius sententiæ fuerunt Cerdon, Heracleon, & Marcion hæretici, qui & duo illa principia coæterna bonum & malum dixerunt, vt scribit Epiphanius tom 3. lib. 1. contra Hær hæres. 41. 42 docet & Cyrillus archiepiscopus Hierosolymitanus catechesi 6. Illuminatorum. Quibus videtur viam strauisse Democritus, qui duos deos posuit tantùm, beneficium & pœnam, vt scribit Plin. lib. 2. Natur. hist. c. 7. Lapsi certè quòd deos putârunt: at sentientes optimè duo contraria hæc esse, & inconiungibilia, bonum & malum, quia & repugnantia verè sunt. Et sic intelligendus est locus libri Rabini Abraham in Ietzira, siue de creatione, bonum è regione mali posuisse Deum, bonum de bono, & malum de malo; & bonum probare esse malum, & malum probare esse bonum. Sic etiam bene malum opponit bono, vt contrarium, Aristoteles lib. Rhetorico. ad Theodect. nullus enim & bonus & malus simul esse potest. can. omnis qui. de Pœni. dist 1. in decre. Gratia. Lapsi tamen sunt, dum hæc duo bonum, inquam, & malum, ex duobus principiis coæternis fluxisse dixerunt. nam omnia, bona ab initio fuerunt, & sua natura talia: mala autem facta per accidens; nec necessarium est ad positionem boni, statim malum poni. Quia & bonum sine malo esse potest. Veluti, Nõ ideo quia Deus est bonitas, & ita bonus, statim sequitur alium deum esse malum. Quamuis non ita asserendum de malo, quod semper bonum præcessisse necessariò insinuat. Etenim malum nihil aliud est, quàm priuatio boni. sic non potest esse malum vbi non fuerit bonum, vt scribit D. Aurel. Augustinus lib. 6 quæstionum ad Orosium,

Orosium quæst. 15 Priuatio enim præsupponit habitum, ex sententia Aristotelis in Categor. siue de prædicam. Et notat Bartolus ex responso Papiniani in l. decem 116 de verb. obligat. lib. 45. ff. tit. 1. & etiã in l. Iulianus, de diuortiis in ff. Sed habitus non præsupponit priuationem; nam forma, vnum, essentiaque, & ens, & substantia; priuatio autem, neq; ens, neque substantia, sed accidens, vt scribit Aristoteles 1. Physico. c. 7. 8 & 9. & D. Athanasius Patriarcha Alexandrinus oratio. contra idòla. *Ea quæ sunt*, inquit, *appello bona; ea quæ non sunt appello mala. Quæ sunt, ea ideo appello bona, quoniam à Deo, qui est essentia ipsa, exemplar trahunt. Quæ non sunt, mala nuncupamus: quoniam quia nulla essentia subsistunt, hominum commentis efficta sunt.* Sed plenius nullum esse ens malum. sed puram priuationem. docet Gregorius Ariminensis in Commentariis in 2. lib. Sententia. Et in eundem Robertus Olchot 1. quæst. & Egidius Romanus. Sed & D. Augustinus lib. de morib. Manich tradit, nullam naturam esse malum. similitudinem tamen in eo quandã habent bonum & malum, quod vtrumq; sese multiplicet. Nam vt ait D. Marcus Heremita lib. περὶ νόμου πνευματικοῦ de lege spirituali: ἐν δὲ ἑνὸς τοῦ κακοῦ λαμβάνει τὸν δυάσμιν, ὁμοίως τε καὶ τὰ ἀγαθὰ, δι' ἀλλήλων αὐξάνεται: καὶ τῶν ἑαυτῶν μέτοχον, ὅτι τὰ πόσω μείζονα φθορὰ πάσχει. ex vno fit ad mala transitus, pariter & bona ab inuicem augentur: & eũ qui his participat ad maiora cohortantur. Cęterũ illud maximè distinguit incremẽta, quia bonum suam habet, certamq; & determinatã perfectionem: malum verò in infinitũ, nisi illi medeatur, habet concatenatã imperfectionem, seipsum perpetuò destruens; fitq; ex malo semper ad pejus transcursus, vt docet Marsil. Ficin. in Apolog. boni lib. 10. Epistol. Sicq; perpetuò abyssus abyssum inuocat, teste Dauide Psal. 41. neq; ea fit multiplicatio, virtute agendi: quia malum ex malo non fit, sed erroris incertitudine, qua multipliciter errari potest à bono. nam sicuti vna est via & sola, qua possumus scopum attingere, & sagittã ad signum dirigere, eaq; difficilis, multæ autem sunt viæ, quibus aberrare ab scopo possumus, vt ideo facile sit errare, quòd infinitæ vndequaq; circum veram viam sint viæ; sic cùm bonum simplex sit, nec mutetur,

malum autem multiplex, vt ait Aristoteles lib. 7. ad Eudemum, cumq; via sit ad bonum certa, & inter errores librata, difficilis ea est arduaq; ad bonū, multiplex autem ad malum, vt scribit Maxim. Tyrius serm. 31. bonū quippe est inter extrema quæ mala sunt, à quo dum quis semel declinauerit, facilè à malo ad mala prolabitur. Qua ratione Pythagorici, malum esse infiniti putárunt, vt refert Aristot. libr. 2. Ethico. ad Nicomach. c. 6. Et ideo boni fœtus propriè est, quia generat: mali autem, non item; sed à bono est lapsus inferiora petens, vel ab scopo aberrans. Sic antiqui mala rotunda esse dixerunt, atq; orbiculata, & contigua, multisq; de causis inuicem collata. bona verò discissa ac discreta, nec facilè circa ipsos vitæ terminos coëuntia, vt est author Plutarch. Chæroneus oratio. consolatoria ad Apollonium. Malum vt morbus quidam serpens, bonum perpetuò corrodens, & tollens. donec alio bono morbo huic medeatur. Et malum ipsum morbus est. & bonum medela mali, vt scribit Plato lib 12. in Lyside, vel de Amicitia. & D. Chrysostomus homilia 50. in Euangelium Ioan. in c 7. tomo 3. *Nemo.* inquit, *malum malo sanat, sed malum bono.* & rursum, tomo 2. in opere Imperf. homil. 15. ex c 6. Matthæi. *Omnia,* inquit, *mala quæ sunt in mundo, habent contraria bona, per quæ superentur: Superbia fornicatio castitatem, superbia humilitatem, iracundia mansuetudinem, auaritia eleemosynam, gula ieiunium.* Sic apud Theodoretum libr 6. de curatione Græcarum affectionum, Bonum est mali priuatio, hoc est, boni restitutio per bonum. sicuti malitia & astutia diaboli Bono malum in omni re oppositum quodam modo bonum imitatur, hoc est, bona corrumpens & diminuens: sicuti dum opposita sunt Dei sacrificiis cultui, miraculis, sacrificia, cultus, præstigia magica dæmonum, & alia huiusmodi, vt docet *D.* Clemens primus libr. 8 Recognitionum. Sed & illud obseruatum, malum non esse in substantia rei agentis vel patientis, sed in actu, sicuti liquet exemplo homicidii, quod non est in substantia hominis qui occidit: & mala quæ aguntur, non est ipse qui agit, nec in quo agitur, sed actus eius, à quo appellationem accipit. Et sic, quoniam quæ aguntur, cùm aguntur solummodò sunt facta autem esse desinunt, erunt actus mali, non homines: quia sequeretur, homines tantùm esse dum agerent, & deinceps dum non agerent non esse, quod falsum est. Quare homo malus appellatur ex actibus

bus quos agit, non ex substantia: mala autem ex accidentibus substantiæ, quæ non sunt tamen substantiæ: & sic malus incipit esse malus, dum male agere incipit. Sic & dæmones non substantia, quæ est bona, mali, sed ex accidentibus, & per se ex sua voluntate, vt scribit Innocentius III. ex concilio generali, in cap. 1. de Sum. trinit. & fide cathol libr 1. *Decretal.* tit. 1. quod & latè disputat Eusebius Pamphili. libr 7. de præparat. Euangel. cap. 9 & *D.* Chrysostomus homilia 2. & in cap. 1. in Actuum tomo, non posse natura creati malum quod bono sit adiumento, scribit: & tomo 2 homil. 60. in cap 18. Matthæi, *Mala*, inquit, *cùm nullam rem habeant, nomina solùm sunt.* Ex quibus & colligitur aperte illorum error, qui ingenitum malum dicebant, & *Deo* coæternum: nam si ex accidente malum est, perpetuò certè non fuit. & si mala perpetuò mala fuissent, & *Deo* oppositum malum, Deusque malus fuisset, quod contrarium Deo est. Nam, vt scribit Plato libr. 13. in Theæteto, *impossibile est*, inquit Socrates, *ô Theodore, mala penitus extirpari: nam bono oppositum aliquid semper esse necesse est. neq; illa tamen apud deos locum habere possunt: naturam verò mortalem, regionemq; inferiorem necessariò circumeunt.* Et Galenus tomo 1. lib. Quod animi mores corporis temperaturas sequuntur, *Deum* bonum esse ab æterno, & non talem à seipso redditum scribit, & ideo ab omnibus diligi: sicuti contra malum genitum & creatum, odio omnibus esse, naturaliterque vitari. est enim omne principium ipsum bonum in omnibus, vt ait Aristoteles libr. 12. Metaphysic. cap. fin. Deus autem omnium est & antiquius principium principians. Sed & his consentit D. Chrysostomus, tomo 2. homilia 60. in c. 18 Matthæi. *An igitur*, inquit, *malum ingenitum? meliora dic verba homo, & immanissimum illum furorem execrare, quo unum Deo, & peccato cultum attribuis, & cultum præcipuum: imò verò supremum meo iudicio.* Præterea si mala ingenita sunt, tantas vires possidebunt, vt nec euelli, nec omnino non esse non possint: nam quod ingenitum & absq; principio est, nulli corruptioni subjicitur. Ad hæc si nequitia sic inuicta esset, quomodo tam multi homines virtutem colere potuerunt? aut quomodo mortales & caduci æternum & immortale vitium superauerunt? sed Deus, inquies, vires malorum eneruat. At quomodo eneruauit, aut omnino quomodo destruet coætcrna vitia nec minùs pollentia, si à

æqualium virium, & eiusdem, vt ita dixerim, ætatis: sed & hoc nihil aliud potest esse, quàm diabolicum dogma, vt, dũ putamus malitiam naturalem & ingenitam esse, vitia nostra necessitati & cuidam ineuitabili malo assignemus, vt excusationem delictis prætexamus, & ita incauti & negligentes bonorum operum, præcipiti gradu ad inferna deuoluamur.

Non ingenitum igitur malum, sed genitum post bonum, quod prius fuit, & veritas prior mendacio. Atque etiam hac in parte lapsi, qui malitiam creatam & genitam quidem fatentur, sed simul tamen cum bono genitam ab initio, vt dicebat Euonymus hæreticus: cùm tamen opera Dei omnia essent valde bona, cùm ea fecit, Genes. 1. ipseq; fecerit animã bonam, sed ipsa degenerauerit peccato, qd' propriè malum est, vt norat etiam Basilius Magnus sermone, Quòd Deus non sit author malorum, Docet & D. Dionysius Areopagita lib. de Diuin. nominib. c. 4. qui nec ex bono, nec in bono, nec per bonum, malum oriri demonstrat, cùm ex eo quod est, quod non est oriri non possit.

Verùm huic negotio dubitationem quandam adferunt quædam: inter cætera duo potissimùm, quæ nobis esse mala, & substantiam habere, & à bono esse videntur. in primis quia ex malo corruptionis aliud generari vidimus; dehinc quòd sentimus & percipimus mala, nempe dolorem ex ictibus, ægritudinibus, iniuriis, dolis, cædibus & huiusmodi. Et Chrysippus libr. περὶ προνοίας 4. scribit, nihil prorsus esse insipidius illis, qui opinantur bona esse potuisse, si non essent itidem mala: nam cùm bona malis contraria sint, vtraque necessarium est opposita inter se esse, & quasi mutuo aduerso quæque culta nisu consistere: nullum adeò contrarium esse sine contrario altero, vt refert etiam Gellius libr. 6. Noctium Atticarum cap. 1. Accedunt & tristitiæ, & voluptates, in quibus sensibus egemus, quibusque & constitutio corporis mouetur, vt scribit Galenus tomo 1. libr 7. de Decretis Hippocratis & Platonis, & alibi: quod autem nihil est, mouere non potest, siquidem non entis nullæ sunt qualitates: & quod non est, in considerationem non venit: sicuti Africanus ait, seruum stipulantem domino nominatim, qui mortuus erat, inutiliter facere. in l. eius qui in prouincia. l. 41. §. quòd si stipulatus de reb. cred. lib. 12. π. tit. 1.

Et ter-

Et tertiò dicimus contrarium bono malum cum Aristot. in prædicamentis: contrarium autem nequit esse quod per se non est, vt per consequens, si per se non sit, à bono procedat necesse sit. siquidem quod malum non est, bonum sit necesse est. Atq; sacra scriptura iubet auferri mala de medio Israel, *Deuter.* c. 13. b. vers. 5. & c. 17. c. vers. 13. & c. 19 d. vers. 19. Et Iudic 20. b. vers. 13 auferri autem nequit quod non est.

Quartò scribitur *Deum* creare mala, Esaiæ c. 45. b vers. 7. Et rursus, *Non est malum in ciuitate quod non fecerit Dominus.* Amos c. 3. 6. ver. 6. & Baruc c. 2. a *Adduxit Dominus super nos mala.* Sed & Iurisconsulti, esse malum aliquid dicunt, dum inter malè agere, & nihil agere distinctionem adhibent, vt apud Vlpianum l. vni § fin. quando dies vsusfruct. lega. cod. lib 7. ff. tit. 3.

Quin & illi dixisse videntur ex eodem fonte bona & mala oriri, vel ex bonis mala Sic enim Iustinianus tradere videtur in §. illud quoque. de exhiben. reis, in Authent. collat. 5. tit. 6. dum scribit ex legum optima dispositione, calumniarum prodiisse exemplaria. Et glossa in verbo calumniarum, in d. §. illud. sic colligit, *Omnia*, inquit, *mala exempla orta sunt à bonis rebus.* Et multa his similia congeri possunt: quæ tamen omnia, si bene perpendantur, nec mala aliquid esse, nec ex bono esse probant. Nam quod pertinet ad id quod primo loco de corruptione obijcitur, malũ ideo aliquid esse, quod ex illa corruptione, quæ mala est, quòd destruat quod erat, fiat generatio. fieri autem non posse nisi esset illa aliquid, cùm ex nihilo nihil fiat, fatendum quidem est, ordine naturæ aliquid ex nihilo fieri non posse, vt 1 de rerum Natura docet Lucretius. errat tamen ille, quum ad Dei potentiam, & primam rerum creationem peruenit. dum ait. *Nullam rem è nihilo gigni diuinitus vnquam.* Id enim intelligi debet non de *Dei* creatione, sed naturæ opificio & lege, vt alii, & probè intelligunt.

Porrò, quòd post corruptionem aliquid generetur, illud non est ex malo quod corrumpit, sed ex bono quod superest: neque corruptio & generatio eiusdem, sed diuersorum. In eodem tamen subiecto, corruptio à malo, & generatio à bono, & ex diuersa potentia Siquidem notandum est, tunc cùm post corruptionem fit generatio, non omninò bonum sublatum, sed diminutum & deterius redditum, vel immutatum: & illam immutationem,

diminutionemque boni. bonum aliud esse, at alterius modi à priore: nam si bonum omnino à malo obsessum fuisset, nihil remansisset: quia malum cùm sit interitus, omne à malo sublatum esset: quare nec totum malum est, Et id quod malum, solùm interit, nec est: quod autem relinquitur, quodque generatio est, aliud à malo. Docet id D. Dionysius Areopagita libro de *Diui.* nominib. c. 4. Et ea ratione, quia non tollitur omne bonum. & quia malum in aliquo subiecto dicitur, malum in aliquo bono fundatur: malum enim cùm non habeat per se essentiam, neque per se subsistere potest, & cùm malum per accidens causetur, effectus cum causa sit necesse est, vt fusè explicat *D.* Thomas 1. par. artic. 3. Et de malo quæst 1. art. 2. & lib. 3. contra Gentiles, c. 11. *Docet* & malum non omnino consumere bonum, 1. par. quæst. 48. art. 4 & 2. quæst. 85. articul. 1 & libr 3. contra Gentiles, c. 12. Confirmat & *D.* Athanasius, dum ait oratio. contra Idòla. *Nullum igitur malum nec à Deo, nec in Deo, nec ab initio extitisse, neque illam eius esse substantiam dicimus, sed homines per priuationem imaginandi, cogitandique boni, illud sibi quod malum est, comminisci incœperunt, effinxeruntque pro libidine ea, qua non erant.* Et docent iurisconsulti dissolutione & destructione, siue nauis, siue ædificii, & ex eorum materia alia ædificata nouè, priora ædificia non censeri, non naues easdem, sed nouam quandam speciem: item, nec mutatas res in alios vsus extra commercia hominum existentes, eiusdem esse obligationis. Et breuiter, vnam & eandem præsentem causam, obligationis & liberationis ortus & interitus esse, vt philosophatur Vlpianus in l. interstipulantem, l. 83. § sacram, de verbor. obligat. libr. 45 π. tit. 1. cum ibi notatis similib. Non ignoro tamen Aristotelem dixisse, priuationem esse principium generationis per accidens: verùm hac in parte ab illo dissentio, nec immeritò, vt docebimus, *Deo* iuuante, cùm de rerum principiis agemus.

Sed transeamus ad secundum argumentum, cùm tristitiam, & dolorem, & voluptatem & mala huiusmodi, sicuti & bona sensibus apprehendi, & per consequens esse aliquid malum, aiunt. Imò & corporeum: cùm, quæ sensibus comprehendantur, corporea sint, vt alibi docuimus ex authoritate Aristotelis & Lucretii. *Dicimus* itaque in rebus corporeis, voluptate, delectatione, vel iucun-

iucunditate, bonum malúmue non esse: nam illa sunt in sensibus: bonum autem vel malum sunt in intellectu, & diuersa ratione: vt scribit Aristoteles 3. de anima, c. 7. Et cum res ab vsu vel fine, vel bonæ, vel malæ censeri possint, bonum vel malum non cadit sub notionem sensuum doloris vel tristitiæ. Et ideo id quod mouet sensum est quidem sed quod malum sit, quia triste, negatur. Et medicus dum secat vritve membra putrida, tristitiam ingerit & dolorem, at id malum non est, sed bonum. Et contra dum quis luxuriatur more brutorum contra prohibitionem, ob id, quòd agat à Deo prohibitum, malum est, quanquam voluptate ingenti in actu venereo afficiatur: quare non sensibus meriti oportet malum vel bonum, sed alia ratione, vt postea in finitione bonitatis docebimus.

Nec quod tertio in loco dicebamus contraria esse bonum & malum, verum est absolute. Neque enim sunt contraria subsistentia ratione priuationis, sed in genere malum priuat in moralibus, & in abstracto, vt contraria liberalitati illiberalitas: non in ratione subsistenti, nec contrarium arguere qualitatem verum hic est. Nam etsi contrariũ sit bono malũ genere quodã, nõ tamẽ est, cùm sit priuatio, & priuatio nihil sit. Antequam enim malum dicatur malum, non est, cùm infertur etiam non est, quia nondum priuatio: cùm etiã illatũ est, non est, quia priuatio nihil est. Verbo tenus igitur esse malum intelligitur, cùm non perseueret, nec antequam sit, dici possit, nec cùm sit, demonstrari possit. In intellectu tamen ex defectu & priuatione, indigentia boni & eius vtilitas colligitur. Quod autem scriptura iubet auferri de medio mala, intelligimus ablationẽ eã esse boni adiectionẽ, & castigatione faciendã eorũ, quorũ ope & ministerio mala cõmissa sunt. Et ibi malum accipitur pro eo qui malũ cõmisit, efficiens pro effectu, unde mali homines, & Angeli mali, quia mala committunt. Et Satan qui perpetuo machinatur mala, etiam titulo mali demonstratur in oratione dominica dum dicitur. *sed libera nos à malo*, hoc est à Satana eximie malo, qui cum à nobis nunquam læsus fuerit, tamen indefesse mala nobis architectatur: fitque ideo caput malitiæ, voluntate, non natura talis, vt scribit D. Chrysostomus homilia 10 in cap. 6. Matthæi, tomo 2. sicuti & malitia dicitur interdum, non id ex quo malum prodit, sed id in quo malitia explicatur, vt Matthæi 6. in fine legitur, *sufficit diei malitia sua*. vbi, & alibi,

malitia non diei malitiam denotat, sed anxietates, labores, ærumnas, sollicitudines ue, quæ singulis diebus occurrunt, quæ malorum verè dant ansam; vel mala, quamuis falsò per se putantur. Nam, vt & ad reliqua transeamus, vulgò & sæpè in scriptura sacra, quæ quantum fieri potest sese intellectui faciliori & idiomati omnium accommodat, malum accipitur non pro veri boni priuatione, sed pro priuatione eius quod bonum videtur, cùm tamen non sit: sic afflictiones à Deo immissæ, vt saluus fiat homo, & conuertatur à peccatis, mala dicuntur: & Deus dicitur creans malum, & immittens. & faciens malum. Et ita intelligitur quod scribitur Michææ, cap. 1. d. vers. 12. *Descendit malum à Domino*: & Hieremiæ 11. b. vers. 11. *Inducam super eos*, inquit Dominus, *mala, de quibus exire non poterunt, Et clamabunt ad me, & non exaudiam eos.* Et alibi Isaias. cap. 45. c. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras faciens pacem, & creans malum.* Quod interpretatus D. Gregorius Magnus, libr. 3. Moralium in Iob c. 6. *Nec*, inquit, *mala, quæ nulla sua natura subsistunt à Domino creatur sed creare se mala Dominus indicat, cùm res benè conditas nobis malè agentibus in flagellũ formar: & ea ipsa & per dolorẽ quo feriunt, delinquentibus mala sint, & per naturã qua existunt, bona, vnde & venenũ mors quidem est homini sed tamẽ ista serpenti.* Et hoc omnibus idiomatibus cõmune est, ita apud Hebræos רע & הרע pro afflixit & malè egit ponitur, & רעה pro malitia & afflictione & tristitia. Sicuti & apud Græcos κακὸς, & κακὸς malus, apud Homerum, Euripidem Demosthenem, Thucydidem, & alios probatos authores pro misero, afflicto, tristi, & pro prauo & nequam: & Hesychius, κακὸς, inquit, ἀμελὴς, ὀλεθρος, πονηρος. Et ita mala à Deo sunt, id est castigationes mali, non autem mala nequitiæ & iniquitatis: & mala illa. castigationes, inquam, bona sunt ad frugem meliorem nos ducentes. Sic cùm iurisconsulti malè agere distinguunt à nihil agere, malè agere accipiunt aliter quàm pro pessimè agere, scilicet pro eo quod est suo tempore nõ agere, vel actionem vt oportet non intentare.

Quod autem dicitur mala orta esse ex bonis, intelligendum est orta esse per accidens, id est, eorum bonorum prætextu & fuco inuecta, cùm quid sub specie boni sit vel ex bono defenditur: sed id nõ verè ortum ex bono, sed corruptio vel deprauatio boni est, & catachristicos & impro-

prie ex

priè ex bono ortum dicitur. Docet & id Chrysippus libro ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τοῖς κατὰ φύσιν γίνεσθαι, id est, num morbi hominum secundum naturam fiant. vbi mala nõ per naturam, sed κατὰ παρακολούθησιν, id est, per consequẽtiam, fieri dicit. *Sicut*, inquit, *cùm corpora hominum natura fingeret, ratio subtilior & utilitas ipsa operis postulauit, vt tenuissimis minutisq; essiculis caput cogingeret: sed hanc utilitatem rei maiorem alia quædam incõmoditas extrinsecus consecuta est, vt fieret caput tenuiter minutũ, & ictibus offensionibusq; parum fragile. proinde morbi quoq; & aegritudines partæ sunt, dũ salus paritur: sic hercle*, inquit, *dũ virtus hominibus per consiliũ natura gignitur, vitia itidem per affinitatem cõtraria nata sunt.* Refert & Gellius l. 6. Noct. Attic. c. 1. Constat igitur ex his, bonum esse & malum nihil per se, cùm accidentaliter in boni priuatione superueniat. Atque necessariò bonitatem sic etiam esse oportuit, qua veluti summo genere, posita, species omnes boni colligerentur. Alioquin quædam, vel omnia per se mala essent, vel potiùs nihil essent. Nam sicut positione generis veniunt & eius species, vt in genere legati earum rerum, quæ quis parauerat, & species acquisitionis per emptionem veniunt, apud Vlpianum l. item legato l. 47. § 1. de legat 3 lib. 32. ff. tit. 1. Et cùm in specie & genus repræsentetur apud eundem Vlpianum in l. si quid earum, l. 45 § 1. cod. de leg. 3. cum similibus: sic & sublato genere, omnes tolluntur species: & cùm principalis causa non consistit, nec plerunque quæ ex ea sequũntur, vt ait Vlpianus in l. cùm principalis, l. 139. de regulis iur. lib. 50. ff. tit. 17. cap. accessoriũ, de reg. iur. lib. 50. Sexti decretalium. Sed de hoc satis. Si quis autem velit probationes latiores venari, quòdq; malum non sit ens, atque solutiones argumentorum in contrariam partem deductorum, videat D. Thomam lib. 3. contra Gentiles c. 7. & c. 8. & c. 9. Docet et c. 10, quomodo bonum sit per defectionem & per accidens causa mali.

## *Quid bonitas, & malitia.*

## CAP. II.

SED quia constat bonitatem esse, quid sit dispiciamus nunc, & paucis concludamus. Notatio nominis bonitatis, est quasi boni dicas entitatem, vel existentiam,

tiam, ex qua omna bona dependent, & vbi omnia sita bona sunt. idem quod Græcis ἀγαθωσύνη, quasi ἀγαθότητος, boni intelligentia: & Hebræis eodem modo טרבד *tobab*, quasi dixeris, quia תוב בט, *tobbah*, bonum in ea. Huic opponitur malitia siue nequitia, quasi malitio, vel ad malum iter. Græcis πονηρία. veluti πονηρὰ αἵρεσις morbi electio, diximus enim morbum esse malum, & bonum morbi remedium. Hebræis autē רעה *ragna* malitia, à verbo רוע *ragna* vel רע quod significat etiam nocuit & displicuit, & malè egit. In quibus nota nominis demonstrationem omnis substantiam & robur, vt quis rite & cum ratione rebus nomina fuisse imposita à sapientibus antiquis intelligere possit: nunc substantialis autem finitio erit.

Bonitas est ens, fons, causa, & origo boni totius, & essentiæ, & actuum qui priuatione non vincuntur in eodem subiecto & tempore Quæ nostra & noua, vt reliqua ferè quæ damus, bonitatis finitio est ex abditissimis scientiarū penetralibus coll. ta, constat genere & differentiis, vt omnis bona finitio constare debet. secundum Cicero. 1. de Inuentio. Quintilia lib 7. c. 4. & lib. 5. c. 10. Rodolphum Agric. Boetium, & alios. Ens in hac pro genere, cætera pro differentiis. Quibus probatis & examinatis, statim mali vel malitiæ sese offeret vt oppositi, cognitio: est enim regula in omni doctrina generalis, vt Cognito altero contrariorum, cognoscatur & reliquum. &, Quod de vno contrariorum dicitur, de altero negatur. & contrà quod de vno negatur, de altero tacite affirmatur, vt scribit Cicero 5. de Finibus: siue ea contraria sint συμπλοκὰ, siue ἀποφατικὰ lib. Topico. ad Trebatium. Hinc est quod dicunt, Contrariorum eandem esse disciplinam, ex Aristotele. lib. 1. Topico. cap. 8. & Scientiam eandem ex eodem lib. Problematum, sectione 29. quæst. 7. & quæst. 11. & 5. Ethico. ad Nicomachum. Quod & iurisconsultorum fuit axioma, in primis Caij in l. 1. de iis qui sui vel al. iur. sunt, libr. 1. π. tit. 6. *Videamus*, inquit, *de his personis quæ alieni iuris subiecta sunt: nam si cognouerimus quæ ista persona sunt, simul intelligemus quæ sui iuris sunt* Quæ transcripsit Iustinianus Cæsar in §. 1. verl. videamus, de iis qui sui vel alie. iur. sunt. lib. 1. Instit iur. ciuil. tit. 8. & Marcel. Iurisc. *Qui accusare*, inquit, *possunt intelligemus si sciuerimus qui non possunt*. in l. qui accusare. l 8 de accusat. & inscript. lib 48. π. tit. 2. Sic per lucem tenebras, per somnum

somnum silentium, per verum falsum, per bonum malum dignoscimus, vt scribit Marcilius Ficinus in epitome Theæteti Platonis, vel de scientia. Sunt enim contraria vsque adeo pugnantia, vt se mutuò priuent. Vnde aliud axioma natum inter medicos est, Contraria contrariis curari: veluti morbos qui ex saturitate proueniunt, inedia: qui ex inedia, saturitate; hos qui labore, quiete; & contra: & autumnales morbos vere liberandos, hyemis æstate, & contra, vt docet Hippocrates lib. de Hominis natura, & pluribus in locis Aphorismorum demonstrat. & latè Galenus libr. 11. tomo 6. Methodi medendi, cap. 12. & 13. Idque perpetuò verũ esse & perpetuò contrarium remedium, calido frigidum, sicco humidum, & contra in Isagogicis lib. De medi. artis constit. & alibi. Quod & in morbis animæ, & vitiis accidere docet D. Chrysostomus tomo 5. homilia 5. ad populum Antiochenum, dum tractat de iuramentis omni studio fugiendis, & mutandam vitam vitiis seruientem in contrariam, vt ex luxuria in castitatem, crapula in ieiunium, auaritia in liberalitatem.

Quocirca cùm, vt contrarium, malum opponatur bono, intelligentes finitionem boni, per eandem, negando eadem in malo, ad mali notionem manu ducemur. Offertur igitur in primis in boni finitione explicandum genus, per quod definitio boni magis elucet: illud est quod dicimus esse ens, fontem, & causam, &c. Videmur certè hac in parte prima fronte approbare quod antiqui dicebant, & Agrippa in artem Lullij, ens esse addendum nostris primis transcendentibus, vel supra illa: cùm ens, vt genus, definitionis det ansam principiis. Sed certe non ita est ens accipiendum: nam aliquid maius quàm transcendens antiquorum, per ens hic intelligimus. Antiqui namque, & philosophi ens tantum accipiebant, prout est in prædicamento Qualitatis; nam & semper apud philosophos in Qualitatis prædicamento ponitur, siue res aut realia cõsideres: tunc enim ponitur ens in prædicamentorum numero apud Aristotelem lib. 6. Metaphysic. textu 8 siue consideres rerum scientiam, quæ aliquo modo dicitur realis, vt scribit Aristoteles 3. de Anima, vbi agit de actu & specie intelligẽdi. Sic enim & communi modo ens reale potest accipi pro intellectuali, vt docet Chrysostomus Iauellus tracta. 1. de Transcend. & Herneus in 3. quodlibet. q. 1. Nam quamuis lapis non habeat esse in anima, dum mente comprehensus est, sed extra

animam

animam, vel vt dicunt, ad extra, tamen esse eius obiectiue est in anima, prout est intelligibilis lapis. Cæterum hæc omnia potiùs sunt entia aliunde, quàm propriè ens: ideo hic nos ens accipimus pro Deo, à quo omnes existentiæ: ille namque per se & verè est ens. Quia esse Dei primum ex se, nec ab alio acceptum est, indiuiduum, à quo creatum est aliud esse, quod videtur creatum dico, non genitum, vel productum quia primum esse creauit illud ex non esse: nō ex seipso. Indiuiduum namque cum sit primum ex se, nihil generare potest vnde diuidatur à se: quia si esset diuiduum, esset corruptibile; & ita non esset Deus, qui est immortalis & per se immortalitas. quod constat ex rebus essentiam habentibus, quia ex non existente prius creatum est, & esse accepit in non esse etiam reverti potest. quia eius etiam esse simplex non est, vt Dei, sed compositum. Sic & obnoxiæ dissolutioni sunt essentiæ rerum corporalium: productæ autem sunt res à primo esse, non naturaliter, sed per modum artis vt scribit Raimundus Sabaude in libr Creaturarum, titul. 17. neque ex necessitate: cum enim esse Dei sit idem quod eius intelligere, & velle, seu liberum arbitrium, ideo producere Dei, est per intellectum & voluntatem, & volendo & intelligendo producere quod creauit. Artificialis itaque productio, quia non de natura artificis: sicut architectus domum in animo producit, vnde & infinitæ domus possint produci. mundus autem in mente Dei (si liceat humana diuinis exempli causa afferre,) veluti domus in mente artificis: nec Deus ipse mundus, sed mundus in eo maiorem perfectionem quàm in se habet: quia puritate formæ ibi præstat, hic autem alterationibus obiicitur. Et quia intellectus Dei ab æterno sine principio, sic & mundus & omnia in mēte diuina ab æterno sine principio. Quod distinguit Dei opificium ab artifice mortali, qui quia mortalis, & cum principio ab alio habito, sic & ipse principium constituit suæ voluntatis: non ita Deus, qui cum sit immortalis & sine principio essentiam habet & absque fine suam aliarumque etiam rerum essentiam in se sine principio, extra se cum principio, à se dato. Cum enim omnipotens sit, ex nihilo virtute sua omnia creauit, & ideo res creatæ essentiam quidem habent creatam, sed non ex se, sed ex non præiacente ente, & à Deo in quo omnia, & ex quo, & per quem omnia: ipso verè esse existente non aliunde, sed per se. Non dico etiam à se: nam à se si habe-

haberet, non ante idem habuisset, & aliquando incepisset, quod falsum: ideo per se esse dico.

Vocarunt ideò antiqui philosophi ens τὸ ὄν, id est, id quod est. sic enim interpretatur Plato lib. 23. in Cratylo, vel de recta nomi. ratione ὄν. Ita & Deum dixerunt τὸ ὄν omnes fere Platonici, Amelius, Iamblicus, Syrianus, & alij: expresse etiam D. Dionysius Areopagita pluribus in locis, potissimùm de cælesti Hierarchia, ca. 8. & De diuinis nominibus c 1. vocat Deum τὸ ὄν vniuersale: nam τὸ ὄν particulare, potest esse id quod aliunde est, quodq; veritatem quandam existentiæ habet. Sic enim scribit Manuel Moscopulus libr. περὶ ἀριθμῶν, τὰ γὰρ ὄντα φαμὲν λέγειν τινὰ, ἤγουν τὰ ἀληθῆ, id est, etenim dicimus τὰ ὄντα vel existentia, esse aliqua, & per consequēs vera: sed illa participatiuè, non absolutè, & vniuersaliter entia, & ens: Deus autem vniuersaliter & vnicè & propriè ens. Et hoc E S T, in Deo. est Dei essentia, & non aliud in Deo. Et ita hoc ei nomen proprium apud Hebræos dicitur יהוה ineffabile: quod à radice היה, id est, fuit. traditur. nomen reuelatum Mosi, Exodi c. 3. vers. 4. d. Interrogāti namq; Mosi, quis esset dominus, qui secum loqueretur, vt eius nomine filiis Israël legationem iniunctam explicaret, respondit Deus: *Si dixerint, quod est nomen eius qui misit te, dices,* אהיה cheie, *misit me ad vos*, id est, אשר היה ascher heie, qui est, misit me, & sequitur, *dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abrahām, Deus Izaac, Deus Iacob misit me ad vos.* si dixerint inquit Moses לי מה שמו מה limah semomah, id est, quod est nomen eius qui te misit, dic illis זה שמי לעלם zeschemi legnalam, id est, hoc nomē meum, absconditum. Reperies q; arte kabalistica, ex singulis finalibus literis quas signaui virgula. לי מה שמי מה nomen colligi יהוה Iehouah, quod vocat nomen secretum, nempe לעלם legnalam: nam legendum *legnalam* absconditum non לעולם *legnolam*, in æternum. Nomen autem *Iehoua*, ab essentia, quod sit ens tractum, ideo & quia absconditū & essentiā omnē continēs. ineffabile dicebatur, & *scem hamephoras*, id est, nomē implicitū, & per interpretationē, non per se probatū, vt scribit Rabi Mosce Ægyptius li. More. in p. 61. capitis, & scribitur in p. 5. Talmud. q̄ dicitur

קדושים

קדושים *kedusim* id est sanctificationum e עשרה דוחשים *gasrat hachasim*. id est decem nobilis, vnde & Rabi Abraham Saul dicebat, eum qui nomen hoc Dei pronuntiasset, non habiturum partem in futuro seculo, vt scribitur in 4. parte Talmud quæ dicitur סדר נזיקין *seder nezikim*, id est, ordo damnorum. in מסכת סנהדרין *massecket sanedrin*, id est, tractatu iudiciorum פרק *perek* sine capite, quod incipit *helec*; & Rabi Azariel libro Sanctitatis, quem vocat אין סוף *ein soph*. id est infiniti. Illud enim veritum erat nisi solis sacerdotibus, quibus & tantum permissum in benedictionibus, quas in hoc nomine faciebant, vt scribit idem Rabi Mosce. 30. cap. 61 partis More. magnam namque vim habet expressionis diuinitatis illud nomen entis, in Deo solo natura vniuersalis, sed qui aliorum existentium ratione super ens & nomen dici potest, quod supra vulgi captū transcendit, vt Deus dicatur. ita & ens & non ens, quod cōprehendi non possit. Quare & in libro Talmudicorum inscripto אמונת היהודים *amunath hachudim* fides Iudæorum, ille, inquit Deus, in quem credimus יש *ies*, & non יש *ies*, est ens & non ens. Et Diuus Dionysius Areopagita De diuinis nominibus cap. 5. *ipsius* inquit, *entis appellatio in Deo per omnia quæ sunt porrigitur: atque super omnia quæcunque sunt eminet: non tamen super essentiam Dei bonitatem exprimit essentiamq; & vitam & sapientiam. quæ & num sunt in Deo ac bonum & ens non tamen cum ente creat. Nam Deus non quodammodo est ens sed simpliciter & incircunscripte totum in se essentiæ comprehendens. graduq; superiore complectens Quapropter & rex dicitur seculorum: quippe cùm in ipso, & circa ipsum, esse atque ens omne subsistat. neq; erat, neque erit, neque factus est, neque fit, neque fiet: imo neque est quidem sed ipse est ipsis entibus ipsum esse. neque verò etiam solum, sed etiam ipsum esse entium ex ipso pendet, qui ante æternitatem extat ipse enim est seculum seculorum, qui est ante secula.* Celebratur autem merito in primis Deus tanquam ens antiquiore bonorum suorum munere, quo omnia produxit: est enim rerum omnium principium, ex quo existit & ipsum esse & omnia quomodolibet existentia, omne principium, omnis terminus, omnis vita, sapientia, ordo bonitas, magnitudo, duratio & reliqua. Est enim, vt scribunt Hebræi in lib *Sepher amunah* lib. fidei Iudæo-

tum.

rum. ראשון באין ראשית ראשיתו *reſcon beein reſchit reſchito* principium, non habens principium principio ſuo. Et ita, inquit D. Dionyſius, dicitur de illo eſt, fuit, fiet, factum eſt, fitque, quod ſignificat Deum ſuper omnem intelligentiam ſupereſſentialiter eſſe, & omnium quomodolibet ſint, principium. Iam vero Deus non hoc quidem eſt, neque hic quidem, & ita eſt, ibi vero & aliter minimè, ſed eſt ſimpliciter omnia vt omnium cauſa. Rurſus omnia in ſe principia, omnes concluſiones, terminos omnium rerum continens & ante habens ſuper omnia eſt, vt qui ante omnia præeſt mirabili ſuper eſſentiam ratione. his accedat Diuus Athanaſius, alia Eccleſiaſticæ profunditatis columna. *Deus*, inquit tractatu de definition. *eſſentia ſiue cauſa, & omnium eſſentiarum ſuperſubſtantialis cauſa.* Diſtinguit & clarius Euſebius Pamphili. libr. 11. de præparat. Euangel. cap. 6 *Dum Moſes*, inquit, *ſcribit de Deo, Ego ſum, qui ſum, Loquere filiis Iſraël aperte ſoli Deo eſſe attribuit. Et dum Salomon ait futurum eſſe quod fuit, & faciendum quod factum eſt, nec nouum aliquid eſſe ſub ſole, dupliciter eſſe partitur. Nam aliud incorruptibile, immortale, ſtabilique natura, intellectuale incorporaleq; aliud in fluxu mutatio, neque ſemper eſſe determinat. Et vt breuiter colligam, cùm ad vnum cuncta principium Iudæi referant, cunctaq; eſſe abſque ortu, quod verè atque propriè appellant ens corporalium omnium & incorporalium cauſam, vide quomodo non ſolum ſenſum, ſed etiam verba Plato expreſſit. Quid eſt*, inquit, *quod ſemper eſt ortum non habens, & quod ſemper fit, eſt autem nunquam illud vere mente ac ratione percipitur, eodem ſemper ens modo.* Sed clarius Moſes. Eſt igitur, verè ſoli Deo erit & erat ſoli creaturæ accommodatur. Et idem cap. 7. eiuſd. lib. 11. docet rurſum, in creatura non eſſe ſolidum, vt in Deo eſt: quia creatura omnis perpetuo mutatur & corrumpitur, vt ætatibus & morbis: neque etiam vel momento quiſquam idem eſt: mutamur & affectionibus, paſſionibus, & volũtatibus in anima: & tempus ipſum quo omnia incrementa percipiunt & decrementa, mutabile, & vertigine perpetua circumuoluitur in ſuis cardinibus & polis, ad cuius motum & cuncta naſcũtur, & decreſcunt, & intereunt continuata ſerie. D. Ioannes Damaſcenus etiam libro de Orthodoxa fide 1. ca. 2. hoc argumento veram eſſentiam eſſe Deum comprobat, πάντων, inquit, τὸ ὄντως, ἢ

κτιστά ἐστι, ἢ ἄκτιστα. εἰ μὲν οὖν κτιστά, πάντως καὶ τρεπτὰ· ὧν γὰρ τὸ εἶναι ἀπὸ τροπῆς ἤρξατο, τοῦτο καὶ τῇ τροπῇ ὑποκείσεται πάντως, ἢ φθορὰ μόνα. ἢ κἂν περαίρεσιν ἄλλοιά μόνα. εἰ δὲ ἄκτιστα κἂν τὸν τῆς ἀκολουθίας λόγον πάντως καὶ ἀτρεπτα. ὧν γὰρ τὸ εἶναι ἐναντίον τούτων καὶ ὁ τρόπος εἶναι λογὸς ἐναντ. &c. ἤγουν αἱ ἰδιότητες. &c quæ ita latinè explicantur, *omnia*, inquit, *existentia vel creata vel increata sunt. Si autem creata igitur & mutabilia semper: quorum enim essentia à mutatione incæpit, scilicet ex non esse in esse, hæc eadem & mutationi obnoxia sunt, vel corruptibilia, vel ex voluntate alterabilia. Si autem increata, secundum consequentiam sermonis sunt, & omnino immutabilia. Quorum enim essentia contraria, erit & tractatio contraria, ergo & proprietates.* Et statim subiungit, *Quid igitur non consentiat omnia entia: quæ nostro sensui subiacent: imò & Angelos, & mutari & alterari, multiplicit. rque moueri atque transmutari. Intellectualia quidem dico Angelos, dæmonas, animas, secundum voluntatis delectum, & eam promotionem qua in bono sita est, aut discessionem a bono. & intensam quidem aut remissam: reliqua vero secundum ortum & interitum, augmentum & decrementum, secundum qualitatem, mutationem, localemque motum.* Mutabilia sunt igitur entia omnino quæ creata sunt. creata autem sunt quæ ab aliquo opifice sunt condita: oportet autem opificem ipsum increatum esse. nam si ipse creatus, ab aliquo omnino vt sit creatus oportet. vt eo vsq; procedemus dum quippiam occurrat increatum. Et postea concludit. ἄκλις ὢν ὁ δημιουργὸς πάντως, καὶ ἀτρεπτος ἐστὶ τοῦτο δὲ τὸ αὐτὸ ἄλλο ἢ θεός. id est, *Cum igitur omnino increatus sit rerum omnium opifex, erit & immutabilis. hoc autem quid aliud est quam Deus.* Nam vt scribit D. Iacobus Epistolæ cap. 1. c. vers. 17. Deus lucem, hoc est formam & essentiam, rebus dat, & ipse non mutatur nec alteratur. Sic enim eius verba se habent. πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. id est, *Omnis datio bona, & omne donum perfectum descendit de sursum à patre luminum, apud quem non est alteratio vel mutationis obumbratio vel obscuritas.* Idcirco in plerisq; scriptu-

scripturæ locis antiqui, & noui fœderis, semper Deus, cùm se Deum esse declarat, ait, *Ego sum*, simpliciter, Genes. 4. a. Esaiæ 43. D. Sophoniæ 2. c. Et Matthæi 14. c. *Ego sum, nolite timere.* & alibi. Et fuit hæc vox. *Ego sum*, quæ terruit, D. Ioannis 18. b vsq. adeo Iudæorum, cæteruam, quæ vt caperet dominum nostrũ IESVM venerat, vt statim ceciderint retrorsum ea audita. Est.n verè, *qui est*, essentiarũ Dominus: & cum excedat hominũ & essentiarum mentẽ, incõprehensibile ens, & in Deo solum, *est*, considerari docet D. Paulus 2. Epist. ad Corinth. c. 2. d. ver. 18. & seq *fidelis* inquit, *Deus, quia sermo noster qui fit apud vos non est in illo, est & non: sed, est in illo Est. Dei enim filius* IESVS CHRISTVS, *qui in vobis per nos prædicatus est, non fuit in illo est & non, sed in illo est, &c.* Et expresse scribitur Sap. c. 13. a. ver 1. *Vani sunt homines, in quib. non subest scientia Dei, & de his q̃ videntur bona, nõ potuerũt intelligere eũ qui est, nec operib. attendentes agnoverunt quis esset artifex.* nota ibi duo: vnũ, opera bona, per se bonitatẽ Dei ostendere & Deũ: deinc Deũ dici EST. Et si forsan paganis & allophilis à lege Dei hoc videatur nouũ, audiãt ex suis Proclũ theoremate 123. dicentẽ, *Ens primum propter substantialẽ suã vnitatẽ, incognoscibile est & indicibile, omnib simul secundũ se: neq; n opinabile, neq; intelligibile est. Ens diuinũ & primũ imò penitus est ignotũ, cùm prorsus causam nõ habeat Et cũ omnia ab eo creata sint, bona autem omnia creata, author boni totius, & bonitas ipsa illa essentia & vnũ dicetur.* Sic Plato li. 15. in Sophista, vel de Ente eorũ sententiã improbat, q vel esse plura entia dicebãt, vel ens ipsum principiũ statuebãt: ostẽditq;, nec à multitudine, nec ab vno ente principiũ entiũ capi oportere, sed ab ipso vno. Quod ideo facit, quia ad vnũ & solũ omnia referat. Et li. 10. in Philœbo, siue de sũmo homi. bono, dixit, ex vno & multis cõstare ea q̃ semper esse dicũtur, nempe naturã & finẽ & infinitudinẽ habere in seipsis generatã. Et iterũ li. 32. in Timæo, siue de generatione mũdi, causam omniũ existentiũ Deũ esse scribit. *Mundũ*, inquit, *factũ esse oportet. oportet autem q̃ fit, ab aliqua causa fieri: impossibile enim prorsus est aliquid fieri sine causa.* Et post hæc, *Creatorẽ*, inquit, *atq; opificem vniuersi nec inuenire facilè, nec si inuenerimus fieri potest vt omnib explicemus.* & li. 10. de Legib. reprehendẽs eos qui res factas, & quæ fiunt, futuræve sunt natura siue fortuna dixerũt euenire, dicit à Deo mentẽq; omnia fieri, esseq;. sed & in Timæo, causam & agentem & finalem boni, &

essentiæ ponit Deum *Qui condidit*, inquit, *bonus erat. bono nullius rei invidia esse poterat: illius igitur expers, quam simillima sibi omnia esse voluit.* Et iterum τὶ τὸ ὂν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, &c. id est, *quid est illud quod est semper, nec generationem habet: quid contra, quod semper sit, neque tamen sit unquam: nempe illud cum ratione & intellectu percipitur, eodem modo semper existens. Hoc autem irrationali sensu est opinabile cum fiat & dispereat, vere autem sit nunquam.* Et addit τοῦτο δὲ πάντα μέρος χρόνου, τὸ ἦν, καὶ ἔσται, &c. id est, *illa quæ dicimus particularia temporis, erat, erit, minutia quædam & particula temporis sunt, quæ imprudentes non rectè divina & æterna substantia tribuimus.* Refert & hæc contra gentes Theodoritus, libr. 2. de curatio. Græca. affectio. & Gregorius Theologus sermone de Christi nativitate. Quod enim est semper, omni generatione est superius. vocat & Homerus Deos semper existentes. & ideo immutabiles. Odyssea 4. ver. 146. dum ait, οὐκ δὲ τ' ἄϊψα θεῶν τρέπετ' νόος, αἰὲν ἐόντων. *Non enim statim mutatur mens deorum semper existentium.* Et idem Plato in libro Ciuili, & alibi eadem repetens, ipsum Deum exemplar & causam totius essentiæ probat. hunc secutus Speusippus libro de Diffinitionib. Platonicis. *Deus*, inquit, *est vivens immortale, per seipsum ad beatitudinem sufficiens essentia sempiterna, ipsius boni causa radix omnium, & essentia fons sive pater.* Sed ante eos extat Mercurij Trimegistri de ente & Deo sententia præclara. is enim in Pimandrio, c 2 sermone vniuersal ad Æsculapium *Deum atque ipsa divinitas*, inquit, *dico nunc, non quod genitum, videlicet quia ingenitum. si ergo divinum sit, essentia est, si Deus etiam super essentiam.* Et sermone 4. *nihil in corporibus est quod ipse non sit: omnia enim ipse solus existit. nomina insuper habet omnia, quoniam unius est pater. nomen quoque nullum habet, quoniam pater est omnium* Et rursum sermo. 10. & 11. Deum omnia esse absolute & causam omnium primam, constanter asserit & demonstrat. Sed & Orpheus ἐν ποιήμασι τῶν καὶ τὸν ἱερὸν λόγον αὐτῷ λεγομένων, sive in carminib. de verbo sacro, sic ait.

*Vnus perfectus Deus est qui cuncta creauit,*
*Cuncta fouens, atq; ipse ferens super omnia sese.*
*Qui capitur mente tantum qui mente videtur,*
*Cui nullaq; malum mortalibus inuehit vnquam:*

Quo

*Quo præter non est alius.* & cætera quæ sequuntur. Quorum etiam meminit Eusebius Pamphil. lib. 13 de præparat. Euangel. c. 7 Sibylla etiam vt habetur lib. 1. Sibyll. oraculorum sic scribit.

εἷς θεός ἐστι, βροχὰς, ἀνέμους, σεισμοὺς ἐπιπέμπων,
ἀστεροπὰς λιμούς, κρύσταλλα. τί δὴ καθ' ἓν ἐξαριθμῶ.
ἀρχὴν ἡγεῖται γαίης κρατεῖ, αὐτὸς ὑπάρχει, inquit.

*Vnus qui pluuias mittit, motusq; Notosq;*
*Est Deus, atq; fames, pestes, tristesque dolores,*
*Atque niues glaciem. Sed quorsum singula pando?*
*Imperat & cælu & terra præsidet, ipse est.*

Rursum Sibylla eodem libr. 1. oraculorum exprimit sequentibus versibus & Dei hoc nomen, & quod sit ens: & postea explicat illud, ænigmate subiuncto de Dei nomine, quod eius vim refert. subiiciemus in primis Sibyllina verba & ænigma, demum quid de hoc alij dubitarunt, & quid intelligant.

εἰμὶ δ' ἐγὼ ὃ ὤν, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νόησον.
οὐρανὸν ἐνδέδυμαι, περιβέβλημαι δὲ θάλασσαν,
γαῖα δὲ μοι σῆλγμα ποδῶν περὶ σῶμα κέχυται.
ἀὴρ δ', ἠδ' ἄστρων μὲ χορὸς περιδέδωκε πάντα.
ἕννεα γράμματ' ἔχω, πεντασύλλαβος εἰμὶ, νόει με.
αἱ λοιπαὶ δὲ τὰ λοιπὰ, καὶ εἰσὶν ἄφωνα τὰ πάντα.
τῶ παντὸς δ' ἀριθμῶ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς ὀκτὼ,
καὶ τρεῖς τρὶς δεκάδες, σοφίη δ' ἐπὶ, γνῶς δὲ τὶς εἰμὶ,
οὐκ ἀμύητος ἔσῃ θείης παρ' ἐμοῖ γε σοφίης.

Quæ sic Latine ionant.

*Porro ego sum qui sum, memori quod mente teneto:*
*Cælum vestitum præbet mihi pontus amictum,*
*Terra mihi fulcris pedes & corpus amictus:*
*Aër astrorumq; chorus me circuit omnem.*
*Sunt Elementa nouem mihi, sum tetrasyllabus autem.*
*Perstipe me, prima tres syllaba efficiuntur*
*Ex binis omnes elementis: cætera restant*
*In reliquis, quorum sunt non vocalia quinque.*
*Totius numeri, bis sunt, hecatontades octo,*
*Et tres ter decades cum septem, si sciueris me*
*Non te qua potior sapientia dialatebit.*

Quæ omnia plana sunt, ænigmate excepto: in cuius explicatione scio plurimos laborasse, cùm nequirent proferre a-

liquod conueniens numeris nomen Dei, vel Græcum aut Hebraicum, de vtraque namq; dubitari potest lingua, eo quòd & Hebræa fuerit illa Sibylla quæ carmina protulit, cùm scribat ipsa, l. 1. & 3. Oraculorum, fuisse se nurum Noachi, in arcaq; cum eo cataclismi tempore. & euasisse ex diluuio, & Babylonẽ profectam, & in Græcia vaticinasse, Quare & Sebastianus Castalio in annotationibus in Sibyllam, cum nomen Dei aliquod non posset inuenire, nomen literarum, quarum secundum literarum & syllabarum præscriptionem Sibylliacam numerus esset. 1711. cumque impeditus esset vocalibus nonnullis Hebræorum, ingenuè professus est, se nescire. Et certè tutiùs & sanctiùs, quàm vnus nostri temporis Gohorrius, qui in opusculo de notis inscripto quædam de Musis comminiscitur nouem à quibus longe abfuit Sibyllæ mens. Sed & multum laborauit Ioannes Hartungus, Græcæ linguæ in academia Friburgensi professor publicus: qui tandem acceptum nomen, quod esset à Ioan. Brentio præceptore suo edoctus, nobis communicauit in decuria locorum quorundam memorabilium, c. 5. aitque eum esse nomen Dei φωσφόρου, de quo Sibylla loquitur: Quod vt appareat clariùs, nomen & numerum sic disponito.

| lit. | val. | summa. | lit. | val. | summa. |
|---|---|---|---|---|---|
| φ | 500 | 771 | φ | 500 | 940 |
| ω | 1 | | ο | 70 | |
| ο | 70 | | ς | 100 | |
| ς | 200 | | ο | 70 | |
| | | | ρ | 200 | |

Summa omnium ex { 771, 940 } est 1711.

Bis octo hecatoncades faciunt 1600. ter tres decades 90. ter septem 21. summa 1711. nouem literæ, quatuor syllabæ.

Sic enim collige. { 1600, 90, 21 } 1711

Dicitur autem Phaosphoros, quasi ferens lucem, Lucifer: qui enim essentiam dat rebus, in lucem res quæ non erant producit vt appareant & videantur. Quod & proprium Dei nomen esse constat ex cap. 1. Euangelij D. Ioannis: loquens enim de Deo sic ait, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ

καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. &c. id est, *Omnia per Deum facta sunt, & sine ipso nihil est eorum quæ sunt: in ipso vita erat, & vita erat lux hominum*, &c. Eò pertinent illa, *Quia lux venit in mundum*, Ioannis 3 c. dũ CHRISTVS Dominus ait, *Ego sum lux mundi*, Ioannis 8 b. & c. 9 a &, *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est illis*, Iesaiæ c. 9. Et rursum c. 42. *Dedi te in lucem gentium*. & c. 60. d. *Erit Dominus in lucem sempiternam*. Extat & locus propriùs apud Diuum Petrum Epistol. 2. c. 1. d. vbi hoc nomen Dei Phaosphoros est, τῷ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ ἕως οὗ ἡμέρα διαυγάσῃ, καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. id est, *Cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies elucescat, & Lucifer Phosphoros oriatur in cordibus vestris*. Sed & Hippocrates lib. de Fœminea natura, numen diuinum in rebus omnibus humanis, causam potissimam esse fatetur. hoc & Socrates lib. 4. Xenophon de dictis & factis Socrat. nominatim subiungens, cum reliquis lucem etiam hominibus creasse. Scribit & Galenus lib. 9. de decretis Hippocratis, & Plato ab illa summa rerum omnium causa & essentia, à Deo omnium potentissimo, sapientissimoque, creatam vniuersam mundi molem, vimque quandam esse in mundo hominibus sapientia & potentia meliorem. Deumque totius, tamque pulchræ naturæ hominis opificem, admirandum in operibus, quod & dicebat Socrates, vt scribit Xenophon. lib. 4. de eius factis. Aristoteles pariter lib 1. Metaphys. c. 2. Deum causam omnibus esse dixit, & quoddam principium. Et hæc de ente dicta sufficiant, quæ forsan longiore tractatu lectorem fatigabunt: sed oportuit hæc dici paulò latiùs, quia Deus & ens in cæteris principijs, præbent etiã finitionibus genus, de quo amplius nõ repetetur disputatio.

## *Quod bonitas sit essentia rerum, à verè existente Deo procedens.* CAP. III.

DOCEAMVS nunc hoc ens, nempe Deum, bonitati omni conuenire, & esse Deum puram bonitatem, & ex eo ente originem boni, quòd in eo sint, vt loquar cum Græcis ἀγαθὸν αὐτοαγαθότης, id est, bonorum gloni, bonorum cumuli, bonorum myrmecia, bonorũ mare. Sed in hoc variarunt & errarũt Ethnici sapientes, nam Plato vniuersalem quandam finxit ideam boni: Pythagorici ipsum

vnum & Deum in bonorum serie, non origine posuerunt: Aristoteles autem, vt fere in omnibus arduis rebus habet nasum cereum, & ad vtrumq; contortum, vtrumq; improbat lib. 1. Ethicorum ad Nicomach. c. 6. nihil tamen resoluit: diuersa cùm tamen bona sint, alia per se, alia propter illa: oportet & diuersas esse origines boni. Et paulò post causam suæ ignorantiæ & dubitationis explicat his verbis, *Constat enim, & si est aliquod vnum bonum, quod communiter prædicetur, aut separatum quid ipsum per se, nō tamen aut agi aut acquiri ab homine posse: nunc autem tale quæritur.* Verum nos Dei cognitionem habentes non id dubitamus, sed & ipsum bonum & creatorē dicimus. & cōseruatorem omniū. Et ita & ipsum bonu commune sine quo nihil. Et vt capite præcedente dissidentes propriis telis cōfecimus, nunc & eodem ordine hæc ostendam, annotato prius bonitatem esse in essentia rerum, non vacuum quoddam. In primis igitur omnibus cōmunis vera est sententia, omnia quæ sunt, vel bona, vel mala esse: bona esse per se appetenda, mala fugienda, vt scribit Aristoteles lib. 8. Ethicorum, ad Nicomachum ca. 5. Appetenda autē vel per se, vt quia iucunda pulchráve, vel ratione alterius, vt quia vtilia & iucunda ex his proueniunt: sicuti bona mercatura, & labor, propter vtilitatem quæstus, vel propter honorem, vt scribit Plato dialogo 2. de Republic. Nullus enim est, quin naturaliter ea non persequatur, vt etiam videmus nobis esse natura inditum: argumento animalium & puerorum, qui quæ sibi placent desiderant, appetúntve: & ab iis quibus terrentur & dolent, abhorrent. Quamobrem & quæ maius bonum exhibent, naturaliter præponuntur vel proponi debent his quæ minoris boni sunt. Sic maior vtilitas minori præponitur: vt ab equo fœnum, paleę, & auena, fœno. Homo pariter inter negotia eligit quod melius sibi videtur: bono namq; melius est, verum facta collatione Nam quod melius est, & bonū est: sed maius non sui ratione, sed alterius. vt etiam philosophatur Vlpianus Iurisconsl. in l. vbi autem non appareat. l. 75. de ver. ob. lib. 45. π. tit. 1. cum resoluit qualitatem tacitam bonitatis generis, vel speciei vitiare tanquam incertam stipulationem. Consideratur namq; rerum diuersa bonitas in mutuis potissimū restituēdis, in quib. æquè bonū reddendum, vt scribit Pomponius in l. cū quid, l. 3. de reb. cred. lib. 12. π. tit. 1. Docet & id longa sermocinatione Maxi. Tyrius sermone 23. & 24. in vtramq; partem disputans, num bono

melius

melius reperiri possit. Constatque rerum bonitates, vel ratione interioris boni, scilicet ratione substantiæ, vel exterioris scilicet functionis, vel vsus differre. Namque melius esse, est bonum maius Et vt bono melius reperitur, ita malo peius, vt docet D. Chrysostomus tomo 1. homilia 3. de verbis Iesaiæ, *vidi Dominum*. Sic bonum coniugii est, melior virginitas, bonum tamen vtrumque. Malum & furtum, sed adulterium peius, & tamen vtrumque malum. Quo fit vt peccata non sint æqualia: reclament etsi Stoici, qui id asserebant, vt est author Cicero in Paradoxis. & 2. de Finibus, Diogenesque Laertius libr. 7. de vit Philosoph. in Zenone. Quorũ certè errorem ego maximè improbo, & ridiculas eorum rationes duco, nempe quòd putent ideo illud verum, quòd malum semper vnum sit: & quòd siue plus siue minus transiliat quis lineam, æquè transiliisse verum sit Quæ tamen concessa, definitionem, quòd peccata sint æqualia, nõ probant. Nam & mundus vnus est, globus & globulus cũ sphæra, vnius est figuræ & proportione geometrica æqualis: at quantitate quis non videat maius & minus recipere? Et bona diuersa, aliaque aliis maiora: quis negabit maius bonum esse plures iuuari, quàm vnum? & plures quidem vnum bonum faciunt, sed maius. nam si iuuari hunc seorsum, & tantùm illum, & alterum, bonum sit, nonne simul plures iuuari maius erit, quàm vnum tantùm? Quòd si in bonis intentio bonitatis inuenitur, & remissio necessariò & in malis inuenietur. Cùm enim malum sit boni priuatio, priuatio maioris boni, peccatum erit maius priuatione quæ est minoris mali: priuatio enim ad habitum refertur. Nec sola transitio lineæ boni malum facit, sed extinctio boni, vt diximus: vnde quantò plus ex bono extinguitur, tantò amplius delictum est grauius, vindictaque debet esse grauior, vt loco medicinæ & pharmaci æquetur vulneri & delicto. Sic in *Deuter.* 25. a. vers. 3. *pro mensura peccati erit plagarũ modus*. Talis sententia Dei, Apocalyp. 18. b. vers. 7. *quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Obseruant & hoc leges, Marcellus l. respiciendum, lib. 15. ff. tit. 19. de pœn obseruatis adhuc quibusdam quæ crimina grauiora reddunt, quæ ponit Claudianus l. aut facta, l. 16. cum similib. à glossa notatis eodem tit. de pœn. Et maiorem & minorem perpendit etiam iniuriam ex maiore iniquitate Aristotel. 41. Rhetoric. ad Theod. c. 14. Quid autem sit melius ita regula hac accipe. Melius ra-

tione alterius cùm dicatur, vel sui ipsius causa, & ratione alterius considerationis, illud est, quod habet tantum boni ac illud ad quod fit collatio, & vltra id aliud quippiam ratione cuius dicitur melius: & si eximiè excedat, optimum erit, id est, magis bonum, vt in scala subiectorum licet percurrere ab instrumento incipiendo tanquam à minori bono, vsque ad Deum ascendendo, quod summum bonum: quia gradus vltrà non datur. Infra Deum autem bonitatis pluries gradus, in quibus non potest dici summum bonum, eo quod supra aliquid sit, nempe Deus, in quo omnes boni gradus sunt, & vltrà, plura meliora quàm in inferioribus. Ideo quia magis apparet & potius eligi debet. Nam superioribus alia hæc regula ex Isocrate est colligenda in oratio. 14. in Archidamo dum sic scribit, δυοῖν προκειμένοιν ἀγαθοῖν καὶ τοῦ μὲν δήλου καὶ προδήλου, τοῦ δ' ἀγνοουμένου, πῶς ἂν ποιήσαιτε καταγέλαστον, εἰ τὸ μὲν ὁμολογούμενον ἀποδοκιμάσαιτε, τὸ δ' ἀμφισβητούμενον ἑλέσθαι δόξειεν ὑμῖν, ἄλλως τε καὶ τῆς αἱρέσεως τοσοῦτον διαφερούσης, id est, *Duobus itaque bonis ante conspectum nostrum propositis, altero quidem conspicuo, altero obscuro vel ignorato nimium, qui non per ridiculum feceritis, si quod in confesso & aperto est reprobetis, ac id de quo controversia est, eligere potius videamini tam praesertim diffidente electione.* Et Salomon Eccle c.36.c. vers.20 *omnē escam manducauit venter, & est cibus cibo melior* Quo fit vt error antiquorum ferè palpetur, qui summum bonum perquirentes in medio subiectorum, vel in medio itinere bonitatis hæserunt, nec vltra porrigentes oculos, ad fontem non potuerunt deduci.

Sic erravit Hieronymus ille, qui summum bonum in indolentia posuit: Carneades, qui prima naturæ esse sensit, sanitatem, robur, pulchritudinem & huiusmodi: Dinomachus & Callipho, qui voluptatem cum honestate: Diodorus, qui indolentiam cum honestate: Aristippus Epicurus, Democritus, Lucretius, qui voluptatem absolutè corporum summum bonum fecerunt, horumque sequaces Milesii, qui ob sobrietatem Hermodorum vrbe pepulerunt, virum clarissimum. Pastere lapsi Cynici, Sardanapalus, Heliogabalus, & huiusmodi ventris mancipia. Errârunt & Romani, qui in gloria, vel potius hominum superbia & laude, summum bonum

num posuerunt : verùm non secus quàm *Demosthenes* summus alioquin orator, multùm delectatus susurro muliercula, qui digito eum esse demonstrauit. Non enim tam bonus erat philosophus ac orator. Et vt absoluam, non diuitiæ, non potentatus potentiáue, non reliqua ex iis composita, nec denique virtus ipsa sola per se summum bonum est. Summum enim id, quod alius non indiget, perfectumque per se est, nec supra melius habet, dicitur. Illud autem solum & propriè *Dei* est: δεῖται γὰρ ὁ θεὸς, εἴπερ ἐς' ὄντως θεὸς, ἀ δενὸς, id est, *Indiget namque nullo Deus, si verè est ille Deus*, vt ait Hercules apud Euripidem, in Hercule furente, actu 5. versu 184. Et Deus solus sibi sufficiens, neque alterius amicitia vel ope indiget, vt ait Aristoteles libr. 2. Magnor. Moral. c. 15 & libr 7. Ethic. ad Eudemum. Qualia illa omnia, quæ summa dicunt, huiusmodi non sunt. Quanquam & virtutes & reliqua bona gradus boni sint, & media ad verè summum bonum, quod est Deus. Quamuis enim ea bona ad finem ducant, tamen ea finis nomine non sunt digna. Et sunt bona, alia finis, alia propter finem : & bonum finis solum propter seipsum desideratur. Tale vnum tantùm verè, nempe beatitudo, impropriè autem alia quæ terminum aliquem ratione alicuius ponunt, vt horror, venerandum, fruitio alicuius bonum ad finem alterius ratione est, & ad aliud vbi locus electioni, vtili, lucro, vt scribit Plato in Hipparcho, & ibi Ficinus. hæcque ad finem nos perducunt sua contemplatione, ordine & gradatim facta ad *Deū*, qui optimus maximusque est, & ideo ipsa bonitas est verè apud Deum, & in *Deo*, vt probat Cicero aduersus Democritum libr. 1. de Natura Deorum. Adde quòd cùm omnes antiqui fasi sint, summum rerum omnium esse *Deum*, & omnia & mundum ipsum eum regere, necesse est fateantur illo omnia egere qualiacunq; sint. Quòd si illo egeant, id quod omnibus benefacit, & egentibus distribuit, melius est per se iis, quæ alio egent, nec sufficiunt sibi. summum igitur illud quod dat & vniuersale illorum bonum rectè dicetur. Deus igitur inferiora complectens, & iuuans entia bona, & supra se nihil aliud habens, summum erit bonum, & fons bonorum : cùm illius ope destituta, peritura sint. Sed & Aristoteles lib. 9. Ethicor. c. 4. expresè ait, habet nunc Deus summum bonum, sed est id quod est ipse. Sic Plato in Phædone & Theæteto

summum

summum animæ bonum Dei similitudinem esse dixit, & integram diuini luminis consecutionem, qui in mentem primum, deinde in voluntatem descendit: illudq; in mente veritatem, in voluntate gaudium dixit. in Phileb. vel de summo bono. Et fere omnes philosophi, & poetæ omnes, suos deos bonos esse dixerunt: quia *Dei* nomine illos dignabantur, cui bonitas intelligitur connexa. Sic Iphigenia loquitur apud Euripidem, in Iphigenia in Tauris, actu 2. veri. 155. *ἀδικα γὰρ δαίμονον εἶναι κακὸν. Nullum Deum arbitror esse malum.*

Et Cicero libr. 3. de Natu. Deor. loquens de Dionysii Syracusiarum tyranni sacrilegio qui iussit auferri mensas argenteas ex omnibus delubris suorum Deorum, vel idolorū, ait in his mensis inscriptum fuisse more veteris Græciæ, BONORVM DEORVM, scilicet esse mensas: vnde Dionysius expilandi occasionem accepit, dicens, se velle vti eorū bonitate, quòd bonorum proprium esse videretur iuuare mortales: quod & narrat Val Maxim. lib. 1. c. 2. Istius moris Græciæ testis adhuc nobis esse potest Pausanias, qui libr. 1. siue in Archad. scribit in angustiis Megalopolitanorum, in via quæ ducit ad Helissontem in læua eius viæ, boni Dei ædes esse. *Quòd*, inquit, *si Dei hominibus bonorum authores sunt, Deorum verè supremus est Iupiter, rectè quidem hoc Iouis proprium maximè cognomen conijcere possu.* Fuit etiam olim consuetudo, extremum poculum merum & non mixtum bibere, antequam mensæ conuiuis tollerentur: quod dicebant poculum ἀγαθοῦ δαίμονος, id est, boni dæmonis, *quòd*, inquit Suidas in verbo ἀγαθοῦ δαίμονος, *morùs fuerit antiquis à cœna sorbere merum hoc nomine.* Subditque alios existimare primum poculum sic dici, sed discessuros conuiuas Iouis seruatoris nomine bibisse. Cur autem id fieret, scribit notabiliter Theophrastus libr. de ebrietate, dum ait, vinum purum, quod in cœna dabatur, quod boni dæmonis appellant, esse potionem cuius perexiguum gustabant, veluti solo gustu in memoriam reuocantes vini ipsius vim: deinde numinis ipsius, scilicet dæmonis. nam impleti præbebant illud vt minimum esset haustum, tum tertiò se flectentes in genua, ex mensa capiebant tanquam Deo supplicarent, ne quicquam agerent minùs honestum, & ne in vehemens aliquod potus huius desiderium incíderent, atq; vt quod vtile decorumque est, ex eo acciperent. Narrat & Philochorus libr. 2. Atudis, legitimum tum fuisse, vt post cibos

cibos vinum non mixtum ab omnibus gustaretur, quod & gustus gratia, & potentia ipsius boni dæmonis demonstrationis hauriebant, reliquum verò erat mistum: idcircoque effectum vt Nymphæ Dionysii nutrices fuerint nominatæ. Latiùs Athenæus libr. 15. Dipnosophi. c. 20 qui & hoc poculum boni dæmonis etiam videtur vocare Iouis Saluatoris, & Dei, quasi diceret poculum, quo bono, nempe Deo largitori vini, gratiæ agerentur. Nam & vt scribit Iulius Pollux libr. 1. Onomasti. c. 1. dicitur θεὸς καὶ θεοὶ καὶ δαίμονες, ἕτω δὲ ὁμήρῳ δοκεῖ, δαίμονας καλεῖν τὰς θεὰς. καὶ πλάτων τὸν δ' παντὸς κυβερνήτην μέγιστον δαίμονα ὠνόμασεν. ἐπιδὴ τῆς αὐτῆς χρείας τὸ θεῖον καὶ τὸ δαιμόνιον. id est, Deus & dei dicuntur & dæmones. ita enim Homero placuit vocare dæmones Deos, & Plato sanè gubernatorem omnium, magnum nominauit dæmonem. Et eodem vsu diuinum & dæmonium dicimus: quod etiã ferè semper vsurpatur ab Euripide & aliis. Et certè conuiuandi antiquorum mos suadet, vt certum sit bonum dæmonem, & eius poculum de Deo intelligi: quia soliti erãt priscæ antiquitatis conuiuæ forma hominum Deos inter conuiuas constituere, quibus ante & post pastum litabant & sacrificabant. Quando namque præsentes Deos esse arbitrabantur: festiuitates & ornatè & temperanter celebrabant: quare nec decumbere mos erat apud antiquos, sed sedentes conuiuabantur, nequead ebrietatem sanè vsque bibebant, sed quantum cupiebat animus: & vbi sacrificassent, domum quilibet suam repetebat. Et ita scribit Athenæus grauissimus author libr. 8. Dipnosoph. cap. 13. & lib. 4. c. 24. vtramque solennitatem obseruasse antiquiores prudentes in conuiuiis. Idque ex aliis etiam liquet authoribus. Sic & Homerus Odyssea 3. Gerenium equitem Nestorem conuiuium parantem inuitasse Mineruam scribit, & simulachrum eius post sacrificium mensæ apposuisse deinc conuiuio facto rursum litasse. Et Plato libatum, & Deo cantatum ex more fuisse in principio fineque conuiuii sui, vbi de Amore disputatum narrat lib. 25. in Symposio, siue dialogo conuiuii de Amore Extat & Xenophontis testimonium, *Qui in conuiuio sublatis*, inquit, *mensis cùm libassent cecinissentq; Venit quidam Syracusanus, &c.* Docens morem illum à Philosophis seruatum. Vt testimonia gratitudinis in Deum, & si verum Deum ignorarent, & bonitatem eius dona,

dona illi accepto referrent. Quod certè eò lubentiùs scribo, vt reprehendam Christianos aliquos, qui cùm maioris beneficij & maioris boni participes facti fuerint, cúmue summa Dei bonitate Deum verum agnouerint, vsque adeò ingrati, & Ethnicis beneficio animo inferiores sunt, vt ferè eorum maior pars porcorum more ad conuiuia accedant, illincque tollantur vino madidi, ventre crepante, ad Venerem proni, vt verè dicas Epicuri de grege porcos, contemnentes & omnem ecclesiasticam disciplinam, & Deum ipsum omnemque sanctam Christianorum antiquam legem qua id iubetur. Sic enim legimus apud Basilium Magnum in epistola illa ad Gregorium Theologum missa, Εὐχαὶ πρὸ τροφῆς ἀξίως γενέσθωσαν τῶν δι' ἐκ παρόχων, ὧν ἡ νῦν δίδωσι, καὶ ὧν πρὸς τὸ μέλλον ἐπαμίσσατο. Εὐχαὶ μετὰ τροφὴν εὐχαριστίαν τῶν δεδομένων, ἔχουσι καὶ αἴτησιν τῶν ἐπηγγελμένων, id est, *Orationes ante cibum dignè fiant, eorum quæ Deus largitur tunc, & eorum quæ in futurum repræsentat: habeant & orationes post cibum, gratiam agentes datorum & petitionem continentes promissorum.* Cuius rationem reddit D. Chrysostom. tomo 1. homil de fide. *Vbi*, inquit, *precatio, vbi gratiarum actio, ibi sanctis spiritus accedit gratia, abiguntur dæmones, & omnis aduersaria potestas diffugit & abscedit. Qui se conuersurus est ad orandum, non audet quicquam absurdè loqui, nec in medio conuiuio, aut si locutus fuerit, mox respiscit: proinde oportet tum in principio, tum in fine conuiuij gratias agere Deo ob hanc præcipuè causam, quòd non facilè prolabemur in ebrietatem, si nos ipsos in hanc consuetudinem instituerimus.* Hæc & alia plura ibi de oratione ante & post pastum Chrysostomus. Et bonus ille Iob metuens ne filii sui omississent gratiarum actiones in conuiuiis suis, illas pro filiis supplebat, sic enim scribitur Iob. cap. 1. a. vers. 4. & 5. *Ibant filij eius & faciebant conuiuia per domos, vnusquisque in die suo: & mittentes vocabant tres sorores suas vt comederent & biberent cum eis. Cumq; in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensq; diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim, ne forte peccauerint filij mei, & ne benedixerint Deo in cordibus suis*, Sic Dominus noster IESVS CHRISTVS, cùm cibum daret populo in deserto, gratias agens panes fregit, & dabat discipulis vt apponerent turbæ: & pisci-

piſciculos quoque benedixit, & iuſſit apponi, Marci 8.a. verſ. 6. & 7. Item Marci 6. D. Lucæ 9. 6. & alibi. Sic poſt cœnam Paſchatis, conuiuiúque Dei CHRISTI cum diſcipulis, annotârunt Euangeliſtæ hymnum dictum fuiſſe. *Et hymno*, inquiunt, *dicto exierunt*, Matthæi c. 26. c. verſ. 30. & Marci 14. c. ver. 26. Et ita Dominum cognouerunt diſcipuli dubitantes de reſurrectione in fractione panis. Nã ſtatim vbi accubuit CHRISTVS cum diſcipulis rogatus accepit panem, benedixit, ac fregit, ac porrigebat eis, Lucæ 24. d verſ. 30. vnde colligimus ſemper Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM antequam guſtaret, ſolitum eſſe: gratias agere patri *Deo*, vt nos illum imitaremur. Cùm enim *Dei* bonitate alamur, cumque omnia bona ab ipſo accipiamus, perpetuò etiam nobis beneficii gratitudo ante oculos eſſe debet cum perpetua commemoratione. *Siue enim*, inquit *D.* Paulus 1. Corinth. c 10. g. ver. 31. *manducatis, ſiue bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* Vnde & Chriſtiani primæ & bene obſeruatæ diſciplinæ, quia per crucis myſterium, & redemptionem, bonitatisque *Dei* largiorem largitionem conſecutos nos eſſe cognouerant, in perpetuam rei memoriam, vſque ad poſteros propagatam, crucis ſigno orationes & benedictiones menſæ & aliorum negotiorum, veluti ſigillo regio quo dæmones maximè confunduntur, conſignabant. Sic enim ſcribit Tertullianus libr. de Coron. milit. *Ad omnem progreſſum ex conſuetudine Eccleſia, atque promotum, ad exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad lauacrum, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunq; nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.*

Ibique notanter ad menſas fieri ſcribit. Neque quis putet velim, morem orandi ante & poſt menſam, & illam vini deguſtationem eſſe paganorum inuentum. Nam hoc erat populi antiquioris, nempe Hebræi ſolemne, à quo mutuati ſunt Ethnici illud quod dicebant poculum boni dæmonis: gratias bono Deo agentes, ſine nomine, eo quòd veri *Dei* nomen apud illos ignoraretur, & tantum accepiſſent bono Deo fieri. Solemnia autem hæc quomodo peragerentur, in conuiuiis potiſſimùm feſtorum dierum apud Hebræos colligere poſſumus ex libro eorum qui inſcribitur הלכות *hilcot*, id eſt, benedictiones, in quæ illud illis in more fuiſſe poſitum conſtat. Et hodie inter Iudæos paterfamiliãs, vel

præſtan-

præstantior in mensa Iudæus, qui cum domesticis mensæ accumbit, poculum vino plenum dextera tenens sic orare incipit oratiuncula ad *Deum* directa, quam vocant קדיש *Kadosch*, id est, sanctificationem. ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן *baruc atha iehoua elohenu, melec hagnolam bore peri hagaphen*. id est, Benedictus tu Domine *Deus* noster, rex seculorũ, creator fructus vitis. Qua oratione dicta, prior vinum degustat, atque degustandum mox omnibus mensæ accumbentibus porrigit: & statim eo facto, panem integrum quem non scissum esse oportet, vtraque manu tenendo, his verbis benedicit, ברוך אתה יהיד אלהינו מלך העולם המוצא לחם מן הארץ *baruc atha iehoua elohenu melec hagnolam hamotzi leehem min haaretz*: id est, benedictus tu Domine Deus noster, qui producis panẽ de terra. Quo dicto paululum de pane fracto edit, & simul omnib. qui mensæ assident, buccellam distribuit: quo facto, reliquis epulis appositis, manus injiciunt. Et hunc ritum festiuis tantùm diebus obseruant: aliàs enim panem tantùm & non poculum consecrant. Sicque de fractione panis apud illos hæc est regula. צריך הבצע שיבצע בשתי ידיו בעשרי אצבעותיו: ולטה בעשר אצבעותיו כנגד עשרה מצות הנוהגות בתכו אתעד תבא אל ידי לחם. *Zadic habotzea gn sceubatz an beseetha tadato begescer et zbignotaio velamah begnes. er esbegnotaio senaged gnasara mitzoth hanohagot, betbo. ht, gnad thebo itrat lechen*. id est, Oportet vt qui frangit, frangat vtraque manu, atque cum decem digitis suis, cum decem, inquam, digitis suis, respectu decem præceptorum, quæ obseruanda sunt in frumento antequam veniatur ad panis fractionem, &c. Illa autem præcepta sunt, lector, non ex decalogo, sed alia scriptura. vt non seminanda mixta semina, non arandum simul cum boue & asino, in messe aliqua relinquenda, non requirendas spicas oblatas in agro, & huiusmodi. Est etiam alia regula illorum, qua demonstratur efficacia præfatæ consecrationis in eorum libro, quæ ita se habet אחד שמזנו כוס של ברכה אסור להשיח דברים בטלים שאינן כענין הברכה כי היין גורם לדברים גרבה שאינם הגונים שמביאים לידי שטות ושגרות ושמטון ככתיב ויין ישמח לבב אנוש ישמה כתלשון

בתלשון שממרת: וגם כתוב שהיין משמח אלוהים ואנשים: רוב בני אדם אין שוטין אותו מחמת צמא אלא מחמת זביותו ותשיבותו ולפיכך מברכין על שינוי היין. *Achad ſciemazegu cos ſcel beraca aſod lehaſiab debarim betilim ſiecman megnimam haberacaci haiain gorem lidbarim harbe ſiteenan chagunim ſciemecim lids ſcatut Geſcibrut Geſcimamon dacatib vinain teſcamach lebab cnoſe: teſcemachcat, leſcon ſcemamach: Gegam catub ſi chaiain meſcameac cloun Geenaſcim: rob beue adam cin ſcotin otè mechamat tzama ela mechomat chobibuto Gechaſibeto u le picach mibarem gnal ſctuni haijn*, id eſt, Poſtquam miſcuerunt calicem benedictionis, prohibitum eſt fabulari, & vacare rebus otioſis, quæ non faciunt ad rem benedictionis ſiquidem vinum occaſionem præſtat ad multa verba indecora, atque perducit ad dementiam & ebrietatem, & deſtitutionem mentis. Cùm tamen ſcriptum ſit, & vinum lætificet cor hominis. lætificet ſcribitur, quod eſt vocabulum deſolationis. Scriptum eſt etiam quòd vinum lætificat Deum & homines. Et multi ſunt homines qui non bibunt ex ſiti, ſed magis ex voluptate & luxu. Atque ideo dicunt benedictionem pro vnoquoque poculo vini. Sed & poſt paſtum antè aquam è menſa ad hymnum gratiarum ſurgerent, idem qui prius accipiebat poculum rurſum dextera manu, & boni *Dei* poculum ſacrabat, gratias agens, & dicēs נברוך שאכלנו משלו ובטובו חיינו *mibaret ſceacalenu miſcelo ubetubo chaijnu*. Benedictus, qui nos de ſuo pauit, & in cuius bono viuimus. Eadem reſpondentibus cæteris. Iterum dicit qui præeſt. ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן. *Baruc atha Iehoua Iohenu melec haolam, bore peri agaphen*. Benedictus tu *D*omine *D*eus noſter rex mundi, creator fructus vitis. Et ex conſecrato poculo bibebat, moxque accumbentibus reliquis porrigebat. Et ſi quis velit adhuc antiquitatem iſtius ſanctiſſimi ritus certius habere inſtitutum, legat c. 22 Lucæ b. verſ. 14. & ſequentib. vbi inueniet ad vnguem obſeruatum eſſe à Chriſto, atque meliori conuiuio in illa gratiarum actione panem ſupercœleſtem & corpus ſuum nobis edendum bonitate ſua ineffabili donaſſe, & in principio eius ſynaxeos quidem, morem communem imitatus gratias agendi: ſed poſtea vltrà ſacramentum corporis ſui iam inſtituit bene-

dicendo verbis conceptis, HOC EST CORPVS MEVM, quibusq; dictis, transsubstantiatio substantiæ panis in sanguinem & corpus verum & reale, quod pro nobis cruci affixum est, facta est, remanentibus accidentibus visibilibus panis & vini. Bis itaq; ibi inuenies Dominum poculum accepisse in initio conuiuii & fine: sic enim scribitur:

14 *Et cùm facta fuisset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.* & ait illis:

15 *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.*

16 *Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.*

17 *Et accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite & diuidite inter vos.*

18 *Dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.*

19 *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens,* HOC EST CORPVS MEVM, *quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.*

20 *Similiter & calicem postquam cœnauit dicens,* HIC EST CALIX, NOVVM TESTAMENTVM, IN MEO SANGVINE, QVI PRO VOBIS FVNDETVR.

Et in hac vltima fractione panis, quæ fiebat verbis conceptis, quibus ipse iussit Apostolis vt similiter facerent, non in vulgari Iudæorum benedictione, quæ nihil transmutabat, nihilq; diuinum porrigebat, sed tantùm habebat gratiarum actionem, cognouerunt discipuli dominum, Luc. c. 24. c. versu 30. Et in hac fractione panis erant discipuli & Apostoli CHRISTI postea perseuerantes, Actuum 2. g. ver. 40. Pignus namq; hoc præcipuum est fidei nostræ, & corpus CHRISTI in accidentibus panis, post consecrationem, verè est. Scriptum namque est nos manducare omnes de vno pane: quia vnũ tantum corpus CHRISTI. 1. Cor. 10. d. vers. 16. & 17. Et semper cùm de hac fractione mentio fit, semper panis in singulari ponitur, quod non fieret si tantùm de pane vulgari benedictio conferetur. Nã vnus, omni ecclesiæ non sufficit vulgaris: corpus tamen Dei omnibus æquè & vnum singulis distribuitur. Ex quibus certè nobis Christianis maior reuerentia, & sobrietas, & gratiarum actio bonitatis Dei facienda relinquitur: vtpote qui in bibendo, & conuiuando repetere memoria debeamus,

beamus, quomodo bonitatis diuinæ, amor in genus humanum proprio filio pro nobis non pepercit, sed morti tradidit illum: quique nec se contulisse satis in nos beneficii putauit, mortem pro nobis oppetens, nisi etiam seipsum nobis in cibum daret. Et in ecclesia primitiua florente ac viridi, mos antiquis propter sacramenti huius tractationem, panem & vinum vulgarem etiam reuerenter tractare. Quod liquet ex Tertulliano lib. de Corona militis. *Calicis aut panis etiam nostri*, inquit, *aliquid decuti in terram anxiè patimur*. Bonitas hæc ineffabilis Dei, qui nobis cum filio omnia simul donauit, vt scribit *D.* Paulus epistola ad Romanos, cap. 8 f. vers. 32 Et verè non est bonum quod *Deus* nõ det, vt scribit Plato in Eutyphrone, vel de sanctitate. Fuit & olim etiam philosophia Ægyptiaca, quæ duplex bonum dixerit, vnum super essentiam, aliud secundùm essentiam. Essentiam dicendo esse ex deorum omnium proprietate, ipsum verò bonum super essentiam boni essentialis principium, & per consequens fontem & causam, vt scribit Iamblicus libr. de Mysteriis Ægyptiorum. Quod etiam significauit Proclus, dum theoremate 133. scribit, proprietatem diuinam distinxisse vnitates & bonitates deorum. *Neque enim* inquit, *deorum omnes existentia aquantur vni vero Deo*. Erant & Philosophi olim excellentiores Iudæorum, Essæi dicti, qui omnia bona ad Deum firmissimis opinionibus referebant, vt scribit Philo Iudæus libr. Quòd probus omnis sit liber. Quamobrem & fuerunt plerique, qui non absque ratione bonitatem, omnium existentium absolutè potissimam caussam dixerunt, eamque esse illum fontem in paradiso arbitrati, ex quo quatuor flumina exibant, quæ totam faciem terræ irrigabant, vt scribit idem Plato lib 1. legis Allegoriarũ. Sed melius interpretes sacri, bonitatem, *Deũ* ipsum nominârunt, & ea bonitate omnia creata. In primis D. *Dionysius* Areopagita eximius senator lib. de cœlesti Hierarch. c. 4. sic ait: *Primũ simul omnium illud dicere oportet verum, vt bonitate essentiali, supereſſentialis diuinitas, eorum quæ sunt essentias substituens, ad esse adduxit: est n. hoc diuinum, causa & super omnia, bonitatis propriũ, ad communionem suã ea quæ sunt vocare, vt vnicuiq; eorum quæ sunt ex propria diffinitur analogia. Omnia igitur q̃ sunt participant prouidentiã, ex supereſſentiali & causalissima diuinitate manantẽ.* Et iterũ lib. de Diuin. nominib. c. 2. *Diuina tota substãtia per seipsam est bo-*

*nitas segregans & exprimens, & nemo bonus nisi solus Deus,* vt etiam testimonium adest ipsius veritatis Matthæi 19. cap. 17. Marci 10. b. vers. 17. Lucæ 18. d. vers 18 Quomodo autem ipsa bonitas omnium fons & causa sit, rursus idem *D.* Dionysius exprimit eod. lib. de Diuinis nominib. c. 4. *Omnia quæ sunt,* inquit, *ab ipsa bonitate perseverantiam habent & firmitatem, inde continentur custodiunturq́. & domicilium illic habent, bonitatem ipsam amantes: & vt sint bene q́ sint, inde sibi vendicant.* Hac constant superiores cœlorum ordines, purgationes, illustrationesque angelicæ, & perfectionis consummationes: hinc animæ animalium, plantarum, & materiæ ipsius bonitas: item Solis & stellarum præstantia, & bonitas, & pulchritudo, cùm & bonum æquè dicat ac pulchrum & amabile, & desiderabile. bonitas ad se conuertit omnia, primaque ipsa bonitas, dispersa omnia congregat, tanquam & vnitatis principium, & viuificâ Deitas: atque hunc omnia continentia, tanquam finem appetunt. Addamus Athanasii Magni subscriptionem, qui libr. de humanitate verbi, *Deus,* inquit, *bonus est, vel potiùs fons bonitatis: bonus autem nullius rei inuidia tangitur, vnde nulli essentiam inuidens ex non entibus vniuersa creauit per suum verbum,* DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Et *D.* Cyrillus Alexandrinus libr. 21. contra Iulianum, cum Hermete in Asclepio ait, Deũ solam, vnamque habere affectionem, nempe bonitatem, & bonum: neque superbum, neque impotens est: hoc enim est DEVS, & ipsum bonum omnium quod potentiam habet faciendi omnia. Sic *D* Marcus Heremit. libr. περὶ νόμ. πνευματικ., πρῶτον, inquit, ὅτι θεὸν δεῖ δαίμ., παντὸς ἀγαθοῦ εἶναι αἴτιον, καὶ ἀρχήν, καὶ μεσότητα, καὶ τέλος. τὸ γὰρ ἀγαθὸν ἀμήχανον ἐνεργεῖν ἢ πιστεύεται, εἰ μὴ ἐν χρισῷ ἰησοῦ καὶ ἁγίῳ πνεύματι. id est, *Primum igitur omnium certò sumus, Deum vnum boni esse causam, & principium, & bonum & finem. Certò bonum opus fieri non posse. Vt aut efficax sit, aut credatur, nisi in* CHRISTO IESV, *aut Spiritu sancto.* Et Plato in Euthyphrone lib. 8. Inter Deum & res ponit quandam mercaturam, *Stas,* inquit, *loqui hominibus eximiam.* cùm enim nihil boni à nobis accipiat, nos omnia bona ab eo accipimus. suscipit autem à nobis res, quæ magis nobis, quàm illi prosint, vt cultum venerabilem, & huiusmodi. Et Socrates in-

ses nihil nominatim à *Deo* petendum voluit, sed se solum modò totum cœlestium arbitrio committendum: *Quia qui tribuere bona*, inquit, *ex facili solent, etiam eligere apti ssima solent*, vt refert Valerius Maxim. lib. 7 cap. 2. Sciendũ autem est bonum, & bonitatem, nõ esse substantiæ *Dei* nomina, sed naturæ conuenientia. nam eius substantia cùm sit incomprehensibilis, neq; potest etiam proprio nomine concludi. Et sic scribit *D* Ioannes Damascenus libr. 1. de Orthod fid. cap 12. τὸ ἀγαθὸν, καὶ δίκαιον, καὶ ἅγιον, καὶ τὰ τοιαῦτα περέπεται τῇ φύσει, οὐκ αὐτὴν ἢ τὴν οὐσίαν δηλοῖ id est, *Illa nomina Dei, bonum, iustum, sanctum, & similia, conueniunt quidem eius naturæ, non autem eius substantiam ostendunt*. Et ita Tertullian. lib. 2 aduersus Marcio. etiam de *Deo* loquitur *Deum*, inquit, *naturæ solius bonum, qui enim quod est sine initio habet, non institutione habet illud sed natura. homo autem qui totus ex institutione est habens initium, cum initio sortitus est formam, qua esset. atque ita non natura in bonum dispositus est, sed institutione secundùm instituentem bonum, scilicet bonorum conditorem*. Hunc sequitur Thalassius monachus Hecatont. 2. de Charit. *Solus Deus*, inquit, *natura bonus est, ac sapiens sit & mens participatione talis, si studiosa sit* Germani etiam populi, sicut gentes aliæ, quæ Deum metiebantur commodis & bonis, quorum ipse author esset hominibus, vulgò Deum vocabant: & nunc dicunt *Gott*, quasi *guot*, propter perpetua in omne genus hominũ benefacta, vt annotauit Gaspar Stiblinus Germanus in annotat. actus 3. Baccharum Euripid. super verba ἥσσων θεὸς. Et Alcinous lib de doctrina Platonis c. 10. *Diuinitas, essentia ratio, veritas, harmonia bonum existit. Neq; verò hæc ita dinumero, vt ab inuicem ipsa secernam, imò vt vnum potiùs cuncta contempler. Bonum profectò ob eam causam dicitur, quòd omnia pro capacitate cuiusque beneficiis replet, omniumq; bonorum causa est*. hactenus Alcinous. Plutarchus etiam lib. de Sera numi. vindict. *Considerate*, inquit, *quod ex Platonis sententia, omnium bonorum sese Deus in medium constituit exemplar, vt humana virtus cùm illi admodum conformis esset, haberet quem imitaretur, totúsq; sequeretur virtus. Etenim rerum omnium natura cõfusa cùm esset, hoc sortita est principium, vt similitudine ac cognatione quadã diuina virtutis & idea transformaretur, fieretq; mundus*, &c. Legimus etiam Astrologos nominasse

tertiam & nonam partem sectionis cœlestis duodenariæ, Theam & Theon, *Deam* & *Deum*, à bonitate loci, quòd in vtraque bona polliceri dicantur ab Astrologis à syderibus: nempe in tertia, fratrũ, sororum, affinium societates, & hospitalitates, vt in nona constituitur pietas, veritas, sapientia, philosophia, diuinatio, &c. ab imitatione Dei tracta similitudine, quia proprium est Dei benefacere, vt scribit Iouianus Pontanus libr. 2. de Reb. cœlest. cap. 3. & sic Homerus lib. 6. Isagoges Astron. par. 2.

## *Vnde mala sint.*

## CAP. IV.

RElíquum ex superioribus videtur esse dubium nunc diffiniendum, vnde mala sint: cùm enim omnis essentia bona sit, & creator omnium omnia bona fecerit, & per consequens sit omnis creatura Dei bona, Genesis cap. 1. in fine Ecclesia. 30. b. & 1 ad Timoth. 4. b videtur nullum malum esse, vel oriri posse. Contrà autem nobis aduersatur plantatio illa famosa, & vnde tot mala in nobis obrepserint arboris boni & mali, de qua in Genesi mundi, cap. 2. c. versic. 17, & cap. 3. a. Quæ vt componamus, in primis mente hîc repetenda ea quæ iam admonuimus, in rebus generatis corruptionem, cùm semper ex illa corruptione aliquid fiat, non esse malum natura simpliciter, sed imminutionem vel mutationem boni. Deinde dolores, tristitias, & huiusmodi, quæ sensus afficiunt, non esse etiam mala per se, nec pœnas à Deo immissas, quæ iustè & bene semper infliguntur, verè mala esse, quamuis à vulgo pro malis habeantur. Dicimus igitur quæ verè mala sunt, talia esse aliunde, quàm ex essentia rerum, nempe per accidens: in hominibus autem & dæmonibus, ex voluntatis decreto: in aliis autem esse priuationem, de qua satis cùm locutifuerimus, nihil amplius addam, cùm etiam Theophilactus enarrat in c. 3. Epistol. D. Pauli ad Romanos super illa verba, *Quid igitur excellimus nos*! vnica resolutione determinet, cùm à bono quispiam declinat, statim inutilem reddi: malitiam autem nihil aliud esse, quàm peruersionem naturalium erga bonum motuum, vnde ad id quod præter naturam est, hominem aduehens, inutilem ipsum efficit. Non enim natura ipso vtitur, quemadmodum nec ægrotante vtitur ad propria opera. Tantùm itaque voluntatem

fontem

sontem esse malitiæ docebimus, eamque tunc malam esse, quando cum bono inimicitias gerit, id est, quando Deo aduersatur. Qua de re extant sacræ parabolæ, quib. Dominus noster, vere solus magister, dignatus est nobis ea declarare, quæ scribuntur Matthæi 13. vna est seminantis, cuius semen cecidit, aliud super spinas, & suffocatum est: aliud super viã, & volucres illud comederunt. aliud in terram petrosam, & cùm creuisset, exaruit, quod non haberet radices altas: aliud in terram bonam, quod fructum dedit. Et ibi concludunt modi, quibus bonum corrumpitur à malo: primò, si suffocetur ac reddatur sterile. secundò, si à volucribus. id est, à dæmonibus, patiamur illud in nobis corrumpi, suggestionibus pessimis, & variis illius fraudibus decepti: tertiò, si à bene agendo quiescamus, & malum ipsi eligamus. quod cadit autem in terram bonam, illud est quod multiplicatur & colligitur à nobis omni diligentia, bonum; & cùm cooperatores *Dei* sumus, illiq; obaudimus. Deus namque vsque adeò bonus est, vt Solem suum faciat oriri super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos. Matthæi 5. g. vers. 45. & Lucæ c. 6. c. 35. super bonos, quia nec bonum sine bono *Deo* agere quicquam boni possunt: nec sumus ex nobis sufficientes ad id sine eius gratia: sufficientia quippe nostra ex Deo est. 2. Corinth. 3. b. vers 5. Nam sine ipso factum est nihil. quod factum est, D. Ioan. 1. q. & c. 15 a. & cooperatores Dei sumus 3. epist. Ioan. 1. c. ver. 8. Ipseque & incipit & perficit in nobis bonum opus, vt scribit ad Philippenses cap. 1. a vers. 6. D. Paulus venit super malos autem semen illud bonum, vt possint & mali ad bonum conuerti, & ne illis possit excusandi occasio præberi quòd Deus illis non illuxerit, & ex illorum grauiore & pernitiosiore malitia, acrior seueriorque exigatur vindicta, quòd *Dei* oblatum contempserint bonum, quod omnibus præstò est, & ad omnium vsque corda perueniens, illa pulsat vt aperiatur illi. Neq; ideo tamen bonum causa mali est, sed repugnantia bono facta. Quod indicatur per aliam parabolam, Matthæi 13. Homo namq; Deus ipse seminauit bonum semen, id est, bonos homines, in agro suo, id est, in mundo: sed dum dormirent homines. id est, dum negligentiùs illud semẽ colerent bonitatis, venit inimicus homo, id est, sathan, cuius semen inimicitias gerit cũ semine mulieris, Genes 3. c. ver. 5. Et 1. Cor. 14 f. ver. 34. Et superseminauit z. zania, i. homines malos reddidit, q ei cõsenserunt. Deus enim

fecit hominem rectum, ipse autem se immiscuit infinitis quæstionibus Ecclesiastes c.7. d. vers.30. vnde scribit Oseas cap. 13.c. vers.9. *Perditio tua ex te Israel, tantummodò in me auxilium tuum ait Dominus.* Sic Mercurius Trimegistus in Pimandro, serm 4. *Fati* inquit, *diuina officia præcedere, humana sequi debent. Deus profectò extra culpam malorum à nobis causa venit. Nam mala bonis anteponimus.* Ita malum nobis ex voluntatis nostræ electione contigit, vt etiam insinuat Homerus Odyss. prima. vers.4 dum enim commemorat labores Vlyssis circa curam reditus sui & sociorū, ostendit socios propria voluntate periisse, dum canit:

πολλὰ δ' ὅγ' ἓν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμὸν,
ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων.
ἀλλ' οὐδ' ὡς ἑτάρους ἐρρύσατο, ἱέμενός περ:
αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο
νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς ὑπερίονος ἠελίοιο
ἤσθιον· αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλετο νόστιμον ἦμαρ.

*Plurimos passus est* scilicet Vlysses, *dolores in animo suo,*
*Conseruans maxima cura suis animam & sociorū reditū,*
*Sed ne sic socios seruauit liber auitue quamuis Vellet,*
*Sua enim ipsorum insipientia perierunt*
*Stulti, qui boues sublimis Solis*
*Comederunt: ille verò eis abstulit reditus diem.*

Quo in loco Didymus & alius vulgaris scholiastes ἐμνήσθη τούτων, ἐπεὶ ἐκ προαιρέσεως ἀδικήσαντες ἀπώλοντο, id est, *Memoriam ingerit* (scilicet comestionis) *eo quòd ex electione libera peccantes perierint* Illudq; liquet ex narratione quam texit Homerus Odyssea 12. dum describit quomodo dormiente Vlysse, socii eius suasu Eurylochi contra præceptum Vlyssis Solis boues, pascentes in Trinachria insula Solis, occiderunt, & fame coacti comederunt. Scribit etiam Philo Iudæus lib. Quòd deterius potiori insidietur, Deum esse tantum authorem bonorum, risus & gaudii: nostras autem manus mali. Et alibi lib. de Sacrificio Abel & Cain, fœmineum fœtum animæ dicit malitiam & affectiones, quibus effœminantur homines in omnibus studiis. Scribit & Ioan. Damascen. libr. 2. de orthod. fide, cap. 4. potestatem angelicā & naturam humanam, lumē & bonitatem ad malum nullo modo declinantem, accepisse.

Illam

Illam autem libera voluntate demutatam, & ex lumine in tenebras, & ex bonitate in malitiam decidisse. Neque etiam Possidonio placet, quòd malitia extrorsum adueniat hominibus nullam radicem habens in animabus nostris, vnde præluceat & augeatur. Sed contrarium asserit: quod Galenus confirmat tomo 1. libr. Quòd antiqui mores animi temperaturas sequuntur. *Vt enim*, inquit, *& malitia est in nobis ipsis semen, & indigemus omnes non ita fugere malos, sicut fugere & repellere & prohibere à nobis augmentum malitiæ. Non enim sicut aiunt Stoici, extrorsum aduenit animabus nostris malitia tota, sed quod plurimum à se ipsis habent mali homines, extrorsum autem minus est. Valde quod aduenit.* Et Pythagoras in carminibus Aureis subscribit his versibus.

γνώσῃ δ' αὐθρώπους αὐτοίρετα πήματ' ἔχοντας·
τλήμονες, ὅτι ἀγαθῶν πέλας ὄντων οὐκ ἐσορῶσιν,
οὐδὲ κλύουσι. id est,

*Quod ipsi existant homines sibi causa malorum*
*Cognosces miseri bona qui nec cernere possunt,*
*Nec audire.* Porro initium mali totius in vtraque natura, præsumptio sui fuit & superbia in dæmone, quòd Deo æqualis esse voluit. Esaiæ 14. in homine, quòd diuinitatem etiam dæmonis suasu, ambiuit, credidit q; mulier serpenti dicenti, *Nunc eritis sicut dii scientes bonum & malum.* Genes. 3 cap. quod antiquorum aliqui Ethici cognouerunt ex Mose. sed non ausi sunt sine ænigmate propalare, quorum in numero fuit Hesiodus antiquior, qui in Ergis, scribit temeritatem primi hominis vel Prometh-i, voluisse suffurari ignem de cælo; quod nihil aliud est, quàm eum Deitatē sibi vsurpare voluisse: & ideo à Deo mala omnino in pœnam & vltionem producta. Scribit denique mulierem primam, quam Pandoram nominat, quasi perfectam creaturam, malorum vas & pyxidem hominibus & terris aperuisse:

πεὶν μὲν γὰρ ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
νόσφιν ἄτερ κακῶν, καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο,
νούσων ταρχαλέων, αἵτ' ἀνδράσι κῆρας ἔδωκαν·
αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι
ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφέλεσσα
ἐσκέδασ', ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά, &
quæ sequuntur. Id est,

*Prius namque uiuebant familia hominum*
*Omnino absq; malis, & sine difficili labore,*
*Morbisq; nocuis qua hominibus senectutem afferunt.*
*Mox enim in afflictione mortales consenescunt.*
*Sed mulier manibus, uasis magnum operculum dimouens*
*Dispersit, hominibus autem machinata est curas graues.*

Vt non immerito mulieres eo ex tempore ad malum dicantur, veluti natura quadam prompti ssimæ: vt Medea ipsa dixit apud Euripidem in Medea, actu 2. vers. 139.

πρὸς δὲ κἀμὲ πεφύκαμεν
γυναῖκες εἰς μὲν εὖ πρᾶξαι κάμηχανώτατοι,
κακῶν δὲ παντῶν τεκτόνες σοφώτατοι. id est,

*Ad hæc nos mulieres ut sumus ad res bonas ineptissimæ: sic malorũ architectones & aferrimæ.* Exprimit id melius Andromache apud eundem actu 1. vers 215. dum Euripides Andromachen sic introducit loquentem.

--πέποιθα δ' ἀνὸν δεῖ ἑρπετῶν μὲν ἀγρίων
Ἄχη βροτοῖς θεῶν ἐγκατασκήψαι τινὰ
ἄδες ἐχίδνης καὶ πυρὸς περαιτέρω
ἐδεὶς γυναικὸς φάρμακ' ἐξηυρηκέπω
κακῆς γ' ἔτ' ὄντος ἐσμὲν οὐθρώποις κακόν.

*Persuasisti aduersus quidem bestias reptiles,*
*Remedia aliqua constituta sunt à Deis,*
*Quæ sint supra uiperas & ignes:*
*Nullus autem mulieris mala inquam inuenit*
*Pharmaca. Tale sumus hominibus malum.*

Quod imitatus videtur Seneca, in tragædia 4. quæ scribitur Hippolytus actu 2. vers. 198. dum ait.

*Maritum coniugis ferro tacet,*
*Perimuntq; fœtus impia matres suos,*
*Taceo nouercas, mitius nihil est feris.*
*Sed dux malorum femina & scelerum artifex*
*Obsedit animos. Cuius incestæ stupri*
*Fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,*
*Et uersa ab imo regno tot populos premunt.*

Sed breuius absoluit Scheledrus seruus apud Plautum in Milite glorioso, actu 2. scena 3. versicul. 36. *Quid perii,* inquit, *mulierem, atque audacem?* Et adhuc vnicam eximiam de mu-

de mulierum malis querelam subiungam Hippopolyti ex eodem authore Euripide in Hippolyto, actu 3 vers. 51.

--ὦ Ζεῦ τί δὴ κίβδηλον ἀνθρώποις κακὸν,
γυναῖκας εἰς φῶς ἡλίου κατῴκισας:
εἰ γὰρ βρότειον ἤθελες σπεῖραι γένος,
οὐκ ἐκ γυναικῶν χρῆν παρασχέσθαι τόδε:
ἀλλ' αὐθέντας σοῖσιν ἐν ναοῖς βροτοὺς,
ἢ χαλκὸν, ἢ σίδηρον, ἢ χρυσοῦ βάρος,
παίδων πρίασθαι σπέρμα, τοῦ πεμπτοῦ τ' ἴσης
ἀξίας ἕκαστον. ἐν δὲ δώμασι
ναίειν ἐλεύθερ' ἀντὶ θηλειῶν ἄτερ.
νῦν δὲς εἰς δόμους μολὼν πρῶτον ἄξεσθαι κακὸν
μέλοντες, ὅλβον δωμάτων ἐκπίνομεν.
τοῦτο δὲ δῆλον, ὡς γυνὴ κακὸν μέγα.
πρόθεις γὰρ ὁ πατὴρ καὶ πρίψας πατὴρ,
φέρνας ἀπώκισ' ὡς ἀπαλλαχθῇ κακοῦ.
ὁ δ' αὖ λαβὼν ἀντῆρεν εἰς δόμους κακὸν,
γέγηθε, κόσμον προσλαβὼν ἀγάλμασι
καλὸν κακίστῳ καὶ πέπλοισιν ἐκπνεῖ
δύσην, ὅλβον δωμάτων ὑπεξελών.

id est, *ô Iupiter, quinam reprobum mortalibus malum,*
*Mulieres transtulisti sub Solis iubar?*
*Si enim hominum genus serendum fuit,*
*Id haud è fœminis creari oportuit.*
*Verum tuis templis ferre donaria*
*Debebant vel æs, vel ferrum, vel auri pondus solidi,*
*Semenq; liberorum mercari quisq; pro pretio*
*Oblati muneris, liberiq; in ædibus*
*Degere sine mulierum commercio.*
*Iam verò cùm primum in ædes ducturi sumus*
*Pestem, domus facultates dissipamus.*
*Hinc autem liquet, mulier quam magnum sit malum.*
*Proposita enim, qui genuit & educauit pater*
*Dote, in alienas tradit ædes vt liberetur à malo.*
*Rursum qui accepit in domos suum malum,*
*Lætatur, at ornatu conuestit imaginem*
*Pulcho deterrimam, & peplis laute comit,*
*Miser, rem familiarem exhauriens.*

Et si

Et si tibi Euripides osor fœminarum videatur, audias Sophoclem, qui scribit.

κακὸν ἄλλ' οὐκ ἔστιν, ἐὰν δὲ ἔστω ποτὲ
γυναικὸς, εἴ τι πῆμα γίνεται βροτοῖς. id est,

*Sed nihil est peius, nec erit vnquam*
*Muliere, siquidem illa est clades & infortunium mortalibus.*

Adest & testimonium Hesiodi, qui in Theogonia, vers. 594 loquens de prima illa Pandora, quæ prior malum intulit fœmina, ait.

ἐκ τῆς γὰρ γένος ἐστὶ γυναικῶν θηλυτεράων.
τῆς γὰρ ὀλωϊόν ἐστι γένος, καὶ φῦλα γυναικῶν,
πῆμα μέγα θνητοῖσι μετ' ἀνδράσι ναιετάουσι
κλωμάδης πενίης, ἀσύμφοροι ἀλλ' ἀκόροιο,

*Ex illa enim est genus mulierum placentium vel voluptuosarum:*
*Illius enim pernicioſum est genus, & sexus, mulier*
*Nocumentum ingens mortalibus inter viros habitans,*
*Pernicioſa Paupertatis impatiens, sed satietatis amans.*

Scribit & Terentius comœdia 6. quæ Hecyra dicitur Actu 2. Scena 1. ver. 1.

*Prò Deum atque hominum fidem quod hoc genus est, quæ hæc conturbatio!*
*Vt omnes mulieres eadem æquè studeant, nolintque omnia!*
*Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio vllam reperias.*
*Itaque adeo vno omnes animo socrus oderunt nurus:*
*Virus esse aduersas æquè studium est, similis pertinacia est.*
*In eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.*

Omitto alios huius etiam sententiæ assertores, ne videar operosius in mulieres inuehi. Sufficiet, ni fallor, scripturæ sacræ authoritas, vt malum etiam à mulieribus hominibus ingeri doceatur. Scribitur itaque in Ecclesiastico, 25. c. l. vers. 17. *Omnis plaga tristitia cordis est, & omnis malitia, nequitia mulieris.* Et vers 21. & 22. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi magis placebit, quàm habitare cum muliere nequã.* Et vers 25. *Breuis omnis malitia super omnem malitiam mulierum, sors peccatorum cadat super illam.* Et vers.

31. *A*

32. *A mulere initium factum est peccati.* quod etiam scribitur in mundi Genes. capit. 3. a. versicu. 6 & rursum Ecclesiastes capit. 7. d. versicul. 27. *inueni mulierem amariorem morte, quæ laqueus venatorum, id est, dæmonum est, & sagena cor eius, & uincula sunt manus illius: qui placet Deo effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa.* Sic Sibylla lib. 1. oraculorum, loquens de lapsu primi parentis.

ἀλλὰ γυνὴ πρώτη πρόδοτις γένετ' ὀκείνῳ
ἣ δῶκεν τ' ἔπον δ' ἀδαῆ πείθεσκεν ἁμαρτεῖν.
ὃς δ' ἐπέεσσι γυναικὸς πεπεισμένος ἐξελάθεσκεν
ἀθανάτου κτίσεως, σκιφέων δ' ἀμέλησεν ἐφετμέων,
τέκνεσκεν, αὐτ' ἀγαθοῖο λάθου κακὸν οἷον ἔπραξεν.

*Sed mulier prima produtrix extitit illi,*
*Quæ dedit, ignaroq; rei peccare suasit.*
*Ille quidem audita persuasus coniuge, patrem*
*Aeternum oblitus, spreuit clarissima iussa:*
*Hoc ergo peperere sibi mala, non bona, facto.*

Decepto namque Adamo, malorum omnium accessit caterua & ilias. Nam vt ait Horatius 1. li. Carminū. ode 3. v. 27.

*Audax omnia perpeti*
*Gens humana, ruit per vetitum nefas,*
*Audax Iapeti genus,*
*Ignem fraude mala gentibus intulit.*
*Post ignem aetheria domo*
*Subductum, macies, & noua febrium*
*Terris incubuit cohors:*
*Semotiq; prius tarda necessit.as*
*Lethi corripuit gradum.*

Nos rursum & inuidia dæmonis, & mulieris delitiis, malis prius onerati, ex his mala accumulamus. Mulier namque per se mala non est sua natura vt nec diabolus nec hominibus mulier vt malum ipsum abhorrenda. Et illius vsus bonus est, abusus malus. Et sunt mulieres aliquæ, potissimum quibus timor Dei mentibus inhæsit, viris quibusdam meliores, nobis vtiliores imò & D. Ambrosius lib. de institutio. virgi. c 3 ait, fœminas bonum esse hominis: constatque ex Genesis creatione, *Non est bonum hominem esse solum, faciamus*, inquit Deus, *ei adiutorium secundum se.* Confirmat vtique bonum esse hominum genus, si virili sexui fœmineum genus accedat. Considerandum etiam, quia homo de limo, ista de carne facta est. Et caro quidem limus,

limus, sed ille informis, ista informatus. Et Plato lib. 31. dialogo 5. de Iusto, mulieres aptas ad omnia quibus idoneus vir, scribit, sed inter imbecilliores. in aliquibus tamen, virtis præstantiores putat: namque præstantiores in his quæ viri contemnunt, vt. in telis texendis, & placentis faciendis. Sed & Constantinus Cæsar sagaciores mulieres fieri citiùs existimat, & probitate morum citiùs à natura, quàm masculos donari in l. 2. de his qui veni. ætа. impetrauc. lib. 2. C. tit. 45. Quod forsan malè, malitiæ adscribit glossa, dum ait, quod id fit ideo, *quia mala herba citò crescat.* Illi tamen adstipulantur Cæsares Diocletianus, & Maximin. in l. si alterius. l. 3. titulo, si minor se maiorem dixe. lib. 2. C. tit. 43. qui malitiam supplere ætatem dixerunt: sicut & pōtifex Alexander tertius in c. de illis c. 9. de despōsa. impub. lib. 4. Decreta. Greg. tit. 2 Extat & illa super omnes eximia, & benedicta super omnes mulieres Maria, Theotocos, cuius partu & semine, generis humani labes & ruina restituta est pristino, imò meliori statui: vnde & non satis sufficientes matri possumus referre laudes, cuius ministerio & labore & sanctissima puritate, mundus suo redemptore Messiah, Domino nostro IESV CHRISTO donatus est. Digna certè facta, cuius vtero verus homo & verè filius Dei & ipse Deus includeretur. Cuius virginitatem & bonitatem quamplures aliæ imitatæ sunt, & si tantum non fuerint culminis & præstantiæ gradum assecutæ. Et quanto fragiliot sexus mulierum est, quantoúe labilior natura, tantò certè ampliùs laudabilior, si veluti singulari Dei bonitate, contra naturæ fragilitatem, vt contra hostem familiariorem, victrix mulier. Et beatus qui habitat cum muliere sensata. Eccles. 25. b. vers. 11. & c. 26. b c.

16 *Gratia mulieris sedula delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit.*

17 *Disciplina eius datum Dei est.*

18 *Mulier sensata & tacita, non est immutatio animæ erudita.*

19 *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.*

20 *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.*

21 *Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bona species in ornamentum domus eius, lucerna splendens super candelabrum sanctum.*

22 *Et species facies super ætatem stabilem.*

23 Co-

23 *Columnæ aureæ super baſes argenteas, & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris.*

24 *Fundamenta aeterna ſupra petram ſolidam, & mandata Dei in corde mulieris ſancta.*

Et rurſum c. 36. d. ver. 26. *Qui poſſidet mulierem, bonam ſumpſit poſſeſſionem, adiutorium ſecundum illum eſt, & columna vt requies.* & ita dictum eſt etiam Geneſis 2. d. mulierem in adiutorium ſimile, factam eſſe homini. Scribitur & Prouerb. c. fin. b. 10.

30 *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.*

31 *Confidit in ea cor viri ſui. & ſpolijs non indigebit.*

32 *Reddet ei bonũ & non malum, omnibus diebus vitæ ſuæ.*

33 *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.*

34 *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longè portans panem ſuum &c.*

Bonus etiam illarum cum legitima coniunctione prouentus. Ad hoc enim Deus eas creaſſe videtur, vt partus ederent, & in hoc maxima earum cupiditas, vt ſcribit Iuſtinianus Cæſar in l. 2 §. cuius enim. de ind. vidui. toll. lib. 6. C. tit. 40. & vt idé ait in §. 1. de nuptijs, in Authent. collat. 4. tit. 1. Sic & matrimoniũ ita eſt honeſtum. vt humano generi videatur immortalitatem artificiosè introducere, & ex filiorum procreatione innouata genera manant iugiter Dei clementia: hinc tot fauores mulieribus conceſſæ, circa dotes, circa reſtitutiones, cautiones Velleiani, & huiusmodi, quæ bonitatẽ mulierum arguere poſſunt & vtil tatẽ, ob quam ea conceſſa videntur. Quanquam forſan quis obijcere audeat gloſſam illam, quæ ſcribitur in l. ex ijs. l. 4. de legibus. lib. 1. ff. tit. 2. dicentem quod propter bonas fœminas non debet fieri lex, quia raræ ſunt, ſed propter malas, quia multæ ſunt: cùm plures reperiantur qui perirent nubendi cauſa, quàm quæ iuramentum de non nubendo obſeruent, propter quas, quia rarò tales continentes reperiuntur, lex facienda nõ eſt, vt ſcribit Iuſtinianus. in §. quia verò, in Authẽt. collat 7. tit. 4. vt ſine prohibit. matres debiti &c. forſã & obijciet q̃ ſcribitur in Eccle. c 46. c. ver. 12. 13. & 14. *In medio mulierum noli cõmorari, de veſtimẽtis procedit tinea, & à mulere iniquitas viri: melior eſt enim iniquitas viri, quàm mulier bene faciẽs & mulier cõfundẽs in opprobrũ.* Sed hæc periculum quod ex mulierũ fragilitate, & earum ad

tum ad malum promptitudine potius respiciunt quàm ad illarum naturalem malitiam. accenditur enim proximitate ignis palea, & plures cupiditate incensi, per assiduitatem mulierum in multa mala lapsi sunt: sed illud est potius illis abuti, quàm uti. Sic nimius usus vini, & assiduitas mulierum, apostatare faciunt per occasionem sapientes. Eccles. cap. 19 a. Nam vt ait Virgilius 3. Georgico. vers. 215.

*Carpit enim vires paulatim, uritq; videndo*
*Fœmina, nec nemorum patitur meminisse nec herba.*
*Dulcibus illa quidem illecebris, & sæpe superbos,*
*Cornibus inter se subigit decernere amantes.*

Sic Propertius lib. 2. ad Cynthiam de ea ait.

*Quæ videt, is peccat, qui non te viderit ergo*
*Non cupiet, facti crimina lumen habent.*

Qua ratione & statutum est in legibus Romanorum, contumeliam esse pudori matronali, si fœminæ conuentibus hominum & iudiciis interesse cogantur: à quibus arcentur à Constantino Cæsare l. Maritus, l. 21. de procurator. lib. 2. C. tit 13. & in l. 2. de iis qui veniam impetra lib. 2. C. tit 45. & Vlp. l. 1 § secund. loco, de postul. lib 3. ff. tit. 1. & Bonifacio VIII. in c. mulieres de iudic libr. 2. sex. Decret. tit. 1. vnde in septima synodo separati monachi à monialium monasterio. in cano. definimus, 18. q. 2. Prohibet & id D. Basilius sermo. de vera virgin. prohibent & leges castitatis, & virginitatis professores, ab earum abstinere cohabitatione clericis, permissis tantũ propinquioribus: Episcopus verò, nullis fœminis. Honorius & Theodos. in l. eum qui, & Authent. Episcopo, de episc. & cler. lib. 1. C. tit. 8. Extant & tituli integri in iure pontificio de cohabita. cler. & mulier. in his itaque & in reliquis, vt semel dixerim, potissima mali causa erit ex nobis, voluntas, & propositum, ex quibus & iurisconsulti distinguũt crimina Sic in furti censura inspicimus, num eo animo vt alienam rem quis contrectet, retinendi sibi causa inuito Domino, vt dicatur fur, an putet se ex domini voluntate contrectare, & tunc non dicatur. vt scribit Pomponius in l. inter omnes constat, l. 47. § recte, de furt. lib. 47. ff. tit. 3. & Iustinianus in § placuit, de oblig. quæ ex del. nasc. lib. 4 Instit. iur. ciuil. tit. 1. Atque imperator Antonius in l. 1 ad l. Corn. de sicar. libr. 1. C tit. 16. rescripsit, crimen contrahi, si voluntas nocendi intercedat & ea quæ ex improuiso, casu potius, & vel accidunt fato, plerumque non noxæ imputari. Sic ex hac voluntate, quæ contra præceptum

ceptum Dei, vetitum arboris vel ligni fructum concupiuit, altiora diuinioris naturæ desiderauit, natum est peccati & mortis initium. Nam arbor, cuius fructus Adam prohibitus fuerat edere à Deo bona quidem per se erat, & bonus fructus eius: non enim vt quidam opinantur arbor quidpiam noxij vel lethiferi attulit, sed inobedientia mortis causa fuit. Nam fructus nihil aliud habebat, quàm cognitionem solam, verum cognitio bona & pulchra est, si quis ea recte vtatur. Siquidem nullum bonum est, quin scientia comprehendatur, vt scribit Plato, lib. 4. in Menone, vel de virtute & scientia boni posse esse in cautione mali malum sciendo. Eo autem tempore, infans seu puer erat Adam: quapropter eam cognitionem digne percipere nequiuit. nam sicut infans recenter natus pane vesci nequit, nec ei similis est qui profectiore ætate solidiore cibo, non lacte vtitur, vt non inuidens Deus Adamo, vt quidam sentiunt, eum ab arbore cognitionis abstinere iusserit. Probate etiam hominem volebat Deus, an dicto eius audiens esset. Tum & cupiebat, vt homo longo tempore simplex & syncerus maneret innocens vt puer: laudabile namque censetur omnibus, & apud Deum, sine malitia subiici parentibus, vt docet Theophilus theologus, li 2. ad Autholycum Christianę religionis calumniatorem. Et vt cũ Cyrillo Alexandrino loquar li. 3. contra Iulianum, Scientia boni & mali in arbore prohibita, non erat prohibitio cognitionis, vt quid bonum quidve malum esset cognoscerent. Nam illud cognoscebant, cum essent rationales creaturæ, & liberum arbitrium & ad bonum & ad malum haberent sed scientia illa erat practicè intelligenda, id est factam prohibitionem, ne facerent malum, scilicet ne peccarent contra præceptum *Dei*, videlicet ne comederent ex ligno: non quia malum per se lignum, sed malum, quia prohibitum ab eo, quem offendere malum est. Et certe vt scribit Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus lib 3. cõtra Iulianum apostatam, quid sit bonum, & contra, quid sit malum, nescire prorsus pecuinum est. & magis lapide ac ligno dignum, ab homine autem rationali prorsus alienum: & per consequens *Deus* de cognitione in prohibitione non intellexit. Sed audiamus & D. Chrysosto qui tomo 1 homilia 16. in Genesin. ita scribit. *Arbor boni & mali in Genesi dicitur, non quod ob illius gustationem scientiam boni & mali habuerit Adam: nam & ante prævaricationem habebat scientiam vtriusque; alioquin*

*frustra illis datum esset liberum arbitrium, & lex imposita. Quin & sapientia repletũ fuisse antea constat: quod secundũ naturam cuiq; animali nomina imposuerit quod de futuris prophetauerit. Nunc hoc os ex ossibus meis, &c. Sed à contingente, arbor boni & mali dicta. Mos enim est sacræ scripturæ, nomina à reb. cõtingentib. locis imponere. Ea propter lignũ hoc vocatũ est lignum scientiæ boni & mali: quia circa illud obseruatio & transgressio mandati erat. Misericors enim Deus, decens hominẽ, quod haberet conditorẽ & factorẽ, qui insusibilia omnia produxit & formauit, per vnum tantum mandatum declarauit se dominum esse.* Et rursum, Sermone de interdictio arboris ad Adam, tomo 1. *propter hoc Deus plantauit & interdixit arborem scientiæ boni & mali, vt posset esse per quod voluntas hominis monstraretur. Dat mandatum vt probet obsequium. imponit legem, vt probet hominis voluntatem: insinuat obsequium, vt eius noscat arbitrium. Stabat ergo arbor in medio, hominis voluntatem explorans. Explorabat enim an homo potius Dominum comminantem, quàm persuadentem audiret: non enim in arboris fructu, sed in arboris contemptu, mors ipsa pendebat. Stabat & homo inter Deum & hostem, inter vitam & mortem, inter iudicium & salutem. Condignum fuerat, vt talis circa creatorem homo fuisset, qualem se esse eius creaturam agnosceret: vt pareret Deo, qui ei cuncta parere præceperat, seruiret Domino, qui eum Dominum mundo præfecerat.* Et D. Augustinus, & cæteri catholici Doctores, super Genesin lignum innoxium boni & mali esse dicunt, & bonum ipsum & malum tantum in transgressione fuisse, & ex voluntate parentum. Et Diuus Damascenus egregia hac de tradit lib. 2. de Orthod. fid. cap. 11. vbi de paradiso agit. Omnes enim, vt verum est, ad nostram proæresin vel electionem referunt malorum causam, impiis exceptis, qui in Deum vt se palpent & decipiant, referunt. Quos notat, pudet dicere in Christiani nominis vsurpatores, Homerus, qui Odyssea 1. vers. 35. sic scribit in persona Iouis conquerentis.

ὦ πόποι οἷον δὴ νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κακὰ μέμπται, οἱδὲ καὶ αὐτοὶ
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν. 1.

*ô Di, vt homines grauiter Deos accusant!*
*Dicunt enim, ex nobis mala existere, cum tamen ipsi*
*Propriis admissis, præter fatum, mala habeant.*

Et

Et Æschylus in tragœdia, quæ inscribitur Προμηθεὺς δεσμώτης, Prometheus religatus circa finem inducit Hermetem ad Achorum Oceanidũ Nymp harũ sic loquentem.

ἀλλ' ἔν μέμνησ' ἅ τ' ἐγὼ προλέγω,
μηδὲ πρὸς ἄτης θηρατθεῖσα,
μέμφησθ' τύχην, μηδέποτ' εἰπητ',
ὡς ζεὺς ὑμᾶς εἰς ἀπρόοπτον,
πῆμ' εἰσέβαλε. μὴ δῆτ', αὐτὰ δ' ὑμᾶς αὐτὰς, εἰδῆναι χρὴ
κ' οὐχ ἑξαίφνης ἰδὲ λαθραίως
εἰς ἀπέραντον δίκλυον ἄτης
ἐμπλεχθήσεσθ' αὐοίας.

*Sed memineritis quæ ego prædico,*
*Ne à malo deprehensæ*
*Accusetis fortunam, & me quando dicatis*
*Quod Iupiter Vos in improvisam*
*Cladem induxerit. Non enim sane id facit,*
*Sed vos ipsæ Scitu enim:*
*Neque ex improviso neq; clam*
*In inextricabilem laqueum calamitatis*
*Involuemini per Vestram insipientiam.*

Scribit & Aristoteles libr. 3. Ethic cap. 5. *Cum igitur*, inquit, *finis quidem sit affectabilis ipsa Voluntate, ea autem quibus itur ad finem consultabilia sint, atque eligibilia, fit ut actus hi qui circa hæc versantur, ab electione proficiscantur, nostri ipsius sponte fiant. At operationes Virtutum circa hæc ipsa versantur. Nostra igitur in potestate ipsa virtutes & idemtidem vitia collocantur. Quibus enim in rebus nostrum situm est in potestate agere, in illis & non agere: & in quibus non agere, in is est & agere. Quare si agere bonum (quod honestum est) in nobis est situm, & non agere quod turpe est, in nobis est collocatum. Et quæ sequuntur.*

## De Vltimis Verbis finitionis Bonitatis

### CAP. V.

SVpersunt nunc vltima verba explicanda finitionis Bonitatis, dum dicimus eam fontem & causam totius essentiæ, & actuum: dummodo priuatione non vincantur vel superētur in eodē subiecto & tempore. In quib. vltimis verbis cōsistit differētiarum vis. Et inde distinguūtur actus, nū

sint boni vel mali. Nam si actiones efficentiam adiciant, bonæ sunt: si magis in priuatione præualeant, malæ in eo dici possunt. Exemplis res facilior adiectione & priuatione collatis, veluti hominem occidere si nudè proponatur num bonum vel malum sit, se offeret necem esse priuationem, vitæ scilicet: ideo quũ sit nuda priuatio, malum est. Si quis autem dicat, num occidere hominem malum, vt prẽmium pecuniarum quoddam consequamur? habes adiectionem & accessionem ex vna parte, nempe prẽmium, ex alia priuationem, mortem alterius. quid respondebis? examinabis num priuatio præualeat accessioni vel contra: & inuenies vtique præualere. Sed dices, quomodo id cognoscam? accipe paucis: priuatione præualere colligo ex bono quod tollitur, collatione facta cum bono quod accedit, vt aliud tollatur: in veniam autem maius bonum tolli, nempe vitam hominis, occasione minoris, nempe occasionis præmij pecuniarum. Si dicas autem, sed quomodo cognoscam id bonum quod tollitur maius esse, vt postea nouerim præualere priuationem? Quomodo? facilè certè, si scalam nostrarum substantiarum reuoluas. Scis enim in 2 gradu elementata poni, postea nobiliores plantas, dehinc animalia, dehinc homines. vides igitur tribus gradibus bonitatis excedere hominis bonitatem, bonitatem pecuniarum: per consequens priuationem præponderare, & ideo cædem ob pecunias factam, malam. Et ex hoc exemplo iudicium simile trahi potest aliorum actuum, in quibus vel est priuatio sola, vel adiectio alterius gradus bonitatis. Quod si priuatio & adiectio sunt eiusdem gradus subiectorum, veluti num bonum sit, alienum rapere: rapina priuatio est, quæ nihil confert subiecto à quo accipitur, sed solum aliquo priuat. Sed dices, qui rapit, accessionem sibi facit, ideo bene facit. Respondeo Rapere & benefacere non posse esse simul. nam qui rapit, priuat, & quamuis quod raptum est bonum sit in se, non tamen quia raptum bonum, sed malum: quia respectu eius qui habet & accepit mutauit nomen, vt raptum & furtiuum. Sed rursum aliud quæramus. num occidere hominem propter vindictam publicam malum sit. vindicta publica, & ea des, vel vitæ priuatio, in materia eiusdem gradus sunt, nempe in hominis gradu. Consideremus igitur, num bonum priuationi alterius boni præponderet, vel contra num priuatio boni maioris sit quàm vindicta. Et dicemus vindictæ bonum præponderare priuationi. Nã

plura

plura bona vnius generis, potiora sunt & meliora ratione cumulationis & eligibiliora. vtilitas publica. plurium est: & si vtilitas vnius bona sit, & plurium, per cõsequens melior, præponenda. Præterea cædes, vindictæ iustæ, melior est ipsi necato quàm vita ipsa corporalis; quia malo mors indicta, est mali castigatio, & medicina, veluti interceptio occasionis malè agendi: quanto enim diutina mala detinent animam alligatam, tãto grauiora sunt, vt scribit Gregorius IX. in cap fin. de consuetud. lib. 1. Decretal. tit 4. Et ex concilio Lateran. in cap. cum in ecclesiæ. cap. 9 de Simo. lib. 5. Decretal. Grego. tit. 3. Et diuturnitas temporis non diminuit peccata sed auget, vt ait Alexander tertius ex cõcilio Turonensi, in cap non satis. cap 8. dict. tit. de Simonia in Decretal. Et Clemens III. in cap. cum haberet cap. 5. lib. 4. Decret. tit. 7. quia peccatum cui non medetur, transit in cõsuetudinem, vel corruptelam, & iuuat priuationem boni residui, & tandem illud quod supersest omnino corrodit & tollit, vixque posteà commodè manus medica ad remedium, sed frustrà accersitur. Nam vt ait Ouidius lib. 1. de remed. amoris.

*– mora dat vires teneras mora perdocuit vuas,*
*Et validas segetes quæ fuit herba facit.*
*Quæ prabet latas arbor sparsantibus vmbras,*
*Quo posita est primùm tempore virga fuit.*
*Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,*
*Nunc stat in immensum viribus aucta suis.*
*Principiis obsta sero medicina paratur.*
*Cùm mala per longas conualuere moras.*

Et Virgilius 3. Georgicor.

*– Alitur vitium viuitq; tegendo:*
*Continuò culpam ferro compesce priusquam*
*Dira per incautum serpant vestigia vulgus.*

Omitto eius rei reliquos testes. cum natura nos moneat vniuersorum malum nullo remedio sublatum reliquam integram partem labefactare: sic aqua, quæ situm contrahit, longiori tempore magis putris efficitur: aër semel incipiens corrumpi vicinas partes populatur eadem contagione: ignisque paulatim vires consumptrices augent: morbi in corpore, in sanas corporis partes, ni subueniatur, serpunt, vt inde accidat nunquam diu mala, potissimum magna, latere posse, vt dicebat Medea apud Senecam tragæd. 7. quæ Medea inscribitur. act. 2. scena 1. v. 41. Vires virus sumit eundo, & initium cladis, ab initio inuisibile vel contemptibile,

sed tandem maiori priuatione eius quod desideratur memoria incutit. Et vt absoluam malè agendi impœnitentia, quæue est absq; vltione, delinquendi promptitudo, transit in negligentiam & contemptum boni, negligentia in obdurationem, obduratio in consuetudinem, & sic in pœnarum seueritatem. Et idcirco bonum fit hominem de medio tolli cita vindicta, ne pœnæ illi posthac accumulentur. Nam & grauiores pœnæ infligi debent in delictis repetitis, ex responso Callistrati in l. capitalium l. 28. §. solent, de pœn. lib. 48. π. tit. 19. Modestini in l. 30. si plures. & Arriani in l. non omnes. l. 5. §. desertor, de re milit. lib. 46 π. tit. 16. Et quatuor Cæsares Gratianus, Valerinianus, Theodosius, & Archadius cùm iuberent in l. 3. de Epis. audien. lib. 1. C. tit. 7. aperiri carceres in die Paschatis fontibus ieuiorum criminum, hæc verba in § fin. addunt: *His ergo talibus quoq; sub astrictione damnatis indultum nostra serenitatis eo præcepto fine concludimus, vt remissionem venia crimina nisi semel commissa non habeant: nec in eos liberalitatis augusta referatur humanitas, qui impunitatem veteris admissi, non emendationi potius, quàm consuetudini deputarunt.* his addere licet, maius bonum ex punitione maleficij sequi, dum corpus castigatur, vel vt anima salua fiat, pretiosior cùm sit salus animæ corporali salute. Sic tradidit D. Paulus viuentes Sathanæ Hymenæum & Alexandrum, vt discerent bonum maius operari, nempe non blasphemare 1. Corinthio. 1. vers. 20. Et rursum 1. Corinth. 5. b. vers. 3. & 4. 5. de eo qui cognouerit vxorem patris sui, ait. *Ego absens corpore, præsens autem spiritu tam iudicaui & præsens, eum qui sic operatus est, in nomine domini nostri* IESV CHRISTI, *congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute domini nostri* IESV, *tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri* IESV CHRISTI. ex quibus & facilis ad alia exempla similia dabitur aditus. Et liquet eius priuationis consideratione quid sit bonum, quidue malum. Non me latet tamen, alias boni fuisse aliorum finitiones, quas non sequor: nempe quòd bonum sit quod expetibile, item quod honestum, item quod verum. Quarum & Seneca quasdam improbat lib. 21. Epist. epist. 118. Scio & eundem, bonum dixisse id esse, quod rationem habet lib. 22. Epistol. epist. fina. bonumque tantum esse quod intellectu percipitur, non sensu. Et noui aliter

ui aliter Biam, aliter Zenonem, aliter alios sensisse, qui tamē plutius quoddam particulare bonum descripserunt, bonique species, quàm bonum in genere. Quocirca mihi mea generalis sufficiensq; videtur tinitio, illa omnia complectēs: placetq; ita bonitatem, & quæ inde bona oriri possunt, describere. donec optimus maximusq; Deus, cuius benedictum nomen in secula, dignetur nobis, vel alteri qui nos admoneat veriorem demonstrare. Fatemur enim ingenuè nobis multa incognita, neque amplius quàm Deo placuerit scire. Interim tamen, vt faciam satis lectori quantùm consequor, huic capiti quasdam annectam species bonitatis, & boni, per quas quodlibet esse bonum, vel malum, vno ictu oculi apparebit. & sic de singulis principijs supremis, Deo iuante, tabellas effigurabo, quas addiscere quemq; & mente tenere oportebit: quibus singulariter cōtraria opponemus è regione. Sed anteà semper notemus expedit vltima verba definitionis bonitatis, & boni: in quibus dicimus considerandum semper idem subiectum & tempus. Nam diuersa subiecta & tempora rerum variant considerationes. bonum namq; vni subiecto est, quod alij malum est: & bonum eidem subiecto vno in tempore, quod in alio eidem malum est. sic de magno, durabili, potentia, & similibus principijs. Exemplum vtriusque sit in boni specie: quædam sunt quæ decent pueros, quæ viris indecora sunt. rursum viris cibi solidi boni sunt, pueris lactantibus mali. Et bona quædam dicuntur seruis, vt flagella, quæ mala liberis hominibus: veluti magnum dicitur, respectu individuorum, veluti faba respectu aliarum eius generis, vel respectu grani sinapis maxima: respectu hominis, mundi, minima. De duratione & alijs idem conijcere licet: in tempore etiam quædam præsenti tēpore bona sunt, veluti sanis bonum comedere quædam, quæ ægris iisdem mala sunt; & maior magnitudo viris quàm pueris, & sic de similibus. Et ex subiecti consideratione iurisconsulti similia tradunt, & esse inde censenda negotia: vel ratione dignitatis, vel ætatis, vel similiū eiusdē generis, vt apud Paulum, secundum ea variare operum præstationem rescriptū est in l. eius artificij, l. 16. de oper. libert. lib. 38. ff. tit. 1. Et separatā cōditionē habentia, separata indigere cōsideratione, respondit Iul. in vsucap. partium diuersarum fundi quæ egent separata vsucap. l. qui fundum possid. lib. 7 de vsuc. pro empt. lib. 41. ff. tit. 5. Secundum itaque tractanda, & separatim quæ separata sunt, vt idem

Iulianus tradit de rationibus seorsum reddendis à seruis, qui seorsum administrauerant in l. si quis ita libertatem, l. 13. §. si duo serui. de sta. liber. lib. 40 π. tit 7. Separata autem dicuntur, vel substantia, sine genere, vel individuo: & hæc ferè vnicuique distincta apparent, vel nomine, vel re ipsa, diuisis rebus. Et sic separata docet testamenta, nec eiusdem efficaciæ, & codicillos, quia diuersa habeant nomina. Constantinus Cæsar in l. si idem, l. 7. de codicil. lib. 6. C. tit 36. vt & individuorum distinctio, cuilibet vel rudiori subiicitur oculis, quod numero inter se distent, & forma & quantitate, & aliis rebus sensibus expositis. Et hæc late quis haurire poterit ex Vlp. in l. si quis, in fundi vocabulo, l 4. de leg. 1. libr. 40. π. tit. 1. cum similibus ibi notatis. de quibus latius cùm de differentia Deo iuuante loquemur.

Et iidem iurisconsulti etiam dixerunt, quod pertinet ad tempus, sequi ex illo diuersam considerationem, sicuti priscis temporibus licebat Episcopis tertiam partem prouentuum parochiarum suæ diœcesis accipere, nunc non licet. in cano priscis, & can. seq. 10. quæst. 3. in 2. parte decreti Gratiani. Multa & in præceptis diuinis mutata sunt, pro temporum varietate, in ceremoniis, repudio. esu carnium, & in aliis de quibus in cano. ab exordio, 30. dist. in 1. parte decreti. Et tempus multorum æstimationem variat, sicut & locus apud Paulum in l. pretia rerum, l. 63. §. fin ad l. Falc. lib. 35. tit. 2. cum similibus à glo. citatis. Quia & rerum etiam natura tempore immutatur, & corrumpitur & augetur: *Quem vides puerum formosum, videbis deformem in senecta. vetustas pauca non deprauat multa tollit*, inquit, M. Varro libr. 4. de ling. Latina. Quare & Saturnus Græcis Χρόνος, quasi Χρόνος, tempus, ferens symbolum temporis, falcifer, & edax rerum, dicebatur, ut apud Ouidium 1. Fastorum: & fingebatur partum deuorare, & deuoratum euomere, q̃ noua ex deformatis faceret, vt & Cicero scribit 2. de Natur. Deor. & Phronutus lib. qui Θεωρία περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως, de natu, Deor. qui illi attribuit rerum omnium mixtionem: scribit & Iulianus Aurelius li. 3. de Cogno. Deo cap. 2. Explicat & Macrobius libr. 1. Satur. c. 8. & 22. Qui ideo putant, quia rerum cõtinuam mutationem & sationem tempus facit, Saturnum idem esse quod Solẽ. Dixit & Iustinianus naturã hoc esse, q̃ nouas semper deproperet edere formas, vt humanę res semper in infinitũ occur-

occurrunt. in l. 2. §. sed quia diuinæ, de vet. iur. enucle. libr. 1. C. tit. 20.

| *Synopsis eorum quæ bonitatem referunt.* | *Quæ bonitatis exemplis repugnant.* |
|---|---|
| Acceptabile, de quo tractatur c. 6. istius libri. | Repudiandum. |
| Accommodatum, commodum, conueniens. c. 7. | Inconueniens, disparitas. |
| Æquum, iustum. c. 8. | Non æquum, iniustum, &c. |
| Benemeritum, beneficum, benignum, omne quod ex bene componitur, vt benedictio. c. 9. | Malemeritum, malignum, & quod componitur ex dictione malè, vt maledictio. |
| Communicatio. c. 10. Item diffusio, extensio. | Restrictio, auarum. |
| Debitum. vide dignum. | Indebitum. |
| Desiderabile. cap. 11. | Fugiendum. |
| Dignum, dignitas. c. 13. | Indignum. |
| Donatio. vide communicatio. | Tenacitas. |
| Dona Dei. c. 12. | Diaboli mala. |
| Esse, essentia, existentia, 14. & quæ ea prædicant, vt actio, constructio, ædificatio, &c. | Nihil, non esse. Quæ destruunt & minuunt essentiam. |
| Fœlicitas, Gloria, Beatitudo, 15. | Infœlicitas, damnatio. |
| Fructiferum vide essentia. | Infrugiferum, sterile. |
| Gratificum, Gratitudo, Gratum, 16. | Ingratitudo, ingratum. |
| Honestas, decus, honoratũ, castum, &c. 17. | Turpe, dedecus, &c. |
| Fama bona. | Infamia. |
| Idoneum, vide accommodum. | |
| Iustum, vide æquum. | Seruitus. |
| Libertas. cap. 18. | |

| | |
|---|---|
| Melioratio. vide essentia. | Mortis obliuio. |
| Mortis cogitatio, *19.* & quæ inde sequuntur. | Ignobile, vile, abiectum. |
| Nobilitas, nobile 20. | |
| Ornatum. vide honestum. | Incomptum, inornatum. |
| Pax. c. 21. | *Dissidium*, bellum. |
| Perfectum c. 22. | Imperfectum. |
| Pulchrum. 17. | *Deforme.* |
| Ratio. 23. | Irrationale. |
| Salus, salubre. vide essentia. | Insaluber, ægritudo. |
| Sanctum. 24. | sine timore Dei. |
| Transcendentia omnia nostra | |
| Verum. *25.* | Falsum. |
| Vtile. 26. | *Damnum.* |

Sunt & quædam adiaphora, quæ vel vsus, vel intentio agentis, aut bona aut mala facere potest.

*Docetur acceptabile bonum esse.*

CAP. VI.

ENumeratis quæ bonum referre videntur, consequens nunc est, vt ea bona esse probemus in discentium gratiam, quibus vel præmandere cibum oportet, si velimus hinc illos vtilitatem quandam percipere, quod maximè omnibus contingere in Dei gloriam desideramus. Et quanquam per se hæc & his similia esse bona in confesso sit, conabimur adhuc, facem lumini addere, eoq; ordine, quo proposuimus, singula talia esse exponemus, vt ex propositis alia quæ occurrent tractanda facilius percurri possint.

Acceptabile bonum itaque esse constat, quòd conueniat ei finitio bonitatis. Est enim essentia & actus supra priuationem. item omne appetibile per se bonum, vt docuimus suprà, & postea dicemus. acceptabile autem est per se desiderabile: ergo bonum. Et ita Cicero 5. Tusculanar. argumentatur. *Bonum*, inquit, *est quicquid expetendum. quod enim expetendum, approbandum: quod approbandum, gratum & acceptum habendum est.* Dico autem acceptabile, non acceptionem, vel acceptum. Intelligo namque bonum esse tantum quod dignum est & rationi conueniat vt accipiatur. non enim semper bonum est accipere, iuxta vetus prouerbium Græcorum. ὅτε πάνυ, ὅτε πάνυ τοτε, ὅτε παρὰ

παρὰ πάντων, id est, *non omnia, nec passim, nec ab omnibus*, scilicet accipienda esse. aliquid tamen, & aliquando, & ab aliquibus accipiendum. Nam valde inhumanum est à nemine accipere, sed passim, vilissimum, & omnia, auarissimum. Eratque in mandatis Seueri Imperatoris & Antonini, ne donum vel munus ipse proconsul, vel qui in aliquo officio est, acciperet, emereve quid nisi victus quotidiani causa: quod tamen ad xenia Vlpia. interpretatur non porrigi. l. solet etiam. l. 6. § fin. ff de off. proconsl. lib 1. π. tit. 16. Mandata autem erant secundùm legem Cinciam, quæ huiusmodi constitutionem ante decreuerat, vt author est Cicero orat. pro lege Manil. & alii. Cuius rei multæ sunt rationes publicam vtilitatem respicientes, & per alias species bonitatis comprobatæ: quas silemus breuitati studentes. Erit autem acceptabile hîc, quod iustè & legibus non vetantibus acceptari potest, veluti etiam dum permittitur acceptio personarum, dum alii aliis iustè præponuntur: vt qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina, 1 epistol. *D* Paul. ad Timoth. c. 5. c. vers 17. Hacque de re scribit *D.* Hieronymus epistola ad Rusticum Episco. Narbo. & refertur in cano. ecce ego dico, 95. dist. debet & acceptio fieri personarum legitimè, vt stultis præferatur sapiens, siue in dignitatibus, siue in aliis honoribus: nam si aliter fiat, malum est. Ergo ita fieri bonum. Ideo Ecclesiasticus c. *10.* b. vers. 16 & 17. ait, *Est malum quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum, vidi seruos in equis & principes ambulantes super terram quasi seruos.* Ideo Roman. Imperator ritè Reipubl. prouidere desiderans, in l. ne quis ex vltimis, l. 6. de dignitat. libr. 12. C. tit. 1. scribit, *Ne quis ex vltimis negotiatoribus, vel monetarijs, abiectu q; officijs, vel deformibus ministerijs, stationarijs, omniq; officiorum fece, diuersisq; pactis, turpibus lucris, aliqua frui dignitate pertentet, sed & quis meruerit, repellatur.* Et rursum l. 2 eod. sub tit. *Non famosis, & notatis, & quos scelus aut vita turpitudo inquinat, quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatu porta patebunt.* Neque nos moueat quod vulgò fertur, non esse personarum acceptionem apud Deum, vt videatur, nec distinguendum esse inter illas in iudicio. Sic enim scriptum est 2. Paral. cap. 19. b. vers. 7. & *D.* Paul. ad Roman c. 2. b. vers 11.

vers. 11. Nam & non habendam distinctionem admittimus personarum in his, in quibus aliud quæritur, quàm de ipsis personis: omnes enim æquali sorte corpus & animâ a Deo acceperunt. Cæterùm in bonis quæ in personis considerantur, præferuntur personæ, non ratione faciei exterioris, sed ratione singularis boni, quod in iis vel circa eas. est supra cæteras personas. Sic in libro Paralip. 2. c. 19. præfertur iustitiæ æquitas, de qua quæritur inter personas: apud Paulum ad Roma. c. 2 fides, & alibi epist. ad Philip. c. 6. b. vers. 8. & 9. in boni operatione non est erga Deum acceptio personarum, sive eæ sint liberæ, sive seruæ conditionis, vt etiam idem scribit *D.* Paulus ad Colos. 3. b. vers. 11 omnes pari ratione creaturæ ipsius sunt. Cæterum bonum & malum quod in iis reperitur, consideratur vltra genus commune, vt scribit Gregorius IX. Pontifex in c. venerabilis, c. 37. de præb. lib 3. Decreta tit 5 & D. Augustinus de bono coniugali, in cano. sicut satius est fame mori 32. quæst. 4. in 2. par. dec. Bonifa. & in vlt. par. in cano. nec quenquam de consec. dist 4. Sic vnusquisque prout gessit in corpore suo, sive bonum, mercedem, sive malum, damnationem accipiet, vt scribit D. Athanasius in symbo. fidei ex Euan. *D.* Ioan. c 5 e. Et *oportet*, inquit Paulus 2. Corinth. c. 5 b vers. 10. *omnes nos manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum*, & per totum 25. c. Matth. Et Lucæ 13 e. cum similib. de hoc etiam admonuit Deus Cain, Genes. 4. a. ver. 7. nónne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim peccatum tuum in foribus? Sed & qui melius egerunt, honoratiores apud Deũ & maiori gloria fulgebũt. Sic enim scribitur Sapient. c. 3 a. 6. loquente de iustis Sapiente vers. 5 & seq. *Deus tentauit illos, & inuenit dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur in populis, &c.* Et refertur apud D. Matthæ c. 13 f. vers. 43 quòd alia corpora cœlestia, alia corpora terrestria sunt: sed alia cœlestium quidem gloria, alia autem terrestrium: & alia claritas Solis, alia Lunæ, alia stellarum: vtque stella differt ab stella in claritate, sic & resurrectio mortuorũ, inquit D. Paulus 1. Corinth. 15. e. f vers. 40. 41. 42. Apud Iurisconsultos etiam magistratuum prælatio, rerum electio, & repudiatio, multaque his similia, in quibus id quod acceptabile est, bonum

aum est: quod repudiandum, malum in eo in quo repudiatur. Sic in omnibus scientiis & artibus acceptabile bonum, repudiabile malum. Dicam autem semel acceptabile id esse, quod beneplacitum, & dilectum est: nemo quippe diligit cum oratione quod malum est, sed illud odit. oderunt & animalia nociua & sibi mala. Diligit quisque maximè ea quæ conferre sibi existimat, & ex quibus arbitratur suam fœlicitatem pendere, vt scribit Plato lib. 31. dial. 3. de Repub. vel de iusto Quæ enim quis appetit diligítue illo indigere videtur: & ita bonum amicum est, vt idem Plato scribit lib. 12. in Lysíde, siue de amicitia. Sic in historia Ester c. 10. a. vers. 3. narratur de Mardochæo, quòd acceptabilis plebi fratrum suorum esset. addit rationem, quòd esset quærens bona populo suo, & loquens ea quæ essent ad pacem. Sic in Leuitico c. 1. a. vers. 3. 4. loquens Dominus de offerendo holocausto, *Masculum immaculatum de armento offeret ad ostium tabernaculi, ad placandum sibi Dominũ ponetq; manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit.* Ratio. *atque in expiationem eius proficiens* Et in reliquis scripturæ sacræ locis, acceptabile pro bono semper habetur, vt apud Esaiam c. 56. b. ver. 5. dies acceptabilis Domino, & tempus acceptabile. Item 2. Corinth. 6. a. ver. 2. hostiæ acceptabiles, 1. Petri 2 a. ver. 5. & alibi. in qualibet etiam arte id dicitur acceptabile, siue id fuerit terminus, siue propositio, siue ratio, vel aliud, quod artem iuuare possit, nõ quod destruat Et instrumenta acceptabilia, quibus quis vti possit bene ad opus, figuræque acceptabiles, quæ secundùm artem, & constitutam approbatamque rationem fiunt, siue in literis, siue in mathematicis demonstrationibus accidat quærere, vel in pingendi arte, vel aliis mechanicis. Potest & quid probari esse acceptabile per alias bonitatis species, vt id doceatur esse iustum, æquum, pulchrum, & huiusmodi. quia talia bona sint, & bona sint acceptabilia, desiderabilia, persequenda & diligenda. Sic enim mutuò se species iuuant, & se inuicem probant. vt si quis bene hæc memoriæ commendet, statim infinitas prope paratas habeat ad proposita probationes.

*De accommodato.*

## CAP. VII.

ACcommodatum, appositum, decens, vel quod congruit, bonum dicimus esse: contrarium, malum. Bonum, quia

quia quod congruit, addit essentiam, & multiplicat: quod proprium esse diximus boni. contrarium quod non congruit, priuat: nam diminuit pulchritudinem, vel statum bonum rei, vt aliud quidpiam, quàm quod sit videatur: quare id malum dicitur: vt de pictura Horatius in princ. de Arte poëtica scribit,

*Humano capiti cervicem pictor equinam,*
*Iungere si velit, & varias inducere plumas,*
*Undiq; collatis membris vt turpiter atrum*
*Desinat in piscem mulier formosa supernè,*
*Spectatum admissi risum teneatis amici!*

Dixit & Innocent. III. summus pontifex turpem esse partem, quæ suo nō congruit vniuerso in c. fin. de sponsa. duorum, lib. 4. decret. Greg. tit. 4. Quod autem turpe est, malum præ se fert, vt infrà docebimus: ergo bonum est, si congruat. Sic Vlpianus in l. congruit, l 13 de off præs. lib. 1. ff. tit. 8. cōgruere ait bono præsidi, pacatam & tutam à latronib. reddere prouinciam: congruere bono, id est, ad bonitatem præsidis pertinere. Sic alibi in eod. tit. Callistratus Iurisconsultus l obseruandum est, l. 19. de offi. præsid. ff. iudici conuenientes mores, vt conseruetur dignitas, nec ea minuatur, præscribit: vt sit in adeundo facilis, ne contemni se patiatur, neminem in vltimam familiaritatem admittat prouincialium, sit constanti & immutabili vultu in audiendis controuersiis. Et quod id bonum sit probat à finitione bonitatis: *Quia* inquit, *ita authoritatem dignitatis suo ingenio addit essentiam auget, & si id non agat, minuit*. Sic Iurisconsulti bonum & verrimum putant fundi cōfinis dominum, etiam si quid pro eo dandum sit supra communem æstimationem, quia nobis commodus est, & interest nostra, confines fundos etiam supra iustam æstimationem acquirere, vt scribit Neratius in l. si cui fundus l. 56. de lega. 2. libr. 31. ff. titul. 1. Atque iidem Iurisconsulti regulam constituunt, bona propriè dici non posse, quæ plus habeant incommodi, quàm commodi, ex Iaboleno in l. propriè, l. 83. de verb signif. lib. 50 ff tit. 16. Sic antiqui disparitatem, & malè cohærentia omnibus in rebus, & non congruentem rerum vnionem, improbârunt, vt malum. Atque in verbis & in locutionibus poëtæ Tragici, Comicíve, & personis quas introducunt in scenam, verba pro personarū quali-

qualitate accommodant, seruilia seruis, magnifica & liberalia Regibus & liberis, furibundis truculenta, militibus superba, thrasonibus blanda, mulieribus varia & timida tribuentes. Neque in conuiuiis lætis quis bene tractauerit de funere, nec contrà inter luctuosos funerum cineres iocabitur: nec bene conueniunt psalterium cum cithara, & musicam, in luctu importuna narratio, vt scribitur in Ecclesiastico cap. 22. Et quanquam sit varius ornatus orationis & multiplex, conueniatque alius alii, nisi fuerit tamen accommodatus rebus aut personis, non modò non illustrabit eam, sed & destruet, & vim rerum in contrarium vertet: vt si genus sublime paruis in causis, paruum illiniatumque grandibus, lætum tristibus, lenem asperis, minacem supplicibus, summissum concitatis, trucem & violentum iucundis adhibeamus, vt scribit Quintilianus libr 11. Instit. orator. c. 1. Et amplius libr. 8. cap. 3. ex Cicerone dicimus & improbam orationem, in qua partes sibi non congruunt etiam ordine Grammatico: bonam autem, eam, in qua partes, nomen, pronomen, verbum, & reliquæ sibi, mediis & modis certis, conueniunt. Sic quæ à rusticæ vitæ sectatoribus suis temporibus seruntur, vel euelluntur, vel putantur, bene fiunt, quia aptis & accommodis diebus aliis temporibus malè fiunt. Et ita Phronutus lib. qui inscribitur Θεωρία περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως, de natu. Deorum c. περὶ τῶν ὡρῶν, de Horis, scribit, Διὸ ἢ ταύτην τὴν αἰτίαν, καὶ ἐκ θεμιδος ὁ ζεὺς ἔγημεν γεννήσας τὰς ὥρας, ὑφ' ὧν τὰ ἀγαθὰ πάντα ἐν ἡμῖν ὁρέγεται, καὶ φυλάττεται, id est, *non dissimili ratione motus, fertur Iupiter ex Themide sustulisse Horas, ex quibus omnia bona quæ nobis adsunt, custodiuntur & seruantur.* Et quia ex Deo opportunitates temporum sunt, non dubium quin & oportuno tempore accommodata bona sint: cùm nomine Iouis & Themidis antiqui Dei prouidentiam bonumque ipsum rerum annotârunt, eo pacto arbitrati ex illis natas Horas, vt etiã tradit Hesiodus circa finem Theogoniæ, de Ioue loquens:

δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν θέμιν, ἣ τέκεν ὥρας.

*Posteà duxit Iupiter splendidam Themim, quæ peperit Horas.*

Vnde & Homerus in carmine in Apoll. vocat ὥρας εὐφρο-

δ' Φρένας, Horas bene sapientes, sicut scribit Pindarus ode 10. Pythior. Strophe 4 vers. 3. ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως πάντες ἔχει κορυφάν, *temporis oportuni apprehensio, totius negotii pariter habet summum & caput.* Et virum, qui tempori sciat se aptum & conuenientem reddere, bonum certè dicemus cum Archita Pythagorico Φαμὶ, inquit, δὴ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα τάτταν εἶνεν, τὸν πράγμασι μεγάλοις καὶ καιροῖς καλῶς χρεόμενον. ἔστω δέκε εἴη ὁ δυτυχίαν τε δυνάμενος καλῶς φέρειν, καὶ πάλιν ἀτυχίαν, καὶ ὁ ἐν τε τοῖς καλοῖς καὶ τιμίοις ἄξιος γενόμενος τῶν ὑπαρχόντων, καὶ μεταβαλοίσας τὰς τύχας δὲ τὸ παρὸν ἐνδεχόμενος. i. *Virum sanè bonum esse dico, qui rebus magnis & temporibus rectè vtatur: talis autem erit, qui prosperam fortunam nouit rectè ferre, & aduersam: & qui rebus pulchris & praclaris obeundis non erit impar: qui fortuna mutata, præsentem statum bonis consolat.* Quibus possem alia de his subiungere: omitto tamen, quia in nostra Themide de Horis late disputauimus. Porrò ex hac aptitudine cognoscere licet disparitatem bonum non esse, neque in vnius subiecti consideratione, eo quòd non congruant sibi disparia. Exemplum sumatur ex matrimonio, quod vnum quoddam facit ex duobus corpus. dictum enim est de eo, *Erunt duo in carne vna* Genes. 2 d. ver 24. Matthæi 19. a. vers. 5. Mar. 10. a. 7. ad Ephesios 5. 9. vers. 31. 1 Corinth. 6. d. vers. 16. Quod & explicat Innocentius III. in c. debitum, c. 5. de bigam. lib. 1. Decreta Greg. tit 21. & in cap. gaudemus in domino, c. 8. §. quia verò, de diuort. lib. 4 decr. tit. 19. & In cano. lex diuinæ constitutionis, 27 q. 2. in 2. par. decreti Gratia. Atque Modestinus in l. 1. de rit. nupt. lib. 22. ff. 2. vnitatem, & conuenientiam, & bonum, & Dei bonitatis participationem in nuptiis demonstrat, ex earum finitione. *Nuptiæ*, inquit, *sunt coniunctio maris & fœminæ, consortium communis vitæ, diuini & humani iuris communicatio* Ex quibus sumpsit suam finitionem nuptiarū Iustinianus in §. 1. de patr. pot. lib. 1. Inst iur. ciuil. tit. 9 Hæc coniunctio itaque, si benè inter se conueniunt coniugati, bonum maximum, atque honorabile in omnibus coniugium, & thorus immaculatus, vt scribit D. Paulus ad Hebræos c. 13 a vers. 4. & bonum nubere, 1. ad Corinth. 7. Conueniunt autem maximè si eiusdem religionis, iisdem moribus, & eiusdem animi

sunt,

sunt, si pares genere & fortunis: vt imparitas horum, malum superinducat discordiæ nuptiis. Docent ea quotidiana rerum exempla, quibus præmonitus quisque disparitatem vt malam præcauere debet. Nam quod pertinet ad religionem, nunquam vlla est communio vel pax inter CHRISTVM & Sathan, & filios Belial, iustitiæ cum iniustitia, fideli cum infideli. vnde D. Paulus 2. ad Corinth. 6. c. ver. 14. *Nolite*, inquit, *iugum ducere cum infidelibus*. canon. resuscitatus, de pœnit. dist. 1. in dec. Gratia. Colligit & mala quæ ex matrimonio hominis fidelis & infidelis oriuntur. Tertullianus libr. 2. ad vxor. vbi & prohibet nubere infideli, atque interpretatur caput 7. prioris epistolæ ad Corinthios c. vers. 14. dum dicitur, *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, & contrà* & vers. 12. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo non dimittat illam: & si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum*. Intelligitque illa verba Tertullianus non de ducenda infideli vxore post fidem susceptam, sed de coniugio iam facto, tempore, quo alter coniugum fit Christianus. Quod & probat textus D. Pauli, dum ait, *Si quis habet vxorem infidelem*, non enim dicitur, *si quis ducet*. probaturque ex eodem Paulo eodem loco, *Si quis vult nubere, nubat tantùm in Domino* dixit enim, *tantùm in Domino*, non cum infideli aut gentili. Et Cæsares Valentini. Theodos. & Archadius prohibuerunt connubia inter Christianos & Iudæos in l. ne quis Christianum, l. 5. & l. nemo Iudæorum, l. 6. de inde. lib. 1. C. tit. 12. & cano. Iudæi, 28. q. 1. in 2. par. Decret. Gra. ex concilio Toletano 4. Accipitur enim mulier coniunx in sociam diuinæ & humanæ domus, vt scribit Gordianus Impera in l. aduersus, l. 4 de crimi. expil. hæred lib. 9. C. tit. 32. Ratio autem ab ipso Deo adfertur Exod. 34. b. vers. 11. & sequent. *Obserua cuncta quæ hodie mandaui tibi, ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum & Hethæum, Pharesæum quoque & Henæum & Iebusæum. Cave ne vnquam cum habitatoribus terræ illius ineas amicitias, quæ sint tibi in ruinam, sed & aras eorum destrue &c.* Et postea, *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum. Ne cùm fornicati fuerint cum diis suis, & adorauerint simulachra sua, vocet te quispiam & comedas de immolatis. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos*. Maximum

certè malum idololatriæ, quod à mulieribus infertur, vt vix sperandum sit illam disparitatem scienter electam religionis, in malum pronam, sapientia corrigi posse: nam & Salomon sapientissimus habitus, illa spe deceptus corruit. De eo sic scribitur 3. Regum c. 11. a. ver. 1. & sequent. *Rex autem Salomon adamauit alienigenas mulieres multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, Ammonitidas, Idumaeas, & Sidonias & Cethaeas, de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel. Non ingredemini ad eas. neque de eis ingredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra vt sequamini Deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. fuerunt q; ei uxores quasi regina septingentes. Et auerterunt mulieres cor eius. Cumq; iam esset senex, depranatũ est cor eius per mulieres vt sequeretur Deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius, sed colebat Salomon Astartem deam Sydoniorum, & Chamos deum Moabitarũ, & Moloch idolum Ammonitarum: & quae sequuntur.* Ex quibus patet disparitatis incommodum in thori coniunctione ex religione. Non ignoro tamen religionis cultum diuersum (si tamen iis diuersus iustè permissus sit) apud Leonem Cæsarem non dirimere matrimonium, nec ideo iam sponsalibus præcedentibus esse eidem impedimento. l. si legibus, leg. 16. de Episc aud. lib. 1. C. tit. 7. De hæreticis etiam cautum ab Innocentio III. in c quanto, de diuor. libr. 4. Decret. tit. non licere quidem prætextu quòd alter coniugum in hæresin lapsus est, soluere matrimonii diuinum vinculum. Scio & D. Augustinum dixisse ad Pollentium c. 13. libr. 1. de adult. coniug. ex quo sumptum iam nunc illud, & can. sic enim nec. 28. quæst. 1 licere recedere Christianis factis ab infidelibus coniugibus: sed non expedire, nisi coniugem ad idololatriam impelleret: tunc enim eam relinquere tenetur, vt idem alibi scribit Augustinus libr. 1. de verb. Domini in monte. & in libr. 2. de adulter. coniug. & in canon. idololatria. & can. non solùm, 28. quæst. 1. Cæterùm Leo ipse viderit. num duæ religiones simul approbatæ in eodem regno esse possint sine vindicta, iniuria & odio Dei, & loquantur nostra tempora: mihi enim satis compertum est, seditionibus, quibus æstuauit tota Germania, & Gallia, non posse duas religiones contrarias imò & diuersas sustineri in eadem monarchia, non dicam domo, vbi magis pernitiosa pestis. Quare &

re & statuendum esse arbitramur, ratione religionis diuersæ, vel ratione hæreseos pertinacis, non quidem esse opus repudiatione, sed dissolutione quæ fiat gladio vltore, authore iudice: vbi lex Dei sola seruatur, & non permittitur contrarium. Sic enim tollitur venenum cùm fera pestifera & alter coniugum solutus à lege matrimonii, liberè poterit cui voluerit nubere in Domino, malum igitur hoc maximum euitetur, & disparitas ante matrimonii fœdus, & sequetur bonum, nempe cultus Dei æqualis, & accommodatum vtriusque iugum. Adsert & alia pleraque bona hæc conuenientia, quæ nuptiis copulat: disparitas contrà mala alia. Sic enim dixerunt antiqui, & post illos Pindarus. Et post hunc Æschylus scribit in tragœd. Prometheo ligati, sub persona chori Nympharum, quæ laborem admirantes iis Nymphæ, & quod à Ioue amata furiis agitaretur, ita loquuntur,

ἦ σοφὸς, ἦ σοφὸς ἦν
ὅ πρῶτος ἐν γνώμᾳ τὸ μὴ ἐξέπασεν,
καὶ γλώσσᾳ διεμυθολόγησεν,
ὡς τ' ἤκιστα κατ' ἀνδρῶν
ἀρίστευει μακρῷ· καὶ μήτε τ' πλούτου
δαπάνᾳ πομπεύων ὄνασι χερνήτων
ἐρασσῦσαι γάμου.

*Quàm sapiens, quàm sapiens erat*
*qui primus in mente habuit,*
*& lingua explicauit,*
*quod affinem & vxorem facere secundùm se*
*longè præstet: & neque diuitiis*
*diffluens, neque genere splendens*
*plebeio sit affectandum connubium.*

Et Horatius vitandam disparitatem vt malam suadet: & Iuuenalis Saty. 6. vers. 165.

*Quis feret vxorem cui constant omnia? malo,*
*Malo Venusinam quàm te Cornelia mater*
*Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers*

*Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.*
*Tolle tuum precor Annibalem, victumq; Syphacem*
*In castris, & cum tota Carthagine migra.*

Cuius reddit rationem Pylades apud Euripidem in Oreste tragœ. act. 3. vers. 378.

εἰ κότως, κακῆς γυναικὸς
ἄνδρα γίνεσθαι κακὸν, id est,
*Expedit uxoris mala,*
*Malum esse virum.*

Et id inter mala enumerat Horatius lib. 3. Carmi. ode 24. vers. 17.

*Illic matre carentibus*
*Privignis mulier temperat innocens*
*Nec dotata regit virum*
*Conjux, nec nitido fidit adultero.*

Et idem rursum Horatius lib. 1. Carmin. Ode 13. circa finem: fœlicitatem in æqualitate & morum pacifica concordia ponit.

*Fœlices ter & amplius,*
*Quos irrupta tenet copula: nec malè*
*Divulsus querimoniis,*
*Suprema citiùs solvet amor die.*

Scribit & Plutarchus in Præc. connubialib. præcepto 14. *Oportet, vt Geometræ dicunt, lineas & superficies non per se, sed vnà cum corpore moueri: Sic vxorem nullam proprium affectum habere, sed studia, curas, risum, communia habere cum viro.* Aliter, futurum maximum malum ostendit, dum eodem libro præcepto 23. ita scribit, *Romanus quidam, cùm eum amici reprehenderent, quòd pudicam vxorem locupletem & formosam repudiasset, calceum protendit: nanq; & hic,* inquit, *nouus est & pulcher, sed nemo vestrûm nouit vbi me premat.* Oportet igitur non doti, non generi, non formæ vxoris credere: sed operam dare, vt quibus vir maximè tangitur consuetudine, & moribus, & obedientia, ea nec dura nec molesta, sed composita, apta, iocunda præstet. Enimverò vt medici eas febres, quæ ab incertis causis paulatim collectis proueniunt, magis suspectas habent, magisq; verentur, quàm quæ manifestas magnasque causas habent: sic latentes pleroſque paruæq; & frequentes, ac quotidianæ viri

næ viri atque vxoris offensæ, magis eos disiungunt, & vitæ consortium labefactant: accedunt causæ diuortii, homicidiorum, adulterii, & alia, quæ ex disparitate prouenientia, dilucidè demonstrant, bonum esse quod accommodatum est, & malum dispar. item & perpendere possumus harmoniæ conuenientiam, ruditatem dissonantiæ, illam magnâ cœli & terræ & rerum omnium consensum sympathiam, & alia quæ ex isto fonte accommodi bonitatis summæ, per media influunt, in inferiora riuulos Et Imperator Iustinianus, in §. nos igitur maximam quomod. oport. episc. &c. in Aut. col. 1. tit. 6. *Bene*, inquit, *vniuersa geruntur & competenter, si rei principium fiat decens & amabile Deo* Sed de accommodo hactenus: ad alia transeamus.

*De æquo.*

## CAP. VIII.

AEquum ad bonum pertinere docemus ex eo quod ponit essentiam: competat & Deo æquum esse: & ita sit bonitatis particeps, cùm nihil ex Deo, nec in Deo, nec per Deum, quin bonum sit, vt suprà docuimus. Quod autem æquitate vtatur Deus, ex sacris constat literis ibi, Psal. 9. ver. 8. *Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in iustitia.* idem Psal. 66. vers. 4. & Psal. 95. vers. 10. & sæpe Psal. 118. & in Prouerbiis, c. 8. b. vers. 14. *Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo*, inquit Dominus Et D. Paul. c 8 b. vers. 8. *Deus dixit ad filium, Thronus tuus Deus in seculum seculi, virga æquitatis vel directionis, virga regni tui.* Quod antea Dauid cecinit Psal. 44. b. ver. 7. & certè directio viarum quæ pro æquitate sumitur apud Græcos & Latinos ad Deum solum pertinet, sicuti est hominis cor & viam suam disponere, vt scribitur Prouerb. c. 16. b. ver. 9. & Prouerb. 20. d. Psal. 66. a. ideo Dauid multis in locis ad Deum clamat, vt vias suas dirigat. Psal. 5. 6. 7. c. 26. d. 89. d. 118. a. & Sapiens idem clamat Eccles. c 36. c.

Hac æquitate & directione vti debemus, & mirum esse nobis non debet, si æquitatem & æquum, quod Dei habet bonum, & bonum dicamus. Quin & D. Chrysostomus in Acta Apostol. supra cap 15. homil. 32. tomo 3. æquitatem magnum vbique dicit bonum esse. Et rursum in cap. 25. Actu. homil. 48. idem ἐπιείκειαν illam, vel æquitatem, ma-

gnæ virtutis indicium esse, eo quòd æquitas egeat nobili præclaraque anima, cuiuscunque generis sit. Nam æquitas, vt inquit Cicero in Topic. ad Trebat. tripartita est, vna ad superos, alia ad manes, tertia ad homines pertinet. Idque dilucidiùs apparebit, si de eius finitione agamus: de qua, antequam progrediar, quid mihi videatur, proferam. Scio etenim variatum propter eius ignorantiam in eius effectibus à nostris iuris interpretibus, quos anonymos esse volo semper in reprehensione: est enim nominibus parcendum, cùm sint cuique seculo sua bona & mala, forsan & meam sententiam alii improbabunt, sed nihil moror dum modò meliora afferant: nostra enim omnia eò diriguntur, vt veritas appareat, non vt falsa pro veris fucis obscurentur. Ergo dico breuiter, æquum ab æquali magis cognito vocabulo, siue dicamus æquale ab æquo, siue æquum ab æquali, sumpsisse originem: inde æquitas, quæ in æquali restituendo omnino versatur. Deus ab initio homines æqualitatem colere docuit, ex latere hominis primi Euam adiutorium simile Adamo fecit, vt habetur Genes. c. 1. deinde vt æqualitatem rebus indictam & hominibus, in suo quoque genere ex se pendere, impositam ostenderet, adiecit benedictionem, vt omnia crescerent, & multiplicarentur æqualiter, id est, secundum genus proprium & speciem: neque excederent vel deficerent à substantia & potiori forma: hoc belluis in suo genere commune, hoc hominibus etiam, Geneseos 1. & 2. terra & cœlum æquè & plantis & animalibus & hominibus. ab initio pro cuiusque natura communia, & æqualiter sua beneficia ipsa distribuit: vna vita immortalis omnibus hominibus proposita, omnibus ratio elargita: terra, plantæ, animalia, & reliqua orbis communiter in vsum hominum creata. Sic Deus vt habetur Genes. c. 1. vers. 29. & 3. in plurali numero ad Adamum & Euam. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen, & fructum omnem in escam, & cuncta animantia ad vescendum.* Et rursum cùm renouasset seculum cataclysmo, Genes. c. 8. a. ver. 3. cùm exisset arca Noë cum familia, etsi iustus Noë tantum inuentus dicatur, Genes 6. b. vers. 9. tamen non solùm ei, sed vxori suæ & filiis & vxoribus filiorum dictum communiter est, *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera viuentia tradidi vobis omnia.* Vsus enim tantùm, isque communis, concessus fuit. proprietas namque rerum,

non

non hominum tantùm, sed Dei est: quia Domini est terra & omnis plenitudo eius, Psalm. 23. a. vers. 1. & Psalm. 49. c. ver. 13. & 1. Corinth. 2. f. vers. 26. Quod & Anacharsis nouit, dum ea epistola, quam ad Crœsum scribit κοινὸν ἁπάντων τὰ θεῶν κτήματα γῆ, κοινὸν καὶ ἀνθρώπων τὸ πολλαχῆ νέμον, id est, *Communia sunt Deorum & hominum antiquissima possessio terra.* Et Cicero, priuata esse natura nulla dixit, 1. Officio. quod inter canones Ecclesiasticos est relatum canon. quo iure defendis villas 8. distinct. 1. part. Decre. Stoicorum etiam illa fuit sententia, mundum quasi communem vrbem, & ciuitatem hominum & Deorum, & vnumquemque nostrum huius mundi esse partem: ex quo illud natura consequitur, vt communem vtilitatem nostræ anteponamus, vt notat Cicero libr. 3. de finib. bono. Et rerum ipsa indicat nihil proprie nostrum esse, quantumuis iniuste pro nostris vsurpemus. *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possimus, habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus*, inquit D. Paulus 1. ad Timoth. c. 6. b. vers. 7. & 8. Sic sapiens admonet Prouerb. 27. d. vers 23. & seq. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, greges tuos considera. Non enim habebis imperium potestatem, sed corona tribuetur tibi in generationem & generationem. aperta sunt tibi prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta sunt fœna de montibus. agni sunt ad vestimentum tuum, & hœdi ad agri pretium. sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.* Admiranda deinde hac de re exomologesis extat iusti hominis Iobi in c. 1. eius histo. d. vers 21. qui certior de expoliatione suorum bonorum factus, & de morte filiorum, corruens in terram, tonso capillo adorauit, & dixit: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est.* ut idèo patres antiqui duo obseruârunt, primum quod pastoralem artem & agriculturam, necessaria duo ad victum & vestitum excolerent: alterum, quòd se peregrinos reputantes, in tentoriis habitarent, vtrumque probatur, quia & pastor fuit Abel, Genes. 4. a. Abraham, Iacob, Loth, Dauid, & alii. Agricola Adam, Genes. 4. a. & Zachar. 13. c. vers. 15. & Esau agricola, Genes. 25. cap. habitârunt & hi boni patres, & filii primi Israel eos sequentes, in tabernaculis, & tentoriis, vt constat

ex Genes. c. 9. c. 16. d. *18.* a. 25. d. *31.* d. cap. 33. Exod. *19.* a. 26. a. & ex aliis locis in quorum memoriam festum instituit *Deus* tabernaculorum, Leuit. *23.* f. Zachar. *14.* d. peregrinorum namque est, nullibi sedem figere. & illi patres optimi agnouerant se hîc peregrinos esse. eiectus namque homo est à Paradiso, à proprio, inquam, & natiuo solo, in terram, vt operaretur, & sudore pœnitentiam ageret: quare & omnis nostra actio, viráve hominis, nihil aliud quàm peregrinatio est. Neque habemus hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus, vt *D.* Paulus scribit ad Hebræos cap. *13.* c. vers. *14.* illa autem est, de qua D. Ioann. ait Apocalyp. cap. *21.* c. vers. *10. Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo, habentem claritatem Dei, & lumen eius simile lapidi pretioso*, & quæ sequuntur. Quæ etiam visa fuit ciuitas ab Ezechiele, Ezechiel. c. 40. Et *D* Paulus 2. ad Cor. c. 5. a. ver. *1.* & sequent. *Scimus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem quæ de cœlo est superi nostri cupientes.* Et paulò pòst, vers. 6. *Audentes igitur semper, & scientes, quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, &c.* Et ideo Abrahamo, in cuius fide & semine benedicendæ & saluandæ erant gentes per IESVM CHRISTVM, vt scribitur in mundi Genes. 12. a. & 18. c. vers. 18. & 22. d. vers. *18.* & Actuum 3. d. 25. & Eccles. 44. d. vers. *25.* dictum est, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua.* Et rursum cap. *15.* c. ver. *13.* & Actu 7. a. vers. 6. *Scito quòd peregrinum sit futurum semen tuum in terra non sua, &c.* quæ verba explicat *D* Paulus loquens de fide, Epistol. ad Hebræos cap. *11.* vers. *12. Propter quod*, inquit, *& ab vno orta sunt, & hoc emortuo, tanquam sidera cœli in multitudinem, & sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis. iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis promissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere.* Sic Dauid Psalm. *118.* vers. 54. sub Zain clamat, *Cantabiles mihi erant, Deus, iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Et Psal. 38. in fine, *Ne fileas quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.*

*Remit-*

*Remitte mihi & refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.* Et Dominus noster Iesus Christus Euang. D. Ioan. cap. 15. c. vers. 16. *Elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis & fructus vester maneat* Satis dixit, vt ostenderet hic immorandum non esse, sed ad altiora progrediendum. Sic D. Paulus ad Philipp. c 3 c. ver. 13. *Fratres ego me non arbitror comprehendisse. vnum autem, quæ quidem retro sunt, obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in* CHRISTO IESV, &c. Et ideo D. Petrus ad fideles scribens Christianos epist. 1. cap. 2. ver. 11 *Charissimi obsecro vos*, inquit, *tanquam aduenas & peregrinos, vt abstineatis vos à carnalibus desiderijs quæ militant aduersus animam.* Et D. Paulus ad Philipp. c. 3. d. vers. 18 & sequentibus *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis* CHRISTI, *quorum finis interitus, quorum Deus venter est: & gloriam in confusione ipsorum qui terrena sapiunt, nostra autem conuersatio est in cœlis. vnde etiam & saluatorem expectamus dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *veni Domine.* Et Cato apud Ciceronem lib. de Senectute quamuis Ethnicus, *Ex vita ista*, inquit, *discedo, non tanquam ex domo: commorandi enim natura diuersorium nobis, non habitandi dedit. ô præclarum diem cum ad illud animorum concilium cœtumq; proficiscar, & cum ex hac turba & colluuione discedam.* Non enim Deus Optimus Maximus id celauit ethnicis, quibus & hominis mentem indidit, quam tamen suo maximo malo contempserunt. Et Maximus etiam Tyrius Sermone 3. vitam hominis persimilem naui dixit, latissimum pelagus trananti. Et Epictetus eximius vir similem facit vitam nauigio: *Quemadmodum enim*, inquit, *in nauigatione, vbi in portum est ventum, si exeas aquatum, incidit & cochleas in sumere aut bulbulos colligas, animum tamen intentum ad nauigationem habere conuenit, & sæpe respicere an gubernator vocet. & si vocet omnia illa abiicere, ne vinctus eo coniiciaris instar pecudum: Sic in vita, si pro bulbulo aut cochlea vxorcula nobis, aut filiolus præbeatur, nihil sit prohibendum, si aut gubernator vocet, curre ad nauigium, relinquens hæc, neque respiciens: Si autem sis senex, nunquam procul à nauigio discede, ne forte vocatus desis, inque id vltus coniiciaris:* vt scribit Arrianus in Enchirid. Epicteti, cap. 11. Vtque Philiscus consolans Ciceronem exulantem in Macedonia, omne id præter ea quæ necessa-

ria habemus quod possidetur superfluum esse & in multo discrimine adsit ne vel absit, ponendum dicebat apud Dionem libr. 38 histo. Roma. Refert & præclara carmina Athenæus lib. 11. Dipnosoph. c. 1. quæ latine ita redduntur.

*– An nescis quia*
*Quod vita dicitur mors est id denique:*
*Ac dimitum nomen est faci insum.*
*Quod si per te me ferat quis vel malè*
*Dixdit esse, contra ego nihil dicerem.*
*Considerans ipse tum. & credas,*
*Quod hospites semper sumus, dum cuimus,*

Et Plato in Axiocho, παρεπιδημία τις ἐστὶν ὁ βίος, peregrinatio quædam est hæc vita. vt nihil acquirendum homini, nihilq; proprium ducendum Sapientes ratu fuerint. Et ita sententiosus ille Euripides in Supplicibus, act. 2. versu 51. inducit loquentem Adrastum,

ἐάσατ' ἤδη γῆ καλυφθῆναι νεκρὸν.
ὅθεν δ' ἐκάστου εἰς τὸ σῶμα φίκετο,
ἐντοῦθ' ἀπῆλθε, πᾶν δὲ μᾶλλον πρὸς αἰθέρα.
τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν· ἃ πρὸ κεκτήμεθα
ἡμέτερον οὐδὲν τῶν ἐνοικήσαν βίον.
κἄπειτα τὴν θρέψασαν αὐτὸ δεῖ λαβεῖν, id est,

*Sinite tam terra occultari cadaver ea,*
*Nam unde quaque, pars ad hominem convenit,*
*Illuc redit spiritus quidem in æthera,*
*Corpus autem in terram. Nequidquam possidemus enim*
*Hoc proprium, nisi quod vitam incolimus.*

Et idem expressisse videtur duobus carminibus Lucianus, in Epigramma,

Θνητὰ τὰ τῶν θνητῶν, καὶ πάντα παρέρχεται ἡμᾶς:
ἢν δὲ μὴ, ἀλλ' ἡμεῖς αὐτὰ παρερχόμεθα, id est,

*Omnia mortalium mortua sunt, & omnia pertranseunt:*
*Si minus, nos certe ipsa derelinquimus & pertransimus.*

Cuiusmodi multa de his sunt apud latinos, quæ prætereo. Et notum Biantis Prienei celebre dictum, qui nihil proprium existimauit, sed fugiens capta patria omnibus relictis, omnia se sua portare dicebat, vt in Paradox. narrat Cicero. Taceo & contemptum rerum Diogenis Cynici. & alio-

aliorum exempla, persequor iter institutum, in hanc communionem naturalem, cupiditatem habendi, auaritiam, & rerum tenacitatem irrepsisse: diuisa tum omnia, & aliorum partes ab aliis vsurpare: hinćque omnes malorum species in mundum inuectæ: hinc bella, fraudes, & artes pernitiosæ, cædes, fames, & reliqua his similia. docet id D. Iacob, Epist. c. 4. a. 1. *Vnde*, inquit, *bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? concupiscitis & non habetis, occiditis & zelatis, & non potestis adipisci, litigatis, & belligeratis*, & quæ sequuntur. Subscribit & D. Paulus 1. ad Timoth. c. 6. b. ver. 9. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos diaboli, & desideria multa & inutilia, & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erranerunt a fide, & inseruerunt se cogitationibus multis.* Nouit & Anacharsis ille Scyta, qui ad Crœsum scribens, refert pro diuisione illa rerum facta mala aduenisse, θεοὶ, inquit, ἀντὶ τούτων ἑκάστῳ πρέποντα ἀντιδωρήσαντο, ἔριν καὶ ἡδονὴν καὶ μικροψυχίαν ἀνθρώποις. ἀπὸ τούτων μιγνυμένων τε καὶ συγχεομένων πάντα ἔφυ κακὰ τοῖς πᾶσι θνητοῖς· ἄρρητοι, σπαρτοὶ· μεταλλεῖαι πόλεμοι. id est, *Dii vero vicissim congrua munera vetribuerunt hominibus, contentionem, voluptatem, animos humiles. Et ab his rebus commixtis, & discretis omnia omnibus hominibus mala sunt exorta, arationes, sementes metallorum inuestigationes, pugnæ.* Inde paulò pòst omnia inæqualiter distributa, & qui vi vel ingenio fraudulento pollebat, aliorum victum deuorabat, vel impie vsurpabat. Cui malo certè obuiam iri oportuit, ne genus humanum interiret, & ne mutuis præliis & vulneribus & malitiis, quæ ex inæqualitate cõgerant, opprimeretur. At id fieri non potuit facilius commodiúsve, quàm restitutione prioris boni, per æquum vel æquale, quo peruueniretur ad æqualitatem. hoc autem Dei beneficio edoctum est, qui artem reducendi inæqualia ad æqualitatem, per iustitiam docuit. Estq; iustitia Dei filia & eius quod est fas siue Themidis, vt nos proprio libro de iustitia docuimus. Vtque tradit Hesiodus in Theogonia Pindarus ode 13. Olymp. In princ. & Phrunutus libr. de Nat. Deor. & alij. Iustitia quippe de cœlo prospexit, Psalm. 84. d. versic. 12. & rursum de Deo dicitur, Psalm. 47. versic. 9.

Secun-

*Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua.* Iustitiam autem nemo dubitat esse artem boni & æqui, qua æquum ab iniquo, iustum ab iniusto distinguimus, vt tradit Vlpianus in l. 1. de iust. & iur. libr. 1. ff. tit. 1. Et ideo Cicero 1. Officio. ait, iustitiæ splendorem esse maximum, ex qua boni viri nominantur. bona igitur illa, quæ & bonos facit. Sed clarius Orpheus in Hymnis, quos de iustitia composuit, æqualitatis artem docet, & per consequens bellorum & malorum medelam, dum scribit, ita,

ὦ θνητοῖσι δικαιοσύνη πολύολβε, ποθεινὴ,
ἐξ ἰσότητ' ἀεὶ θνητοῖς χαίρουσα δικαίοις,
πάντιμε, ὀλβιόμοιρε δικαιοσύνη, μεγαλαυχὴς.
ἡ καθαραῖς γνώμαις ἀεὶ τὰ δέοντ' ἐφυδρεύεις,
ἄθραυστον τὸ σωφρονικὸς.
ὦ πασίδε, φίλη πάντων, φιλόκωμε, ἐρατεινὴ,
εἰρήνῃ χαίρουσα, βίον ζηλεῖ βεβαιον.
αἰεὶ γὰρ τὸ πλέον στυγέεις ἰσότητι γὰρ χαίρεις.
ἐν σοὶ γὰρ σοφίης ἀρετὴ τέλος ὅλον ἱκάνει.

*O iustissima dea mortalibus, omni beata, desiderabilis*
*Propter æqualitatem gaudens iustis hominibus.*
*Omni honore digna felicissima iustitia, magnifica,*
*Quæ puris sententiis semper cuique conuenientia distribuis,*
*Integra conscientia fulgens*
*A seditionibus aliena, amica omnium, concinna diligens, amabilis.*
*Pace gaudens, victus stabilis amula.*
*Semper enim quod numium est odisti, æqualitate autem gaudes.*
*Per te sapientiæ totum virtutis finem assequitur.*

Et Aristoteles lib. 5. Ethicor. cap. 10. *Æquitas*, inquit, *& bonitas ad iustitiam, æquum autem & bonum ad iustum. Nam considerantibus, neque simpliciter idem, neque genere diuersum videtur. Quare & ad alia laudantes, transferimus, in bono, ipsum æquum declarantes melius esse. Interdum rationem sequentibus absurdum videtur si æquum & bonum (si sit quid præter iustum) laudabile sit.* Et paulò pòst iustiam

tiam bonitatem & æquitatem esse concludit: nam iustitia cum tribuat cuique quod suum est, & cuique debitum, vt ex superioribus liquet, & ex Vlpiano in l. iustitia est. l. 10. de iustit. & iur. lib.1 π.tit 1. Iustiniano in §.1.de iust. & iur. libr.1.Inst.iur ciuilis. tit. 1. & Cicerone 5 de Finib, bono.& de Natur. Deor.3.certe & æqualitatem conseruat.nam hoc, *debitum,& suum cuique*.idem sunt ex iustitia,vt Simonides per definitionem iustitiæ docet. Et Plato lib. 31. vel dialog. 1 de Republ.debitum,& quod cuique conuenit, esse in iustitia interpretatur reddere. Et ita latè Aristoteles libello de Virtut. definit iustitiam esse virtutem animæ, distribuentem quod quisque meruit. meretur autem quis vel honorem,vel bona, vel alia:eaque qui debet præstare tenetur.& si nolit,cogitur iustitia,qua iniustè occupata alterius, & ita malè & contra æqualitatem, alteri cui debetur fit restitutio:& ita iniusti per iudicem fit æquatio. Sic debitor à Modestino dicitur, à quo etiam inuito exigi potest,in l.debitor,l.108.de verb. signif.libr.50.π.titul.16. Debitum autem semper intelligitur,bene ad aliquem pertinens:nam si malè aliquid petatur, non est debitum, etsi promissum:pacta namque iuri & æquitati, & bono per consequens contraria, nullum producunt effectum, vt notat Vlpian. l.iuris gentium,l.7. §. prætor ait, de pact. π. & Caius.l.contra iuris ciuilis regulam,l.29.de pact.libr. 2.π.tit 14. Antonius l. pacta quæ contra,l.6.de pact.libr.2. C. tit.3.Huc igitur pertinent omnes approbatæ obligationes, omnesque modi actionis siue honorariæ,siue prætoriæ, siue ciuiles,siue naturales fuerint, vel persecutoriæ. hæc enim continet hoc verbum, *debuit*, vt scribit Vlpian.in l.pecuniæ verbum, l. 178.§.fin.de verb.signif.lib.50.π.tit 16. Et ideo finitur actio, vt sit ius persequendi in iudicio quod sibi debetur à Iustiniano,in §.1 de actio.lib.4. Instit. iuris ciuil.tit 6. Huc pertinent leges & canones, quibus ius suum cuique tribuitur: vnde vt ait Horatius lib.1.Epistol.

*——Vir bonus est quis?*
*Qui consulta patrum, qui leges iuraq́; seruat.*

Quia & leges sunt ea ratione donum Dei, quia æquitatem foueant, & æqualitatem communem apud Demosthenem oratione contra Aristogito. apud Chrysippum lib *περὶ νομῶν*, apud Martianum in l. 2. de legibus. lib. 1.π.tit. 3. Sic Cicero legem nihil aliud quàm rectam à

numine

numine tractam dicit rationem, quæ à sapientibus promulgatur iubentem honesta, contraria prohibentem, cuique sua tribuentem, in Philip. 2. Et Lycurgus legislator suas ῥήτρας, vel decreta, Dei esse dicebat, vt scripsit Plutarchus in vita eius. Hinc leges Apostolorum, canones, Latinis directiones vel regulæ, quòd distortum siue inæquale corrigerent, vt apud Dauum Clementem in constitutio. Apostoli. videre licet. & in can. canon. & can. regula. 3. dist. in 1. par. decret Gratiani. Laborarunt namque omnes leges in restituenda naturæ æqualitate, & tollendis his quæ inæqualitatem fouent, qualis audacia, improbitas omnis. Ideo cautum, secundum naturam esse leges debere, ex can. causæ can factæ sunt autem leges, can. erit autem lex, 4. dist. in d. 1. parte decre. Gratian. Et iurisconsulti semper vbi non est euidens ratio, recurrunt ad inuincibile fundamentum æquitatis naturæ. Sic Neratius in l. fin. de public. in rem act. lib. 6. ff. tit. 2. *Publiciana*, inquit, *actio non ideo comparata est, vt res damnosa feratur: eusque res est prima aquitas: deinde exitio, si eas res possessorum non sit.* Et alibi, *Hoc natura aquum non est, vt quis cum alterius iactura locupletetur.* apud Pomponiũ, l. nã hoc natura, l. 14. & Papinianũ l. hæc cõdictio, l 66. de cõdict. indeb. l. 12. ff. tit. 6. cũ similib. ibi notat. iurib. à glo. Deinde in omnibus, optimus Iudex, qui anima legis est, & lex viua, quiue ministeriũ executoris legis habet, debet semper ante oculos pro certa & indubitata regula æquitatẽ illam sequendam proponere. Et sic Vlpianus admonet l. vbicunque, l. 22. de interrogat. actio lib. 11. ff. tit. 1. *Vbicunque*, inquit, *iudicem aquitas mouerit, aquè oportere fieri interrogationem, dubium non erit.* Quod obseruare debet non tantum in arbitrarijs, sed etiam in alijs quæ ex præscriptione legum decidi possunt, vt colligo ex eiusdem Vlpian. responso in l. quod si Ephesi, l. 5. §. fin. de eo quod cer. lo. lib. 13. ff. tit. 4. Postquam enim arbitrariam actionem dixisset, quæ comperit pro petitione eius quod certo loco præstari debebat, *In summa quoq;*, inquit, *aquitatẽ ante oculos habere, debet iudex qui huic actioni addictus:* ac si diceret, non solùm in his quæ ex lege scripta, vel ciuili pendẽt, æquitatem inspicere debet iudex, sed etiam in arbitrarijs: illud enim voluisse iurisconsultum docet dictio, *quoque*. Quod velim annotent iurisc. & qui magnam superfluè excitarunt quæstionem, num æquitas semper sequenda

quenda sit. Et ridiculam certè constituerunt distinctionem ( parco nominibus eorum ) dicentes, si ius scriptum non sit, neq; æquitas, iudex tenetur seruare æquitatem : Si autem inquiunt, ius est scriptum, & æquitas non sit scripta, tenetur sequi ius, non æquitatem. Et pro istius membri probatione citant Vlpianum in l. prospexit, l. 12. qui & à quibus manum.libe. non fiant. lib.40.π.tit. 9. dum scribit verba legis seruanda, & si dura, quæ manumissionem seruorum vetabat mulieri diuertenti ad tempus. Dehinc tertiò dicunt, si vtrumq; scriptũ sit, & ius, & æquitas, æquitatẽ vt fauorabiliorem esse præferendam. Citant Constantinum Cæsarem in l. placuit in omnibus, l. 8. de Iudic. libr 3. C. tit. 1. dum ait, *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse iustitiæ æquitatisque scripta, quàm strictæ iuris rationem.* Sed quantum aberrauerint in distinctione hac, patet ex eo quòd ius & iustitiam, veluti quoddam contrarium ab æquitate fecerunt: cum tamen nec ius, nec iustitia aliud sint, quàm æquum, vt suprà diximus. Ideo nos citra distinctionem dicimus, esse semper æquitatem seruandam: verumtamen non cuilibet licere æquitatem, ad nutum pro affectione proscribere, potissimùm vbi ea æquitas lege determinata est. Nam cùm lex non fiat, nisi optima prudentum consultatione, & multorum sapientum approbatione, ut scribitur à Papiniano in l. 1. de legib. lib. 1. π. tit 3. & Theodosio, & Valentiniano, in l. humanũ, l. 8. de leg. lib. 1. C. tit. 17. nulli cõceditur tot bonis sentẽtijs & decretis obsistere: nec illi licet aliter quàm placuit æquitatẽ priuato interpretari. Quia ad solũ principem pertinet. Inter ipsum ius scriptũ, & æquitatem quã quis maiorem scripto iure putat, interpretationem adiungere, & mutare statutam iam. quia is legis condendæ habet potestatem solus per se, vel per illos quibus is cõcedit, vt scribit Iustinia: in l. 1. & fin. eod. tit. c. de legatis. Scriptũ etiã est, *Ne sis sapiẽs apud temetipsum.* Prouerb. 3. a. vers. 7. Et D. Paulus ad Romanos, c. 12. c. vers. 16 *Idipsum inuicem sentientes, non alta sapientes sed humilibus consentientes, nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Et Ecclesiastes c. 7. c. v. 17. *Noli esse multũ iustus, neq; plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* Quia, vt ait Celsus, in quæstione quę dicitur de bono & æquo, plerunq; sub authoritate iuris scientiæ, perniciosè erratur, vt refert Paulus in l. si seruũ, l. 91. §. sequitur, de verb. oblig. lib. 45. π. tit. 1. & vt scribit Claudianus in Panegy. vers. 74. in Stilicon.

*Iustitia*

*Iustitia Ciuibus rectum proponere suadet*
*Communeq; sequi leges, instaque nunquam*
*Largiri socio.*

Et quamuis negotium determinatum à legis æquitate scripta videatur generali libertate æquitatis durum, tamen non ideo minus æquum est, aut ex æqua ratione quadam speciali, quæ ita fieri suadet: & ita eius rei causa maior est illa æquitas & melior ratione subiecti, non secus quàm in morbis venena quædam applicata, bona sunt quidem ad expulsionem morbi: quamquam extra considerationem morbi, & alterius sani considerationē, venena lethifera sint. Sic ius accipitur pro eo quod est semper æquum & bonū, id est, quod vbique æquum est: interdum pro eo quod aliquo in loco, & ratione alicuius, bonum & æquum est. Illud, ius & æquitas & iustitia naturalis: hoc, ciuilis æquitas scripta, vt ferè iisdem verbis Paulus Iurisconsultus tradit in l. ius pluribus modis, l. *11* de iust. & iur. lib. *1.* ff. tit. *1.* Itaque quia ferè ad indiuidua peruenit in ciuili iure æquitas, illa prius num possit occurrenti negotio aptari inspicitur: quia proprium quoddam & accommodatum est remedium & determinatum. Sic prius æquitas illa ciuilis, si inueniatur, tuenda est, dummodo æquitatis videatur inesse ratio. hac autem deficiente, ad fontem naturalem, nempe æquitatem generalem recurrendum est. Quod suadere videtur Vlpian. in l. 1. si quis testa lib. esse iussus fue libr. *47.* ff. tit. 4. Dum enim quæreretur qua actione seruus qui manumitti debebat iussu testatoris, conueniretur, cuius dolo malo factum esset, quominus ex bonis hæreditatis ad hæredem peruenire, respondit ex æquitate naturali, dari dupli actionem in seruum: *Hæc enim* inquit, *actio in factum, vt Labeo scripsit, naturalem potius quàm ciuilem in se habet æquitatem, siquidem ciuilis deficit actio: sed natura æquum est, non esse impunitum eum, qui hac spe audacior factus est,* & quæ sequuntur. Dehinc notandum est, iura indefinite esse posita: quia negotia, quibus imponuntur leges, indefinita sunt, cum de futuris caueatur. Quemadmodum enim ædificationis Lesbiæ plumbea est norma, quæ ad lapidis figuram mutatur, & non manet, eodem modo accidit in quibusdā negotiis, quæ ex circunstantiis mutantur, & ea debemus per plenam æquitatem & legem describere, vt ait Aristoteles lib *5.* Ethic. ca. *10.* Porrò huic succurrit æquitas non scripta, quę in legibus scripta interpretatur ac moderatur: nam

legisla-

legislator particulatim examinare ad vnguem & definire non potest, sed in vniuersum loquitur: at hæc succedens detegit, quæ legislator quidem definire volebat, verum ei facere non licuit. Eiusmodi iudex certè æquus, non omnino iusta diminuens: quandoquidem quæ natura ac verè iusta sunt non diminuit, sed ea duntaxat quæ legislator desernit, explet. Et hæc verba sunt Aristotelis lib. 2. Magno Moral. cā. 1. Sic non verba, sed legis sententiam potius æquum considerat, vt idem ait 1. Rhet. ad Theod. cap. 13. aliter enim lex violatur solis captionibus verborum, & contra iustum, nec impune tamen ex constitutionibus Theod & Valent. l. non dubium, l. 5. de legib. libr. 1. C. tit. 17 Cels. l. scire leges, l. 6. de leg lib. 1. ff. tit. 3. Sic aucupatio verborum, pro summo iure summa dicebatur iniuria, Cicero 1. Offic. Terētius in Heautont. act. 4. scena 5. vers 48. ἀκριβοδίκαιον Aristoteli non ius. Sed & adhuc suppetit textus iuris ciuilis, §. 1. titul. iusiuran. quod præst. ab his qui adminis. acci. in Authen. collat. 2. tit. 3. in quo & secundum leges iudicare, docetur esse secundum æquitatem iudicare. Sic enim iuramenti formula administratorum Reip. concipitur. *Et æquus in causis vtrique parti, & impublicis disciplinis ero: nullique parti citra quam iustum est præstabo. Sed exequar vniuersa delicta, & omnem æquitatem seruabo secundum quod mihi visum fuerit iustum: & eos quidem qui innoxii sunt, vndique innoxios illesosq; conseruabo, noxis autem imponam supplicium secundum legem & omnem iustitiam, sicut iam dictum est in publicis & priuatis contractibus, eis seruabo* Eadem formula iuramenti defensoris ciuitatis in §. iusiurandum, de defenso. ciuita. in Authent. collat. 3 tit 2 Quanquam Accursiani differre putent. in qua iurabant, secundum legem & ius se acturos, id est, secundum æquum & bonum: diximus enim ius æquum & bonum continere. Neque l. placuit. de iudiciis constituit differentiam inter æquitatem & ius strictum quod pertinet ad æquitatem, ea ratione quòd vtrumq; scriptum sit: sed quia ius strictum strictè, hoc est, limitate in aliqua hypothesi scriptum sit, æquitas autem & iustitia scripta sit conueniens similibus negotiis. Ignorandum enim non est negotia dissimiles posse accipere circunstantiarum considerationes, quæ æquitatis in genere scriptæ recipiunt interpretationes: quia & regulæ iuris generales, scriptæ reperiuntur, vt ex propriis tit. iuris pontif. & ciuilis, de regulis iuris constat: propter quas ab æquitate

limitata receditur. Igitur legum scopus erit, vt illud bonum. nempe æqualitas pristina propriæ naturæ, quoad fieri potest restituatur. Huc & pertinent consuetudines quæ verè consuetudines dicuntur, quæ legibus deficientibus scriptis eâdem authoritatem sustinent, & habent, vt scribit Iulianus iurisc. in l. de quibus, l. 31. de legibus libr. 1. ff. tit. 3. Vlpianus l. diuturna. l. 32. Hermogenianus in l. sed ea quæ longa, l. 34. Paulus in l. imo magnæ authoritatis l. 35. & l. si de interpretatione, l. 36 cod. tit. d cano. consuetudo, 1. dist. in Decre. Gratiani 1. parte cum similibus iuribus in his locis à gloss. nota. loquor autem de iustis consuetudinibus, quæ scilicet sunt præscriptiones legitimæ, hoc est, legibus definitæ, & rationabiles, & obseruatæ. Aliter enim potius corruptela quàm consuetudo id diceretur: quod rationi & bonitati obest, vt scribit Gregorius 1x. in c. fin. de consuetud. libr. 1. Decretal Greg. tit. 4 vbi videndæ sunt glo. vtilissimæ in hanc materiam, quando dicantur consuetudines legitimæ. Huc etiam pertinet licitum, quasi legis scitum, itē permissum, ratione obseruata qua licitum & permissum: nam ratione alicuius quid dicitur tale & licitum, quod ratione alterius est illicitum. hocque, vt opinor, constat. Sed magis si consideramus quid æquale dicamus. Nobis igitur æquale dicitur mediocre vel medium inter ὑπερβολὴν καὶ ἔλλειψιν, id est, inter exuperationem & defectum, quodque æquè ab extremorum vtroque distat, & ibi bonum. medium autem respectu eius subiecti de quo agitur, & secundum propositam proportionem, siue ea sit Arithmetica, siue Geometrica distributio, vt tractat Aristoteles lib. 2. Ethico. ad Nicoma. cap. 6. & 7. 5. Ethico. cap. 2. & nos in tractatu de iustitia latius. Commutatiua æqualitas dicta est Arithmetica, in qua excessus & defectus re ipsa considerantur, vt in contractibus interdum sola, interdum cum Geometrica concurrens: ne malo deceptionis, vel indigentiæ, societas humana læderetur. Distributiua autem proportio, & æqualitas Geometricæ considerationis est. Non enim mole & quantitate res in ea distinguuntur, vel ad æqualitatem reducuntur, sed quadam similitudine adinuicem. nam in Arithmetica inæquale dicitur vel æquale numero, vt 2. ad duo æqualitatem habent 3. ad tria: inæqualia autem sunt 1. 2 3. in quibus 2. excedit 1. vnitate, & exceditur à 3. etiam vnitate. aliter autem in proportione seu æqualitate & inæqualitate Geometrica: in qua non numeri, sed

figuræ

figuræ disparitas consideratur. veluti mundi globus cum sphærula æqualis est figura, non numero, quia impar quantitate: si autem esset quadrata figura relata ad rotundam vel trigonam, esset inæqualitas. Et has duas æqualitates dixi considerari in contractibus interdum pure, veluti in solo mutuo, in quo æqualitates dixi considerari in solo mutuo, in quo æqualitas omnino est Arithmetica: redditur enim, in eo solo contractu, res eiusdem quantitatis, ponderis, numeri, & mensuræ, & speciei, & æqualis bonitatis, apud Paulum in l.2.de reb.cred.π.& Pomponium in l.3.reb.cred.lib 12.π.tit 1.& Iustinianum in §.1. quib.mod. re cont.obl.libr.3.Institut.iur.ciuil.tit.15.nam cui nec additur nec substrahitur aliquid, hoc neque crescere vnquam, neque decrescere, & semper æquale consistere constat, vt ait Plato lib.13.in Theæteto, vel de scientia. Dico itaque hunc solum contractum habere æqualitatem Arithmeticam.idque contra omnium sententiam.quam non probo, qua dicunt,in omnibus contractibus illam esse, atque mediante pretio ad æqualitatem eos deduci. Quod potissimum defendunt ex permutatione. Ego autem existimo (audiant patienter quæso posteri, & si fallor reprehendant cum ratione) nulla commercia hominum habere illam æqualitatem Arithmeticam, ni forte sit contractus mutui, ratione qua dixi. in reliquis autem geometricam constituto:etenim cum res omnino diuersæ sint,aut inter homines censeantur alterius valoris & æstimationis, ratione illius vnde nascitur proportio geometrica,sæpe quod minimum est quantitate magnam molem superat.Nec mihi quis obiiciat depositum,aut commodatum, vt confundat cũ mutuo: nam alterius considerationis hæc sunt à mutuo, quia in his res eadem redditur.in mutuo non eadem sed æqualis bonitatis, vt scribit Paulus in d.l.2. cum suis §§.si cert. peta. & apparet ex propriis titulis depositi, & commodati. Neque mihi etiam proponatur permutatio: nihil enim minus quàm æqualitas in permutationibus reperietur,si consideres rerum ipsarum quantitatem. Et ideo propter magnam inæqualitatem quæ accidebat in permutationibus, eò quod & pro re minima, qua tamen quis egeret,veluti pro vino, hominem & aliud pretiosius dedisset, vt apud Homerũ legitur factum Iliade 6. vt pro ære & ferro & hominibus vinũ acciperẽt electa fuerit certa materia, q̃ hæc inæqualia moderaretur merx dicta,vt scribit aperte,

Paulus in l.1. de contrah.empt.lib. 18. π. tit.1. Aristoteles 3. Politicor. cap. 6. Numus etiam introductus, quasi νόμος, vel lex rerum non quod numus tantæ æqualitatis esset, sed quia ratione vsus tantæ æqualitati æquaretur, eo quod tacito cõsensu populi, valor numi ad aliquid magnum comparandum esset receptus. Vnde iudex cum ad æqualitatem rerum commercia reducit, non inspicit substantiam & quantitatem solam rei, sed tantum cuius functionis communis sit vel fuerit, secundum negotiorum, temporum, & locorum vsum, vt scribit Iulianus in l. vinum, l. 22. de reb. cred lib. 12. π tit. 1. & Paulus. in l. pretia rerum, l. 74. in princ. & 8. fin. ad l. Falc. libr. 39. π. tit 2 & sic iudex inæqualitatem contractus, ad iustum pretium functionis communis restituit per legem Diocletiani & Maximiniani in l. 2. de rescin. vend. lib. 4. C. tit. 44. illa porrò portio est tantum Geometrica, nempe valor pretij secundum vsum, valori rei secundum etiam vlum adæquatus. id ipsum verissimum censeo in locationib. & aliis cõtractibus, & in liberalitatib donationũ. aliisq; contractib. innominatis, do vt des, do vt facias, facio vt des, facio vt facias: de quib. tractatur à Paulo proprio loco in l. naturalis, l. 5. de præsc verb. li. 19. π. tit. 5. & in quib. vel affectio, vel opinio placita & grata, vel aliud quiduis æqualitatẽ inducit. In pœnis idem etiã statuitur, quia pœnæ vindictæ æqualitate medentur delictis, sed illa æqualitas Geometrica, quamuis olim esset interdum talionis, vt Arithmetica putaretur: quam tamen nullo modo idoneam dixit Plato ad Rempub. ciuilem gubernandam lib 34. Dial. 6. de Legibus. Et Aristoteles 8. Ethico. ad Nicoma. cap. 7. æquitatem iustitiæ primum dignitatem. secundario autem quantitatem respicere dixit. in quo differentia est cum æqualitate amicitiæ, quæ primo quantitatem, secundario dignitatem respicere videtur, secundum eundem Aristotelem Nam vt ipse ait 5. Politic. cap. 1 ad simpliciter omnino secundum alterutrum statuere eandem æqualitatem, opus est partim Arithmetica æqualitate vti, partim ea quæ est secundum dignitatem. Et multa in Repub. media sunt huiusmodi. quibus conantur leges à Deo authoritate donatę retrahere homines ab illa misera terrenarum rerum superflua cupiditate, vt quos non possent retrahere à rerum vitium aliis, sibi autem inutilibus, occupatione, nempe ab his quæ victui & vitæ aliorum sunt necessaria, saltem commutatione vilium metallorum ab illis extorquerent. Vnde

si quis

si quis optimè consideret, & paulisper secum rationem subducat, videbit quàm miserrimam eorum conditionem, qui elargiuntur quæ superfluè possident, quæ sunt aliorum vitæ accommoda, potius propter terræ vile recrementum & scoriam, propter aurum dico, argentum, & æs signatum forsan capite stulti principis, quàm ob charitatem societatis humanæ. Sed & illi deterrimi, qui nec pretio præsente contenti, quo cæteri eiusdem iniquitatis mercatores, superflua concedunt, vitæ humanæ alimenta patiuntur potiùs in penetralibus terræ putrescere, dum compendium maius ex fame aliorum se sperant corrosuros, quam velint egentibus elargiri etiam magno inimici ex diametro & hostes humanæ naturæ, digni genere sæuissimo mortis in hoc etiam seculo, vt alij eiusdem iniquitatis participes, exemplo illorum ab homicida illa mercatura arcerentur *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium*, inquit Sap. Prouerb. cap. 11. d. versicul. 26. Nec certe videntur sufficientes pœnæ, quas aduersus hos præscribit Vlp. in l. annona. 6. de extraord. criminibus lib. 47. ff tit. 11. Vltimo enim supplicio essent plectendi, & pœna latronum qui in itineribus grassantur: vtrique quippe homicidæ sunt, sed hic qui condit retinetq; auare horreis quæ in victus causam Deus largitur, pernitiosior. Non solum enim necat qui præfocat, sed qui alimenta denegat, vt scribit Paulus in l. necare. lib. 4. de liber. agnosc libr. 25. ff. tit 3 dictumq; *Frange esurienti panem tuum: si non pauisti, occidisti.* Et grauius est longa & repetita quadam morte aliquem occidere, quam gladio, vt atrocior dicitur ea ratione languidi morbi illatio apud Antonium Cæsarem, & veneno occidere, quam gladio. in l. 1. de malef. & Mathe. li. 9. c. tit. 18. confirmat & Ho. Od. 12. μ. ver. 340.

Πάντες μὲν θνητοὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' οἰκλίσσειν θανέειν καὶ πότμον ἑπισπεῖν

*Omnes quidem mortes inuisa mortalibus miseris,*
*Fame autem miserrimum mori, & fatum assequi.*

Præcedunt namque mortem famis quinq; certe dura symptomata, vt scribit Gale. to 3. lib. 1. de Sympt. caus. ca. 7 eaq; se ordine consequuntur, nempe primum euacuatio, secundum vacuatorum appetentia naturalis, tertium ventris fluctus vel fluctio, quartum eius sensus, quintum appetentia eius animalis: sequitur ingens fames, frigiditas sicca, quam

βλίμμον dicunt Græci, vt scribit idem Galenus tom. 5. libr. 5. de Simp medica. facul. cap. 4. hanc deliquium mentis, postea mors. Sunt & huiusmodi homines crudeles, eo maiori malitia præditi, quod cùm dispensatores tantùm Dei sint, & aliorum procuratores à Deo constituti, aliis furantur necessaria, vt suæ satisfaciant inani cupiditati. Perniciosa & aliorum iniquitas, qui & pecuniam defodiunt, quæ inuenta est vt ad æqualitatem omnia reducerentur, nec tantum ipsi mali, quod æqualitatem violent, sed etiamq; medium, quo inter alios æqualitas fieret, subtrahunt. Mali igitur ij omnes, vt bono & æqualitati contrarij, & bonæ leges, quæ æqualitatem illam procurant. Non potuerunt tamen illæ antiquorum præclaræ leges omnino ad æqualitatẽ omnia restituere primæuã, donec verus noster legislator Deus IESVS CHRISTVS duobus præceptis breuissimis viam nobis aperuit, quibus ad æqualitatem primam reduci possunt omnes res, & hominum mentes, hoc est, quibus potest tribui geometricè cuique quod suum est secundum dignitatem, siue de rebus agatur diuinis, siue de humanis. Quorum primum præceptum, *Diliges Deum tuum ex omnibus viribus & corde tuo*: alterum, *Et proximum sicut teipsum*. Math. cap. 22. d. vers. 39. Marci 12. c. vers. 30. Deut. 6. 2. vers. 4. Leuit. cap. 19. d. vers. 18. Et hoc dicitur mandatum nouum redemptoris, nempe vt diligamus nos inuicem: *In hoc enim*, inquit, *cognoscent, quia discipuli mei estis*, D. Ioan. Euang. cap 13. d. vers. 34. 35. & cap. 15. b. vers. 12. Is enim perfectam dilectionem habuit & docuit, nempe & amicorum & inimicorum. Matth cap. 5. g. vers. 44. & Lucæ 6. d. e. vers. 27 Sic finis omnis præcepti est charitas, vt ait D. Paul. 1. ad Tim. 1 b. vers. 5. & finis legis & plenitudo, dilectio. Nam, Non adulterabis. Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur, vt scribit idem D. Paulus ad Hebr. cap. 13. d. vers. 9. & 10. est enim quædam communio in amicitia rerum & animorũ, vt vulgò paræmia est, πάντα τὰ τῶν φιλῶν κοινὰ, *omnia amicorum communia & aqualia*, vt scribit Plato lib 4. dial. 6. de Legib. & Aristotel. lib. 8. Ethic. ad Nicoma. cap 7. & *Quando vtrinque aqualia omnia sunt*, inquit Dion. Cassius libr 39. hist. Roma. *amicitia quoq; viget, vbi autem alter alterum excellit, ibi inferior inuidia promouetur*,

*monetur, odioq; superiorē persequitur: ita accidit, vt cum alter indigneturse inferiorem, alter se præstantia extollat, ex pristina amicitia ad inimicitias & bella deueniatur* & Arnobius libr 8. cōtra Genres. *Amicitia*, inquit *semper aut pares recipit, aut facit.* Tales autem natura fecit omnes. omnes enim vnū corpus sumus, sed diuersorum officiorum: vt in eodem corpore, omnia membra non idem corpus habent, sed tamen sese inuicem fouent, vt dicebat Agrippa Menenius Lauatus apud Dionysium Halycarnasseum lib. 6. hist. Roma. & Liuium & alios. & D. Paulus 1. ad Corinth. 12. b. vers. 1-. & seq. & ad Ephes. 4. a. vers. 4 & 5. & 1. ad Corinth. d. vers. 17. cap fundamenta c. 17. de elect in 6. Decret. lib. 1. tit. 6. Qui enim simul habitant, corpus vnum facere dicuntur. vt scribit Caius iurisc. l. 1 §. quibus autem. quod cuiusq; vniuers. nom lib. 3. ff. tit. 4. Et omnibus vna habitatio a Deo concessa, nempe mundus communis omnium patria. Vnde Socrates vir egregius, sine domicilio viuens, interrogatus cuias esset, se mundanum dixit, & ibi esse patriam vbicunque bonum, & scribit Ficinus commen. de Amore, orat. 7. c. 2. Sic & Mercurius in Pluti comœdia apud Aristophanem, *πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἐν ᾧ τρέφῃ τις εὖ*, *Patria est omnis, vbicunque quis bene egerit.* bene namq; agere, vbiq; cognationem suam inuenit, cum proprium sit hominis homini eo quòd homo sit benefacere, vt scribit Cicero 1. & 3. Offic. & alibi alij. Et iurisconsultus interesse hominis ait, hominem affici beneficio ex Papiniano in l. seruus ea lege, l. 7. si ser. export. manu. lib. 18. ff. tit. 7. Quare cum ciues simus vnius patriæ, iustè dixerimus, inter Christianos eadem locum habere erga omnes beneficia, quæ erga compatriotas & patriam ethnici bonum esse putarūt. Quod & Phalaris tyrannus scribit epist. 101. *τίῳ δ' ἀνδρὶ* inquit *φιλοπατρίδι κάλλιον καὶ μεγαλοπρεπέστερον ἢ δοκεῖν τῆς ἑαυτοῦ πολίτας εὖ ποιεῖν*, id est. *Quid bonum amatis patriam melius ac magnificentius, quàm videri suis ciuibus benefacere?* Sed clarius D. Clemēs epist. 1. ad D. Iacob. fratrē Domini, Amare autē bonum esse constat ex eo quod diximus, itē quòd amare sit velle bonum ei qui amatur. vt ait Aristot. Rhet. ad Theod. cap. 4. Qui diligit proximū suum nihil proprij habet, quin liberè illi conferat, saluti illius nihil terrenorum præponit: qui diligit Deum nullo harum rerum onere premitur, nec rebus vilis, vt propria,

derinetur, in cœlestibus non in caducis negociatur. quanto enim Deum diligit, & ad cælestia erigitur, tanto magis à terrestribus separatur, & ab abiectis hisce & solicitudinibus; victu, illoque modico, & vestitu contentus, reliqua communitati & æqualitati pristinæ, tanquam æquior cæteris, relinquit perfectioni bonitatis illius pristinæ, qua quisque tantum quantum necessarium pro vsu capiebat. Ita & hoc est vitæ restitutus pristinæ, ex præscripto Dei, qui modum facilem præbeas ad assequendam illam æqualitatem, radices inæqualitatis omnes vnico ictu & sententia succidit. *Si vis perfectus esse, &c. & inde omnia quæ habes & da pauperibus.* id est, his qui nō habent, *& sequere Deum.* Matth. 19. cap. vers. 21. & Marc. 10 c. vers. 21. Luc. 18. cap. 22. & alibi Luc. 12. d. vers. 33. *vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis sæculos, qui non veterascent, thesaurum deficientem in cælo.* Et exemplo docuit suo Dominus, qui hic carnem assumpsit nostram, vt præiret & doceret quomodo sit in hac vita ambulandum, nihil quippe possedit vnquam proprij. *Volucres*, inquit, *cæli nidos habent, & vulpes foueas filius autem hominis non habet vbi reclinet caput.* Luc. 9 g. vers 58. Atque infima huius mundi elegit & pauperes, vt fortiora & diuitias confunderet 1. Corinth. d. vers. 26. Et vt repararet contrario modo seculi inæqualitatem & malitiam, & discipulos instituens, dixit, *Nolite ferre sacculum, neque peram.* Marc. c. 6 b. vers. 10. & Luc. 10. a. vers. 4. id est, nolite istis carnalibus & terrenis solicitudinibus vexari, neque soliciti esse quid manducetis aut induamini: hoc enim gentes, id est, pernicioſi malive faciunt, qui spem in Deo non habent Luc. 12. c. versic. 22. & sequentib. Quod illi obseruarunt, Nam & congregati Christiani in vnum nihil proprium habebant, sed omnes vna viuentes vendebant possessiones suas, & ferebant ante pedes Apostolorum. qui distribuebant cuique prout necessarium erat Act. 2 g. vers. 44. 45. & c 4. g. vers 34 35. Quare & postea ditatæ tantis opibus basilicæ, quas acceperunt Antistites vt in pauperes distribuerent. can. aureum Ecclesia habet, & cano. indignè, 12 q. 2 & cano vlt. 16 q. 1. & cano. quod autem, 26. q. 7. in 2. part Decret. Grat. Ob hoc bonum, nempe vt ad æqualitatem manuducerentur auari, & boni illis exemplo essent eleemosynæ commendatæ sunt, Tob. cap. 4. b. & cap. 12. b. & Eccles. 3. b. & d. & cap. 7. a. & cap. 17. c. & cap. 29. b. Daniel. 4. f. Luc. 11. d. & f. Act. 10. a. Esaiæ 58. b. c.

quod

quod & vsque ad inimicos Christiana dilectione extenditur. Scribit enim D. Paulus ad Roma. cap. 12. d. vers. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit potum da illi.* idque secundùm regulam Domini nostri IESV CHRISTI, *Benefacite iis qui oderunt vos*, Matth. 5. g vers. 44. & Luc. 6. d. e. In quo excedit perfectio Christiana bonitatem Ethnicorum. Ethnici namque & amabant nutriebantque pauperes, qui illis erant amici, vel qui non nocuerant: Christiani autem & vtrosque diligere debent, & nutrire vt illis sint meliores. In pauperum tamen cura & laudandi profani, qui æquitati naturali illud & reddiderunt. Certè hac in re meliores Christianis quibusdam, qui omnia sibi concoquunt vel expendunt. Legimus namque apud Aristophanis interpretem in Pluto quod antiquis Ethnicis. ἐθος ἦν ἄρτους καὶ ἄλλα τινὰ, καθ' μῆνα τιθέναι τῇ ἑκάτῃ τὰς πλησίας, λαμβάνειν δὲ ἐξ αὐτῶν τοὺς πένητας ἀπὸ τῶν ἱερῶν, καὶ οἱ πάντες ζῶσιν, id est, *Morem esse singulis mensibus domestes apponere Hecatem panes & alia quadam, & ex his pauperes accipere per sacerdotes & ita pauperes vixisse.* Audiamus etiam Euripidis admirandam hac de re mentem in Electræ Tragœdia, vbi colonus Actu 2. vers. 371. sic loquitur,

Εστιν δὴ ποσυῖα τ' ἀν δόμοις ἔτι
Ωσθ' ἓν γ' ἐπ' ἦμαρ τοὺς δὲ πληρῶσαι βορᾶς,
Εν τοῖς τοιούτοις δ' ἡνίκ' ἄν γνώμη πεσῇ
Σκοπῶ τὰ χρήματ' ὡς ἔχει μέγα στένω.
Ξένοις τε δοῦναι, σῶμα τ' εἰς νόσον πεσὸν
Δαπάναισι σῶσαι. τὰ δ' ἐφ' ἡμέραν βορᾶς
Εἰς μικρὸν ἥκει. πᾶς γὰρ ἐμπλησθεὶς ἀνὴρ
Οπλίσι γέ χ' ὁ πένης ἴσον φέρει.
*Tantum autem nobis adhuc est domi,*
*Vt vnum saltem in diem hos saturem cibo.*
*Talium rerum verò cùm mihi incidit cogitatio,*
*Expendo quanta vis sit pecuniæ.*
*Vt sit quod hospitibus demus, & dum corpus in morbum*
*incideris,*
*Vnde possimus iuuare. Ad diurnum verò victum*
*Parum illa momenti: omnis enim satur fit,*
*Et diues & pauper æqualiter referunt.*

Sed ne de pauperibus amandis latissimum ingrediar campum, viam hanc prætereo, vt ad genus æqualitatis, vnde digressus redeam. In æqualitate igitur considerandа in vniuersum, maximè nos similitudo iuuat. nã & plus & minus alicuius respectu inæqualitatem constituunt, vt scribit Plato lib. 9. in Parmeno. vel de vno omnium princ. & Aristoteles 2. Ethico. ad Nicomach. c. 7. secundumque Galenum libro 1. de difficultat. respirat. tomo 3. ex corruptione paritatis inæqualitatum omnium, itemque perturbationum generatio oritur: quod in omni disparitate, siue virtutis, siue substantiæ sit, colligere licet. In summa in omni re quæ non excedit vel deficit, sed in medio est, bonum est: quia semper virtus & bonum in medio, vt Deo fauente docebimus cùm de medio agemus. Quocirca & Medici, *Somnum*, inquiunt, *atque Vigilia, si modum excesserint, malum.* Et rursum, *Non satietas, non fames, neque aliud quicquam quod modum excesserit naturæ, bonum.* apud Hippocrat. libr. 2. Aphor 3. & 4. ibique Galenus sanitatem esse moderantiam annotat & omnes immoderantias quæ plurimum à modo recedunt esse malas, & ægritudines. Et Speusippus lib. de Diffinit. Plato. bonum in omnibus quæ sunt, salutis & sanitatis esse causam ait.

Pari modo dicimus, etiam virtutes omnes bonas, vitia mala: *Quia virtus, seu naturale nostrum bonum* inquit Theophil in c. 3 epist. ad Roma. *leuiter & aqualiter nos ferri facit. Caterùm vitium vel præter naturam: alias quidem sursum, alias verò deorsum facit ferri, in excessibus, & defectibus apparens, ac propterea magualem & incisum motum exhibens, vt ne dicam supplicia posteà secutura.* In mediocritate virtus consistit, excessu & defectu corrumpitur, vt scribit Aristot. Ethico. ad Nicomach. cap 2. & Horat. lib 1. Epist. epist 18. vers 9 *Virtus est medium vitiorum, & vitiorumque reductum* Virtutem & bonum esse plures dixerunt, imò aliqui summum bonum, & finem bonorum, vt communius ferè antiquorũ omnium sensit philosophia, teste Cicer. libr. 1. & 4. Academ. quæst. & alibi. atque Philo Iudæus lib. 1. legis Allegoriarum loquens de fonte qui est in medio Paradisi, ex quo exibant quatuor flumina, maximũ illum fluuium & fontem. dicit generalem virtutem, ex qua reliquæ: sumereq; generalem virtutem originem ab Edem, nempe à Dei sapientia & verbo Dei. Nam vt etiam Plutarchus scribit in vita Aristidis, virtute solã rerum diuinarum

parti-

participes esse possumus. Et Seneca vnum tantùm bonum dixit absolutum, virtutem. libr. 9 Epistol. epistol. 67. Et Plato lib. 4. In Menone, vel de virtute, esse bonum, positionem stabilem constituit, quia, inquit, & bonos hæc facit & vtiles. Interrogatus aliquando Socrates à Gorgia, an Persarum regem fœlicem esse putaret, respondit nescire se quantum virtutis is haberet; ex ea fœlicitatem æstimans, vt refert Plutarchus lib. de libe. educan. Sic etiam Maximus Tyrius Sermo. 2. bonum in virtute sola, nec præterea alibi consistere voluit, improbumque esse virtute inanem: & bona circumstantia esse quæ sunt corporis, & extrinsecus à fortuna: quandoquidem satius est, vbi non sunt cum virtute coniuncta, ab homine abesse. Demum docuimus, desiderabile esse bonum: talis autem est virtus, vt scribit Ouid. de Ponto lib 2. vers. 35, eleg 3 ad Maximum.

*Iudice te mercede caret per seq; petenda est*
*Externis virtus incomitata bonis.*

Quod & Cicero scribit 4. Tusculana. dum eam per se laudabilem & perfectam esse scribit. Item 1. de legib. & Claudianus in Consulatu Manilii Theodos. & Plautus in Amphitryon. act. 2. scena 2. vers. 16. docet ab effectu.

*Virtus præmium est optimum, virtus omnibus rebus*
*Antest profectò, libertas, salus, vita.*
*Res, parentes, patria, & prognati tutantur seruantur.*
*Virtus omnia in se habet, omnia adsunt bona quem pen' est virtus.*

Dehinc constat virtutes omnes exercitus esse Dei, & propugnatrices piarum animarum, quibus deuincitur hostilis exercitus, vt scribit Philo Iudæus lib. de Agricul. & alibi lib. de sacrif. Abel & Caim virtutes q; Deo tribuendas, nobis vitia. Et Seneca lib. vni. de Mundi opifi. siue de prouiden. inter bonos viros & Deum ait amicitiam fieri, conciliante virtute. Et idem Philo Iudæus lib. Quòd Deus sit immuta. filiam rationis virtutem, rationem autem Dei donum scribit. Porrò nemo ex his quæ diximus, dubitat Deũ boni authorem, & à Deo data bona esse. Docet q; item bonam esse virtutem honor, quo meritò afficitur is qui bonus est, quod virtuti maximè competit, vt in honore dicemus; & scribit Horat. lib. 3. Carmi. od. 2. vers. 17.

*Virtus recusa nescia sordida*
*Intaminatis fulget honoribus,*

Nec

*Nec sumit aut ponit secures*
*Arbitrio popularis aura.*

& virtutum præmia tribui merentibus convenire, scribunt Cæsares Theodos. & Valentini. in l. fin. de statuis & imag. lib. 1. C. tit. 25. Huic virtuti quia vitium contrarium est, erit illud malum, quia virtus est vitium fugere, vt scribit Horatius lib 1. Epistо. epist. 1. cui plura addi possunt alia. Cæterùm quia de virtute futurum est, vt, Deo iuuante latiùs disputetur, in proprio principio virtutis nihil vltrà adjiciam, præterquam quod Isocrates oratione 14. scribit ὅλως τ βίον τ ἀνθρώπων διὰ μὲν κακίαν ἀπολλύμενον, διὰ ἀρετὴν δ σῳζόμενον, id est, *Omnino mortalium vitá propter malitiam interire, per virtutem autem conseruari.*

*De benemerito.*

## CAP. IX.

BEnemeritum, benignum, beneficum, benedictum, melioratio, synonyma sunt, pro quibus & similibus breuiter annotanda est regula, Res cuius nomen verè non ironicè ex bene, vel bono, vel melius componitur, siue nota priuationis vt in boni fuga necessariò pertinere ad principium bonitatis, in eo in quo nomen boni verificatur: sicuti quatuor exempla quæ proposuimus, manifestant Benemeritum enim dicitur, quod bona meretur, benignus quasi bonæ mentis, compositione facta ex Latina dictione bene, & Græca νοῦς, mente. Beneficium item, quod bene facit vel bonum tribuit, vt benedictio, dictio bona inferens: & sic de similibus, verba enim seipsa explicant Eadem intellige in Græcis dictionibus compositis ex εὖ, siue illæ sint verba, siue nomina cuiusmodi.

εὐβουλέω, *bene consulere.*
εὐαγγελίζω, *bonanuncio.*
εὐαγγέλιον, τὸ *faustum nuntium.*
εὐάγες τὸ, *fas.*
εὐαγὴς, ἐως ὁ καὶ ἡ, *purus, sanctus.*
εὐδοκία, ἡ *bona voluntas.*
εὐδημίΘ-, ς, ὁ καὶ ἡ *bene fabricatus.*
εὐδικία, *Iustitia.*

εὐδὴς,

καλὸς, ἐως ὁ καὶ ἡ, *pulcher, bonæ indolis.*
εὐεργεσία, ας, *beneficentia.*
εὐθανασία, *fœlix mors.*

Et sic de similibus, ex quibus tutè poteris argumenta & probationes elicere: quia bonum est argumentum à notatione nominis, vt alibi tractabimus, si nomen bonum id esse quod dicitur, aliquo idiomate Latino, Græco, Hebræo, vel vulgari dicatur. Verùm in Hebræa lingua compositiones nominum cùm raræ admodum sint, & vix reperiantur, suadeo vt si de Hebræo nomine significante velimus haurire illam notationem, probemus alia vulgari aut Gallica, Italica, aut Hispanica, quæ fœlices in compositione sunt, vt Græcam facilè æquent. Sed & quæ de bonitate diximus in compositione & pro malo probando obseruabimus in Latinis nominibus & vulgaribus, vt malè & *mal*, & maledictio & peius, & *pessimo*. Et in Græcis duas potissimùm dictiones, & ex his compositas voces, nempe πονηρὸς & κακὸς: vt

κακόβιος ὁ, ἡ, *mali victus.*
κακανδρία ἡ, *ignauia, mala virilitas.*
κακοβουλία, *peruersitas, malum consilium.*
κακοήθεια, *mala consuetudo.*
κακόπτερος, *volatu debilis, malè volans, & sic de similibus.*

à πονηρὸς verò superlatiuus.

πονηρόπολις, *improborum ciuitas, & eorum comparatiuus.*
πονηρόφιλος, *improborum amicus* ὁ καὶ ἡ:
πονηρολογία, *maledicta.*
μικροπόνηρος, *in paruis rebus malus.*
μεγαλοπόνηρος, *in magnis improbus.*

Et breuiter Xenophon in libro de Repub. Athen. & Plutarchus opponunt πονηρὸς & χρηστὸς. Isocrates autem τοῖς πονηροῖς opponit τὺς καλῶς γεγονότας καὶ πεθεραμμένους καὶ πεπαιδευμένους. Receptum erit itaque argumentum à notatione siue significatione nominis. Quod si quis ne-

get,

get (quia huius argumento in reliquis principiis etiam hæret tutissimum fundamentum) verum esse ex sequentibus discat. Ex eo in primis, quòd nomina per se nihil significant, nisi quatenus ex instituto, & hominum decreto significant, & signum sunt alicuius, vt scribit Aristoteles *l. περὶ ἑρμηνείας*. Decretum autem illud fuit expressiuum eius, quod animus hominis comprehendit tale esse, potissimùm cùm substantiæ rerum impositæ fuerunt. Ideo dicitur in Genesi mundi cap. 2. c vers. 19. & 20. *quòd Deus omnia adduxit animalia ad Adamum, vt videret quid vocaret ea: vt videret.* id est, vt considerate nomina imponeret, *& vocauit Adam ea nominibus suis* & Gellius lib. 10 Noct. Attic. cap. 4. ex sententia Publii Nigidii in cõmentariis grammatices docet nomina verbaque non posita fortuitò, sed quadam vi & ratione naturæ facta esse. Eadem scribit Plato lib. 23. in Cratylo, siue de recta nominis ratione. & Rabi Aben Gesra in comment. in decalogũ super illud, Non assumes nomen Dei tui in vanum, ita scribit, שם הוא כמו לכד והוא מושם להיות שמן לנקרא *scem hou cemo lecad vehou moscem lehioth sciman lenikra.* id est, *Nomen est quasi memoriale, & ponitur pro signo illius qui vocatur.* Ideo neque cuiusque est nomina imponere, sed eius tantùm qui naturas nouit rerum. Intelligo autem hîc de nominibus, quæ vel qualitatum communium sunt, quæ vocauit Diogenes appellationes. vel particularium, quarum nomina dixit esse propria, vt scribit Diogen. Laertius libr. 8. in Zenone. Hæc enim nomina certam qualitatem indicant, sicuti & propria nomina hominum, ad distinguendas personas magis, quàm qualitates eorum, imposita sunt. Vna est distinctio enim substantiæ, & qualitatis alia, nempe propriorum nominum, est potiùs distinctio intellectus, & ne error committatur circa corpus. Sic Galenus ex nominum discretione non parum se ad iudicii cognitionem adiutum dicit tom. 5 libr. 3. de Facult. simpl. medic. & alibi cap. 8. eius 3. multa peccata orta esse etiam apud Medicos ait ex finitione, nominum contemptu. Et rursum tom. 3. libr. 6. de Difficult. respirat. ex nominum confusione multos oriri errores docet, vt certè si nomina in dubium reuocantur, rerum ferè omnium ignorantia sit, vel semper mutorum hominum & surdorum imitatione res ipsas exhibere oporteat, vel depictas imagines: quod certè, alioquin laborio-

sis-

fiosissimum & ferè impossibile, accederet ad beluarum rudem naturam magis, quàm hominum, quorum & loqui, sicut ratio, proprium & accommodum. Quin & aliud inconueniens, vt multa ex vsu hominum perituta essent, quæ non prius nomine nobis, quàm re ipsa cognoscuntur, quia longa amorum serie talia esse, probata sunt, & sermone manifestata. Nec medicis vel simplicium, vt vocant medicamentorum facultas vlla cognita esset, si re ipsa percipi ea priusquam intellectu nominis oporteat: quin & re ipsa tantum cognita sine nomine. non possent medici pharmacopolis, vel ægrotis facienda, sumenda, cauendaq; describere: & cuiq; ægroto vnus non sufficeret medicus, nō viginti, nec prr consequens mille, cùm de cura quid sentiret, non posset efferri, aut iuuare nisi ad manus pharmaca ipsa haberet, & nisi ipsemet ex India, Arabia, & ex cæteris regionibus attulisset Taceo quæ non possunt nisi sermone explicari, vt iusti causa, *Dei* cognitio, ratiocinationis vtilitas & persuasio, & huiusmodi, quæ mentis iudicium magis produnt. *Nemo enim*, inquit Tubero, *dixisse intelligitur, quod non prius mente agitauerit*. Et quorsum sunt nomina, nisi vt demonstrent voluntatem dicentis, vt refert Celsus in l. Labeo, l. 7. §. idem Tubero, de supellect. lega. lib. 33. ff. tit, 10. item & verba cum effectu sunt intelligenda, vt voluit Vlpianus in l. penultim. §. docere, ne quis eum qui in ius voc. est vi eximat lib. 2. ff. libr. 7. In rebus enim cognoscendis ordo duplex est, quemadmodum & quædam dicuntur nuper cognita, alia olim cognita. Quamdiu res nobis sunt incognitæ, eius cognitionis nulla apud nos erat memoria: primumq; re ipsa & effectu, vel vtilitate cognoscimus, dehinc vt cognitum mente teneamus, oportet rem verbo describamus aliquo, vel sumpta denominatione à forma exteriori, vel ab vsu, vel ab vtilitate, vel ab alia quadam appellatione, qua possimus illud quod velimus rerepræsentare: veluti pictor rem quam videt, quibus potest melioribus & propriis colorum & linearum distinctionibus oculis subjicit. Et quod pictura oculis facit lineis & coloribus, hoc & menti offert vox & sermo congrua & articulata dictione. Et quemadmodū qui cōfundit vel eradit lineas repręsentati, subducit veritatem, sic qui verba confundit, & eorum distinctionem, intellectum obnubilat, aut tollit, contra prudentiam illam sapientissimam diuinæ naturæ, quæ hominibus distinguendi vim dedit, & explican-

plicandi facultatem. Committit & aduersus patrum & maiorum gratam & prouidam diligentiam, quæ nobis singula, vt nos à labore leuaret, propriis veluti notis distinxit. atqs tandem contra commune iamque receptum vtile humano generi commercium, & humanam facilemque societatem. Quare generaliter in verborum controuersiis statutū est, vt vsus eorum vbi, à quo, vel inter quos prolata verba sunt, inspiciantur, vt statuit Pedius apud Vlpianum in l. cùm de lanionis, l. 18. §. asinam merendinariam, & seq. de fund. inst. instr. leg. lib. 33. ff. tit. 9. Sic argumentatur etiam Vlpianus in l. liberorum, l. 50. §. quod tamen Cassius de leg. 3. libr. 32. ff. tit. 2. contineri appellatione legati chartarum relicti ab studioso, qui nihil quàm liberos habebat, & libros: *Quia*, inquit, *vt in vsu plerique chartas appellant libros* Vsus autem hic non singulorum, sed communis intelligitur, vt ex ratione eius quod dicitur, res intelligitur. Sic etiam respondit Seruius Iurisconsul. in legato. supellectili, quid eius appellatione contineretur consultus, *Non ex opinionibus singulorum, sed ex communi vsu nomina exaudiri debere*, vt scribit Celsus in d l. labeo ait, l 7 de supell. leg. Idque potissimùm cùm agimus de appellatiuis rerum nominibus, continentibus qualitates communes alicui generi: nam mixtio horum, & mutatio ab hominibus singulis fieri non potest, vel si fiat, non recipitur: propriorum autem quæ ad individua distinguenda pertinent, mutatio fieri potest. Et ita intelligenda est Vlpiani lex l. si quis in fundi vocabulo, l. 4 de leg. 1. lib. 10. ff. tit 1. dum *rerum vocabula immutabilia, hominum verò mutabilia*, hoc est, vocabula generum mutari non posse. ab hominibus verò ad placitum cuiusque imposita, siue certa generali significatione, posse: ne commercia confundātur & societas humana, néue fiant aut committantur fraudes & deceptiones, vtque vtilitas illa publica præferatur singulorum fraudulentiæ & commentitiis nominationibus, quibus essent incerta omnia. Sic & pulchrè Tertullianus lib. de Carne Christi. *Omnia*, inquit, *periclitabuntur, aliter accipi quàm sint, & amittere quod sint, si aliter quàm sunt, cognominantur*. Fides nominum, salus est proprietatum. nam & cùm demutantur qualitates, accipiunt vocabulorum possessiones: verbi gratia argilla cocta testæ vocabulum suscipit, nec communicat vocabulo primi generis, quia nec cum ipso genere, neque potest dici argilla, quia quod fuit, non est. Annotent tamen

Iurisc-

Iurisconsulti regulam, quam fortè prima fronte, vt verum est, alienam ab annotationibus protritis classicorum interpretum reperient, nihilominùs tamen veram, & ex mente Iurisconsultorum: nempè errorem in nomine, siue proprio, siue appellatiuo, siue in prænomine, vel agnomine, reddere actum incertum & erroneum, nisi aliunde voluntas dicentis, quàm ex verbis alligatur, idque vbi voluntatis consideratio dicentis solius admittitur veluti in vltimis voluntatibus, in quibus voluntas testatoris regit verba, vt scribit Vlpian. in l. in conditionibus primum, l 19. de cond. t. & demonstrat. libr. 31. ff. titul. 1. cum similib. vt ibi ex voluntate illa colligatur quid testator senserit, quamuis verba non id plenè significent, vt in hypothesi Labeonis, in l. qui habebat Flaccum, l. 29. de reb. dub. libr. 34. ff. titul. 5. cum similib. Cæterùm vt illa voluntas præualeat verbis scriptis, quæ aliud significare videntur, debet fulciri probatione firmiori, quàm ea quæ ex verbis colligebatur. Eritque illa firmior, si constet, de corpore in cuius nomine erratum est sensisse testatorem vel expresè, vel verisimiliter: nam tunc silent verba, & sequenda veritas, & ita intelligendus Gordianus l si in nomine, l 4 de testa. lib 6. C. tit. 23. & Antoninus in l. si Fortidianum, l 7. de legat. libro 6. C. tit 37 Contrà si non constet expresè de voluntate nec verisimiliter, quia rem diuersi generis pro alia posuit, vt vestem pro auro, vel alia huiusmodi, quia ille error est non habentis voluntatem, nempe stulti, & ignorantis quod omnes intelligunt, vel intelligere debent. Et ita intelligenda lex si quis in fundi vocabulo, l. 4. de lega. 1. Quia, vt scribit Marcel. *Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifestum est aliud sensisse testatorem*, in l. non aliter, l 67. de leg. & fideic. 3. libr, 32. ff. titul. 1. Porrò qui aliud dicit quàm vult, neq; id dicit quod vox significat, quia non vult, neque id quod vult, quia id non loquitur, vt scribit Paulus Iurisconsul. in l. in ambiguo, l. 3. de reb. dub. libr. 34. ff. tit. 5. Quod in reliquis actibus similiter statuendum, ibi enim de verbis non quæritur, vbi de rebus & sensu constat. verba enim rebus, non res verbis seruiunt, vt scribit Cicero orat. pro A. Cecinna & alii c. intelligentia, c. quamuis, de verb. sign. apud Greg. indicat & Alexander tertius pontifex, c. ex literis, c. 7. de sponsal. & matrim lib. 4. Decret. tit. 1. *Si alter*, inquit, *contrahentium matrimonium non intellexerit quod alter proposuit, ad com-*

*inunem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur vterque verba prolata in eo sensu retinere quem solent rectè intelligentibus generare.* Et hæc in gratiam iurisconsultorum paulò latiùs dicta sint: apud quos etiam valet argumentum siue probatio à notatione nominis, sicuti Iulianus iurisconsultus in l. ita vulneratus, l. 52. ad leg. Aquil. libr. 9. ff. tit. 2. argumentatur, occidisse etiam eum videri, qui mortis causam quolibet modo præbuit, ex lege Aquilia, tracta interpretatione vocis à cædendo & à cæde. Et Paul. iurisc. in l. 2. §. appellata est, de reb. cred. lib. 12 ff. tit. 1. appellata est mutui datio, ab eo quod de meo tuum fit: & ideo si nõ fiat tuum, non nascitur obligatio. quod & dixit Iustinian. in § 1. qui. mod. re contrah. oblig. lib. 3. Institut. iur. ciuil. tit 15. & idem Iustinianus de testamento loquens, in §. 1. de testam. ordin. lib. 2 Instit. testamentum ex eo appellatur, quod sit testatio. id est, testimonium mentis. Occurrunt & in iure his similia alia Et argumentum sumptum à communi nomine fidem facere Rhetores confirmant, vt Cicero in Topic. & libr. 1. de Inuent. vbi agit de confirmatio. Aristotel libr. 5. Topic. c. 2. & 6. Topic. c. 2. Et nominis appellatio etiam hoc indicat: nomen enim dixerunt priores, quòd rem notam faciat, quod ipsius rei imagines, quas per sensus corporis directione memoriæ in aures intromittit. Ac sic loquentibus nobis intelligimus absentias rerum, & imagines memoriæ retentas cùm volumus, cogitamus, vt scribit Claudianus Mamertus Episcopus Vtennensis in epist. ad C. Solinum Sydonium Apollina. Arguunt & sacræ literæ à nomine communi: sic Abigail excusans viri sui Nabalis malitiam, 1. Reg. c. 25. d. vers. 25. ait ad Dauid. *Ne ponat oro dominus meus rex cor suum super virum istum virum Nabal, quoniam secundùm nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo. Nam* נבל *Nabal* stultum significat. Et in Psalmis Psalm. 47. vers. 9. *Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ.* Nam & in scripturis sacris summa cum ratione & significatione accommodatè, non temerè nomina fuisse imposita docet Eusebius Pamphili lib. 11. de præparat. Euangel c. 4. & hominum & rerum: sic Adam à terra, Abel à luctu, Abraham à semine gentium, Isaac à risu, Iacob à supplantatione, Messiah ab vnctione, Cephas à lapide & Petrus, Iesuah & Iesus à salute, & infinita huiusmodi. Et hæc vel à translatione proprietatis rerum, alia à compositione nominum, vt Gimanuel nobiscum

cum Deus: Raphaël medicina *Dei*, Michaël quis sicut Deus, vel fortitudo Dei. Et in cano. placuit qui est cano. 1. 16. q. 1. summus Pontif. argumentatur ab etymologia nominis Monachi, & quia solitarium significat, concludit & inde arceri debere monachum à secularium clericorum officio. facit l. defensores, de defenso. ciuita. C. Cæterùm quatuor in nominum contemplatione admonere volumus lectorem, primum, ne in cortice literæ subsideat: secundum, vt tempus quo verba vsitata fuerint, & loca vbi vsurpata consideret: tertium, vt si quid æquiuocum sit, priùs distinguat: quartum, vt negotium quod agitur inspiciat. Quod ad primum pertinet, verba contexta sæpe animos fallunt, nisi profundius rimemur mentem, vt accidit in mysteriis secretissimis fidei, in quibus litera occidit audè intellecta, prout legitur, spiritus verò est qui viuificat, vt ait D. Paulus 2. Corinth. 3. b. vers. 6. Ideo & *D*ominus noster IESVS CHRISTVS ad Iudæos dicebat, qui patrum monumenta & mandata *Dei* scripta habebant, & tamen non intelligebant, *Scrutamini scripturas*, in Euang. D. Ioan. c. 5. f. vers. *39*. & discipulis suis aperuit ipsemet diuinè sensum, vt intelligerent scripturas, Luc. *24*. g. vers. 45. nam si quis in his non iuuetur *Dei* lumine vt vero interprete, vix intelliget. *nisi enim crediderit is*, inquit Isaias c. 6. a. *non intelliget is*. Et optimè ita respondit Eunuchus Reginæ Caudacis legens Isaiæ locum. interrogatus num quæ legeret, intelligeret, *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi*. Act. 8 f. ver. 30. Aliter autem accidit quod scribit D. Petr. 2. Epist. c. *3*. d. vers. 16. quod cùm in epistolis Pauli, & aliis sint quædam difficilia intellectu. indocti & instabiles ea detrauant quod in legibus obseruatum diximus ex l. non dubium, de legib. C. & l scire leges, eod tit. in ff. docet & eximiè D. Diony. Areopagita lib. de Diuin. nominib. cap. 4. intellectualibus notionibus, non lineis & elementis literarum curiosè obseruatis. Diuina penetranda docet & D. Chrysostomus Homil. 14. in c. 1. D. Ioan. Euang. tom. *3*. huiusmodi etiam altiorem à literis mentem in suis symbolis requirebat Pythagoras: requirunt & ænigmata, allegoriæ, parabolæ. nomina enim alia propriè significant, alia per transpositionem: propriè significantia, propriè sunt intelligenda: quæ per metaphoram, non simpliciter, sed per similitudinem, vt dum Callimachus monti Brilesso latera attribuit, vt etiam de cœlo dixit latera Aqui-

lonis scriptura sacra, & cùm montium vertices capita, inferiores partes pedes dicuntur: quæ tamen animalis propria sunt, & nihilominùs ad ea transferuntur, vt etiam docet Galenus libr 3. de Præsag. ex pulsibus. Et sic notatio nominis communis non fit per identitatem, nec bona est absolutè, sed in quantum nomini communicat: Communicat autem per similitudinem: per similitudinem igitur notatio recipietur sola, alioquin nominis similitudo, nisi sit rei similitudo, ad confirmandum absolutè non valet, vt scribit Papin. in l. fin. ad municipa. lib. 50. ff. tit. 1.

2. Vsus considerate temporum & locorum, namque temporibus vsus paulatim senio conficitur, & nomina sicut & res: commixtio idiomatum voces paulatim deformat, & nouis inuectis, ac peregrinis hominibus receptis, & verba cum hominibus peregrina fiunt & recipiuntur, & priora patria vel imminuuntur vel obliuioni dantur. Commutantur autem dictiones secundùm M. Teren. Varronem libr 4. de Ling. Latin. quatuor potissimùm ob causas, vel ademptione literarum, vel additione, vel contractione, aut commutatione, aut syllabarum productione, Et Horatius de arte poëtica vers. 71.

*Multa renascuntur quæ iam cecidere, cadentq;*
*Quæ nunc sunt in honore vocabula si volet vsus,*
*Quem penes arbitrium est: & vis & norma loquendi.*

Et rursum eod. lib vers. 176.

*Multa ferunt anni venientes commoda secum,*
*Multa recedentes adimunt: Ne forte seniles*
*Mandentur iuuenis partes puerog; virilis:*
*Semper in adiunctis æuog; morabimur aptis.*

Et Quintilianus libr. 1. Institut. cap. 11. docet, non esse vtendum verbis valde antiquis & obliteratis, quia orationis virtus est in perspicuitate: vitiosa autem est si egeat interprete. Et alibi cap. 12. eius libri. *Fuerit planè ridiculum malle sermonem quo locuti sunt homines, quam quo loquantur. Sequenda igitur est consuetudo*, inquit, *loquendi, ea scilicet bonorum, vt bene placeamus.* Et Cicero lib. 3. de Finib. bono. docet id esse faciendum, & verba vsibus ad quos dicuntur esse debere accommodá, non spinosa: nam & Rhetores & Dialectici. & Mathematici suis & vsitatis verbis inter se vtũtur. Quibus vti nos debemus, vt idem Cicero notat libr. 1.

Academ.

Academ. quæst. Sed & in nostris iuris ciuilis legibus scriptum est, crebriorem opinionem hominum esse sequendam, non in verbis tantum, sed in negotiis, vt scribit Vlpia. l.11. de off. quæst. lib. 1. π. tit. 13. & in l. cùm quidam, l. 30. §. quod dicitur si putetur, de acquir. hæred. lib. 29. π. tit. 2. Neq; mutanda sunt, quæ semper certam interpretationem habuerunt, vt scribit Paulus Iurisconsul. in l. minimo. l. 22 de legib. lib. 1. π. tit. 3. Vsus loci & nationis etiam inspiciendus. Nam & in diuersis locis idem verbum diuersè significat, vt res ipsa docet, & tradit Gal. libr. de arte sanita. tuen. ad Thrasib. Atque Paulus Iurisconsul. in l. anniculus amittitur, l. 132. de verb. signif. lib 50. π. tit. 16. scribit, non tam proprietatem verborum, quàm vsum loquendi inspiciendum. Et in verbis ad mentem recurrendum esse docent Pontifices, cano. inter verba. 11. q 3.

3. Quod æquiuocum sit, distinguendum per se constat, & Dialectici satis docent.

4. Quod notandum etiam est. verba sunt consideranda interdum secundùm materiam & rem, de qua agitur, veluti exemplum petere licet ex Papin. responso, in l. si vno anno, l. 17 loca. lib. 19. π. tit 2. *Si*, inquit *ob sterilitatem vnius anni, quis remiserit illius anni pensionem locatori. Deinde sequentibus annis vbertas fructuum fuerit, non solùm pensionem exigendam anni vbertatis, sed etiam & anni sterilitatis, quæ remissa est. Sed quid* inquit *si in remissione vsus fuerit nomine donationis, num repetere poterit? Et respondetur posse quia verbum donationis, considerato negotio de quo agebatur, potius transactio, quàm donatio vera videtur.* Simile apud Vlpianum in l. damni infecti, l. 30. §. fin. de dam. inf. lib. 39. π. tit. 2. Docet & abundè c. intelligentia. de verb. signif apud Gregorium l. pen. ad exhibend. in π.

5. Ita nomina quæ plus & minus, vel diuersum vsum significare possunt, intuitu personarum, quibus applicantur, interpretanda sint, sicuti si equitii vsus legatus est. intelligitur ille vsus, secundùm qualitatem legatarii, vt si is eius instituti sit eorum, qui in Circensibus equos agerent, vt ita his vti possit, alias non, vt scribit Vlpianus in l. pen. l. 12. de vsu & habita. lib. 7. π. tit. 8. Sic dos indefinitè promissa determinationem qualitatis accipit, secundùm facultates patrimonii, & dignitatem metalium viri, apud Papinianū Iurisc. in l. cùm post diuortium, l. 70 §. gener. socero. de iur. dot. lib. 23. π. tit. 3. idem in l. cùm alimenta, de alimen. leg.

6. Notandum est verba cum effectu intelligenda esse id est, vt aliquid operentur, non inutiliter iaceant, Alexan' 111. in cap. relatum est, c. 4. de cler non resid. lib. 3. Decret' tit. 4. can. hæc autem verba, de pœnit dist. 1. can. si quis suadente diabolo, 17. q. 4 can in canonibus, 16. q. 1. cano. Psalmista 23. dist. l 1. C. de nud iur. quir. tol. l. si per alium, § docere. ne quis eum qui in ius vocat. est, vi eximat.

*De communicatione.*

CAP. X.

- Communicatio.
- Multiplicatio.
- Liberalitas, Donatio.
- Societas.
- Collatio.
- Collegia.
- Diffusio & extensio boni ad bonitatem pertinent.

COMMVNICATIO.

SI essentia per se singulis sit bona, vt dictum est, erit & pluribus bona eo modo quo vni, imò & maior, quia plures vtilitatem inde recipiunt. Et re vera bona, tantò meliora, quantò maiora, vt dicebat Marcil. Ficinus lib. 3. Epist. scribens Laurentio Bonincontio Astrolog. Præfertur enim quod communiter pluribus expedit, ei quod aliquibus particulariter, vt scribit Iustinia. in l. vni. §. fin. de cad. tol. lib. 6. ff. tit. 50. in § sancimus, de restitutio. & ea quæ parit in 11. mense in authen. colla. 4. tit. 6. cum similib. ibi notat. à glo. iuribus. Propriumque bono est, alia sui participia facere, quia in actione bonum consistit: nam bonus in se non quiescit, sed cæteros quoque ad meliorem frugem conuertit, vt scribit Maximus Tyrius Sermo. 5. Et natura boni flagitare videtur, vt scribit D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. ad Theos contra hær. cap. 1 vt omnibus se proponat, & frui se omnes velit, prout singuli possunt. Atque Plato reddens rationem in Timæo, quare hoc vniuersum à creatore fuisset productum, respondit, quia is bonus erat, & bono nulla insit inuidia. Quod & scribit Numenius lib. 5. de Bono. & Eusebius Pamph. li. lib 11. histo. Eccle-

Ecclesia. cap. 11 Scimus & *Deum*, vt docuimus, bonitatis vnicum esse fontem, vnde quæ multum ad vnitatem boni accedunt, multum etiam ad *Dei* bonitatem accedere dicuntur. Communio autem dispersos ad vnitatem, & ad illius participationem reducit: quocirca & bonum facilius existimamus credi communionem, quàm particularem rerum possessionem. Quo videtur vsus argumento D. *Dionysius* Areopagita l. b. de Diui nominib. c. 4 *Bonitas*, inquit, *ad se conuertit omnia, primáq; ipsa vnitas dispersa omnia congregat, tanquã vnitatis principium & vnifica Deitas.* Item cõmunicatio ad æqualitatem viam quodammodo parat, sed ad eam non peruenit interdum: nam & cõmunicatio partis fieri tantum potest boni, non totius, vt *Deus* nobis communicat bona sua, non tamen omnia propter nostrã imbecillitatem & incapacitatem propriam: & communiones diuersæ bonorum sunt, siue spiritualium, siue temporaliũ, aliaque alia generalior sunt enim Regni communes leges, sunt & ciuitatibus quædam communia, & qualitate diuersæ communicationes. Alia namq; est, in qua quidem vterq; eorum qui communicant, participant, sed vterq; non contribuit veluti in liberalitate: in qua vnus alii communicat solùm sua, alius accipit: nam si quis præstare teneretur, non diceretur communicatio, sed potiùs solutio, quia in necessitatibus nemo dicitur liberalis, & quod mera voluntate non fit, in munificentiam non cadit, vt notat Modestinus Iurisconsul. in l. rem legatam. l. 18. de alimen. leg lib. 34. ff. titul. 4. cum similibus iurib. ibi nota. in verbo liberalitas. bona hæc liberalitas quia beneficia: auaritia contrà malum, vt diximus in titulo *Deo* fauente de auaritia. Et liberalitatem Aristoteles dicit, virtutem pecuniis benefactiuã, lib. 1. Rhetor. ad Theod. c. 9 & alibi libello de virtutibus & comitari liberalem benevolentiam, humanitatem, misericordiã, honestatem. Alia communicatio, in qua vterq; contribuit, sicuti in societate ciuili, & commerciis hominum: in quibus ad publicam vtilitatem quisque aliquid contribuit, & communicat, vt doctus consilia, & prudentiam, iudex castigationem delictorum, artifices sua opera, velut sutor calceos, architectus ædificia, & reliqui singula: sic in contractibus vnus pecuniam, alius rem communicat. Et hanc vocat Aristoteles communicationem ciuilem ex proportione rationis in libr. 7. Ethicor ad Eudemum. Est enim illa amicitia politica vtilitatis causa, cùm

enim seorsum sibi homines sufficere non possent, conuenerunt solius victus gratia. In qua communicatione singulæ artes tenent singulas partes, & Rempublicam societatemque illam sustinent atque necessariò requiruntur, vt scribit etiam Plato libr 3 1. dialo. 2. de Republ. vel de iusto. Sic Iustinianus excitasse videtur iuris tyrones ad studia ratione finis, vt iuuaturos Rempublicam consiliis in § fin. procœ Instit. iur. ciuil. *Summa*, inquit, *ope, atque alacri studio, has leges nostras accipite, & vosmetipsos sic eruditos ostendite, vt spes vos pulcherrima foueat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam totam nostram Rempub. in partibus vobis credendis gubernari.* Bona autem hæc etiam, quia Reipublicæ vtilis & accommoda, quæ & bona sunt etiam. Est & alia communicatio, in qua vterque contribuit, vt in ciuili. Sed differt à politica, quia lucra etiam æqualitate arithmetica diuiduntur, etsi collatio & contributio fuerit geometrica, quod non accidit ciuili. hæc dicitur socialis communicatio, in qua est vtrinque repassio, vt ait Aristot. 5. Ethi. ad Nicomach. c. 5. *Dico* communicationem fieri in ea arithmeticam, cùm æquæ facultates contribuuntur: *Dico* geometricam, cùm alter industriam, alter facultates contribuit, vtroque namque modo fit societas, & æquatur dignitate, industria & opera socii vnius, facultatibus alterius, teste Vlpiano in l. societas contrahitur, l. 5. & l si non fuerint, l. 29 pro soc. libr. 17. ff. tit 2. Dixi diuidi lucrum proportione Arithmetica, quia tantummodò diuiditur æquè, si nihil de partibus dictũ, si dictum pro parte, Iustinia. in §. 1. & 2. de societ. apud Iustin. in Institut. iur ciuil. lib. 3. tit. 26. partium autem limitatio æqualis esse debet proportione habita eius quod plus vel minus contributum est, d. l. si nõ fuerint, pro soc. ff. Quare & bona hæc communicatio, quia æqualitatem obseruat: æquale autem bonum est, vt suprà docuimus. Est alia communicatio bona, in qua fit vtrinque collatio & diuisio per arithmeticam, & per partes æquas, vt inter liberos in successione parentum, de qua tractant Iurisconsulti & Cæsares, titulis propriis de collatio. & de collat. bonor. Sunt & aliæ communiones, & communicationes, sodalitia, conuentus vniuersitatis, collegiorum, & aliæ societates: quæ tamen & bonæ & malæ possunt esse, intuitu finis vel causæ, vel præcedentium vel sequentium: quæ ex aliis speciebus boni vel mali quis poterit vel probare vel improbare, cùm tamen per se com-

se communio boni bona. Et generaliter si communiones quadrant finitioni bonitatis, bonæ dicentur: velut si illæ prævalerent alicui priuationi, nam si illis alterius maioris boni fiat priuatio q̃ sit id q̃ cõmunicationes videtur inducere, tanquã mala reiicientur, veluti reiiciuntur, vt malę cõmunicationes mercatorũ inter se, q̃ monopolia dicuntur, quibus vtilitas & bonum plurium ladit ur auaritia paucorum, merito prohibita mercatoribus & aliis artificibus à Zenone Cæsare in l. vni. de monopo. lib. 4 C. tit 49. Vetantur & cætera collegia illicita, & à principe non permissa, ob metum conspirationis, à Martiano & Vlpiano in l. 1 2. & 3. de colleg. illic. lib. 47. ff. tit. 24 à principe autem approbata permittuntur: quia permissa putantur, causa cognita ob bonum aliquod, vt sodalitia religionis propter cultũ Dei: bonum enim est ita congregari, vt Apostoli congregati. Actu. 1. & 2. *Vbicunque enim fuerint in nomine meo congregati, in medio illorum sum.* Matth. 18. c. vers. 20. Et vbicumq; fuerit memoria nominis mei, veniam ait Dominus. Hæcq; vocatæ basilicæ. & templa, ecclesiæ. à congregatione: hinc tot abbatiæ, sodalitia fratrũ, monachorum, anachoritarum, canonicorum, monialium, hospitalium, & huiusmodi. sem. per enim, etiam apud ethnicos, communio illa & societas ob cultum diuinum bona habita est. fueruntq; Romę instituti plures eius gratia ordines, vt Fratrum Arualium, Vestalium, Flaminum, Titonum, Potitiorum, Augustalũ, Antonianorum, & aliorum: de quibus Liuius, in 1. Pomponius Lætus de Sacerdo. Alexan. ab Alexandro Genial. dier. li. 1. cap. 26. Martianus & Dionysius Halicar. & alii: & apud Gallos Druidæ, vt scribit Iulius Cæsar li. 6. Comment. bell. Gal. Et postea apud Christianos fuerunt sodalitia quàm plurima titulis diuersis separata, vt constat ex lib. C. de sacrosanct. ecclesiis, & de episcopis & clericis. li. 1. C tit. 1. & 6. & in Authenticis de monachis colla. 1. tit. 1. & in iure canonico de regularibus & transeuntibus ad relig. li. 3. in Decretal. in sexto & Clementi. & in 2. par. Decre. totis causis 16. 17. 18. 19. 20. Bona autem omnium horum communicatio, nempe sacrorum, quæ bona sunt, vt Dei dona: vnde & profani quasi improbi à sacris arcebantur, vt Virgilius scribit

*Procul hinc procul este profani:*

Et Tibullus, li. 1. epist. Epist. 2.

*Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris*
*Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.*

*Casta placent superis pura cum veste venite,*
*Et manibus purîs sumite fontis aquam.*

Vnde & Callimachus Hymne εἰς Ἀπόλλωνα, quasi per θεασμὸν & afflationē numinis, canit statim in principio.

εἶον ὁ τῷ πάλλυν ἐσείσατο δάφνιδ' ὄρπηξ,
εἶα, δ' ὅλον τὸ μέλαθρον· ἐκὰς ἐκὰς ὅστις ἀλίτῃσι.
καὶ δὴ πὰ τὰ ἴυξεται, καλῷ ποδὶ φοῖβος ἀείρας.
id est.

*En quemadmodum concutitur Apollinis Daphnides ramus,*
*Quanta totum (felicet) plenum palatium.*
*Procul procul quisquis iniquus.*
*Et sanè vestibula pulchro pede Phœbus pulsat.*

Et Lilius Gregorius Giraldus li. de Deis sal. gentium Syntagma. 17. dum agit de lecti sterniis & supplicationibus, annotat, tantam puritatem expostulatam in sacrificiis, & congregationibus eorum vt apud Græcos sacerdos ad sacrificiū accessurus, præfari hoc primū solitus fuerit τίς τῇ ἁλὶ, hoc est, *quis hoc?* qui vero intererant sacris: respondebant πολλοὶ καὶ ἀγαθοὶ, *multi & boni.* Sunt & collegia studiorum causa approbata, propter bonum Reipub. quod ex doctis aduenit hominibus, vt audientium collegia docentium Academiæ. Sunt & alia officiorum collegia, eadem ratione vtilitatis publicæ probata, vt pistorum in l. 1. de pistorib. lib. 11. C. tit. 15. suariorum vel porcariorum, de quibus Arcadius in l. 2. de suariis li. 11. C. tit. 16. & in eod. lib. 11 reperies. Erant & familiæ generales bastagiorum, fabricensium monetariorum & huiusmodi, per totum 11. c.

## *De Desiderabili.* CAP. XI.

DEsiderabile esse bonum docuimus vtcunque supra. Sed nunc quædam alia breuiter subiungam in primis esse obseruandum nos loqui de desiderabili, non de desiderio. Desiderabile namque bonum semper, quia desiderabile: desideratur, quia bonum. Desiderium autem malum potest esse, vt si quis desideret rem proximi, vxorem, seruum, asinum, & huiusmodi: si quis desideret cædes, furta, & alia mala. Potest esse & bonum nam vt scribit Aristoteles 1. Ethico. ad Nicoma. *Omnis ars, omnisque doctrina, atq; actus itidem & electio bonum quoddam appetere videtur.* Quapropter

pter veteres dixerunt bonum idipsum ēsse quod omnes appetant: & Cicero, 5. Tusculanarum. *Natura omnes ea quæ bona videntur sequuntur fugiuntq; contraria.* Quamobrem si simul obiecta species cuiuspiam est quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura: id cum constanter prudenterque fit, eiusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant, nos appellamus voluntatem: eamque illi putant in solo esse sapiente, quam sic definiunt vt sit cum ratione, &c. Sic desiderabile semper nobis est in voluntate bonum, nam & voluntas est appetitus rationalis boni cum ratione: nullus enim aliquid vult, nisi cum bonum esse putauerit, appetitiones verò irrationales ira, & cupiditas dicuntur esse. Aristoteles 1. Rhetor. ad Theod. c. 10. voluntas namq; in boni partem sumitur pro bono desiderio. Et ita intelligitur sententia illa, Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis. in cap. 7. 6. Matthæi. Sicque interpretatur Archidiaconus super interpretat. can. 1 dist. in 1. par. decr. Gratiani. Et vt puto, voluntati opponitur nolle, hoc est, bonæ rationis persuasioni non obedire. semper enim ratio, eius quod boni est nos admoner. nos autem renuimus Et illud nolle dicitur intentio & propositum potius, quam voluntas. nam vt ait Maximus Tyrius Serm. 19. insitus est hominum generi fomes quidam, qui boni expectationem enutrit: cuius tamen inuentio omnino est abdita idq; terrigenis ægris. superi namque omnia norunt. Et eo modo vt idem ait Sermo 31. difficile est, iuxta sententiam carminis antiqui, bonum esse Quod si mala quis appetat, hoc certe ex corruptione vel impedimento nascitur voluntatis. Et sic quodammodo ex voluntate coacta vel præcantata ira, vel appetitu irrationali, eadem voluntas non est, sed voluntas cum adiuncto. nempe voluntas coacta vel corrupta: Salomon Prouerbio. 8. b. vers 11. docens bonitatis sapientiæ excellentiam, etiam à desiderabili probat. *Melior*, inquit, *est sapientia cunctis opibus, quia omne desiderabile nonpotest ei comparari.* Et vbicumque in sacra scriptura de re desiderabili mentio fit, intelligendum est rem esse excellentis bonitatis. Nam id נחמד *nechemad.* apud Hebræos insinuat, vt in versu. desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum, Psalm. 18. c.

*De Donis Dei.*

## CAP. XII.

DEi dona & opera omnia bona, vt supra docuimus, & naturalia bona, quia à Deo creata, sicuti & voluptas naturalis, non in quantum quis abutitur. sic & forma, pulchritudo, & huiusmodi, vt scribit Aristoteles li. 1. Rhetor ad Theod. cap. 5. huc etiam refert dona Spiritus sancti, quæ interdum à Spiritu sancto & cum spiritu sancto sunt, vt charitas cuius receptione recipitur etiam Spiritus sanctus: Alia ab Spiritu sancto, sed existentia sine Spiritu sancto aliquando, & cum eo interdum, vt donum prophetiæ: quia non semper cum Spiritu sancto, quamuis semper ab Spiritu sancto, quia quandoque etiam inuenitur apud malos. Dehinc aliud donum à Spiritu sancto, sed non cum Spiritu sancto, præparans tamen ad spiritum sanctum. vt timoris seruilis donum, vt scribit quidam doctus vir frater Ioannes Gristh. in quadragesimali serm. 46. par. 2. lite. c.

*De digno.* CAP. XIII.

DIgnum & dignitatem bonam esse suadet in primis Etymologia verbi Græci per quam ἀξιος deduci videtur ab ἄγω, & futuro ἄξω. vnde ἀξιος, quasi deductus ad gradum laboris & boni ὅτι μεταφορᾷ τῶν πλαγίων τῶν ἴσην γωνίαν ἐχόντων *à metaphora platerarum, quæ habent angulum vel aginam æqualem*, nec in vtramuis latorum partem inclinantem. quæ bono conueniunt, cum bonum medium quoddam sit in parte, malum habens, si ab eo discedatur, vt dignum existimatur, quod meritum aliquod præ se fert. illud autem meritum est, quod placet: placet autem, vel placere intelligi debet, quod viro bono placet. Et ad eius arbitrium dignum existimabitur, vt scribit Scæuola iurisc. in l. Thais. l. 41. de manu. test. li. 40. ff. tit. & 5. Vlpia. l. fideicommissa, l. 11. § proinde, de leg 3. li. 32. ff. tit. 1. Et sic sequitur iustum ex dignitate rerum, quamquam alij aliter dignitatem æstiment, vt Democratici libertatem, Oligarchici diuitias, Optimates virtutem, teste Aristotele li. 4. Eth ad Eudemum. Proprie igitur dignitas generaliter dicetur cuiusque honesta & cultu & honore & verecundia digna authoritas. Ex dignitate itaque & vtilitate plura colligimus bona. Inter quæ Cicero 2. de Inuent. cùm tractat

de ex-

de expetendis annumerat gloriam, amplitudinem, amicitiam. Laudanda bona, qualia dignitas orationis & rerum & administrationum. & naturæ bona vt forma, pulchritudo & alia id genus: Et vt semel dicam, secundum diuersitatem bonorum, & diuersitas est dignitatis. In omnibus dignitas honorem semper addit, & boni speciem: nam & in viris graues & constantes animos auget illustratq; dignitas, qui proinde ac aura inspirante ad honesta concitantur opere, vt scribit Plutarchus, in vit. M. Coriolani. Dicebat etiam Bion in Bucolicis, τιμὴ γὰρ τὰ πράγματα χρέσσονα ποιεῖ. *Honor res meliores facit.* Et rursus Iamblichus, πᾶν τὸ τιμώμενον αὔξεται, ἐλαττοῦται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον, *Omne honoratum augetur per contemptum imminuitur.* Quod autem augetur, nemo non videt essentiam ponere, & ita bonum: quare & dignitas, quia honor, bona erit. Sunt & fundamenta dignitatis bona, quæ & bonam ostendunt dignitatem: quæ ponit Cicero li. 1. Epist. ad Q. frat. nempe integritas, continentia, subiectorum pudor, delectus familiaritatum & prouincialium hominum, familiæ grauis & constans disciplina. Et certè verbum, dignum, semper meritum boni præsupponit, & per consequens, ipsum bonum, propter quod, meritum aliquod referatur. Sic dignus aliquo cui debetur aliquid iuste. Sic magistratuum dignitates dicuntur bonæ, quia digni debent ad eas assumi, veluti alias magis necessarij, & ob virtutem honore remunerandi: sic etiam dignitates, vt & senatoria, præmia virtutis sunt, vt scribit Aristoteles 2. Polit. c. 7. Præferendi ideo ad dignitates idonei, vt scribit Modestinus in l. vt gradatim, l. 11. de muneri. & honor. li. 50 π. tit. 4. sunt namque magistratus, veluti quidam rerum humanarum summi moderatores iuris, quod bonum est, quotidiani in melius reformatores, vt scribit Pomponius l. 2. §. post originem iuris, de orig. iur. li. 1. π. tit. 2. & D. Paulus ad Hebræos c. 13 b. vers. vocat in dignitate & potestate positos, magistratus, ministros Dei ad bonum: & gladium ait eos portare in malefactorum exterminationem. Ex quibus verbis tres colliguntur probationes quod bona sit dignitas illorum, primo quia ministri Dei: nihil enim à Deo quod non sit bonum, vnde & iudices dij vocantur participatione. 2. quod malũ tollant, quod proprium boni: diximus enim mali remedium bonum esse 3 quod ministri sint ad bonum. Dehinc & Vlpianus in l.

filon.

si longius, § fin. de legib. lib. 5. ff. tit. 1. ait dignitati vtilitatem iunctam, quam & dicimus bonam. Possumus eadem bonitatis argumenta cum potestate concludere, quod nō sit potestas nisi à Deo, vt ait Diuus Paulus ad Roma. 13. De ecclesiasticis præposituris idem dicendum est, quæ alio nomine beneficia dicuntur, quasi benefacientia: nam sacerdotia & prælaturæ ad hoc instituræ sunt, vt qui præessent gregem benè pascerent, doctrina & reipsa. Hierem. 23. a. Ezechiel. 34. 1. D. Petri 5. a. & Actuum c. 20. f. ver. 28 Et ideo D. Paulus ad Timoth. c. 3. a. *Qui episcopatum*, id est, curam ecclesiæ, *desiderat*, inquit, *bonum opus desiderat*. & cano. qui episcopatū, 8 q. 1. in 2. par. Decre. Gratia. quare & digni & idonei, non indigni, ad eā promoueri debent, vt statuitur ex consilio prouinciali in c. graue, c. 29 de præben. lib. 3. ff. tit. 5. Non tamen dico quòd omnes qui promouentur ad dignitates seculares vel spiritales sint digni & idonei, eo quòd in dignitate sunt. Nam quotidiana experientia mendacij nos arguet, sed quòd digni esse debeant: nam & ita legibus cautum est. bona enim bonis sunt committenda, & dignis: aliter magnum & promouenti & promoto imminet periculum cano. miramur. 61. dist. cum similib. ibi nota. Et Plato. lib 24. in Gorgia nominatim magnam potestatem quoddam bonum esse scribit quod & ad potentiam naturalem extendendum est, nempe ad vim & facultatem aliquid agendi quæ à Deo omnibus indita est, prout propriæ conuenit naturæ rerum. Sic Plato in Hippia maiore, vel de pulchro, pulchrum vtile esse docet ex eo: quod id, quod aliquid perficere possit, vtile sit: possēque id dixit potentiam & pulchrum, & impotentiam turpe. His iungēdus honor, potissimùm is qui ex meritis alicui cōtingit, qui summo studio conseruandus est, vt ait Cicero 1. Epist. ad Q. fratrem lib. 1 Fuitq; honor tantæ ac præclaræ æstimationis, vt antiqui ei tēpla dicarint, tanquam deo. Et tale dedicatū bello Liguſtico à Q. Maximo & posteà à M. Marcello renouatum. Caius etiam Marius & ipse templum extruxit Honoris & Virtutis, vt scribit Cicero 2. de Natu. deo. & Liuius lib. 7 decad 3 Simul autem Virtuti & Honori templum consecratum, vt prædicto loco Liuius scribit, & Vitruuius lib. 4. Architec. c. 1. & in prooem. lib. 7. vt per symbolum docerent honorē sine virtute esse non posse. Scribit & D. Augustinus lib. 5 de Ciuita. c. 12. neminem templum Honoris ingredi potuisse, qui non esset prius virtutis ingressus,

greſſus, eò quod via ad honorem verum, ſola ſit virtus, & præmium virtutis ſit laus & gloria, vt ſcribit Cicero oratio. pro Arch poeta. Quo argumẽto Plutarchus Oratio. cõſolatio. ad Apollonium ait defunctis vtilitatem eſſe honorem, qui per bonam memoriam exhibetur hinc & Leo põtifex in can. miramur. §. fin. 61. diſt. in 1. par. Decre. *Ad honores mundi & ſpirituales ſine ſuffragatione temporis, ſine merito laboris indignum eſt peruenire: & notare ambitum ſolent quos probitatis documenta non adiuuant. In vtriſq; namq; & ſecularibus & ſacerdotijs, ambitio locum habet*, vt ſcribit Modeſtinus l. 1 ad l. Iul. de ambi. lib. 48. ff. tit. 14. Et in vtriſq; ſingulis ſuas vires metiãtur oportet. Et vt ait Gregorius Syagrio epiſc. ſcribens, *Quiſquis ſacerdotium, non ad elationis pompam ſed ad vtilitatem adipiſci deſiderat, prius vires ſuas cum eo quod eſt ſubeturus onere metiatur, vt ſi eſt impar, abſtineat: & ad id cum metu etiam, cui ſe ſufficere exiſtimat, accedat.* videndi hac de re can. non eſt putanda, & can ſertur, 1. q. 1. in 2 par. Decre. Bonifa. Socrates etiam apud Xenophontem lib. 1. de dict. ac factis Socratis, ſemper dicebat, non eſſe meliorem viam ad honores acquirendos ea, per quam bonus quiſq; effici & non videri velit. Siquidẽ vt idem Xenophon in Hierone, vel tyran ſcribit, *Cùm homines ſic affecti ſunt, vt exiſtiment virum idoneum, qui poſſit benefacere, rati ſe illum frui bonũ, poſteà hunc in ore habent, gaudentes laudibus, eumq; ſpectant non aliter quàm ſi ſuum quiſq; bonum indueretur, at ſponte decedunt de via. Sponte aſſurgunt amantes non metuentes, coronantq; ob virtutem & benefacta erga Rempub. muneribuſq; honorare cupiunt.* Hi demum & mihi videntur eum & honorare verè, quicumque talia præſtant officia. Et qui his ſe dignum reddit, re vera videtur honorari. De honore ſic etiam ſcribit Ariſtoteles 1. Rhetor. ad Theod. c. 5. *Honor eſt æſtimationis benefactiua iudicium*, honorantur autem maximè, atq; meritò, qui beneficia cõtulerunt: deinde qui cõferre queant. Beneficentia autẽ illa primas partes habet, quæ ſalutis eſt cauſa vt ſimus, ſecũdas verò ea quæ diuitiarũ, vel alterius boni, quod vel omnino, vel hîc, vel nõ facile aliquãdo acquiritur. Nã multi honorẽ aſſequuti ſunt quãuis parua præbuerint, ſed modus profuit atq; occaſio. Honoris verò partes ſunt, ſacra, memorationes, decantationes carminũ, aut ſolutæ orationis ad laudẽ recitatio, præmia, delubra, vel primi cõſeſſus, ſepulchra, imagines, publici victꝰ, Adhæc etiã barbara, vt inclinari, loco cedere, munera quoque, ſed alia apud alios honoratiora. Eſt autẽ munus, rei ali-

cuius donatio, honoris signum. Infamia porrò contraria est dignitati & honori: nam & infames, hoc est notati & fama bona priuati, nullum aditum ad gradus dignitatis vel honoris habent. Sic enim rescriptũ est ab imperatore in l. 2. de dignitat. li. 12. C. tit. 1. *Nec famosis & notatis, & quos scelus aut vita turpitudo inquinat, quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis porta patebunt.* cum similibus iuribus quæ multa sunt ibi nota, siue illa infamia sit à iure illata, siue ab ipso crimine inusta, cùm vtique vnumquemque criminosum non dignitas debeat, sed pœna comitari, vt scribunt Gratia. & Valentinia. in l. ne quis officialium, l. 38. de decurio. li. 10. C. tit. 30. Quamobrem omni infamiæ malum inesse inde constat, quia tit quædam priuatio boni, vel diminutio. Est enim secundum Calliſtra. iurisconſ. in l. cognitionum, l. 5. de var. & extraord. cognit. li. 50. π. tit. 13. *Aestimatio dignitatis illa est status, legibus approbatus, qua ex delicto nostro, authoritate legum aut minuitur, aut consumitur.* Minuitur adiectione pœnæ, relegatione, motione ex dignitatis ordine, interdictione honorum, fustigatione, assignatione in opus publicum, cùm infamiæ nota irrogatur. Neque seruatur etiam ei mulieri filiæ senatoris honor, quæ se in sceleratam & ludicram vitam deduxerit, quę quęstum corporis fecit, vel iudicio publico condemnata fuerit, vt scribit Paulus in l. Senatoris filia. l. 47. de rit. nupt. li. 23. π. tit. 2. Consumitur verò magna capitis minutione, vt libertatis amissione, interdictione aquæ & ignis, & aliis malis. Ad hoc malum referuntur indignitates hæredum, & in §. causas, vt cum de appella cog. in Authentic. & donatorum ingratitudines, quæ traduntur titulis de his quibus vt indig. in Pand. & C. & in l. f. de reuoca. dona. C. c. fi. de donat. cum similibus ibi nota. Possunt his addi incapacitates & insufficientię quæ omnia priuationem inducunt. In rebus vtique dignitas & honos spectatur ex essentiæ bonitate, vel hominum functione & vsu: indignitas cèntra, ex horum diminutione, vel priuatione omnimoda.

## *De essentia.* CAP. XIV.

ALiquid ex eo quod non est fieri oririue natura non potest, Aristoteles 1. Physic. c. 4. Et id quod non est perire non potest, & quod est tantum perire intelligitur, vt ait Vlpianus in l. 1. §. vsque adeo. quib. mod. vsusfr. amitt. lib. 7. π. tit. 4.

tit. 4. vt canonicis non existentibus, priuilegium aliquod dari non potest, Vrban. in c. pen. de eccles. ædific. lib. 3. Decret. tit. 48. _t Plato. lib. 18. in Euthydemo, vel litigioso. scribit neminem dicere posse id quod non est: quod enim non est, nullum posse dicere constat. Quod Iurisconsulti dicunt, non entis nullas esse qualitates, colligunt ex l. eius qui in prouincia, de reb. cred. in π. & Philo Iudæus li. Quod mund. sit incorr. *Ex non existente impossibile est*, inquit, *quicquam fieri, & ens prorsus interire impossibile creditur*. Docet Thomas lib. 2. contra gentil. c. 49. nullam in Angelis compositionem esse ex materia & forma, & tamen compositionem esse ex esse & essentia. Et secundum eundem essentia est cõpleta natura, in specie gradum habens determinatum sibi inter entia specificum. Materia vero prima, siue spiritalis, siue corporalis, pura potentia est, & pars non totum, neque gradum vllum inter entia speciei determinate sibi vendicat. Esse autem existentia ipsa est quæ non est forma, quæ esse specificum det, sed actus qui esse specificum præsupponat. Quamobrem in rebus corporeis duplex compositio est, altera ex materia & forma, ad esse speciei: altera ex natura speciei, & esse existentiæ, ad esse indiuidui. At in rebus spiritualibus vna tantum compositio est, quoniam essentia simplex est, ad esse dumtaxat specificum, non sibi includens partes distinctas & esse existere: cum natura specifica Angeli existat. Et hæc iisdem verbis scribit Bessario Cardinalis li. 1. contra calumniato. Plat. ca. 22. & 25. Probauimus autem suprà essentiam omnem per se bonam esse, & malum esse tãtum priuationem nudam boni, eamq; nec esse, sed nominari, quare eò recurrendum est. Huc referenda tamen esse admonebimus omnia quæcumq; aliquam essentiam siue re ipsa, siue consideratione ponunt: re ipsa, vt ponit actio, quæ per se bona est, quia vim aliquam indicat agentis, vt passio defectum agendi. Item magnitudo omnis, ædificatio, adiunctio, fructificatio, melioratio, quãquam fines & intentiones sæpe actus huiusmodi, ratione priuationis alterius, reddere videantur mala, cum tamen non rebus hæc, sed aliis circunstantiis mala tribuenda sint. consideratione autem essentiam exprimunt: quæ animo comprehendunt aliquid sicut & mala quæ destruunt, vt qui addit rationem rationi, bonum agit, quasi multiplicaret essentiam similem, qui vero rationem destruit, malum agit. Et Socrates apud Xenophontem, li. 2. de fact. Socratis bonum

semper dicebat esse alicuius: in genere autem quod nulliut sit bonum non nouerat, quia bonum præsupponit cui bonum sit: malum contra non est. Dicimus etiam artes in bonorum genere esse, quia & bonorum fontes sunt, vt dicebat Cræsus apud Cyrum, cũ de direptione prohibenda Lydorum disputarent apud Xenophõtem lib. 7. de pædia Cyri. Nam siue loquatis de factitijs siue de contemplatiuis scientijs, in vtrisq; felicitatem & bonum quoddam reperies: omnis enim doctrina, ars, electio actusq; omnis habet propositũ sibi bonũ, & appetit, vt scribit Arist. 2. Ethico. ad Eudemũ c. 1. Ratione essentiæ etiã dicimus cũ Aristotele lib. 1. Magno. moral. in omnibus prędicamẽtis esse bonũ, in quo, in quali, in quãto, in ad aliquid & prorsus in omnib⁹ in medicina bonũ medicus nouit, in gubernatoria gubernator, in singulis singuli, vt quãdo secandũ medicus, nauigandũ gubernator, & cæt. Quę perseuerẽt dicim⁹ etiã essentiã habere, & per consequens bonum, & tantò maius, quantò firmius illud conseruant. Nam vt diximus, mala semper priuant, bona conseruant. Huc pertinet igitur duratio omnis, constantia, quia etiam virtus: & virtus bonum, quam imitatur obstinatio & pertinacia animi, sed in malum. Quod ipsa natura est, bonum id, & bono est bonum & iucundum, & ipsum viuere est de his quæ per se sunt bona. Ideo iucundũ cùm bonum Aristot. 9. Ethic. c. 9. Et sicut ædificatio addit essentiam & probatio, sic destructio & confutatio habentur per oppositum. Nam & confutatio est rei alicuius propositæ destructio, vt scribit Aphthonius Sophista in Progymnas. vel de præexercit.

*De ætitate.* CAP. XV.

Fœlicitas, beatitudo, μακαρισμὸς, ζῆλος, ὄλβος, εὐτυχία, εὐδαιμονία: cùm dixerimus summum bonum in Deo esse, & Deum bonitatem ipsissimam esse, proculdubio ponũt bonum: vt in Deo est vita, quia & fœlicitatem vitam quandam esse ait Aristoteles lib. 9 Metaphy. c. 9. Sed & Plotinus de virtute & vitio loquẽs solos ait bonos fœlices ac beatos, & ob hoc beatos Deos censeri quia boni, vt scribit etiã Theodoretus lib 6. de curat Græca. affectio, & Isocrates in Paræneſi ad Demon. præcepto 74 ἡγοῦ κράτιστον εἶναι παρὰ μὲν θεῶν εὐτυχίαν, παρὰ δὲ ἀνθρώπων αὐτῶν, εὐβουλίαν, id est. *Quod nobis optimum, felicitatem existima: si à nobis autem proficiscitur, existima bonum consilium.* Bonum autem consilium, sapientia est à Dei dono procedẽs: ideò bonitati

mitati coniuncta. Et sic Plato lib. 5. in Alcibiade 1. siue de natu. homi neminem esse posse fœlicem dicit, nisi sapiens bonusque sit. & pariter omnes malos per consequens miseros, optimeq; Euripides in Hecuba. actu 3. versu 143 videtur fœlicitatem definiuisse à priuatione mali, vbi Hecuba sic loquitur.

——κεῖνϖ δ' ὀλβιώτατϖ

Οτῳ καθ' ἡμας τυγχάνει μηδὲν κακὸν, id est,

*Ille autem fœlicissimus est,*

*Cui in vita nihil contigerit mali.*

Et Vlpianus Iurisc. in l. bonorũ appellatio, l. 49. de verb. & rer. sig. lib. 50. ff. tit. 16. *Bonorum*, inquit, *appellatio aut ciuilis aut naturalis est*: naturaliter bona ex eo dicuntur, quod beant, id est, beatos faciunt. beare est prodesse. Aristoteles etiam lib. 1. Ethico. ad Nicoma. c. 10. docet, fœlicem & beatum nunquam miserum esse, sed & à rebus infœlicibus admoneri. *Nam si*, inquit, *operationes domina sunt vita, nemo beatorum fuerit miser: nunquam enim odiosum quicquã aget, improbum aget.* Et Boëtius 3. de Consolat. definit beatitudinem esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum. Et D. Augustinus lib. 22. de Ciuitate, beatitudinem dicit vbi nihil adest mali, nihil abest boni, statum perfectum & æternum, quæ certè beatitudo non inuenitur in hoc seculo. Et Aristoteles Ethic. lib. 10. c. 7. *Nihil*, inquit, *fœlicitatis est imperfectum.* Talis autem vita superat hominis naturam: non enim hoc ipso quo homo est ita viuet, sed quo est quid in ipso Diuinum, Et idcirco breuiter annotandum est beatitudinem vel fœlicitatem aliam esse imperfectam, aliam perfectam: instabilem & variabilem vnam, aliam immobilem. Vt etiam Epicurus bifariã fœlicitatem intelligi: dixit, supremam illã, quæ in Deo est, quæ incrementum nõ accipit: tem ablationẽ & adiectionem voluptatum, vt scribit in eius vita Diogenes Laërtius. de Vit. Philoso. lib. 10. quod & scribit Aristoteles lib. 7. Ethico. ad Eudemũ, Vna in vita quæ quotidie variationibus obnoxia est ponitur, interdũ bonis externis, interdũ aliis cumulata: quæ quia fluxis & rebus facilè deficiẽtibus & mutabilibus constat, efficitur varia & incerta: & ea quæ bona videntur extremis malis iungũtur, vicissitudine quadã vel potiùs iucunda semper tristibus mixta in hac vita sunt, quæ vulgus bona & mala dicit. Conuertit nam-

que Deus ob noſtram prauitatem & rerum abuſum, & ob in eum ingratitudinem, feſtiuitates noſtras in luctum, & omnia cantica noſtra in planctum, vt ſcribit Amos c. 8. c. verſ. 10. Thobias 2. b. verſ. 7. 1. Macchab. 1. c. ver. 41. exprimit Homerus Iliade 24. ω. verſ. 524.

Ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι
Ζώειν ἀχνυμένοις, αὐτοὶ δ' ἦ τ' ἀκηδέες εἰσὶ,
Δοιοὶ γὰρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Δώρων, οἷα δίδωσι κακῶν, ἕτερος δ' ἑάων.
Ὧι μὲν κεμμείξας δώῃ ζαὸς τερπικέραυνος,
Ἄλοτε μὲν τε κακῷ γε κύρει, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ.
Ὧι δ' ἂν τ' ἀργεϊκῶν δώῃ, λωβητὸν ἔθηκε.
Καί ἑ κακὴ βόρβωσις ἐπὶ χθόνα δῖαν ἐλαύνει.
Φοιτᾷ δ' οὔτε θεοῖσι τετιμένος οὔτε βροτοῖσι.
Ὡς μὲν καὶ πηλῆϊ θεοὶ, δόσαν ἀγλαὰ δῶρα
Ἐκ γενετῆς. πάντως γὰρ ἐπ' ἀνθρώπῳ ἐνέκασσε
Ὀλβῳ τε πλούτῳ τε ἄνασσε δὲ μυρμιδόνεσσι,
Καὶ οἱ θνητῷ ἐόντι θεὰν πόησαν ἄκοιτιν.
Ἀλλ' ἐπεὶ καὶ τῷ τῆκε θεὸς κακὸν, ὅττι οἱ οὔτι
Παίδων ἐν μεγάροισι γονὴ γένετο πρεσβύντων.
Ἀλλ' ἕνα παῖδα τέκε πανάωρον.

*Sic enim Deus decreuit miseris mortalibus*
*Vt viuãt tristes, ipse autẽ sine solicitudine anxietatis esset.*
*Duo quippe dolia iacent in Iouis limine,*
*Munerum quæ dat, alterum malorum, alterum bonorum.*
*Is cui quidem miscens dederit Iupiter fulminator,*
*Aliquando malum experitur, aliquando bonum.*
*Is autem cui ex tristibus concesserit, iniuria exponit;*
*Et ipsum mala fames in terra alma exagitat,*
*Viuitq; nec à Deo, nec ab hominibus honoratus.*
*Sic quidem Peleo dederunt illustria dona*
*A natiuitate: omnes enim supra homines ornatus erat.*
*Felicitate diuitiisq;: imperabat verò Myrmidonibus,*
*Et ei mortali existenti, dederunt Deam vxorem.*
*Sed & huic imposuit Deus malum, quod ei nulla*
*Filiorum in domibus soboles fuit imperantium.*
*Sed vnum filium genuit breui moriturum.*

Et

Et Pindarus Pythior. ode 3. antist. 4. versic. 9. eadem ita scribit.

Εν παῤ ἐσθλον, πήμα σὺν
Δύο δαίοντι βροτοῖς
Αθάνατοι, τὰ μὴ ὧν
Οὐ δυνάται νήπιοι κόσμῳ φέρειν,
Αλλ' αγαθοὶ, τὰ καλὰ τελέψαντες ἔξω. id est.

*Ad bonum bonum mala*
*Bina distribuunt mortalibus*
*Immortales, quæ quidem*
*Non possunt stulti moderate ornatè ferre,*
*Sed tantum boni qui boni extra obeuntur.*

Scilicet mala intro patienter ferentes, quibus non cedunt. In quibus vulgari nota malum pro tristi sumitur, & pro eo quod adimit iucūdi perfecti fruitionem: nihil enim à tempore peccati in hoc seculo constantem aut puram adfert iucunditatem, quin aliquo modo, qui ea fruitur, non pungatur, idque nostro bono tamen factum, si verè expendatur. Exemplum petamus à rosa, quam Basilius Magnus libr. Hexaëmerio homil. 5. scribit à principio sine spinis à Deo creatam, posteà verò pulchritudini floris adiunctas spinas, quo voluptatis capiendæ oblectamento propinquo, nos indefficiamur dolore, recordatione delicti, causa cuius factum est vt tribulos nobis & spinas terra proferret. Rursum idem Basilius Magnus Sermo. de Paradiso, *Rosa*, inquit, *spinis hic est coniuncta, externa gratia molestiam obtegens, vt tantum non operta voce contestans ac dicens, Qua iucunda vobis sunt ô homines, tristibus permixta sunt: nam vere in humanis bonis ita comparatum est, vt nullum eorum syncerum sit. sed confestim adsit latitia & hilaritati mœstitia contagio vidua tas, puerorum educationi cura & solicitudo, fœcunditati abortus, vitæ splendori ignominia, prosperis successibus dispendia, deliciis fastidium, sanitati infirmitas. Florida quidē est & rosa. sed mihi tristitiam infligit; nam quotiescumq; florem hunc video, peccati mei admoneor, propter quod terra vt spinas ac tribulos proferat, condemnata est.* Suffragatur & Euripides in Orestis Tragœdia, act. 1. ver. 252.

Ο μέγας ὄλβος ἀμόνιμος ἐν βροτοῖς.
Ανὰ ἢ λαῖφος ὡς τις ἀκάτᾳ θοᾶς
Τινάξας δαίμων, κατέκλησε

Δεινῶν πόγων, ὡς πάντ᾽
Λάβροις ὀλεθρίοισιν ἐν κύμασι.
*Magna fœlicitas non manet inter mortales,*
*Sed percussa à Dæmone quodam,*
*Velut concutitur velum cita nauis,*
*Obruit per graues dolores*
*Veluti in insanis ponti periculosis fluctibus.*

Et rursum idem Euripides in electra actu. 2. vers. 150. exemplis exagitat.

Οτι τοὐφέρτατ᾽ ἀνθρώποις οὐδὲν εἰς εὐδαιμονίαν,
*Quod nihil sit certum ad hominis fœlicitatem.*
Ἔχουσι γὰρ παραγμὸν αἱ φύσεις βροτῶν.

*Habent enim*, inquit, *naturæ hominum mutationes*, propter quas nemo his quæ ad fœlicitatem facere videntur humanam contentus viuit: & vt Aristot. lib. 2. Rheto ad Theod. c. 21. *Non est qui fœlix omnibus in rebus sit.* Et multorum hac de re antiquorum referi sententias Stobæus sermone proprio, serm. 35. ὅτι οὐδεὶς ἐν πᾶσι εὐδαίμων ἢ εὐτυχὴς διαφέρει, *Quod nullus sit omni ex parte beatus*: cui plures Latinorum subscribunt. Sed & Maximus Tyrius Sermone 35. harum fœlicitatum satietatem molestiorem esse satietate epularum atque ebrietatis, docet exemplis. vides vt neque etiam Achilles otium, neque silentium Nestor, neq; securitatem ferat Vlysses, cum liceret Achilli viuere, atque imperare Myrmidonibus. Thessalicam terram excolere, ac senectutem Pelei alere: Nestori item in Pylo, in pace atque otio senium ducere: Vlyssi itidem in domo remanere circa opacum foliis Neritum, in terra virorum altrice, vel penes Calypso immortalis: sed ij omnia postposuerunt. Et hinc factum est vt cum quisque his quæ possidet non sit contentus, semperque nouis cupide inhiet, naturæ fuerint diuersæ fœlicitatis sententiæ. Et vt ait Horatius Saty. 1. lib. 1. sermo.

——*Vt nemo quam sibi sortem*
*Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa*
*Contentus vivat, laudet diuersa sequentes.*
*O fortunati mercatores, grauis annis*
*Miles ait, multo iam fractus membra labore.*
*Contra mercator naum iactantibus Austris,*
*Militia est potior. Quid enim, concurritur, horæ*
*Momento cita mors venit, aut victoria lata.*
*Agricolam laudat iuris legumq; peritus*

Sub

*Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat:*
*Ille datus sanctum qui rure extractus in vrbem est,*
*Solas fœlices viuentes clamas in vrbe.* Et de hinc
——*Si quis Deus, en ego, dicat,*
*Iam faciam quod vultis: eris tum qui modò miles,*
*Mercator: tu cor sultus modo, rusticus: hinc vos,*
*Vos hinc mutatis discedite partibus, eia*
*Quid statis? nolunt atque licet esse beatis, &c.*

Quamobrem Plato li. 4 dialo. 2. de legib persuadere conatur fœlicem iustum, infœlicem & malum iniustum, etiam si diuitias, sanitatem perpetuamq; tyrannidem possideat, inuictasq; vires, animositatem: & etiam immortalitatem, alibi in li. 20. in Charmi, scientiam boni vel mali, quæ fœlices reddat & beatos, ponit in temperantia. Solon autē Atheniensis legislator, interrogatus à Crœso rege Lydorū, quem existimaret beatissimum, Tellum esse respōdit, quia illi in Repub. Athenien. bene instituta filij erant honesti & boni, eorumq; singulis liberi, hiq; omnes superstites: & cū hoc vitę, quantum in nobis situm est, bene traduxisset, obitus splendidissimus obtigit, pro Repub occūbens. Post hæc & mortem optimū dixit, exemplo Cleobi & Bitonis, neq; quenquam beatum ducebat, qui magnis opibus præditus esset, nisi ei omnibus bonis prædito fortuna concesserit bene vita defungi: & priusquam is ad obitum peruenerit beatum appellari non posse, sed fortunatum, quia omnia assequi quandiu sis homo impossibile est. quæ omnia scribit Herodotus in Clio, siue li. 1. & Plutarchus in vita Solonis. Porrò Crœsus propriis bonis & diuitiis obcæcatus, cùm putaret in his fœlicitatem contineri, vel in aliis rebus temporalibus, consuluit Apollinem quomodo fœlix esse posset, vt scribit Xenophon lib 7 Cirupædiæ, à quo, & si iniquo dæmone, tamen Dei iussu, vt nos inde eruditemur, prolatum est huiusmodi oraculum.

*Ipsum te nosces es fœlix, Crœse futurus.*

Quod tamen nec ipse intellexit donec in Cyri manus incidit. Plato aliter, teste Diogene Laertio in eius vita, li. 3 fœlicitatem quinq; partitam definit: primam eius dixit partem in εὐσταλίᾳ. bene consulere: sensibus & bona valetudine corporis vigere. Tertiam in εὐπραξίᾳ, in rebus gerendis bene fortunatum esse: quartam gloria & authoritate apud homines excellere: quintam, in εὐπορίᾳ pecuniis rebusq; cæteris ad omnes vsus vitæ affluere. Aristoteles Magno. moral. libr. 1. bene viuere, finem & fœlicitatem, & optimum

esse putat,& ita in viuendo secũdum virtutem ponit:& latius idem in 1.Ethic.ad Nicoma. c.8. vbi alios varias de fœlicitate adfert sententias,& c.5.eius libri.Rursum idem Aristoteles eod.lib.c.9.fœlicitatem in bona operatione constituere videtur,in bene regendo populo,& in bene constituenda Republica.Et ideo nec bruta animantia,neque infantes, qui ob teneram ætatem bene agere non norunt, istius fœlicitatis esse participes.Virgilius li.2.Georgi.circa finẽ.in eõtemplatione naturarũ rerũ posuit,& in mortis contẽptu.

*Fœlix*,inquit,*qui potuit rerum cognoscere causas,*
*Atque metus omnes & inexorabile fatum*
*Subiecit pedibus, strepitumq́ Acheronti auari.*

Et rursum in Culice vers. 78. longè aliud à fœlicitate aliorum,fœlices reddere putat.

*Quis magis optato*, inquit, *queat esse beatior auo,*
*Quàm qui mente procul pura sensuq́ probando.*
*Non auidas agnouit opes, non tristia bella,*
*Nec funesta timet validæ certamina classis:*
*Non spolijs dum sancta Deum fulgentibus ornet*
*Templa,vel euectus finem transcendit habendi*
*Aduersum sanus vltrò caput hostibus offert.*

Aliter de beatitudine censet & Martialis li.9.Epigramm.

*Vitam quæ faciunt beatiorem,*
*Iucundissime Martialis,hæc sunt:*
*Res non parta labore,sed relicta,&c* quæ sequuntur.

Horatius & aliter definit de vita beata, agriculturam eam censens lib.Epod.od.2.ibi.

*Beatus ille qui procul negotijs,*
*Vt prisca gens mortalium*
*Paterna rura bubus exercet suis*,& quæ sequuntur.

Terentius & alij liberos, & alia separatim hominibus vtilia,fœlicitatem rati sunt. Et tot hac de re, vt absoluam,fuerunt antiquorum opiniones quot fermè capita: vsque adeo,vt Marcus Varro,ducentas octoginta sectas, & opiniones memoret priscorum,vt Author D.Augusti.li.19.de Ciuita. Dei ca. 1. vide & plura de summo bono eodem libro. c.1.3.4.Qui tamen omnes fœditer lapsi sunt, potissimũ in duobus: vnũ, q́ absolute in aliqua re humana fœlicitatem summã putarunt inueniri,& ibi summũ posuerũt bonũ, vt & ipse Seneca li.1.de Vita bea.in animi virtutibus,& animi cõcordia, vt cæteri in aliis: secundũ quod in hac vita summum bonũ & felicitatẽ posuerunt,vt verè de illis dici possit,quod Deus ait p Hieremiã,c.3.b.v.11.*Populo meum, qui te beatum*

*beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Et certè si cum ratione philosophari velimus, reperiemus tam ex parte rerum, quàm ex parte hominum nullam fœlicitatem perfectam hic reperiri posse, quandiu hisce fluctibus vitæ circumagimur. Nam ex parte rerum nihil in suo eodemq; statu & perfectione perseuerare potest, quod sufficiens sit ad fœlicitatem: siquidem, si credamus Aristoteli lib. 9. Ethico ad Nicoma. c. 9 & lib 10. c. 6. fœlices sunt sibi per se sufficientes. Quia & Philo Iudæus li. Quòd deterius potiori insidietur, ait fœlicitatem in externis vel corporis, vel animæ seorsim bonis non debere examinari: hæc enim singula velut partes aliquæ & elementa sunt, sed in omnium simul congerie. Nullaque reperietur huiusmodi res in hac vita, quæ sola sufficiat, siue sit virtus, siue animi præstantia, vel iis alia maiora. Nam & omnium bonorum externorum indigni sumus aliquo modo, neque ea etiam sine bonis animæ sufficiunt, nec vtraque sine Deo. vti his enim oportet: vti autem vel frui non possumus, nisi viuamus, & à Deo vita permittatur. Dehinc cùm fœlicitas sit summum aliquid ac præstantissimum in rerum natura, vt scribit Aristoteles 1. Ethic ad Eudemum, non potest dari in rerum natura aliquid præstantissimum per se. singula namque ratione indigentiæ, nobis sunt præstantissima, & indigentia cessante non ita pretiosa. Postremò deficiunt ipsæ res, atque mutationibus variantur, & secum trahunt vsum diuersum, commodum vel incommodum pro temporum & circumstantiarum varietate. Id inter homines obseruare licet, qui quidem & iis quæ bona sunt aliquibus ratione vsus proprii, alterato vsu & immutato prauè & malè vtuntur: quod alienum est à fœlicitatis natura, qua, veluti in bonitatis gradu stabili consistente, malè quis affici nequit, nec malè vti. Quibus & voluntatis mutabilitas addi potest, qua quod semel placuit, statim displicere potest: quódue iucundum, pulchrum, & ita bonum videtur. paulò pòst fastidio & saturitate odiosum est, vel contemptibile, & contrà contemptibile priùs, cùm egemus eo, desiderabile: idque tamdiu locum habet, quamdiu voluntatis arbitrio vtimur, id est, quamdiu viuimus. Est enim voluntas mutabilis vsque ad vltimum vitæ spiritum, & ideo ambulatoria dicta, id est gradu mutabilis, vt scribit Vlpian. in l. quòd si iterum, l. 4. de adimen. leg. lib. 34. ff. tit. 4. cum similib. à glo. notatis. Quamobrem nec in vita hac quamdiu in

ea quis peregrinatur, dici beatus quisquam debet: qui enim nunc talis est & postea infœlix esse potest, quod & quidam antiquorum dixerunt. Quòd si amitti vita beata potest, vita certè beata non est: quia ea amitti non potest. Et qui fidit bonis suis in hac vita, perpetuo in timore versatur, ne ea amittat: & ita timet ne quando miser sit. Timor autem impedit beatam vitam, cùm ea ab omni animi anxietate libera sit: aliter enim vera fœlicitas non esset, si miseriam timoris immixtam haberet. Et ita Cicero concludit 2. 53. definibus vitam beatam esse in perpetuitate temporis & per consequens non nisi post hanc vitam contingere, & ea absoluta. Et Ouidius libr. 3 Metamorph. fab. 2. quæ Actæonis in ceruum mutati.

——— *Vltima semper*
*Expectanda dies homini est, dicique beatus*
*Ante obitum nemo supremaque funera debet.*

Quam Ausonius sententiam Athenienſi Soloni tribuit, & alii etiam. Rabini pari modo in Midras Theilim in interpreta. Pſal. ſup Pſal. apud Hebr. 16. ſcribunt, *Deus ſanctus benedictus non vocat iuſtos ſanctos donec tradantur, nempe vſq; ad diem mortis eorũ. Quare? quia fomes prauus formatur in homine in mundo iſto, & non eſt ſecurus de ipſo vſquo ad diem mortis ſuæ. Propterea dixit Salomon, quoniam nõ eſt homo iuſtus ſuper terram. Nam & Patriarchæ non ſunt vocati ſancti donec traditi ſunt terræ, ſicut dictum eſt, Ecce in ſanctis eius non confidit. Quando igitur confidit in eis in tali hora, æqualis fuit illa qua dixit Moſe, Vade & deſcende ad ſeniores Iſrael: Reſpondit Moſe, memento Abrahæ, Iſaac, & Iacob ſeruorum tuorum. Dixit Rabi Pinehas, ſi poſtulaſſent patres dari eis habitationem ſupernam, vtiq; impetraſſent, & nihilominùs non ſunt vocati ſancti, donec traditi ſunt terræ, & velo fuerit cooperta facies eorum. Rabi Ababar Papa, quid ſibi ſult quod ſcriptum eſt, & traxit robuſtos in fortitudine ſua, hic eſt fomes prauus robuſtos in fortitudine ſua, hoc eſt, generationem Enos generationem diluuii, generationem diuiſionis, id eſt, turris Babylonis & generationem Sodomorũ.* Qui voluerit Hebraica legere, videat Auguſtinum Iuſtiniannum in Octaplo Pſalt. ſuper Pſal. 5. ſecundùm Latinos. Adde ex Euripide in Troadib. act. 2. v. 272. Hecubẽ ita dicentẽ.

——— τῶν δ' ὀλβίων
Μηδένα νομίζετ' ὀυτυχεῖν πρὶν ἂν θάνῃ,
*Beatorum ex numero nullũ dicatis, priuſquam deceſſerit.*

Etiam

Et in Hippolyto actu 4. ver. 207 sic inducitur Chorus,

Οὐκ οἶδ' ὅπως εἴπιμ' ἄν δ' τυχεῖν τινὰ
Θνητῶν: τὰ γὰρ δὴ πρώτ' ἀνέστραπται πάλιν, id est,

*Nescio an vere possum quenquam beatum dicere*
*Mortalium. Nam prima rursus retrò versa sunt.*

Sed expressius in Iphigenia in Aulide act. 1. vers. 160. Agamemnon

Θνητῶν δ' ὀλβίῳ εἰς τέλος οὐδεὶς, οὐδ' εὐδαίμων,
Οὔπω γ' ἔφυ τις ἄλυπος. id est,

*Nemo mortalium perpetuò est felix neque beatus,*
*Quippe nullus natus ita vt omni careat molestia.*

Hisque similia alii dixerunt, quæ breuitati studens prætermitto. Annotandaque tria existimo, quæ fœlicitatem perfectam reddere dicuntur,

1 Bonorum omnium aggregatio sine alicuius vel modici mali mixtione.

2 Quòd illa aggregatio sit firma & stabilis, neque pereat vel minuatur.

3 Quòd illa aggregatio aliud non requirat, nec timore ablationis concutiatur.

Quæ tria Pindarus concluſit paucis ode 7. Nemeorum, antistro 3. ver. 2.

Ἀλλὰ γὰρ ἀναπαυσις
Ἐν παντὶ γλυκεῖα ἔργῳ. κόρον δ' ἔχει
Καὶ μέλι, καὶ τὰ τέρπν' ἄνθ' ἀφροδίσια
Φυᾷ δ' ἑκάστῳ διαφέρο-
μεν βιοτάν, λάχονλες
Ὁ μὲν τὰ, τὰ δ' ἄλλοι τύχειν δ' ἓν' ἀδυνάτων
Εὐδαιμονίαν ἅπα-
σαν αἰεὶ λέλμμεν. σὺν ἔχω
Ἐπεῖν τίνι τέτο μοῖρα τέλος ἔμπεδον.
Ὤρεξε. id est,

*Sed requies dulcis in omni opere, satietatem q; habet*
*Et mel, & dulces flores Veneres.*
*Indole autem & naturali propensione singuli*
*Differentem habentes vitam, sortiti*
*Alius hac, alius illa. Vnum tamen impossibile est esse, cui contingant*
*Fœlicitatem vni——*
*——uersam adipisci nec possum*

*Dicere, cuinam Parca hanc perfectionem stabilem Prabuerit.*

Illaque tria in Deo solo, vt scribit Dionysius Cartusianus in Commenta. sup. c. 1. Epist. ad Ephes. Quare quia non possunt inueniri in rebus huius seculi, nec in vita hac mortali, necesse est vt ad aliud quippiã fœlicitas referatur, id autem nihil potest esse aliud præter Deum ipsum, in quo eiusque fruitione est vera & perfecta beatitudo. Siquidem cùm ipse sit fons omnium particularium bonitatum, & rerum omnium supereſſentia & supercaussa, illo potiti, & per cõsequens reliquorum potiemur bonitate. Et quia in hoc seculo non nisi per speculum, & veluti in ænigmate cognoscimus Deum vel fruimur Dei bonitate, post mortem autem facie ad faciem eum prospecturi, & visuri, sicuti est, vt scribit D. Paulus 1. Cor. c. 13. D. ver. 12. Et 1. Ioan. 3. a. ver. 2 Sic & beatitudo illa non nisi pro parte nobis nunc innotescit, vel communicatur, futuri plenè beati & fœlices cùm per vitæ theatrum optimè Dei voluntati inseruientes, & personas nobis commissas vel modum viuendi selectum, probè agentes, ad metam vsque infracti, alacres & perseuerantes peruenerimus. Et Aristot. lib 10. Ethic. c. 8 cùm de fœlicitate loquitur, beatitudinem præcellentem ponit in deorum (vt ipse vocat idola) vita. *quia omnis rerum vita*, inquit, *in contemplatione consistit.* Homines autem ideo esse beatos participatione & similitudine contemplationis: animalia autem nunquam neque participatione vt homines, neque vita perfecta, vt Deum. Atque meta illa, ad quam cursum dirigimus vel dirigere debemus est vita illa æterna, in qua nullum inerit malum, sed omnia iucunda & æterna. absterget enim in die illa Deus omnem lachrymam ab oculis fœlicium, & mors non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra. Iesaiæ c. 25. c. ver. 8, Apocal. c. 7. d. ver. 17. & c. 21. b. ver. 4. vita æterna est Dei cognitio & intellectus, D. Ioan. Euang. c. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM.* Est enim Deus essentialis bonitas, aliæ autem res participatiuè, ab eo creatæ: quare & ad eum omnia etiam naturaliter redire cupiunt, tanquam ad finem, qui bonus est. Quia & alias, omnia ex puncto ad punctum naturaliter redeunt, nec antè quàm redierint vnde orta sint, quiescunt, & per consequens nec antea bono finis potiuntur. Ex mari oriuntur omnia flumina, & ad illud rursum continuo motu redeunt:

redeunt: oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur ibique renascens gyrat per Meridiem, & flectitur in Aquilonem, Ecclesiast. c.1. b. vers. 5. Semina in semina tandem redeunt; nam ex semine, planta vel arbor, ex his fructus: sed tandem ex fructibus semen tantum superstes. homo à puero incipiens repuerascit vltima senectute: anima à *Deo* creata pura, & immortalis in hac mortalitate ad immortalitatem peruenire omnibus quibus modis potest, properat. Et videmus omnia opera hominum siue sapientium, siue insipientium eò naturaliter dirigi. Interrogetur auarus cur tot diuitias cumulet, cur sumptuosas ædes excitat, cur tam ampla ædificia construat, miles cur in acie perire properat, artifices cur tam elaboratè operantur, quin & iuuenes cur tantum intumescunt: respondebunt vnanimes cum sapientibus & scribentibus, vt rumorem de se latiùs & perenniùs extendant sui, atque vt aliquando posteri de his loquantur. Sunt enim hæc omnia igniculi & testes immortalitatis, cùm etiam nobis viuentibus illam nobis aliquo modo acquirere studeamus: est enim species immortalitatis rumor & fama de nobis etiam absentibus concepta. Quod enim est mors in memoria & recordatione eorum, illud est absentia in absentium rumore & fama. Omnia quidem à Deo mortalia & immortalia creata sint, sed alia mediatè, alia immediatè: quæ mediatè, ad media sua principia reuertuntur naturaliter, & appetunt suum principium, vt terrena terram, ignea sursum tendunt, & sic de similibus: sic & quæ immediatè sine medio finem desiderant, vt anima ad Deũ tendens, fœlicitatem in eo habet. Et sicut vnum est principium omnium sine principio, nempe Deus, oportet autem necessariò vnum esse eundem, & esse vnicũ finem ad quem omnia recurrant. Et Auicenna lib. 9. suæ Metaphysic. c. 9. dicit, fœlicitatem esse cognitionem primæ veritatis, & coniunctionem cum ipsa veritate, quæ est Deus. Galenus autem Pergamenus Tomo 2. lib. de cuiusque animi peccato. notitia. fœlicitatis humanæ principatum in finis contemplatione poni scripsit: vt non abs re in ipso inuestigando incubuerint antiqui. Sicuti & nouimus falsum de cuiusque vitæ fine opinionem, multorum peccatorum originem & fontem esse. Ex ea enim tanquam ex radice quadam singula peccata exoriuntur. Potest tamen aliquis de vitæ fine rectè sentiens in aliquo particulari consecutionem aberrare. Hæc Galenus. Erratur quippe facilè in bonis quæ ad finem

nem ducunt, & si non erretur in finali. multi enim sunt, & ferè omnes Christiani Iudæique qui veram futuram fœlicitatem *Dei* visionem sciant & sperent: vt norunt, summũ malum, eius priuationem. Sed in via quæ ducit ad illum finem, facilimè aberrant. Lata enim est via, quæ ducit ad perditionem; stricta & angusta, quæ ducit ad vitam. Multi per primam, pauci per angustam intrant, vt scribit D. Matthæus c 7 b. ver. 13. & 14. & docet Vergilius in litera Pythag. & nos alibi. Porrò quia finis in beatitudine spectatur, nihil quod hìc nobis contingat ante finem, beatos reddit. Siquidem vt scribit D. Chrysostom. tomo 5 Epistol. 6. ad Theodorum monachum, non est profectò theatralibus scenis præsens vita dissimilis. Nam vt illic illa imperatoris, hic iudicis, alter & militis implet officium: vbi autem consecuta nox fuerit, nec imperator agnoscitur imperator, nec iudex qui fuerit iudex videtur, nec miles postea qui priùs miles: ita vnusquisque nostrùm in illius seculi die, non personis, sed rebus atque actibus competentem accipiet dignitatem. Quibus alibi plura addit legenda, per quæ sigillatim in rebus & bonis humanis, & in hac vita probat non esse fœlicitatem, quia & bona hæc temporalia ordinata sunt ad finale bonum, vt probant Theologi apud Magistrum Sententia. libr. 3. dist. 28. Persequitur perdoctè & abundè singula bona temporalia cum demonstratione quòd in his non sit beatitudo hominis. Bernard. de Bustis in 2. par Rosar. serm. 31. parte 1. à litera b. vsque ad literam k. Et Philippus Beroaldus opusculo de fœlici. sed sacræ literæ firmiùs Ideo beatitudo quæ omnium bonorum basis est & fundamentum, necessariò in Psalmis proposita est, pro coronis eius athletas ad victoriam præparans & imitans, vt notat *D.* Chrysostomus tomo 1. Homil. in Psalm. 1. Coronæ autem non dantur nisi post victoriam, victoria autem non contingit nisi peracta vita: nam hominis vita tota est militia super terram, vt ait Iob c. 7. a. ver. 1. Et multum quidem grauis ac periculosa militia, propter hostes qui vbique & magna sedulitate nos obseruant. Cùm sit, vt scribit D. Paulus ad Eph. c. 6 b. ver. 12. nobis colluctatio non solùm aduersus carnem & sanguinem, sed & aduersus principes & potestates, aduersus tenebrarum harum mundi rectores, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Ideo dixit Deus Psalm. 1. vers. 1. ***Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum:*** abiit in præterito, non abit in præsenti, quia vt scribit

scribit D. Basilius Magnus homilia in eum Psalmum, ὁ μὴ ἐν τῷ βίῳ τυγχάνων, ὅπω μακαρίζεσθαι τὸ ἄδηλον τῆς ἐκβάσεως, ὁ δὲ συμπληρώσας τὸ ἐπιβάλλον, καὶ ἀνυπόρρητῳ τέλει τὴν ζωὴν κατακλείσας ἤδη ἀσφαλῶς μακαρίζεται, id est, *Nondum ille qui in vita est, beatificatus est ob exitum incertum: sed qui quæ accidunt, implenerit, vitamq; certo fine clauserit, hic iam beatus rectè dici potest.* Nec te hic ab hac sententia deturbet, quòd ferè infinitis in locis sacræ paginæ, beati plures dicuntur, vt *Beati pauperes spiritu, beati qui persecutionem patiuntur ob iustitiã &c. Beatus es Simon Barjona. Beatus vir qui timet Dominum, & huiusmodi.* Nam hæc quidem nempe timor filialis Dei mandatorum, obseruatio Dei, & similia quæ fidei sunt, beatos faciunt, sed non beatitudinem in hoc seculo conferunt, sed in aliam vitam fœlicitatem retribuunt: cùm enim quis purè vixit, & secundùm Dei voluntatem mortuusq; eo in statu est, & in Dei aula admittitur. Et vt verbis Lucani lib. 9. vtar.

*——illic postquam se lumine vero*
*Implevit, stellasq; vagas miratur, & astra*
*Fixa polo vidit, quanta sub nocte lateret*
*Nostra dies, lusitq; sui ludibria trunci.*

Et quia tres vitæ status ante vitæ veræ quietem sunt, sic & tres gradus sunt, quibus perficitur beatitudo. Primus huius corruptibilis vitæ tempus est, in quo anima cum corpore degit simul. Et hîc fit fœlicitatis gradus, iaciturq; perfectionis nostri respectu quodammodo fundamentũ: prout enim quisq; egit in corpore siue bonum siue malum, hôc, recipit. Et sunt qui fœlicitatem hîc incipiunt vt sancti viri, qui Dei contemplatione inebriati, ad diuinam vsque caliginis inaccessibilem fœlicitatem & lucem viui aliquo modo pertingunt, radiosque quosdam excipiunt: veluti quidam impii, hîc mortem & damnationem æternam recipere & degustare incipiunt, furiisque iam viui in corpore agitantur, dæmonum potestati ob pertinaciam & obduratum cor mancipati, hicque gradus morte finitur corporali. Post quem sequitur secundus fœlicitatis aut infœlicitatis gradus. post solutionẽ namq; corporis & animæ, quam mortem dicimus corporalem, anima sola, conuerso in puluerẽ corpore, & in gremio magnę matris terræ qescẽte, si bona gessit propiùs ad summũ bonũ accedens, Deum, si digna

si digna sit paradiso, omni macula, purgatione mundata, fœlicitate sua magis illustratur. *Dico* purgatione facta, hoc enim omnibus necessarium est præcedere. Nam anima quantumuis bonis operibus plena, quia singulis momentis labilis est, semper nescio quid maculosum defert, quòd si non eliueretur, impediret summum bonum, quod nullum malum vel minimum recipit: quia non esset summū bonum, vel fœlicitas, si aliquid mali inesset. Neque etiam quicquam tam mundum habita ratione Dei & illius summi boni est, quod non egeat purgatione dum *Deo* præsentatur, & ad eius propiorem famulatum asciscitur, & ex consortio carnis nuper assumitur. Notum enim in coniunctione carnis, quæ ex propagine parentis peccatrix est, animam puram & sine peccato à Deo in corpus missam, contagione quadam affici, & egere regeneratione spirituali, nempe sacramento verè certè sacramento admirabili Baptismi, quo anima aspersione aquæ, Spiritu sancto operante per applicationem meriti & efficaciæ redemptionis & pretii exsoluti à Domino nostro IESV CHRISTO in cruce tempore suæ passionis, eluitur ab hac macula originali: post quam eluitionem voluit idem Dominus Deus CHRISTVS, non quidem vestigium cicatricis remanere, neque morbi vel modicam scintillam, sed infirmitatem virium ad bonū, ne homo si illa infirmitate liberatus fuisset omnino, tanti & immensi beneficii obliuisceretur, in Deumque iterum grauius admitteret. Voluit & Deus in eius rei memoriam corpus in quo peccauerat Adam, & post Adamum posteri, in terram resolui, vt quodammodo oculis superstitū, quotidie appareret, illam terram à *Deo* virgine & sine peccato acceptam & in hominem formatam, in tantum fuisse peccato coinquinatam, vt quodammodo oportuerit resolui in puluerem hominum fœtus, vt id quod ægritudinem & infirmitatem peccati detinet, per dissolutionem dissiparetur & in virginem rediret puluerem, & corpus vt fuerat à *Deo* purum creatum, relicta veluti scoria, & exuuiis antiquitatis intra terram, resurgeret, vt etiam ideo necessarium adhuc sit scoriam & illam terram, vt ita dicam, peccato maculatā à corporibus sepultis ante conspectum Dei expiari, & per illud generale incendium, quo terra ab omnibus inquinamentis & maculis purgabitur. Quo tempore & maculæ omnes cum damnatis: & cum igne ipso infecto ex tanta putredine abominationis, in stagno abyssi parato diabolo & angelis

angelis eius, concludentur, à quo Deus opt. Maximus, bonus & misericors sua immensa pietate nos conseruare dignetur. Amen.

Purgata igitur anima & in sodalitium beatorum recepta iam fœlicitatis secundus perfectus est gradus. Deinceps aduenict tertius cùm corpus ex terra, etiam passionibus corporeis ex peccato susceptis purgatum, virtute passionis Domini nostri IESV CHRISTI, & eius resurrectionis, suo pristino nitori restituetur, & immortalitati animæ iunctum, & ipsum post resurrectionem immortale erit purum virginitatis & innocentiæ quæ ei erat ante peccatum particeps, imò tantò perfectionis maioris, quantò qui restituit meliori eum beneficio cum restitutione prioris donauit, dum dixit, *Pater volo, vt quos dedisti mihi, sint vbi sum ego, vt videant claritatem meã* D Ioan. Euange. c. 17. d. ver. 24. Et rursum, *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Lucæ 22. c. ver. 29. 30. Antea namque in loco voluptatis & loco paradisi erat homo, eoque terreno, nunc autem Dei gratia & ingenti ineffabilique bonitate & liberalitate, proprium Dei consortium assequi potest: factus enim est filius Dei homo, vt homines veluti agricola surculos, Deitati insereret. Ipse enim id ipsum declarauit, *Ego sum vitis vera, vos palmites, pater autem meus agricola, si in me manseritis, fructum afferetis.* Euang. D. Ioan. c. 15. a. vers. 1. hac in parte perfecta fœlicitas: nihil enim aliud melius, nec perfectius desiderare possumus, non frui meliori. In hac nulla mala voluntas, nullum malum, quia nemo illud gaudium auferet à nobis. Euang. D. Ioan. c. 16. c. ver. 22. Et malum est priuatio: ibi autem cùm nullus boni sit finis, sed æternitas, non erit priuatio. Tuncque quia nihil contingere poterit melius, non simpliciter dicetur bonum, sed summum bonum. Et vt ait Dauid Psalm. 132 a. ver. 1. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Quamobrem & scholastici cum Petro Lombardo 49. d. lib. 4. Senten. patrum, litera e. maiorem dicunt beatitudinem post iudicium fore. & resurrectionem sanctorum, quia maius erit gaudium, gaudente anima & corpore, quàm dum gaudet anima sola. Et D Hieronymus in c. 6. Oseæ super illa verba, *viuificauit nos post tres dies.* scribit, peracto iudicio Deum electis suis ampliorem claritatem demonstraturum. Et Theophilactus Archiepiscopus Bulgariæ sup.

cap. 1. Euang. D. Ioan. in verba, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri: non sufficere custodiam puritatis* inquit, *sed & multo studio esse opus, vt imago adoptionis in filium Dei figurata in baptismate, incontaminata seruetur: quia quamuis in baptismate adoptionis beneficium accipiamus, tamen perfectam in resurrectione accepturi sumus, & securam adoptionem: sicut & Paulus inquit ad Galat. 4. quia adoptionem filiorū accepimus. Quapropter & hic Euangelista non dixit quotquot receperunt, fecit eos filios Dei sed dedit eis potestatem filios Dei fieri, hoc est, dedit eis, vt in futuro seculo gratiam illam suscipiant.* Hactenus Theophylac. Demonstrat etiam idem D. Aurelius Augustinus lib 22 de ciuita. Dei, vbi de æterna fœlicitate cap. 30. & tract. 23 in Ioan. Euang, & alibi hominem tantùm à Deo ipso beatificari. Hominem porrò creatum ad beatitudinem illam consequendam, à Deo, apertè demonstrat appetitus naturalis eius hominis summi boni, homini quasi connatus. Nam, vt scribit Aristoteles, omnia naturaliter illud desiderare, 1. Ethic. ad Nicom. c. 1. Rhet. 3. Topic. 4. Metaphys. sic Paulus clamat ad Philip. c. 1. *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo:* 2. ad Corinth. 5. *nam in hoc ingemiscimus* Et cùm omnia suum finem appetant, naturaliter Aristoteles 2. 58. Physic. & homo fœlicitatem illā, tanquam finem, appetit. Quo loco illud non erit alienum à Christiano homine, considerare animam esse hominis immortalem in corpore corruptibili: & ideo morte ab eo corpore animam soluendam. Quamobrem nec in hac vita finem suum hominem posse assequi, vel perfectionem naturalem, sicuti animalia & reliquæ res, quæ cum corpore omnino intereunt: quæ quidem suam perfectionem præscriptam hîc consequitur, & finem vltimum, veluti natura ignis sursum, terra deorsum tendit. planta & vile oluscul um ex terra proprium & perfectum suscipit incrementum, messis tempore formica sibi parat victum, fabricat domunculas artificiosè apis, telas, aranea, hirundo nidum natura propria. porrò homo suum finem & incrementum & actiones corporeas etiam natura consequitur: at quia non ibi quiescit homo, sed parte immortali aliud recipit quàm corpus, & quia corpus propter animam non recipit homo perfectionem, nisi ad vltimum peruenerit portum, vt ad perfectionis periodum, scilicet Deum. Etenim quamdiu quidem viuit, ad illū properat, sed non assequitur finaliter, quamuis hic illo fruatur in Eucharistia: quia tamen illum amit-

amittit delinquendo perfectè eum semper non consequitur, id est, non habet inseparabiliter & tranquillè. Quamobrem mors expectatur, quæ vltima, in qua anima hæret perfectè Deo: quando futurum est, vt nemo gaudium nostrum auferat à nobis, vt dominus noster IESVS CHRISTVS dicebat in Euang. D. Ioan. c. 16. e. & Apocal. 22. Pendet itaque hæc felicitas, non tantum ab anima, quantum à fine, in quo quiescit, nempe à Deo. Quamobrem & optimè Aristoteles dixit lib. 10. Ethic. ad Nicomachum, fœlicitatis vitam superare vitam hominis. Et rursum in 1. Ethic. *Si*, inquit, *& aliquid aliud est Deorum* (vt ipse idololatra loquitur) *est numinis, consentaneum est rationi, & fœlicitatem à Diis* (vt loquitur) *ipsis dari.*

*De Grato.*

## CAP. XVI.

CONstat, gratum esse, inter bona numerandum iam ex eo quòd gratus dicatur qui beneficia rependit, non habita accepti ratione, sed personæ. Sic Cicero 2 de finibus, *Tollitur beneficium, tollitur gratia, tolluntur concordiæ vinculæ.* Et lib. 2. de inuentio. vbi agit de generali constitutione, gratiam ponit in memoria & remuneratione officiorum, honorum, & amicitiarum. Et paulò pòst, in voluntate remunerationis horum, atque beneficium & remunerationem magis ponit quàm in rei antidoro, *Non is*, inquit, *solùm gratus debet esse, qui accepit beneficium, verùm etiam is cui potestas accipiendi fuit, neq; etiam qui minus reddit, gratus: sed qui potiùs cùm non est reddere, animum gratum & gratias referentem, & retribuendi voluntatem si posset, habet.* Nam non idem contingit in beneficio ac in mutuo reddendo: siquidem vt idem scribit Cicero Orat. 28. ad Quirites post reditum, *In officio persoluendo, dissimilis ratio pecuniæ debitæ est, propterea quòd pecuniam qui retinet, non dissoluit: qui reddit, non habet gratiam autem & qui retulit, habet, & qui dissoluit, habet.* Eadem fere Seneca lib. de Benefic. vbi addit, *Non est*, inquit, *beneficium id quod sub oculos cadit, sed beneficij vestigium, & nota: est enim beneficium, benevola actio tribuens gaudium, capiensq; tribuendo, in id quod facit prona & sponte sua parata. Itaq; non quid fiat, nec quid detur, refert, sed qua mente: quia beneficium non in eo qd fit aut datur consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Magnum verò inter ista discrimen vel ex hoc intelligas licet, quòd*

*beneficium bonum sit: id autem quod fit, vel datur, nec bonum vel malum est.* Hæc & alia plura ibi Seneca, bonum beneficium & repensionem eius indicans, ratione animi: quia & gratia magis animi intentione consistit, quàm rerũ consideratione: vt etiam non qui plures victimas Deo offert, sed qui meliori animo, maiores obtulisse dicebatur. Ideo & etiam gratiæ dicuntur sacerdotia concessa clericis ex bona voluntate, & benefica concessione summi Pontificis nõ ob recepta in clericis munera vel dona: sed potiùs in remunerationem studiorum. Et ita accipitur in c. gratiæ, c. 4. apud Clem. de rescript. lib. 1. Clement. tit. 2. & apud Bonifa. VIII in c. gratia, c. 7. de rescrip. lib 1 Sexti. tit. 3. Quamuis aliàs gratia & gratiosa concessio Pontificis etiam dicatur dispensatio rigoris iuris, propter aliquam caussam: vt etiam vtimur verbo gratiæ pro causa, vt cùm dicimus gratia alicuius aliquid factũ, hoc est propter caussam aliquam. Et ita intelligitur c. si gratiosè, c. 5 eod. tit. in 6. de rescrip. Porrò vt apertè & facilè de gratia quis loquatur, in summa tres gradus eius annotet & triplicem nominis distinctionem. Primò enim gratia pro amicitia accipitur. sic Iulius Cæsar lib. Bell. ciuil. *Lentulus*, inquit, *senatus Reiq; publicæ se non defuturum polliceretur, si audacter ac fortiter sententias dicere velint: sin Cæsarem respiciat atq; eius gratiam sequatur.* Et Plinius lib. 28. histo. natu. c. 8. *Magorum vanitas, peruncti is eo adipe leonu, faciliorem gratiam apud Reges populósue promittit.* Sic inire gratiam, & redire in gratiam, apud Cic. sæpe & apud alios latinitatis authores & in sacris scripturis, inuenire gratiam pro dilectione & amore.

2. Gratia accipitur pro doni largitione gratis facta, nullis meritis recipientis præcedentibus, qualia quæ Deus nobis sua misericordia elargitur, veluti essentia, redemptio, & dona gratiarum reliqua: item quæ quis alicui donat, nullo beneficio antea prædonatus ab eodem. Ex *Deo* nobis omnia bona, vt apud *D* Iacobum cap. 1 scribitur. Hæcque gratia gratis data à Deo, vel est simplex in suo nomine, vel gratum etiam cùm qui accipit, Deo reddens. Quæ gratis data est, gratia potest esse in recipiente ob datum, is tamen ingratus esse poterit Deo. Verùm gratia bona non respectu recipientis, sed elargientis, & intuitu alterius: veluti donum & gratia linguarum, prophetiæ, scientiæ, miraculorum, & huiusmodi, non per se gratum *Deo* reddunt hominem habentem, cùm is qui hæc habet, possit esse in pec-

cato

cato mortali, Dei tamen dona sunt & aliis proficientia, inutilia & mala abutenti & ingrato, vt scribit *D.* Paulus 1. ad Corinth. 3 toto ferè cap. Quæ autem gratum facit *Deo*, gratia alia est. vt Charitas quæ hominem cum *Deo* coniungit, & similia. Et hæc interdum gratia dicitur perficiens, aliquando incipiens, aliàs consummata. Imperfecta & perficiens est, quæ in hoc seculo à *Deo* conceditur, quæ amitti & augeri potest. Consummata est vita æterna, quæ amitti nequit. sic D. Paulus ad Roma. c. 6 d vers. 23. *Gratia*, inquit, *Dei vita aterna, in CHRISTO IESV Domino nostro:* quod de perfecta dictum est, sicut de imperfecta D. Ioan. Apocal. c. 3. c. vers. 11. *Ecce venio citò, tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

3. Gratia sumitur pro repensione beneficii & gratitudine: sic dicimus gratias agi. id est rependi. De his qui plura desiderauerit, videat *D.* Thomam 3. part. 2 quæst. 110. & quæst. 111. Rursum ex his gratiis Dei quædam dicuntur operantes, & præcedentes hominis voluntatem, quædam cooperantes & subsequentes. Operans gratia præparat hominis voluntatem, vt velit bonum: cooperans autem adiuuat ne frustra velit. vnde D. Augustinus ait lib de Gratia & libe. arbit. quòd cooperando *Deus* in nobis perficit qd operando incepit. bona autem voluntas comitatur gratiam, non gratia voluntatem: gratia autem quæ præuenit voluntatem, est fides cum dilectione. Iustificati enim ex fide gratis. Sic enim scribit *D.* Paulus ad Ephes. c. 2. b. vers. 4. & sequentib. *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in CHRISTO, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in CHRISTO IESV, vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos, in CHRISTO IESV. Gratia enim estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, nō ex operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in his ambulemus.* Præueniens gratia dicitur, quando homo per alia distractus, monetur à Deo vt de salute sua cogitet. hæc semper nos pulsat & vellicat: *Ego nanq;*, inquit Deus, *sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipse mecum*, vt ait *D.* Ioannes Apocal. c. 3. d vers. 20. Deus enim cùm bonus sit, & ipse essentialis bonitas, neminem perire vult, sed eadem di-

lectione & gratia qua absque meritis nostris, nobis esse, & nobile rationabile esse dedit, vult & illud conseruare: aliter bonus non esset. hoc enim bonum est acceptum coram saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, vt scribit *D.* Paulus 1. ad Timoth. c 2. a. vers. 3. & 4. Non enim inferior Deus est suis creaturis bonitate, quæ bonis & malis gratiam beneficiorum largiuntur, quorum curam distribuendi à Deo receperunt. Vt perpetuò Sol bonis & malis illucescit, & quatuor anni tempora vtrisque producunt & fouent semina, vtrisque terra gremii sui fœcunditatem exhibet, cœlum omnibus æquè pluuias & reliqua sua distribuit, aer, aqua, & ignis omnibus exponuntur fruenda. Sed quia homo pro *Dei* dignitate, & veluti artificis liberi imago, vt digna esset tanto artifice, sui arbitrii facta est, is interdum renuit aditū voluntatis suæ Deo aperire: renuit *Dei* voluntatem sequi, & sua voluntate (quam non cogi Deus pro dignitate opificii liberi à sua omnipotentia voluit) vt qui in manibus sui consilii derelictus est, aliquid conferret beatitudini, gloriæ, & ita cooperaretur voluntati Dei se tanto priuat bono, & suo arbitrio abusus, in mortis æternæ detruditur abyssum. Non secus quàm si quis solis radiis venientibus fenestras claudit: aut voluntaria fame, recusatis præsentibus cibis & commodis se enecat. In quibus nemo mente compos, Solis, non terræ, non ciborum reprehenderit bonitatem, sed nolentis indignitatem & miseriam. Inuito enim beneficium non datur. Quamobrem diuina sapientia Prouerbio c. 1 c. ver. 22. & sequent. conqueritur de hominum improbitate,

22 *Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam?*

23 *Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum & ostendam vobis verba mea.*

24 *Quia vocaui & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.*

25 *Despexistis omne consilium meum, & omnes increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo & subsannabo, cùm vobis id quod timebatur, aduenerit.*

Sic etiam per Isaiã c. 63. v. vers. 11. ait Dominus, *Numerabo vos in gladio, & omnes in cade corruetis, pro eo quòd vocaui, & nō respondistis mihi: locutus sum, & non audistis:* & fa-

*& faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegistis.* Huc etiam pertinet illa parabola regni cœlorum, qua simile dicitur nuptiis, ad quas pater fam. Deus omnigeneris homines vocauit per seruos suos, scilicet per Prophetas, Euangelistas, & alios, & per ipsas etiam creaturas irrationales; ipsi autem noluerunt venire, sed indignos ita se reddiderunt, & ad vnum vsque deiecti, id est, sunt damnati, Matth. c. 22. a. b. & Lucæ 14. Quibus plura addere possemus, ni breuitatis instituti prohiberet: verùm tamen si quis hac de re tractationem latiorem expostulet, videat Petrum Lombardum lib. 2. Senten. Patrum, distinct. tota 26. & ibi. scholast. Bea. Thomam Bonauenturam & alios. Cogam autem quæ dixi in pauca, vt

| | | | |
|---|---|---|---|
| Gratia sit vel | 1 Amicitia<br>2 Doni largitio gratis facta.<br>3 Beneficii repensio. | Ingratitudo contrà. | non respondere amicitiæ nec redamare.<br>Contemptus beneficii,<br>Nulla repensio eius. |

Sic enim Speusippus libr. de Definitio. Platoni. *Gratia*, inquit, *est voluntaria beneficentia, redditio boni obsequij in tempore oportuno.* In vtraque gratia bonum, in ingratitudine malum. Bonum in gratia, quia semper ea sese multiplicat & auget, vel saltem semper permanet. Nam, vt ait Martialis lib. 5. Epigramma. amicis esse donandum,

*Extra fortunam est quicquid donatur amicis:*
*Quas dederis, solas semper habebis opes.*

Ex prima alia sequitur, deinde ex secunda tertia: nam ex amicitia donum, ex beneficio repensio, ex repensione firmior amicitia. Sic enim tres Gratiæ colliguntur, vt non immeritò antiqui prouerbio dixerint, χαρις χαριν τικτει, *gratia gratiam parit.* Tres etiam Gratiæ effictæ virgines pictæ, sese mutuis brachijs colligantes, duabus vnam versus partem in extremitatibus vultum vertentibus, vna media contrario vultu. Quarum scio aliorum alias interpretationes: mea autem est, primam quæ αὐγλα dicitur quasi αὐγλη splendor amicitiam veram & apparentem significare, quæue non potest se comprimere, quin velut ignis operiens erumpat, cùm amoris vis sit ignea. Docet id Se-

neca poëta ferè tota Tragœ. 4. quæ Hippolytus inscribitur, Virgilius Eglo. 2. *Me tamen vrit amor.* Et alibi, *ardebat Alexim* Item 4. Æneid. cùm amorem Didonis exprimit, vel vri, vel ardere infœlicem Didonem ait. Ouidius id sæpe repetit. Et Cretenses teste Strabone lib. 10. Geograph. Φιλήτορα, id est, ardentem amorem vocabant: atq; id ipsum reliqui tam Græci quàm Latini authores fatentur. Porrò cùm amor sit affectus, ex affectu generatur habitus, & ita amicitia, ex amicitia beneuolentia, ex beneuolentia beneficium: & sic amor bonorum causa est, & amicitia erit tantùm bonorum. Nam cùm fiat habitus ex electione amati, iucundum & bonum est id quod eligitur. Semper & propriè amicitia dicitur eorum quæ bona sunt, vt doctè probat pluribus in locis Aristoteles, sed potissimùm Ethic. ad Nicomach. lib. 8 c. 5 & lib. 7. Ethic. ad Eudemum. ideo finxerunt prisci, omnia ex amoris vel amicitiæ mixtione nata, vt Hesiodus in Theogonia: quem refert Aristoteles Metaphysic. libr 1. cap. 4. Plato libr. 25. in Conuiuio. Sic & Lucretius Carus lib. 1. de Rer. natu. etiam omnia quodam amore, vel naturali conuentione & sympathia generari scribit sub nomine Veneris, statim à principio libri.

*Æneadum genitrix, hominum Diuúmq; voluptas,*
*Alma Venus cœli subterlabentia signa,*
*Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes*
*Concelebras, per te quoniam genus omne animantum*
*Concipitur, visitq; exortum lumina Solis.*

& paulò pòst,

*Omnibus incutiens blandum per pectora amorem*
*Efficis vt cupidè generatim secla propagent.*
*Quæ quoniam rerum natura sola gubernas,*
*Nec sine te quicquam dias in luminis oras*
*Exoritur, neq; fit latum, nec amabile quicquam, &c.*

Et Pindarus Ode 14.
Olymp. circa principium.

Ω λιπαρᾶς ἀοιδίμοι βασίλειαι
Χάριτες ὀρχομενοῦ
Παλαιγόνων Μινύαν ἐπίσκοποι
Κλύτ' ἐπεὶ ἔγχομαι.
Σιὼ γὰρ ὑμῖν τὰ τερπνὰ καὶ τὰ γλυκέα

Γίνα-

Γίνατερ πάντῶ βροτοῖς,
Εἰ σοφὸς, εἰ καλὸς, εἴ τις ἀγλαὸς
Ανὴρ. ἔτε γὰρ θεοὶ
Σεμναῖ χαρίτων ἄτερ
Κοιρανέουσι χορῶν
Οὔτε δαῖτας. ἀλλὰ πάντων
Ταμίαι ἔργων ἐν ἐρανῷ,
Χρυσόλοξον θέμεναι
Παρὰ πύθιον ἀπόλλωνα θρόνες
Αἴναον σέβουσι πατρὸς
Ολυμπίοιο τιμάν.
Πότνι ἀγλαΐα, φιλησίμολπε
Ε' ὖ φροσυνα, θεῶν κρατίστα παῖδες
Επάκουσι νῦν, Θαλία τε ἐ-
ρασίμολπε.

*O pinguis Orchomeni regina*
*Celebres Charites*
*Antiquorum Minyorum præsides,*
*Audite, quoniam preces fundo.*
*Vobiscum enim delectabilia & dulcia*
*Ex stunt omnia mortalibus.*
*Si sapiens, si pulcher si splendidus*
*Sit vir. Neque enim Dii putati,*
*Sine Venerabilibus charitibus*
*Regunt choros,*
*Neque convivia. sed omnium*
*Dispensatrices operum, in cælo*
*Positæ iuxta aureum arcum*
*Tenentem Apollinem Pythium,*
*Sempiternum colunt patris*
*Olympii honorem*
*Veneranda Aglaia, hymnorumq;*
*Amans Euphrosyna, Deorum habitorum*
*Potentissimi filiæ audite, nunc*
*Et tu Thalia cantus studiosa.*

Sunt his similia pleraque quibus ex dilectione, beneficia hominibus & rebus oriri, constat. Statim namque vna posita Charitarum, aliæ sequi debent. Amor enim nec inuti-

lisnec otiosus esse potest, quin statim ad ἀφροσύνην, id est, ad hilaritatem largitionis non perueniat, eo quod, non tam munus, quàm animi largientis hilaritas consideretur nam ea absente veluti si coacte fit vel ad cauponandam amicitiam, id est, si eo animo detur, vt aliud extorqueatur ab accipiente, id plane gratia non est, sed prorsus nundinatio, & inescatio hominum, prorsus liberali homine indigna. Citetur hic locuples testis Cicero 1. Offic. asserens in collocando beneficio, & in referenda gratia, hoc maximè officij esse, vt quisque opis maximè indigeat, ita ei potissimum opitulari, quod contra fit à plerisque, à quo enim plurimum sperant, etiam si illi iis non egent, tamen eis potissimum inseruiunt. Dehinc delectus habendus acceptorum: & in primis quo quisque studio vel beneuolentia fecerit ponderandum: cum multi multa faciant, extra gratiam veram, vel temeritate quadam vel repentino impetu, siue iudicio, vel modo, veluti vento incitati: vt non immerito Metrodorus dixerit, solum sapientem gratiam conferre. & refert. vt notauit etiam Seneca lib. 11. epistolo. epist. 82 Nam & beneficia pro dignitate sunt rependenda, non habita rei ratione solum, sed eius quod conducit & honestati & vtilitati, vt scribit Aristoteles lib. 9. Ethic. ad Nicomach. c. 2. tunc enim est gratiæ retributio, non simplex retaliatio quæ & mali potest esse, gratia nunquam. Sic libidines, luxuria, fornicationes, vsuræ, quæ aliud respiciunt quam liberalitatem, gratię amicitiæue non sunt, sed intemperantiæ, cauponationes, & hominum sordes. cum vera amicitia constet animis, non aliorum consideratione vel iniuitu, vt scribit Vlpianus in l. 3 de donatio. int. vir. & vxo. libr. 24. π. tit. 1. Confirmat id vltima Thalia, quæ dicitur περὶ τὸ θαλλόμενον, quod fructum ex liberalitate receptum indicat. nempe beneficiũ amicorum affectum floridum & gratum. Datio igitur & repensio, nota gratiarum, animi hilaritas, gratiarum vis. & Aristoteles, libr. rhetor. 1 ad Theod. beneficium tam conferre quam accipere, ex iucundis dixit esse: nam qui recipit, quod cupit adipiscitur: qui autem confert, habet abundatque his quæ vterque appetit. Verum quoniam bene mereri iucundum est, idcirco subuenire quoque propinquis, & manca supplere suaue hominibus est. Siquidem (vt ait Plutarchus lib. cum princib. maxime philosophandum, hilarem esse & gaudere in cõferendo beneficium, id & maius est & pulchrius. quapropter multi sæpe pudore suffunduntur, cum beneficij

neficium accipiunt, semper autē gaudent cum beneficium præstant & id naturaliter annotauimus accidere, malos vix aut ægre beneficia largiri, bonos autē facile Retinent. n. boni quodammodo naturæ vniversalis præstantiam, vt benefaciant sponte & beneficiis nō prouocati. Et notat Aristot. 9. Ethic. ad Nicom. c 8. improbos tantum sui gratia omnia agere, & tanto magis, quanto peior est: probus contra, qui ratione amici. & sua negligit. Porro his nominib. Etheocles Boetiorū rex, primus gratiis humana hostia sacrificauit: Lacedæmones autē, qui duas tantū gratias coluerūt, aliis nominib eas nominarunt, sed eodē sensu Clitan & Phænam appellantes cōuenientib. quoq; gratiis iis appellationibus, ac si diceres exoptatā, & conspicuā. Athenienses autē dixerunt Ango & Hegemonē, id est, auctricē & ductricē, vel imperatricem. & tertiā Thaloten, quasi germinatricē Qui vnā tantū tati hanc Vulcani, id est, ignitæ & amicæ voluntatis vxorem, dicunt. vt scribit Pausanias lib. 9. siue de Bœoticis. omnia tamen nomina illarum, qualiacunque sint, semper hominis naturam bonam ostendere comperies. Quia vt scribit Max. Tyrius, sermo 36. apud homines, amicitiæ & gratiæ nomine, quibusdam q; aliis vocabulis humanitatem & beneuoletiam denotantibus, significatur id quod fas. & Themis apud superos dicitur. Ideo filias Iouis, quem falso putarunt Deum, dixerunt antiqui, atque virgines puras & incorruptas à maloq; alienas, vt scribit Phur. libr. de nat. Deor. nempe falsorū, & alij. Docet & nos natura inanimatorum quorundā aliis benefacere, esse bonū quod per mutuam concordiā colligata & cōmunicatis vtrinq; propriis, sese mutuo fouent & tuentur. Motum cœlum inferioribus communicat: cœlum Christallinum, contra motus rapidi incendium, aquam refrigerantē confert, harmonia quadā qualitatum: peragrationes Solis & Lunæ Planetæ temperant. Luna à Sole radios accipit, rependit postea vim, & humiditate deinceps fœtus solatur terræ, contra Solis ardore noctu. Elemēta sibi inuicem colligātur & cōmunicant: æther igneus, aëri: aër, aquæ: aqua, terræ: & mutuis gratificationib nūc sursum, nūc deorsum, cōiuantur, omnia terrā iuuant, vt magnū vterū orbis. In eā Sol agit partes viri, mulieris Luna, semē illa vtriusq; recipit & fouet, cōcipit, parit, alit. Iuuant stellæ & astra, non secus quàm in corpore humano, quæ in eo sunt omnia mutuo communicantur, spiritus, calor, & sanguis, idque per media organa & aliis modis.

dis. Et compatiuntur sibi inuicem membra, vt capite dolente languent reliqua: vt vel digito affecto flet oculus, dolet mens, pallet facies, desés corpus, & simile simili substantiæ condolet. in animalibus brutis scarus piscis, scarum è nassa cauda effugere nitentem, morsu iuuat, vt scribit Plinius lib. 32. histo. natur. c. 2. Sunt amicitiæ & publicæ societates Delphinorum, & semper paruos aliquis grandior comitatur, vt custos, vt idem refert Plinius lib. 9. c. 9. Et plura alia huiusmodi ex eodem & Aristotelis libris de animalibus & ex Ælíano de natura animalium colliguntur. Cæterum quemadmodum hæc ad opem naturalem præstandam adiunt, sic statim & alia ad rependendum prompta sunt. Connexæ enim (vt diximus) inuicem sibi sunt gratiæ, & simul ambulant percipientes ex se vtilitates mutuas & ita conuinctæ naturæ lege immobili, vt ait Philo Iudæus li. 2. de vita Mosis. Sic terra aquam quam à cœlo suscipit ad solis petitionem restituit aëri: aër rursus in terram refundit. & sic de similibus. Atque animalia etiam gratitudinem tum sibi mutuo: tum hominibus rependunt quã possunt, vt de officiis illorum mutuis insigne & tritum exemplum Ciconiarum, quæ fessos duces ad terga recipiunt, mutua carne vescuntur, inter se genitricum senectam inuicem educant, vt scribit Plinius lib. 10. c. 23. & Aristoteles li. 9. de hist. animal. ca. 13. qui & Meropes aues eadem facere scribit vicemque reddere: vt non modo senescentes parentes, verum etiam statim cum iam datur facultas, alantur opera liberorum: nec patrem aut matrem exire, sed in cubili manentes pasci opera eorum & labore quos ipsi genuerunt, enutrierunt & educarunt. Et eadem de Merope tradit Plinius. li. 10. histo natur. c. 33. de vtrisque & Ælianus & Oppianus lib. de animal. Scribit etiam Plinius li. 10. c. 36. & 37. auem dictam Tinnunculum amari præcipuè à columbis, quod ea naturali potentia quadam, defendat istas terrendo accipitres, qui latentes columbis insidiantur. Sed & erga homines feras etiam magis truces, gratitudinem quandam memorant exhibuisse, & quotidie experientia docemur. Canis amat benefactorum domos, atque veluti alimenta domino rependens. pro eius bonis conseruandis inuigilat, & die noctuque agit excubias. Narrant enim quidam authores admiranda de eorum gratitudine, vt tradit Appia. Alexandrinus Sophista, circa finem lib. Syriaci belli Lysimacho interfecto, canem eius domesticum corpus humi stratum, plurimum

mum contendentem atque decertantem ab auibus feriſq; illæſum præſtitiſſe, quoad Phorax quidam Pharſalicus, inuentum ſepulchro condidit. Varia alia exempla de canum gratitudine erga benefactores refert Plinius lib. 8. hiſtor. c. 40 ſertur & Draconē dilecte à Thoante nutritum, & propter magnitudinem, in ſolitudines ſyluarum Achaiæ emiſſum, cum vocem Thoantis capti & clamantis, in iiſdem ſolitudinibus agnouiſſet, in auxilium currentem liberaſſe. Plinius li. 8. 17. Ferunt Pantheram quandam cuius catuli in foueam lapſi erant, Philenem quodammodo ad educendos adegiſſe, & deinceps gratitudinis memorem, eum per ſyluarum deſerta loca ſaluum comitaſſe Plinius vbi ſup. Refert & Plinius alibi, c. 16. li. 9. gratitudinem Leonis erga Helpidem Samium, eumque à leone venationibus nutritum, eo quòd ei os ob ore ademerat. Refert & Gellius li. 5. cap. 14. gratitudinem Leonis erga Androdum, quòd ſurculum ex pede eius extraxiſſet. Sunt & huiuſmodi exempla gratitudinis ſimilia, vt de Aquila erga nutrientem apud Plinium lib. 10 cap. 5. deque cicuribus feris erga nutritores Athenienſes abeuntes ad nouas quærendas ſedes apud Plutarchum in vita Themiſto. Leo etiam ſe D. Hieronymo & eius fratribus connixit, inſeruiens, quod ſpinis in pede fixis fuerit liberatus. Legitur & in vitis Patrum Leænam gratitudinis memorem, quod catuli cæci ad D. Macharium adducti ſigno crucis curati eſſent, omnes pelles ouium quas antea in prædam rapuerat, ſancto viro Machario detuliſſe in remunerationem. Scribit & Albertus Magnus, tracta. de virtut. politi. c. de gratitud. elephantem ſequi velut dominum eum, qui illum in foueam cadentem liberauerit Ex quibus, naturam ipſam etiam, ſine monitu rationis, nos impellere ad referendam gratiam, conſtat: vt veriſſimum ſit quod iuriſconſulti ſcribunt, natura ad Antidota ſeu ad remunerationem teneri, vt apud Vlpianum in l. ſed & ſi lege, l. 18. § conſuluit, de petit. hæred. li 5. ff tit. 3 qui beneficium acceperint non tantum rerum corporalium, ſed etiam ſpiritualium vt de remuneratione etiam meminit Papinianus pro doctrina à præceptore impenſa. in l. Attilius Regulus l. 27. de donatio. li. 39. ff. tit. 5. Accipienda vero eſt ſecundum geometricam conſiderationem gratitudo hæc naturalis, vt quibus benefacere non poſſumus, ſaltem gratum animum de acceptis beneficiis habeamus. Et ita illud verum eſt gratitudine conſeruari concordiam generis humani apud

ni apud Senecam, lib. 4 de benefic. & Ciceronem, 2. de finibus. Vnde & meritò antiqui gratias Dei donum dicentes obscurè videntur filias Iouis dixisse, vt scribunt Phurnutus & alij. & in consilio Lateranensi legitur inter officia charitatis esse, vt illis prius teneamur obnoxij, à quibus maius nos nosscimus beneficium susscepisse. in can. cum in cūctis, c 7. de testam. li. 3. Decret. Greg. tit 26. Porrò malum maximum bono huic ingratitudo opponitur, in qua nihil mali non inest, vt scribit Cicero. lib. 8. ad Atticum, epist. 14 *cum*, inquit, Pro Plancio *nihil est tam inhumanum, tam ferum, quàm committere vt beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare*. Expressit & Demosthenes oratio. in Leptinem, οἱ μὲν inquit, *ἀνάξιον τινὰ πεμῶντες δωρεᾶς τινὰ δόξαν ἀμεμβόμενοι κακίας*. id est, *qui indignum aliquē honore efficiunt, simplicitatis ac stultitiæ opinionem aliquam subeunt: qui verò de se bene meritis paria non referūt, malitiæ*. Philo Iudæus vocat lib de charitate ingratitudinem, omnium vitiorum matrem. Et Valer. Maximus lib. 5. c. 2. in princi. gratos laudem, ingratos reprehensionem mereri scribit. & ibi toto c. 2. de grat. vt in c. 3. de ingra. Apud Actium Plautum, comœdia 8. in Epidico act. 1. vers. 33. Epidicus,

*Hercle miserum est ingratum esse hominem, id quod facias bene*. Et rursum in Persis Comæ. 16. act. 5. scena 1. Toxilus seruus sic loquitur versu 12.

—— *improbus est homo, qui beneficium*
*Scit sumere, & reddere nescit*. Et iterum comæd. 9. in Bacchid sce. 2. vers. 10.

*Nam pol quidē meo animo ingrato homine nihil impēsius est,*
*Malefactorem amittis satius, quàm relinqui beneficium.*
*Nimio præstat impendiosum te quàm ingratum dicier:*
*Illum laudabunt boni, hunc etiam ipsi culpabunt mali,*

Scribit Valer. Maximus, lib. 5. c 3. in exemplo Phocionis Athenis aduersus ingratos actionem constitutam esse, & rectè: quia dandi & accipiendi beneficij commercium (sine quo vix vita hominum constat) perdit & tollit quisquis benemerito referre gratiam negligit. Et Xenophon refert lib. 1. Cyriped. Persas maximè causam in ingratos agere, & sæuissimè in eosdē animaduertere. Quòd ingratos existiment & Deos, & parentes, & amicos, & patriam mirū in mo-

in modum negligere. Ingratitudinem enim impudentia sequitur, quæ ad omnem turpitudinem dux est. Salomon etiam, Sapientiæ 16. D. 19. *ingrati*, inquit, *fides tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperibit, tanquam aqua supernatans.* Et D. Paul. cum de temporibus periculosis loquitur 2. ad Tim. 3. a. ver. 2. *Erunt* inquit, *homines tunc seipsos amantes, cupidi, elati, blasphemi, superbi, parentibus non obedientes, ingrati, sc. Deo*, Pynd. quoque odiosam ingratitudinem Deo, atque ab eo vindicatam supplicio Ixionis indicat, ode 2. Epod. 1. ver. 9. in Pythijs.

Θεῶν δ' ἐφετμαῖσιν, inquit,
Ἰξίονα φαντὶ ταῦτα,
Βροτοῖς λέγειν, ἐν πτερόεντι τρόχῳ
Πάντα κυλινδόμενον,
Τὸν δ' ὀργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς
Ἐπιχομένους πνέοθαι. id est,
*Deorum (scilicet falsorum)*
*Mandatis Ixionem aiunt hæc*
*Mortalibus dicere, dum in alta rota*
*Circumquaque volutatur,*
*Benefactorem placidis remunerationibus*
*Excipientes persoluere,*
*Scilicet gratiam.*

Vates quidam, Pythius, de templo suo expulit eum, qui amico opem non tulerat, vt scribit Arius in Enchiri. Eucteti. Demonstrat id etiam Æsopus, fab. 1. cùm concludit, ingratũ etiam si non puniatur ab hominibus, à Deo tamẽ puniri: apologo Aquilæ & vulpis. Cùm enim hæc animalia inter se amicitiã iissent, accidit Aquilã pullos vulpis deuorasse cõtra amicitiã, existimans vulpẽ ab ea se vlcisci non posse, accidisse tamen, vt cum aquila ex ara quadam partem victimæ rapiens in nidum secum etiam carbones deferens, nidum cum pullis incendisset, pullos incendio nidi in terram lapsos, à vulpe comestos. D. Chrysostomus homil. 23. in Matth. ex c. 7. Matthe. loquens de his qui prophetarunt signaúe fecerunt, & tamen Dei volũtati obstiterunt, scribit, Dominum nostrũ IESVM CHRISTVM responsurũ, *non noui vos*, ijs qui præ admiratione dicent: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? Quid

sibi vult

sibi vult iste finis malus, nusquam à nobis præuisus? sed, inquit Chryso. *Mirentur illi, qui cum tot signa fecerunt, puniuntur. Non mireris tu, nihil omnino. quippe gratia donum est solummodo largientis: illi autem nihil ei de proprio attulerunt, propter quod etiam indignis dona conferret, ingrati existere maluerunt, tantorumque maleficiorum prorsus immemores.* Malum etiam ingratitudinis paucis, sed notabilibus verbis perstringit D. Bernardus, serm. de septem panibus siue de septem miseric. *Peremptoria*, inquit, *res est ingratitudo, hostis gratiæ inimica salutis.* Et alibi super cantica *sicuti*, inquit, *boni per contumelias meliores existunt: ita semper reprobi, de beneficio peiores fiunt.* Deinde serm. *35. gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit, nec modo nihil augetur ingrato. sed quod accepit, vertitur ei in perniciem.* Sed & malum ingratitudinem esse docet, quod gratia benefacientium ingratitudine remittitur, vel tollitur. Et non solum in ingratos, sed & in reliquos quos beneficij tales fore putat. Et hinc tota rerum concordia, & hominum societas liberalitásve labefactata est, vel sublata. Potes & addere ambitionem & superbiam, ex quorum radice manat ingratitudo, dum quis putat debitum quod benefice concessum, & suis meritis non gratitudini grati adscribit. Quamobrem (ne longius progrediar) ingratitudinem vitium esse & malum satis ex superioribus mihi constare videtur. Porrò illa tanto pernitiosior, quo maiora quis beneficia consecutus est, nam eo maiori subiacet culpæ, si multò beneficiorum aceruo victus in ingratitudine perseuerauerit. Ideo & à Deo locupletes quoque, quia nulla copia facti sunt meliores, multo magis quam pauperes punientur, vt docet D. Chrysostomus, Tomo 2. homil. *53.* in Matth. ca. 15. & tanto iniustiorem & magis ingratum dicit etiam Socrates apud Xenophontem, 2. lib. de dict. Socra. quanto maiora sunt beneficia accepta. Et quemadmodum tres gratiæ ponitę sunt, sic etiam tres species ingratorum opponuntur. Sunt enim ingrati qui reddunt quidem beneficium, sed non grato animo, vtpote si quis timore vel coacte, vel nundinationis causa, reddat. Nam ingratum, inquit Seneca, 4. de benefic. voco quisquis metu gratus est. Alij sunt ingrati, qui nec grato sunt animo, nec beneficium rependunt, sed illud deuorantes, datoris obliuiscuntur. tales certè similes sunt porcis, qui glandes auide deuorant, nec arbores vnde decidunt suspiciunt. Et hi peiores superioribus. Alij denique sunt ingrati-

gratissimi, qui & beneficia libenter accipiunt, obliuiscunturque datoris & vltro malum pro bono accepto; reperdunt in eis viperis, quas ferunt post conceptum & dum venerem expleuerint cum maribus, illis capita abscindere. Diuus Augustinus etiam in Psalm. 108. & in cano. sex differentiæ 23. q 3. in 2. par. Decre. Gratia. ponit sex retributionum differentias, in quibus mala sunt quædam. nempe reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis, quæ bonorum sunt, & prius melius. Item non reddere bona pro bonis, & reddere mala pro bonis, quæ duo mala sunt, sed posterius deterius. Et reddere bona pro bonis, & pro malis mala, quæ duo mediocria sunt, sed propinquum primum bonis conuenit etiam aliud malis. Quare autem mala hæc maiora inter se, nemo est qui ex superioribus non nouerit: nempe quod plura bona & gratiæ, plus tolluntur. Philo autem Iudæus lib. de sacrif. Abel. triplici alio modo peccari ingratitudine ait, quod alij beneficiorum obliuione gratias non referant, alij per arrogantiam seipsos authores beneficiorum putant, alii quidem deo vel alijs mediatè referunt, sed suo merito id cõsequi putant. Grauius medij peccant, leuius vltimi, cum gratus animus alienus tab arrogantia, vt idem scribit alibi lib. de charitate. Nec erit infrugiferum annotasse hæc, ob legum censuram quæ in ingratos merito infertur, quæ ingratitudo tola plectitur, leuiter interdum, & beneficium ab ingrato reuocatur: si insigne, illud interdum & reuocatur & punitur. Quanquam mouerim Senecam libr. 2. de benefic. scribere non esse dandam actionem aduersus ingratos. *Iam*, inquit, *quia pauciores erunt ingrati, eo quod posthac cum delectu si non detur in eos actio, dabuntur beneficia.* Deinde quod non expediat notum fieri quàm multi ingrati sunt: pudorem enim tollit multitudo peccantium. Postremo quod satis sit illi supplicij publicum odium. Quæ tamen rationes, pace tanti viri, de tollenda ingratitudinis actione nullo modo legitimam dant causam. nam ferre ingratos, qui per se mali sunt. & ita obsunt societati hominum, cum terra homine ingrato peius non creet, & facere delectum eius cui largiendum esset, certè omnino & natura gratiæ, & bono ipsius pugnat. Siquidem gratia si meritũ alterius respiciat solum, gratia nõ est, sed debiti exiolutio. Deinde mala, vt ingratitudo, tolerandanec facienda sunt, vt inde eueniant mala, vt scribit D. Paulus Epistola. D. Pauli. Nam contra naturam id est bo-

ni, vt quis ex bono quod bonum producit solum per se cõsequens malum producat. Et contrà, vt mala arbor bonum germinet. Minúsque probat secunda ratio: nam si actio detur, & per consequens vindicetur ingratitudo, vtrũque tolletur, nempe & peccandi libertas, & vitium. Nec sufficit etiam odium publicum quod sine vindicta, quæ & alijs exemplo sit, ingratum castigare nequit. Non igitur, optimè admere videtur actionem Seneca, cuius sententiam pluribus improbare possem, sed sanctionum authoritate contẽtus, & earum quibusdam ex pluribus in medium adductis, satis ratum fore existimaui quæ forsan Seneca sub Nerone vtpote principis ingratissimi tempore, non probabat. iuris itaq; legibus reuocantur ab ingratis beneficia, veluti donationes apud Iustinia. Cæsarem, in l. fin. de reuocan. donat lib. 8. C. tit. 56. & apud Greg. 9. Pontif. in cap. fin. de donatio. li. 3. Decreta. tit. 24. § sancimus, de donatio, in Inst. ciuilib. lib. Reuocatur etiam beneficium libertatis à liberto, qui ob ingratitudinem in seruitutem retrahitur, vt scribit Iustinia. in § illud verò, tit. vt liberti. de cætero annulo non indig. aureo, in authen. collat. 6. tit. 6. Constantinus Cæsar in l. 2. de liber. & eor. lib. 6. C. tit. 7. cum similib. ibi nota. à glo. Sic Claudius Cæsar, ingratos libertinos, & de quibus quererentur patroni, in seruitutem reuocauit, vt scribit Suetonius in Claudiano. Similiter & filij extra manum patris missi, in potestatem patris propter ingratitudinem, indigni tanto libertatis beneficio, reuocabantur. ex lege Valentis Valentiniani & Gratiani imperatorum. in l. vni. de ingra. libe. lib. 8. C. tit. 50. Item & filij nothi, & ex illegitimò concubitu geniti, qui naturales dicuntur iuris interpretibus. legitimati, id est, natalibus restituti, in priorem statum ingratitudine reuocãtur, vt notat Iason legum inter. in l. ex hoc iure. de Iust. & iur. Sunt plures etiam alij casus apud iurisconsultos, quibus ingratitudine reuocantur beneficia, siue ab hominum voluntate, siue à lege concessa fuerint, veluti feudum, & legitimæ quartę, siue portionis quæ iure debentur naturali filijs: item alimenta, & hujusmodi quæ quotidie offeruntur iurisconsultis videnda, quorum quædam colligit Bened. Curtius Symphorianus. in commenta. in aresta amorum ( pudet doctum virum nænijs animum addixisse, sed ita res se habet) aresto 8.

*De honesto.* CAP. XVII.

HOnesta, bonorum numero adscribi debere, constat ex eo, quòd honesta omnia sunt, quibus turpia non sunt mixta: vt scribit Plato, libr. 17. in Protago. vel Sophista, & Galenus tom. 2. de curand. ani. morb. eum qui velit honestum esse, à se omnia peccata etiam prima & minima amandare & minimè agnoscere debere. Docet & Aristoteles libr. 2. magno. moral. c. 9 dicens honestum & bonum, esse perfectè probum. Et quia honesta, in virtute sunt, virtus autem bonum, & honesta bona erunt. Et Zeno honestum tantum esse vnum bonum, dixit & simplex, vt notat Cicero lib 1. Quæstio. Academi. Et idem Cicero vitam honestam, beatam vitam esse, nec sine ea esse & honestum bonum: nec laudabile sine honesto, nec beatum nec bonum sine laudabili, probat: lib. 3. de finib. bonor. item & 3. Offic. & latius in Paradoxo, ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν, *quod honestum solummodo bonum sit.* Hoc enim argumento probarunt sectatores Zenonis virtutes bonas esse. dicimus namq; honestum vnicè quidem, quod qui eo præditi sunt meritò omni laude dignos facit. Dicunt autem quod honestum sit id solum bonum esse, vt Heccato in 1. de bonis ait, & Chrisippus in lib. de honesto. Id autem esse veritatem, & quod sit virtutis particeps, cui æquale illud est bonum omne quod sit, id etiam honestum esse: honestum autem ac bonum tantundem valere, vt refert Diogenes Laertius libr. 7. de vita philo in Zenone. Sit autem probatio apertior argumentandi more.

1. Quod laudabile est. bonum est, vt supra docuimus in digno: honestum autem, laudabile, vt proxime declaravimus, & Aristoteles Rhet. ad Alexãd. honesta esse ait, ex quibus splendor aliquis arq; illustris honos, in eos qui aliquid gesserint emanaturus sit: Ergo honestum bonum.

2 Quodcunq; est per se appetibile, bonũ est, vt supra docuimus cum de appetibili diximus & desiderabili. Cæterũ honestũ desiderabile & appetibile est per se, idque ex communi philosophantium sententia, vt scribit Cicero 3. de Finib. Et quod lib. 5. de finib. adhuc expetendum sit etiam natura docet ex pueris, qui si quid bene gesserint quod alijs placeat, & si de his laudentur, exultant & lætitia afficiuntur, seque accusari nolunt, & si accusentur tristantur. Et alibi lib. 2. de Inuent. cum de expetendis

agit, quod totum aut aliqua ex parte propter se petitur, h onestum, inquit, nominabimus: Ergo honestum bonum.

Item honestum est vel lege vel natura, & quoque ratione popularis æstimationis vt scribit Aristoteles, Ethic. ad Nicomach. 1. c 3. ideo inter iuris præcepta ponitur, honeste viuere apud Vlpianum, in l. Iustitia, l. 10. §. iuris præcepta, de iust & iur. li. 1. ff. tit. 1. & Iustinianum in § iuris præcepta, de iust. & iur. li. 1 Instit. iur. ciuil. tit. 1. Cæterum quod vel à lege vel natura est, bonum censetur: quia illa ex iustitia, hæc ex essentia, originem habent, quæ bona diximus in æquali & essentia. Vtraque enim & lex & natura Dei dona sunt: donum autem Dei omne, bonum, quia Deus ipse fons boni. Ergo honestum bonum.

Possumus & addere honeste viuere, idem esse, ac cum virtute viuere, vt diximus: at virtus bonū: Ergo & honestū.

Vocat etiam filiam & donum Dei & eius sapientiæ honestatem, Salomon, Sapien. 7. b. ver. 11. dum ait se sapientiā à Deo postulasse, obtinuisseque, & cum illa sibi aduenisse innumerabilia bona & innumerabilem honestatem. Et alibi, c 8. Sapient. d vers. 18. *Et in amicitia illius sapientiæ delectatio bona & in operibus manuum illius honestas sine defectione.* Et expressius alibi, Eccles. c. 11. b. vers. 14. *Paupertas & honestas à Deo sunt.* Hac retenta probatione, quod honestum sit bonum, sequitur castum & pudicum esse bonum: quia illa honesta sunt, & ex virtute: sicut luxuria & impudicitia, veluti excessus omnis, vitia & mala. Merito igitur D. Augustinus, 2. de ciuita. cap. 26. *Tanta*, inquit, *est vis probitatis ac castitatis, vt omnis vel pene omnis, eius laude moueatur humana natura, nec vsque adeo sit turpitudine vitiosa, vt totum amittat sensum honestatis.* Proinde malignitas dæmonum, nisi se (quemadmodū in sacris legimus literis 2. Corinth. 11.) transfiguret in angelos lucis, non implet negotium deceptionis Nam vt scribit D. Cyrillus Ierosolimitanus, Catech. 12. illuminatorum. *Virginitatis & castitatis gloria, angelica est corona, & supra hominem hac perfectio. Parcamus corporibus; quæ debent lucere sicut sol: ne propter paruam voluptatem, tantum ac tale corpus polluamus.* Et rursum idem, eod. *Angeli sunt super terrum ambulantes, castitatis operatores. Cum enim Angeli boni sunt spiritus puritatis pleni, & ab illecebris corporeis alieni. Sic ab omni luxuriæ sunt prorsus alieni, incorruptam mentem seruantes, beatitudine iam radijs beatificati à Deo.* Et ex nobis

qui

qui digni habebuntur vita æterna & seculo futuro, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores. Neque vltra mori poterunt, æquales enim angelis erunt, & filij sunt Dei cum sint filij resurrectionis. Quæ verba Dominus noster IESVS CHRISTVS protulit: Matthæi c. 20. f. vers. 35. & 36. in quibus latent plures rationes castitatem bonum esse docentes. primo quia similes bonis reddit, & æquales nempe angelis. Secundo quia beatæ vitæ participes facit: tertio quia a Deo donum hoc licut & Salomon scribit Sapien. c. 8. d. ver. 21. *& scivi*, inquit, *quia aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* Et hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum. Iustinianus etiam Cæsar in § hæc autem de Deo amabilibus quomodo oportet. episc. in Authen. collat. 1. tit. 6. Castitatem primum principium & fundamentum manifestum, secundum divinas regulas, & reliquæ virtutis, constitutam dicit. Hoc antea Salomon. Eccles. c. 26. c. vers. 19. & 20. *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata, omnis autem ponderationem est digna continentis animæ.* Et rursus in cano. hoc solum. 33. q. 2. in 2 par. Decre. Dico quod quomodo virginitas absque cæteris operibus non saluat: sic omnia opera sine virginitate, puritate, castitate, continentia, iam perfecta sunt. Opponitur etiam castitati luxuria apud Iustinia. in §. fin. de restitut. & ea quæ par. in 11 mens. in Authen. collat. 3. tit. 6. Virginitati, castitatis nomen competere omnino per se constat, eo quod & omnino à Venere abstinet, quamuis interdum pollutione mentis: vtrumque nomen & virginitatis, & castitatis amittat. Cæterum nihil pertinet ad vos de his quæ intro sunt iudicare. sed quæ foris: est qui iudicet Deus. Virginem ideo castam dicit Paulus, 2. Corinth. 11. a. vers. 2. *Aemulor vos Dei aemulatione, despondi vos enim vni viro, virginem castam exhibere CHRISTO.* Porrò annotandum est (ne confundamus negotia) triplicem esse virtutem castitatis, vnam coniugalem, aliam viduitatis, aliam virginitatis: suisque professionibus ista conducunt, nec vnum alio proponimus gradum, vt alium excludamus, vt scribit D. Ambrosius lib. de viduis. Sunt namque triplices status solum hominum legitimi, nempe virginum, cœlibum, vel viduarum & coniugatorum. Priores duo Venere omnino abstinent, vltimus libenter ad prolem & remedium vtitur, extra hæc vitium & peccatum, & abusus. docet id abunde Bernardinus Scardeonus. li. 1 de castita. c. 1. Sic sola castitas

cum fiducia potest animas Deo præsentare, vt scribit Iustinianus in §. Iancimus de lenonibus in auten. collat. 3. tit. 1. Competere etiam viduis castitatem, docetur ex eo, quod Iudith. c. 15. c verſ. 2. populus ad Iudith. viduam dixit, *Confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris, ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum.* Et in vtroque statu & viduali & virginali esse castitatem scribūt canones. can. Nicena, 31 dist. in 1. par. Decre Bonifa. In nuptiis etiam inest castitas: & ita castas nuptias, quanuis secundo nubant mulieres, easq; legitimas vocat Iustinia. in § cum igitur de non elig. secu. nuben. in Authen. colla. 1. & 2. Et D. Paul. epist. ad Titum c. 2. a. ver. 4. 5. Et D. Paulus, *loquere ad anus, vt prudentiam doceant adolescentulas, vt viros suos ament filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, &c.* Et Horatius li 3. carmi. ode 24. ver. *21.*

*Dos est magna parentum*
*Virtus, & metuens alterius viri*
*Certo fœdere castitas.*

Nec mireris castitatem in commixtione matrimonij poni, quia & non commixtio sola vitiat veram virginitatem mentis, quamuis corpus à priore perfectione integritatis decidat, mentis defuerit consensus vt scribitur per totam quæst. 5. tertia tertiæ causæ in Decre. Grat. Omnes itaque hi gradus castitatis, boni sunt, & Deo amantissimi, cum vt scribit Tibullus 1. Epistolar. epist. *2 casta placeant superis.* Et innuit Virgilius, 3. Æneid dum ait,

*Hæc casti maneant in religione nepotes.*

Verùm & melius in his eligi potest. Nam vt scribit D. Martialis epist. ad Tholos. c 9. Non ideo prohibemus nubere legitimo connubio, cum hoc coniugium sit & honestū, & concessum & constitutum à Deo ab initio mundi in multiplicationem generis humani: vltra hunc autem gradum homini licitè concessum, viduitatem in præmio constituit. Sed & tertium excellentiorem gradum honestatis in virginitate demonstrauit nobis perfectum, & per omnia similem Angelicæ dignitati. Quapropter D. Paulus 1. ad Corinth. 7. b. verſ. 8. ait, *Dico autem non nuptis & viduis bonum est ipsis si sic permanserint vt ego.* & liter. c. verſ 28. *Si autem acceperis vxorem non peccasti, & si nupserit virgo non peccauit.* & lite. g. verſ. 38. *Igitur qui matrimonio iungit virginem*

*ginem suam, bene facit, & qui non iungit melius facit: quæ virgo & innupta cogitat quæ Dei sunt, nupta vero quomodo placeat viro* Quantum vero interſit inter amicitiam Dei & hominis, nemo eſt qui neſciat, infinite & ſine collatione Dei pluris facienda amicitiam, quàm omnium hominum, vel totius ipſius mundi. Nulla enim eſt collatio boni creati, ad increatum omnium authorem. Quemadmodum eligibilius eſt id quod totum eſt, ſupra id quod vix veſtigium partis habet totius. Sic D. Baſilius lib. de vera virginit. *Magnum quiddam* inquit, *& præclarum virginitas eſt, quæ hominem Deo ſimillimum reddit. Diuinum quiddam & præcipuum immaculata anima inſigne, virginitas.* Quia vt ſcribitur apud D. Matth. c. 19. d. verſ. 29. relinquenti propter nomen Domini, vel patrem vel matrem, vxorem vel liberos, retribuetur centuplum tantundem, & vita æterna. Huc pertinet parabola ſeminum, quę cadẽtia in terram bonam, dederunt, alia fructum centeſimum, alia ſexageſimum alia trigeſimum. Matth. 13. a. verſ. 8. Luc. 8 a. verſ. 8. Et Marc. 4. a. verſ. 8. Reddunt fructum trigeſimum coniugati, ſexageſimum viduæ, centeſimum virgines. Et virgines tantum, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, ſequuntur Agnum in cœlo, nempe Chriſtum Dominum noſtrum Apocal. cap. 14. a. verſ. 3. & 4. Videtur id expreſſiſſe Chorus vel melius Hippolytus apud Euripidem, in Hippol. act. 1. verſ. 7.

Χαῖρέ μοι Λατοῦς,
Ἄρτεμι, καὶ διὸς,
Καλλίστα πολὺ παρθένων
Αἳ μέγαν κατ' οὐρανὸν
Ναίετ' ἐπὶ πατρὸς αὐλὰς
Ζηνὸς πολύχρυσον οἶκον,

*Salue mihi filia Latonę,*
*Et Iouis Diana filia,*
*Pulchrior virginibus*
*Quæ magnum per cælum*
*Habitabis claram aulam*
*Iouis* (Dei putati) *auream domum.*

Sunt his plura ſimilia quæ omittuntur.

Quia verò verecũdia caſtis morib. perſeuerat, vt ſcribit Honorius Cæſar l. 1. de maiuma. li. 10. C. tit. 45. erit ipſa bonæ

cum etiam *Verecunde*, accipiatur pro honesto apud Vlpia. in l. dies cautioni. l 4. § prætor ait, de dam. infect. lib. 39. ff. tit. 2. dum ait, *verecunde prætorem* iubere aliquem obnoxium damno infecto, de domo sua extrahi. Apud Liuium quoque libr. 10. ab vrb. cond. olim ædificata fuit ara pudicitiæ à patritiis, & alia à plebeis mulieribus castis, quæ vni tantum nupsissent, quamuis postea fuerit vulgata vtraque & sacrificatum ibi etiam à pollutis mulieribus. Sequitur etiam speciem esse boni pudorem & verecundiam, quæ virginibus & adolescentibus conuenit, vt testis indolis bonæ. Nam in viris verecundia non proprie dicitur, sed gratitas viritasque, atque si mutatio adsit incongrua vultus, est potius timor, & pusillanimitas, quæ in vitia recidunt & malum. Laudatur autem in iuuene, quia cum perturbationibus ea ætas exponatur, ob inexperientiam rerum, bonum signum erubescentia est, quia ex eo constat illum facti pœnitere: In senibus turpe committere ea quæ pœnitentiam admittunt. Ideo & erubescere, & verecundari ob mala turpe: vt scribit Aristoteles 4. Ethic. ad Nicom. c. fin. & ita Plato li. 20. in Charmide vel de temperan. admonet decere adolescentem. pudorem. Et Demenetus senex apud Plautum in comœd. 2 quæ inscrib Asinaria act. 5. scena 1. vers. 6. *Decet*, inquit, *verecundum esse adolescentem*. Exactius Seneca, li. 7. Epistol epist. 11. & Terentius,

——*pudore & liberalitate pueros*
*Retinere satius esse credo, quam metu.*

Verecundia porrò tum maximè ex malis est, vel præsentibus, vel futuris, vel præteritis, cum putamus aliqua nobis esse dedecori vel ratione admissi, vel ratione eorum coram quibus adstamus: quamuis suspicio ea nō semper mala arguat esse quæ suspicantur talia, ostendat tamen nos talia existimare, vt declarat Aristoteles Rhetor. ad Theod. 2. li. c. 6. Hinc q; fit vt verecundia afficiantur sæpe iuuenes, quia propter dubium incerti iudicij, rerum, & negotiorum malorum & bonorum, leuiter putant se malè egisse, quamuis non male egerint Apparet autē statim in vultu verecūdia, quia sanguine habent callidiorē, & verecundis augetur insitus calor, dum primū initio sese recipit vniuersus: deinde postquā in alto corporis est collectus, & ex ipso inibi cōgestus, & ex assiduo motu incrementū capit. Nō. n. quiescit pudore affectorū spiritus, sed tū ab interno, tū circa se, vna

cum

cum toto sanguine variè circumagitur, vt notat Galenus lib. 2 de sanit. tuen. tomo 2. operum. In his igitur trepidantibus mutatur facies & rubet, & vox grauis fit velut timẽtibus acuta, quia vt inquit Aristoteles Problem. 4 sect. 11. prob. 52. & 53. metuentibus locus cordis refrigeratur, cùm calor deorsum se defert, ita quòd parum aeris exhalare possint, vires enim positæ in calore sunt. Trepidantibus autem loca petit superiora, vt etiã pudore affectis, effert ide sese ad faciem, cuius iudicium est quod plenius erubescunt, i. e. rubescut. Scribunt & etiam hęc Aul. Gell. lib. 19 Noct. Attic. c. 6. Macrob. Saturnal. lib. 7. c. 11. Addit & ipse ex Physicorũ schola, quòd natura pudore tacta, ita sanguinem ante se pro velamento tendat, vt videmus quemque erubescentem manum ante faciem sæpe sibi opponere. Erubescunt autem maximè pudefacti auribus: quia oculi refrigerantur eorum quos puduit: pudor enim in oculis est, nec respicere valent quos pudor tenet. Et timor quoque refrigeratio eiusdem loci est: calor autem in partem transit aduersam, quæ posterior est, aures verò satis ex aduerso positæ sunt: itaque pudore maximè erubescunt, vt scribit idem Aristoteles Problem. sect. 30. probl. 3. Et videmus pudentiũ oculos ferè clausos, vt etiam obseruauit Plutarchus de tuend. bona valetu. apud Menandrum, de adolescentibus quibus inter pocula leno tendit insidias formosis aliquot ac magnificis inductis meretricibus. qui, inquit, in sese quisque dimissis oculis arrodebant bellaria, non ausi in eas oculos deflectere. Quod etiam conuenit pudicis mulieribus, ne viros, inquam, directò inspiciant ex lege naturæ, vt monuit Hecuba in Tragœd. Hecub. act. 5. vers. 22. apud Euripidem.

. ἄλλως δ' αἶσχον πρὸς γέμω
Γυναῖκας ἀνδρῶν μὴ βλέπειν ἐναντίον, τ,
*Alioquin etiam causa (scilicet quòd te non afficiam)*
*& lex est,*
*Ne fœmina aduersa spectent viros.*

Idcirco eas manere domi pudicitiæ admonet & pudor: ne in conspectum virorum impudicè prodeant, vt etiam idem Euripides in Iphigenia & in Aulide act. 4. ver. 195. scribit. Loquente enim Clytemnestra ad Achillem de producenda cum pudore filia, Iphigenia. Sic respondit Achilles,

ACHIL. Μενέτω κατ' ὄικους, σεμνὰ γὰρ σεμνοῖσι πέλει,

CLIT. Ομῶς δ' ὅσον γε δυνατὸν, αἰδεῖσθαι χρεών,

id est,

ACHI. *Maneat domi, pudicam enim decet pudor.*

CLIT. *Verumtamen eam quatenus fieri potest, pudere oportet.*

Siquidem cùm pudor sit metus ignominiæ vt definisse Zenonem scribit Diogenes Laertius libr. 7. in Zenone, multò magis timere & pudere debent mulieres iuuenibus, quòd ob sexus fragilitatem, ignominiæ maximè exponi possint. Pudor enim est corporis potissimùm in rebus venereis & lasciuis, quæ motu quodam irrationali, etiam sapientes concitant, veluti & animalia his mouentur. Cæterùm pugnante ratione cum voluptate irrationali, agitantur spiritus, mouetur sanguis, & pudor erubescentia notatur, veluti contentionis interioris index certissimus. Qui & ideo insinuat rationem inesse verecundo, qua appetitus animales colliduntur vel expelluntur. Et ideo Iurisconsul. Vlpianus dixit, iustam litigandi fore causam, si quis pudorem suum purgauerit & ferendum esse. in l. quæ omnia. l. 25. §. 1. de procura. libr. 3. π. tit. 1. Scribit autem Dionysius Halicarnasseus de mulierum pudicitia in hunc modum, *De conseruando verò coniugio, & de uxorum pudicitia, neque magnum quid præscripserunt legibus antiqui, abstinentes à negotio difficillimo: alii neq; licentiam indulserunt rebus venereis, vt quidam barbari, neq; uxores incustoditas reliquerunt, vt Lacedamonij: sed multas leges composuerunt conseruatrices earum modestiæ: nec defuerunt qui magistratus constituerunt, penes quos esset cura honestatis mulierum Non tamen per eos satis perspectum est huic negotio, sed leuius quàm vt cohiberi possit natura pronior ad nequitiam* Pudicitia propriè ponitur in mente quæ metu peccandi trepidans foràs pellit indicem pudorem, pudicitia præcipua, violato corpore si incorrupta sit mens, non perditur. can de pudicitia, cano. proposito, can. ad Deum, cum sequentib. 32. q. 5. in 2 part. Decre. Gratia Et bonum verecundiam esse illa probant. Sed adhuc vltra docet, quòd ex hac peccati pondus graue cognoscatur, qua notione à peccando rursum deterremur. Sic enim dicebat Seneca poëta Tragœd. 4. in Hippol. act. 1. scena 2. vers. 16.

*Obstare primum est velle, nec labi via,*
*Pudor est secundus nosse peccandi modum.*

Et Epi-

Et Epicurus hunc pudorem veluti testem & emendatorem cogitatorum etiam agnouit, vt scribit Seneca Philosophus libr. 1. Epist. epist 1. Vtitur namque pudore animus, veluti freno auriga, vt à turpibus nos reuocet. & ad bona deflectat. Nemo enim benefecisse existimans, à bono erubuit. Et Plato libr. 31. dialog. 5 de repub. pudorem & metum in ciuitate bonum maximum ostendit, vtpote qui propter ignominiam imminentem, & maiorum reuerentiam, & à malo & cædibus deterreat, prohibeátve. Et *D.* Chrysostomus in opere vt vocant imperf. concio 1. de Lazaro initium esse dixit salutis optimæque mutationis, si quem penitus sui pudeat, si quis prorsus damnet ea quæ fiunt. Ex hoc pudore, cùm etiam sit admissorum conscientia, salubris illa pœnitentia nascitur, admonens suo dolore, in posterum esse ab iisdem, pro quibus erubescimus, abstinendum, minuiturque ea pœna peccati, & ad peccandum fit in posterum cautior, vt scribitur in cano. quamuis, de pœnit. dist. 1. in 2. part. Decre. Grat Sic etiam scribit Phallaris Cleistheni epist. 92. *αἰσχυνόμενος γὰρ ὅτι τοῖς πρώτοις ἐφημάρτοις οὐκ ἂν ὅτι τοῖς αὐτοῖς ἁλισκήσοιο ἁμαρτάνων*, id est, *qui priorum dictorum pœnituit: nunquam in eisdem capietur peccatis*. Quæ duo bona sunt, nam mederi malo bonum esse diximus, & euitare malum, bonũ est. Et hæc ab authoribus & rationibus probantur, tum à satisfactione, quæ ex pœnitentia oritur, tum à contritione, pœna, cautione, & huiusmodi in totis distinctio. de pœnit. sed potissimùm in 3. tota distinct. de pœniten. in Decr. Grat. part. 2. Ex scriptis patrum, *D* Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii, Cypriani. & aliorum qui de pœnitentia libros composuerunt. Et ab Scholasticis super quartũ Sententiarum dist 15. & 16. & 20. vbi multa D. Thomas. Bonauentura, Scotus, Ricardus, & alii adferunt, Hebræi pœnitentiã absolutè bonum dicunt etiam, vt notatur in libro Midras Tehilim, id est, in conuent Psalm. sup. Psalm. 2. Hebræos 37. Latinos autem 36. super illa verba, spera in domino & fac bonitatem זאץ טוב אלא תשובה שב כלא תשאעין וקח מוב id est, *Non aliud bonum hoc loco significat, quàm pœnitentiã, sicuti dictum est, Ne imputes mihi iniquitatem*, sed accipe טוב bonitatem, id est bonum. Aliorũ autem sententias & doctorũ Christianorũ, vel Iudæorum, longum esset referre, neq; expedit. Sufficit namq; pro instituto, admonuisse bonum esse pœnitentiam,

1 Quia mali est remedium. } vt diximus
2 Quia ad bonum fit cautio. } proximè.
3 Quia sacramentum & donum Dei.

4 Quia Deum propitium reddit, & nos ipsi conciliat. Nam vt scribit D. Basilius Magnus Sermo. de pœnitent. Deus nunquam pœnitentes despexit, sed illis pepercit sicuti Niniuitis: quin & iratus in Ionam est. quod pœnitentes illos perire exposceret. Et dicitur à Deo Domino nostro IESV CHRISTO, num oculus tuus nequam, quia ego bonus sum? Pepercit & Achamo pœnitenti. & Dauidi postquam seipsum condemnasset ob adulterium vxoris Uriæ, dicens ad Nathan Prophetam, *D.*gnus est homo hic morte, & conuersus est ad pœnitentiæ pharmacum. Hoc remedio iuuatus Abraham, Moses, Phariſæus. Filius prodigus, prædicat *D.*Ioannes incredulis pœnitentiam, & Petrus etiam in Actis, & remedium & admissorum veniam, *Dei* gratiam pollicentur. *D.* Athanasius lib. de communi essentia Patris, & Filii, & Spiritus sancti, omne peccatum vera pœnitentia tolli posse, docet, etiam blasphemiam: quod & confirmat proprio sermone in illa verba Euangelii *quicunq; dixerit blasphemiam aduersus Spiritum sanctum, non remittetur ei.* Et *D.* Ambrosius lib. 1. de pœnitentia c. 1. & 2. & *D.* Cyprianus tracta. 1. cont. Demetrium, circa finem, & serm. 5. de lapsis atque *D* Irenæus lib 3. aduers. hæres. c. 37. Dei esse munus, & beneficio id fieri Dei probat. *Adam seductus*, inquit *ab Eua timuit Dominum & pœnituit: Timor autem Domini initium intelligentiæ: intellectus verò transgressionis, facit pœnitentiam. pœnitentibus autem largitur benignitatem suam Deus.* Etenim per persona vel subcinctorium fici in facto ostendit suam pœnitentiam. Nam, vt diximus, pudor & verecundia doloris & timoris index est. Adam autem agnoscens peccatum, etiam illum facti puduit, & cognouit se nudum, & ideo se abscondit. Genes 3. b. ver. 7. 510. secundo viam Domini dixit *D.* Hieronymus tomo 9. in 1. c. Marci pœnitentiam, *Nam via*, inquit, *qua Dominus ad homines ingreditur, pœnitentia est, & per quam Dominus ad nos descendit, & nos ad illum ascendimus.* Ideo Marci 1. c. D. Ioannes pœnitentiam annuncians dixit, *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Ergo bonũ ea erit. Sexto in hac maxima Dei bonitas consideranda venit, qui spatium pœnitendi & à morbo peccati resurgendi, tam liberalitate condonat: cùm pœnitentia istius tem-

poris

poris dolor medicinalis sit, pœnitentia autem alterius, dolor pœnalis, vt scribit D. Augustinus in Psalm. 57. videturq; Deus dicere quod perpulchro carmine expressit Naso lib. 4. Tristium, eleg 9.

*Si licet & pateris nomen facinusq; tacebo,*
*Et tua Lethæis acta dabuntur aquis.*
*Nostraq; vincetur tuschrymis clementia meis,*
*Fac modo sic pateat pœnituisse tui*
*Fac modo te damnes, cupiasq; eradere culpa*
*Tempora, si possis Tisiphonea tua:*
*Sin minus, & flagrant odio tua pectora nostro,*
*Induet infœlix arma coacta dolor.*

Sed expressiùs D. Paulus ad Roma. 2. a ver. 4. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Deus ita cùm bonus sit & bonitas ipsa, tempus reuertendi abundè concedit malis, vt resipiscant, nec vllum quia bonus est, vult perire, sed saluos omnes fieri, 1. ad Timoth. c. 2. Vnde, quia expectatus diutiùs peccator dum contemnit beneficium, eò ingratior, tantò etiam seueriùs in eum Deus & peccato & contemptu violatus, iudicium exercet: & lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicii grauitate compensat, vt etiam Ethnicus Valer. Maximus scribit lib. 1. c. 2. in exemplo Dionys. Siracus. Sic vt scribit Cyrillus Hierosolymitanus, catech. illuminat. 2. ad pœnitendum dedit Adamo Deus spatium, constituens eũ iuxta paradisum, vt cogitaret vnde exiisset, Genes. c. 3. ca. Adam. de pœniten. dist. 1. Et Caino post fratricidium, data dilatio pœnæ, Genes. 4. Gigantibus quoque ante diluuium centum viginti annos concessit Deus. Genes. c. 6 Raab meretrix saluata. Iosue c. 2. & 6. Israel post aureum vitulum pœnitentia reconciliatus Exodi c 32. Exaudiuit Mosem pro Aarone & Maria. Numero c. 12. Dauid pœnitentiæ per Natham admonitus. 2 Reg. c 12. Salomon ceciderat postea pœnitentiam egit. Achab cæde Naboth pollutus ad pœnitentiam vocatus 3. Regum 21. Hieroboam 3. Regum cap. 13 à manu arida pœnitentiâ curatus. Manasses qui Esaiam secuit, pœnitẽtiâ regno restitutus. 2. Paralip. c. 33. can. 1. 1 q 7.

Item

Item & Nabuchodonosor. Daniel. c.4. Iosias rex non fuit afflictus, quòd compunctus doluisset de offensis in Dominum, 4. Reg. c. 22. Item & Petrus Deum eiurans, reconciliatus pœnitentiæ. Similia omittens, & sufficiat vitam hanc totam, nobis nulla alia de causa videri concessam, quàm in pœnitentiam, vt illa purgati & expiati, tribulis & spinis puncti, ad patriam, ex qua peccato excidimus, læti redeamus. Nã si ex hac vita excesserimus opipare & voluptuosè adipe suffarti, futurum est, vt qui in hac vita noluerimus pœnitere, & dum tempus nobis concessum erat, in die resurrectionis à misericordia Dei abalienati, in perpetuũ damnemur: contrà, si hinc diuexati fuerimus, ibi saluemur. Cùm enim vnus sit Deus, vnus est etiam paradisus, vnus mundus, vnus infernus & pœnarum æternarum locus. Nec fieri potest, vt in hoc seculo & in alio iucundè & sine afflictione viuamus: atq; eligendum aut in hoc temporali seculo torqueri ob delicta, vt alio excipiamur sine macula, aut si laborem in hoc recusemus, certò certius fore putemus iam mercedem accepisse, & in alio puniendos. Sic enim oportuit antesignanum nostrum Christum pati, & ita intrare in regnum suum Luc. 24. & Mar. 8. Et per multas tribulationes cœlum ingredi oportet: Actuum c. 14. Et violenti rapiunt illud Matth. c. 11. Sic militia hominis super terram Iob c. 7. Hic igitur doloris & pœnitendi tempus, concessum omnibus hominibus, quod seculum ipsum per subitas & cõtinuas mutationes & per variatas qualitates, & mutandam iri inferiorum & viuentium vitam, demonstrat, alioque nobis abeundum. Sicque Sibylla testatur, rationem adferendo libr. 2. oraculo. pag. 86. ex correctio. Castellio. cur sine misericordia damnabuntur à Deo in die iudicii orabunt, inquit, tunc nec exaudientur.

Επτὰ γὰρ αἰώνων μετανοίας ἥματ' ἔδωκεν
Ανδράσι πλαζομένοις, διὰ χείρ' ἐν παρθένα ἁγνῆς.
id est,
*Nam septem dies seculorum pœnitentiæ dedit*
*Hominibus errore deceptis, per manum,*
id est,

per medium, *virginis castæ:* Vocat autem ibi septem dies seculorum, sex millia annorum, quibus mundus durabit vsque ad septimum millenarium, qui erit alterius seculi immor-

immortalitas. Sex enim diebus operatus est *Deus*, & septimo quieuit ab omni opere quod patrârat Gen. 1. & 2. & sexta die factus est homo, & septima cœpit terram & ornatum eius videre, & benedixit Deus diei septimæ, sed & sanctificauit illam, quia quieuit ab opere suo quod creauerat vt faceret, id est, quod septimo die quieuit ab opere creato, eius gratia vt illud opus faceret suo iussu, quieuit autem septima die ab opere illo, vt faceret, hoc est, quia tunc die septima opus non faciet, quæ nunc facit. Quia cœlum & terra transibunt non verba eius, &c. Luc. 21. *neque erit dies, neque nox.* Et virtutes cœli mouebuntur, Sol obscurabitur, stellæ cadent super terram, & Luna non dabit lumen suum, Matth. 24. Cessabunt itaque ab opere iam imperato nunc vt faciant. Atque in creatione dies vna pro mille annis ante Deum est. & ponitur Psalm. 89. a. vers. & apud D. Petrum potissimùm 2. Petri 3. b. vers. 8. qui loquens expresè de iudicio vltimo *Dei* viuorum & mortuorum, & de postremo *Dei* in nos aduentu, & de orbis conflagratione, addit: *Vnum verò hoc vos non lateat charissimi, quia vnus dies apud Dominum tanquam mille anni, & mille anni sicut dies vnus.* Et paulò post, Opera terræ & ipsammet exurendam tradit, quia quod pertinet ad Dei æternitatem, etiam secundùm Ethnicos, vt & apud Plutarchum, lib. de sera numinis vind. triginta anni, veluti crepusculum matutinum, dicuntur esse apud *Deum*. Videntur & Thalmudistæ hæc ex Sibylla prædicta excepisse, præcessit enim illa multis seculis eum, cum illa ad Nochi se referat ætatem, cuius se nurum asserit, & in archa cum illo & marito filio Noachi tempore diluuii seruatam. Vnde & forsan Helias, veluti per manus accepit, vt Noachum verisimile est accepisse eadem ab Enocho Propheta per maiorum manus, qui natus est ante inundationem terrarum anno 34. supra millesimũ, vt ex Genes 5. c. liquet, vt Enoch à Seth, Seth ab Adamo, hic autem Propheta eximius cùm esset, & omni scientia plenus, de futuro diluuio & consummatione per conflagrationem prophetauit: & postea Enoch, vt scribit Iudas Thadæus Apostolus Domini, in epist. canoni. cap. 1. c. vers. 14. & 15. & Iosephus antiquita. libr. 1. cap. 4. narrat Seth auditas ab Adamo patre prophetias duabus columnis altera lateritia, altera lapidea, conscripsisse, in quibus forsan & verisimiliter de mundi etiam duratione exarauit. Fuit namque verisimiliter (tamen id non affirmarim) *Deus*

qui

qui sententia sua in locum pœnitentiæ à paradiso relegauit Adamum, & progeniem tempus peregrinationis & pœnæ declarauit, vt solaretur saltem spe finis pœnitentem, veluti & de redemptione Messiæ illum certum fecit, dicens à semine mulieris, non viri, conterendum caput Sathanæ. Genes 3. c ver 15. Ex quibus hæc Noach & docuit posteros. & Helias domi suæ insculpsit famosum illud inter Hebræos vaticinium, de quo scribunt Thalmudici in 4. parte Thalmud quam vocant סדר נזיקין *seder nezikim*, id est, ordinē damnorum, in מסכת סנדרין *masecet senedrin*, in tractatu sanedrin, vel iudiciorum. & in c הלק *helec*, vbi de Messiah maximè sic scribitur: תנאד בית אליהו שתא אלפי שכי עולם ואחד חריב כ אלפי תוהו כ אלפי תירה כ אלפי מות המשיח id est,

SENTENTIA EX DOMO ELIÆ,
SEX MILLE ANNOS MVNDVS DVRABIT. Et postea
ARDORE VASTABITVR, id est חריב significat
DVOBVS MILLE ANNIS INANE:
DVOBVS MILLE LEX:
DVOBVS MILLE DIES MESSIAH.

Hæc eadem referuntur etiam Eliæ in eadem 4. parte Thalmud in Massechet quod vocant זרה עבודה *gauodah zarah*, id est, *seruitus alienæ*, vbi de Idololatria in capite לפני אידיהן *Iphne edehen*, id est, ante festa eorum. Et Lactantius Firmianus lib 7. diuina. Instit. vel lib. de diuin. i. c. 14. meminit istius opinionis, duraturumque probat mundum per sex millia annorum iisdem fermè, quibus nos rationibus tacito Thalmudicorum responso. Reprehendit tamen eū: & errasse in eo annotauit quidam Antonius Raudensis Theologus, qui in calce Lactantii errores quosdam certè non contemnendos signauit. Cui & nos subscribimus, quia scriptum est. Non esse nostrum scire tempora & momenta, quæ posuit pater in potestate, Actuum 1. nec de die illa vltimi finis vel hora nemo scit, nisi Deus, Matthæi 24. Marc. 30. Luc. 17. 28. Verum tamen quia nobis signa Deus reuelauit ore proprio, & ex præcedentibus secutura noscere possumus, sicuti in diebus Noë & diluuii, cui Deus similem diē iudicii vltimi facit, prædicatum est futurum diluuium, Genes 7.

nes. 7. certò, cui non audierunt impii: ita & non dubito antè, Deum nobis prædicturum, sicut & nobis per multa signa nunc prædicit, futurum proximè iudicium, quamuis diem non nouerimus. Et vereor certè ne instet & in ianuis sit: credat qui velit, ego autem ita credo, & me ad id credendum signa abominationis, quæ in loco sancto irrepsit, admonent: cùm iuge sacrificium Dei IESV CHRISTI verum corpus, quod est iuge & æternum sacrificium, fuerit ab hæreticis vnica nostra ætate, vsque adeò prophanatum, vt pro eo vero Christi corpore, impudenter fuerit panis crustula, creatura pro creatore, subrogata. Qua abominatione nulla potest contingere maior, nec vsquam fuit in lucem publicè edita ante annos Caluini vt aliud inde nasciturum non sperem, quàm præparationem ad proximum Antichristum, qui iam Dei memoriam & passionis eius & sacrificii, fundamenta religionis, per filios diffidentiæ aggreditur. Sed omittamus illam certitudinem, probabit euentus Dei beneplacitum. Redeamus ad ætates descriptas per tres sanctiones, vltimam proroget qui velit. Dico igitur in his tribus præcipuis ætatibus, innatam semper & repetitam pœnitentiæ necessitatem, & renouatam, cùm obliuio incessit. Et in primis duo millenarii annorum, primo vacui fuerunt, à legis alicuius scriptæ admonitione: tunc enim recens creatio, recens expulsio, recens laborum addicatio. Et diutius viuebant homines, vt per manus vnde deciderant primi parentes, & quò redeundum esset, admonerentur. Et dum in illo millenario secundo cæpit pœnitentiæ obliuiscì populus, diluuium in pœnam impœnitentiæ adductum. Pœnitentia namque contempta, fuit centum annis antè prædicata, nouaque terræ forma Cataclysmo data, & memoria rursum pœnitendi superstitibus renouata. Lex dehinc & Noë Abrahæque præcantata à Mose propalata, Dei digito inscripta cum tonitruis, fulguribus & fumi caligine, in monte in deserto, vt scriptura & locus pœnitentiæ rursum homines admoneret. Sequutæ postea pleræque populi Israëlitici qui Deum nouerat, captiuitates & afflictiones, eius rei gratia & voces Prophetarum, miracula, signa: & prodigia. Et cùm in quarto millenario duræ ceruicis populus & quasi obduratus vitiis, non sentiret flagella Dei, sed voluptatibus vacans, omnia sibi licere putaret cultu Dei relegato, misit Deus filium suum vnigenitum, qui omnia corrigeret, & lapsam humanam

mortalitatem natalibus restitueret. Quod opus & cepit à pœnitentia, atque statim vbi apparuit, palam audita est vox illa D. Ioannis *Pœnitentiam agite* (cum ratione addita) *appropinquauit regnum cœlorum*: Matthæi 3. a. Marc. 1 a. ac si admoneret, iam finem seculi adesse, & pœnitendi locum huius vitæ tollendum à nobis. Cùm tunc vix aliquis viam illam pœnitendi recordaretur: & idcircò etiam Dominus noster IESVS CHRISTVS, pro nobis factus est oblatio pœnitendi exemplar & viuendi, omnibus renuncians, in laboribus, angustiis, siti, fame, iciuniis, orationibus, plagis, contumeliis assiduus, obediens vsque ad crucis ignominiam & maledictum factus, nosque admonuit, vt si quis velit eum sequi, tollat crucem suam & illum sequatur, renunciando omnibus istius seculi deliciis & bonis quæ nos à via remorantur proposita Matthæi 10. q. g. & c. 16. d Marci 8. d Luc. 9. c. & c. 14 f. Hunc qui sequuntur, fœlices, & pœnitentiã agentes, fœlices, delicta deflentes fœlices: & si contemptui & odio sint hominibus, qui mundi laqueis irretiti sunt. Qui tamen tandem de pœnitentibus & probis dicturi sunt, quod scribitur Sap. 5.

1 *Tunc stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.*

2 *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.*

3 *Gementes & præ angustia spiritus, dicentes intra se pœnitentiam agentes, præ angustia spiritus gementes, hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij.*

4 *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.*

5 *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.*

6 *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitia lumen luxit nobis: & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.*

7 *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.*

8 *Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia? quid contulit nobis?*

9 *Transierunt omnia illa sicut vmbra, & tanquam nuncius percurrens.*

10 *Et tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam:*

cuius

*cuius cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus, &c.*

Talia inquit, dixerunt qui sunt in inferno. Sed tunc quanquam pœnitere velleat, non erit locus: sublatum enim erit tempus: & in inferno inferioni non est spes salutis: idcirco operandum est dum tempus habemus, quia veniet nox illa, in qua operari nemo poterit. Si enim condemnatis, etiam sententia supremi iudicis, nulla salutis est spes: multò minor damnatorum à Deo, cuius voluntas est immutabilis. Neque locus pœnæ contra decretum Dei, potest mutari in merendi viam: confunderentur enim omnia, si cuique rei sua natura non conseruaretur. Hîc quidem promereri possumus, dum viuimus, & dare operam vel saluti vel damnationi. Medium inter cœlum & inferos est terra, & mundus: in hoc mundo, quamdiu viuimus, vtrum velimus, eligere possumus, cæterum cum morte hinc tollimur, elegisse oportet hominem: nam omnia à corpore separata cum quodammodo diuisus sit homo, & quodammodo non totus, eligere homo nequit, nec rursum cùm resurget iterum dabitur tempus eligendi, quia post resurrectionem futurus non est amplius locus, in quo pœnitentia fieri possit. Mundus enim sentibus & aliis pœnitentiæ stimulis purgabitur igne, & cum corpore animæ erunt vel beatæ, vel damnatæ miseræ in perpetuum, & ante iudicium vniuersale à corpore separata anima, recipiet particulare prout gessit in eo: siue bonum, siue malum, vtpote si in via purgationis reperta, fuerit in hoc seculo soluta, purgationem absoluat. est enim illa via Paradisi: si autem omnino in qua gesserit, nec vllo modo purgationem meruerit, quia viuendo illam omninò contempserit, in baratrum crucianda detrudetur, cum corpore etiam tum grauius crucianda, dum resurrectione facta, corpori vnietur. Sicuti & illa quæ beata, erit beatior accedente corpore. iudicii enim vltimi dies non nostra est, vt in eo speremus medicinam pœnitentiæ: sed dies Dei, & Domini, reliqui dies nostri, illa sola vltima, Domini. 1. Petri 3. c. 1. Thessal. 5. a. 1. Corinth. c. Hinc pœnitentiæ contrarium malum est, peccati obduratio & pertinacia, quæ ab excusso timore Dei, & ex pudore hominum nascitur, cùm quis impudicè, vt dicunt, perfricuit frontē, & veluti ex proposito, intrepidè mala cogitat & exequitur, nec bonos mentis stimulos sentit, mente factus paralyticus, & leprosus in-

censibilis: similis corniculis aliisque auibus, quæ assuetæ campanorum strepitibus, impauidè in pinnaculis Ecclesiarum degunt, nec tumultu terrentur, vel iis, qui nimio labore in manibus callos contrahentes, non plus quàm Elephantes ictus sentiunt. Deficit enim mentis iudicium quo quæ hominis sunt, considerare valeant. Quamobrem & ob defectum iudicii mentis, Medea apud Euripidem in Medea, act. 3. ver. 71, conqueritur ita,

Ὦ Ζεῦ, τί δὴ χρυσὸν μὲν ἀνθρώποισιν ἔδωκας ἐναργὲς ἦ,
Τεκμήρι' ἀνδρώποισιν ὥπασας σαφῆ.
Ἀνδρῶν δ' ὅτῳ χρὴ κακὸν διειδέναι
Οὐδεὶς χαραγμὸς ἐμπέφυκε σώματι. id est,

O Iupiter, vt quid dedisti hominibus argumenta dignoscendi, num aurum esset adulterinum: hominum autem nullum in corpore affixisti signum, vt sciremus malitiam illorum. Et Diphilus poëta Menandri contemporaneus,

Ὃς δ' ἄτ' ἐρυθριᾶν οἶδεν ἅτε δεδιέναι,
Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει,
Οὐκ ἐστὶν ἀναιδὲς ζῶον δ' ἀθρεῖν χρεών, id est,

*Qui nec metuere scit, nec erubescere,*
*Ille primas totius tenet impudentiæ.*
*Nec est homine impudente animal confidentius.*

Scribit & Seneca in Thieste.

*——Vbi non est pudor*
*Nec cura veri, sanctitas pietas, fides,*
*Instabile regnum est.*

Et Iuuenal Satyra 8. vers.

Xenophon in Cyripæd ingratitudini proximum dicit impudentiam. Et malum esse impudentiam vel docet ratio, quòd illa audaces homines ne malà committere vereantur, reddit. Et ideo Xenophon 1. Cirypæd. impudentiam ad omnem turpitudinem ducem esse scribit. vocat Ieremias hanc frontem meretricis c. 3. a. vers 3. *Fons meretricis* inquit, *facta est tibi, noluisti erubescere.* Ad hæc Daniel c. 8. f. vers. 23. dum describit tempus, quo omnia mala, & malitia omnis terram occupauit, post regnum quatuor Regum Græciæ: *Cùm creuerint iniquitates,* inquit, *consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & multa mala faciet,* quæ ibi numerantur. Propheta signat vt op-

pro-

probrium maximum, pastorum impudentiam, dum cap. 56. d. vers. 11. scribit, *Canes impudentissimi, nescierunt saturitatem.* Et D. Ioannes Apocalyp. 22. c. vers cùm pessimus etiam excludit à fœlicitate impudicos, *Foris canes, venefici, impudici. &c.* Et tanta est inuerecundiæ, potissimum fœminarum odium, vt inuerecundia vnius Caiæ Aphraniæ mulieris improbissimæ, dederit ansam prætori condendi edictum, ne in posterum mulieres in subsellijs postularent: vt refert Vlpian. in l. 1. §. secundo loco, & §. origo verò, de postulan. libr. 3 π. titul. 1. Dicimus etiam pulchrum esse bonum: quia & essentiam vtcunque augere videtur qualitatis bonitate præstantiorem rem efficiens. Et *D.* Dionysius Areopagita ait, pulchritudinem idem referre quod bonitatem, quia vtrunque desiderabile & amabile, & ita bonum, quia pulchrum ad se omnia conuertit libr. de diuin. nomin. cap. 4. Plato item lib. 5. in Alcibiad. 1. vel de natur. hominis, quicquid inuenimus pulchrum, inquit, illud etiam bonum existit. Speusippus Platonicus libr. de Diffinitio. Platon. pulchrum idem quod bonum dixit.

1 Probatur etiam. quia quod à Deo est, bonum est. vnde & quæcunque hominibus pulchra videntur, ab ipsius Dei natura quæ pulchra, diuina nuncupamus. vt ait Maxi. Tyrius serm. 38. scribit etiam alibi, sermo. 11. à Deo pulchrum in nos emanare, & ex eo hue descendere & sensim procedendo, hebetiorem fieri pulchritudinem inter nos, quo magis antiquum deseruerit vigorem. Perinde ac nobilissimi amnes, qui exeuntes in mare in primo quidem ingressu, vbi latitudinem pelagi incurrerint, fluentumq; suũ, vndæ ventis æstui fluctibusque permiserint ex huiusmodi commixtione, priorem comminuunt naturam. Eodem pariter modo, pulchrum, ineffabile, immortaleque, donec cœlum cœlestia corpora permeat. In eorum quidem occursu purum, immixtum, integrumque permanet: at vbi deinceps à cœlo in nostra hæc loca defluxit, hebescit vsque adeò extenuato fulgore, vt vix eius fulgorem possit agnoscere maritimus nauta, videns exilem illum humi inerrantem, confusumque alienæ naturæ: at pulchritudo artificii *Dei* excellentiam demonstrat, & creatoris. Est enim quidam splendor diuini luminis, quo *Dei* artificium admiramur vel admirari debemus. Cæterùm pulchritudo iddicitur, quod cuique decet, & quod ornare videtur, vt ai.

Plato lib. 11. in Hyppia. maio. vel de pulchro. Sic etiam pulchritudo orationis, decor, & rerum decens forma pulchra.

2 Et quia diximus omne quod decet & conuenit, esse bonum: dicamus autem nunc pulchrum tale: dicimus meritò pulchrum bonum.

3 Omne amabile & desiderabile diximus bonum: pulchritudo autem maximè est amabilis, & hanc habuit sortem vt talis sit, vt scribit Plato lib. 36. in Phæd. & Galen. tom. 2. lib ad Thrasib. num ars sanita. tuen. ad medic. spectet. *Plura*, inquit, *corporis bona vocata, veluti sanitas, robur, pulchritudo, sed alia vt partes, alia vt causas esse ita vocata, alia vt fructus: quemadmodũ enim pulchritudinem, iucundus color, congrua caro, membrorum commodatio, & alia quædam integrant.* vocatque pulchritudinem corporis & actionem, fructum boni corporis. Pulchritudinis duas species Cicero facit in 1. Offic. venustatem, quam formæ dicit mulierum tantùm: & dignitatem, quam virorum pulchritudinem posuit. Venustatem autem à Venere habuisse appellationem dixit 2. de natu. Deo. dum Physicos ait, omnibus accedentem gratiam & formam dixisse à veniendo, Venerem: quod postea posteri fictitia & fabulosa Dea, in nomen diuinitatis retulerunt. Plato (vt scribit Diog. Laertius) lib. 3. in eius vita, pulchritudinem in tria distinguit, aliam quippe esse laudabilem, vt formosam faciem: aliam quoq; vsui deseruire, vt instrumentum & donum, quæ præterquam quòd speciosa sunt, vsibus etiam nostris commoda sunt: Tertiam legibus studiisque constare, eamque humanæ vitæ commodis maximè consulere. Forsan huc pertinent tres pulchritudines, Veneris, Iunonis quæ à iuuando apud Ciceronem 2. de natu. Deor. & Mineruæ, quæ scientiarum & animi pulchritudinem iudicare potest, sicut Venus formã naturalem, quas de pulchritudine litigasse quidem Deas fingunt antiqui in monte Idæ sub iudice Paride, vt scribit in initio tragæ. Helenes, Euripides. Homerus, Lucianus, Ouidius. & alii. Veneris pulchritudo cùm sit tantum bonum laudabile & desiderabile cum ratione, sæpe dum præter rationem desideratur, abusu vel occasione, magnorum malorum causa per accidens est, per se tamen bonum, sed abusu facili malum. Ideo & formosæ mulieres vix bonæ sunt, quia pulchritudo cùm omnium oculos in se colligat, mentes etiam simul deuincit. Mentes autem quia plerunque in vetita ruunt, vt sibi quæ alterius sunt, comparent

parent potiantur que, inflammata libidine, omnes artes vt pulchra potiantur, exercent, atq; pudicitiæ insidiantur, quæ crebris ictibus impetitur facilè collabitur, vel difficulter custoditur. Dejicitur namque plerumque frequenti & assueta rogatione & consueta, propugnaculum formæ: Nam vt dicebat *Demades* ἡ αἰδὼς τῆς καλῆς ἀκροπολις, *pudor est arx formæ*. Et difficulter seruatur quod ab omnibus concupiscitur. Hinc plures contentiones coniugalium, adulteria, homicidia, bella quamplurima ob mulieres. Et formosorum corporũ amore, ipsæ etiam animæ capiuntur: quò fit ut inuitæ ab amantib. discedant, vt scribit Philostratus li. 1. de imaginib. Quin & quidam antiquorũ illo in errore fuerunt, & angelos malos corporis forma mulierũ allectos, & hinc dæmones incubos & succubos nominari. Et qd magis mirum, aliquando commixtos mulieribus pulchris genera sse gigantes quod probant ex Genesi mundi c Gen. 6. a. cuius opinionis fuit Iosephus 1. Antiquit. c. 5. & alii, vt & Lactantius libr. 2. de orig. erro c. 11. vbi & alium insinuat errorem ex angelis bonis factos terrigenas dæmones, illa commixtione, quamuis non id dicatur cur in Genesi, c. 6 genes. nec possit dictum intelligi de angelis, dum ait vidisse filios *Dei* filias hominum pulchras. Nam ibi loquitur de filiis Seth, qui filii Dei quod Deum colerent, dicerentur. Non de angelis, qui corpus non habent vt generare possint, nam sunt incorruptibiles. neq; vxores ducere possunt, vt ibi dicitur. Sed hæc alias forsan latiùs annuente *Deo*, explicabimus, dum de Angelis loquemur. Quamobrem & remedio quodammodo hinc malo ium est obuiam, ne prodirent mulieres in publicum, vel rarò. Sic mulieres Ægyptiæ potissimùm nuptæ domi manebant, vt scribit Plutarchus in præcep. connubialib. Sunt & vel tæ ideo virgines Deo dicatæ, & viduæ, & apud Turcas mulieres omnes. & in aliis nationibus. Quamuis enim mulierum Venerem non minuat velamen, tamen quod opertum est, ne viri desiderio incendantur, efficit, tolliturque maior peccandi occasio, vel saltem suspicio. Sic enim scribit Euripides in Troadib, dicente Andromache act 3. vers 82.

Πρῶτον μὲν ἔξω κἂν πρέσσῃ, κἂν μὴ πρέσσῃ
Ψόγος γυναιξὶν, αὐτὸ τοῦτ' ἐφέλκεται
Κακῶς ἀκούειν, ἥτις οὐκ ἔνδον μένει. id est,

primum quidem, siue laboret, siue non laboret fama,

fœmina: tamen id ipsum eam consequitur vt malè audiat quæ domi non manserit. Sic Lucretia violata. & Dina casta alioquin filia Iacobi egressa domum, stupri & raptus ansam propalata pulchritudine dedit. Sic Hemis filio Hemor Genes. 34. Item & eo modo Abimelech exarsit in Saram Genes. 20, Sunt & huiusmodi & Ethnicorum & Israelitorum & Christianorum infinita exempla. Quare & antiqui difficile dixerunt, expositam & vulgatam pulchritudinem, cum pudicitia conseruare, docet Ouidi. Metamorpho. lib. 2. fabu. 10. in Daphne quæ ait

*Pulchra verecundo suffundens ora rubore,*
*Inq; patris blandis hærens ceruice lacertis*
*Da mihi perpetua, genitor charissime, dixit,*
*Virginitate frui, dedit hoc pater ante Diana*
*Ille quidem obsequitur, sed te decor iste quod optas*
*Esse vetat, coloq; tuo, tua forma repugnat,*
*Phœbus amat, visaq; cupit connubia Daphnes.*

Et rursum idem Naso epist. 15. quam Paris scribit Helenæ vers. 257.

*Hah nimium simplex Helene, ne rustica dicam*
*Hanc faciem culpa posse carere putas?*
*Aut faciem mutes, aut sis non dura necesse est*
*Lu est cum forma magna pudicitia.*

Et Iuuenalis satyra 11.

*——filius autem*
*Corporis egregij, miseros trepidosq; parentes*
*Semper habet. Rara est concordia formæ*
*Atq; pudicitiæ.*

Et apud Terentium in Andria act. 1. Scen. 4. vers 51. Misis ita loquitur

*Mi Pamphile, huius formam atq; ætatem vides,*
*Nec clam te est, quam illi sint res inutiles*
*Et ad pudicitiam, & ad tuendas res sient.*

Periculosa itaque castitas cum pulchritudine mulieribus, nisi eam cautione tueantur: nempe verecundia & humilitate, ne præsumant se tales esse & nolint videri tales, quæ quia à quibusdam virginibus & matronis nomine, rejiciuntur, vix casta vlla, nisi, vt cum poeta loquar, illa, quam nemo rogauit. Sunt enim facie inuerecunda, visu capris instabiliores, loquaciores picis, Simiis & Protheis magis

magis varię, vestitu scenicis ludis similes & scortis, in theatris assiduæ, chorearum & trepudiorum auidæ, laudis æmulæ, philautia laborantes. Alia est pulchritudo Iunonis, quæ cuique tribuit propriam gratiam conuenientem formæ, εὐφυίαν nominant Physici & Medici, atque hæc est consensus & decor optimus partium, quæ cum actionibus eius, de quo agitur iuncta regulam pulchritudinis indeficientem afferunt. Vera itaque pulchritudo non est aliud, quàm constitutio optima, quam actionibus iudicabis, & explorabis. Hippocrati credens, non albedine, non mollitie, vel id genus alijs, per quæ non natiua, non germana, nó vera, sed fucata, notha, adulterina pulchritudo ostentatur. Quo fit, vt alia quidem corpora Mango, alia vero Hippocrates laudaturus sit, vt scribit hæc Galenus lib. de vsu part. cor. huma. c. 9. tom. 1. Dicitur & Psalm. 49. pulchritudo agri, pro fructu & abundantia. Necessario enim quod natura pulchrum est, adiũctas habet & gratias & venustatem, & desiderium, & delectationis numeros omnes, vt scribit Maximus Tyrius sermo 15. pulchritudo autem non in formositate proprie vel venustate, sed in iusta magnitudinis & rerum proportione vt etiam ait Aristoteles, 4. Ethic. vbi de magnanimitate agit, in magno corpore ponit pulchritudinem, nam & paruos non dicit tales sed inuenustos. Sic Martialis dum iocatur in Cottam li. 1. Epig. 10.

*Bellus homo & magnus, vis idem Cotta, fideri*
*Sed quid bellus homo est, Cotta pusillus homo est,*

Et in eo quod conuenit esse bonum iam docuimus, itaque de eo non amplius dicendum. Est alia pulchritudo quę ex sapientia oritur, qualis quæ apud Philemonem comicum paulò ante Menandri tempora Syracusanum descriptam habes dum de veritate loquitur,

Οὐκ ἐστὶν ὅπῃ ζωγράφος μὰ τὸς θεὸς,
Οὔτε ἀνδρίας τοπιὸς ὅστις αὖ πλάσοι
Κάλλος τοιοῦτον, οἷον ἡ ἀλήθεια ἔχει, id est.

Non per Deos, aut pictor posset aut statuarius vllus fingere talem pulchritudinem, qualem veritas habet. Et in animo etiam esse posse turpitudinem & pulchritudinem docet Galenus lib. 5. de decre. Platon. tom. 1. Dicitur & confessio & pulchritudo in conspectu Dei, pro omni opere pla-

cito Psal. 95. vers. 6. Vocatur & suauitas pacis pulchritudo pacis Isaiæ c. 32. d. vers 8. Et in Ezechiele Ezech. 28 b. vers. 7. Pulchritudo sapientia dicitur & decor. id quod dulce & desiderabile est sapientiæ. Et sic in similibus, siue corporalibus, siue spiritualibus, in quibus pulchritudo sumitur pro desiderabili & bono. Pulchrum etiam in homine constituit Maximus Tyrius sermo 11. in intelligentia & animo, non in corpore: *Sicuti*, inquit, *qui sapit dum statuam viderit, artem quidem laudat, statuam amat: Sic plantam videns, eam laudat ob fructus, plantam tamen minime amat: Sic animæ bonitatem laudat, animam non amat.* Et breuiter Plato lib. 24. in Gorgia, vel de Rhetorica dicit, quæcunque autem utilitatem aut voluptatem aut vtrumq; adferunt. Sic pulchra corpora, colores, figuras, voces, studia, statuta legum, & huiusmodi. Miscentur hæ pulchritudines sæpè, vt in Sara Rebecca, Penelope, Andromache, & aliis in quibus corporis & animi erat pulchritudo & formæ præstantia, vt docet latè Maximus Tyrius serm. 24. Quæ dicta sunt de pulchro, eadem de mundicie & ornato, dici saltem quæ de venustate dicta sunt, possunt. Et quia vt scribit Euripides in Phœniss. act. 3 vers. 129.

Οὐ χρὴ ὁμῆ καλὸν, ἅπαξ ἐφυ καλὸν,

*Quod semel non est honestum, nunquam fit honestum.*

Opponimus honesto, ornato, & pulchro turpitudinem, cuius species quatuor ponit Suidas in verbo αἰσχρὸν, nempe iniuriam, ignauiam immodestiam, deformitatem. Et hanc etiam turpitudinem Plato definit esse deformitatem, ex dissonantia eorum quæ natura cognata sunt resultantẽ, siue in animo, siue in rebus consideres corporalibus. lib. 15. in Sophista vel de Ente Et Galenus, lib. 5. de Decret. Plato. tomo 1 Breuius lib. 24 in Gorgia vel Sophista omne turpe, constare dolore ac malo, i. detrimento, definit. Vt enim voluptate & vtilitate excedente alio pulchrius est aliquid alio quod excedit, sic turpi turpius esse, dolore vel malo excedens Cicero lib. 3. de Finib. docet turpitudinem esse malum, quod omnibus naturaliter bonis odio sit cõtraria itaq; bono, quod est desiderabile. *Quis* inquit, *aut honesta in familia institutus, educatus ingenuus, non ipsa turpitudine, etiam si ea ipsum lasura non sit, offenditur: Quis aquo animo videt eũ, quem impurè ac flagitiosè putet viuere? Quis non odit sordidos, vanos, leues, futiles? Quod antẽ dici poterit si turpitu-*

*turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statueremus, quominus homines tenebras & solitudinem nacti, nullo dedecore se abstineát, nisi eos per se fœditate sua, turpitudo ipsa deterreat? innumerabilia dici possunt in hanc sententiam, sed nõ necesse est. Nihil enim est, de quo minus dubitari possit, quã honesta per se expetenda, & eodem modo turpia per se esse fugienda.* Hactenus Cicero, ibi. & alibi 3. Officio. cùm de Gigis annulo loquitur. qui inuisibiles reddebat homines, turpia per se ipsa fugienda & honesta sectanda: illa cõtra naturam, ista secundum naturã docent. Nam quæ natura accidunt vel fiunt, per se turpia nõ sunt, sicuti nec quæ vi vel necessitate, vt Plutarchus ait in vita Fab. Maximi: tamen quæ natura imperfecta sunt, interdum deformia videntur ratione imperfectionis, nõ tamen turpia sunt, considerata essentia. Est enim materiæ defectus vel abundantia, quæ mala per se non sunt nisi quatenus à forma communi natura proposita aberratur In reliquis quæ quis vi patitur, mens cum potissimum mali causam præbeat & distinguat, si permanet illibata, mali censuram in agente vi prohibet, quantus in cogente malè agere malum sit. Sic in turpi lucro, voluntas vndequaque indifferenter habendi vtile turpe reddit, improbat & furtum & latrocinia, & huiusmodi. Diximus namque turpe esse, quod non conuenit: sic igitur, lucrum turpe ex his dictis erit, quod non conuenit, & per consequens vtile non erit, sed turpe lucrum. Et iurisconsulti turpe iniustum dicunt: opponentes turpe honesto vt apud Paulum, in l. 1. & Vlpianum in l. perpetuo l. 6. de condictio ob tur. vel iniustam cau lib. 12. ff. tit. 5. dicitur adulterium, furtum, & huiusmodi esse turpia, probra natura, velut alia turpia moribus vel communi æstimatione, vt scribit Vlpianus in l. probrum l. 42. de verb. & rer. sig. lib. 50 ff. tit 16. Et quia pudicitia maximè honestatem respicit, dixerunt recte etiam lenones meretricesúe hanc conculcantes turpes personas, vt apud Paulum in l. Pantonius ait, l 3. & si à paren. quis fue. manumis. lib. 37. ff. tit. 12. latiùs apud Vlpianum, in l. palam l. 43 de rit. nupt. lib. 23. ff. tit 2. vbi & videbis dictam turpissimam vitam earum, quæ quæstuariam artem exercent ex prostitutione pudoris & corporis. Neque ei ignoscendum, qui obtentu paupertatis, tam infamem & improbam vitam elegerit. Plectuntque huiusmodi homines. & lenones & meretrices, leges, tit. de lenonib. in Authent. Et lucra turpia etiam

etiam à possessoribus leges exorquent. vt puniant mala in eo, in quo peccatum est, similiter in hæredes eorum qui ea lucra turpiter ab aliis expilarunt. prodita est eius rei gratia actio apud Vlpianum in l. in hæredē, l. 5. de calumniat. li. 3. π. tit. 6. cum simil. iurib. ibi cita. à glo. nam & meretur pœnam quis, quod male egerit: male autem egisse conuincitur. eo quod iniuste pecunias accipit, ideo turpis videtur. animus namq; corruptus pecunia, corruptus à iusto. Porro corruptus pecunia turpitudini obnoxius dicitur & infamis, veluti, per sordes corruptus. vt apud Vlpianum in l. sed & si. l. 9. §. sunt & alij. de recep. arbi. lib. 4. π. tit. 8. Est autem turpis vtilitas, omnium scelerum parens, vt scribit 3. Officio. Cicero, cam q; ponit inter species illiberalitatis, quæ vitium est, & per consequens malum. Aristot. lib. de virtutib. arcetur & populus ideo Christianus ab illo turpi lucro, per Apostolos D. Paulus 1. Timothe. 3. b. ad Tit. 1. b. ver. & à D. Petro 1 Petri 5. g. Regulam porro constituunt Philosophi apud Ciceronem, quę turpia sunt factu, & turpia esse dictu. Et vt ait Euripides in Troad. b. act. 2. vers. 147. σχᾶν ἀμεῖνον τ' ἄσχεα. *melius silere turpia.* Vt non possim excusare turpitudinem poëtarum, quorum pagina lasciua, mollis, & effœminata: quantumuis mihi inculcare velint vitam esse honestam. quis enim id cedat nisi stolidus? arbor enim fructus edit pro suæ substantiæ qualitate, nec lingua loquitur alia, quàm quæ prius mens agitauerit. Et eo maximè magisque puniendi si sapiant, quod aquam puram bibentes & vita casti, pudicos animos, scienter prudenterque corrumpant: *corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.*

## *De Libertate.* CAP. XVIII.

BOnum esse libertatem probatur à finitione eius, quæ Iurisconsultis est, naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi vi aut iure prohibetur, ex traditione Florentini, in l. libertas, l. 4. de sta. homi. li. 1. π. tit. 5. ex qua translatus §. & libertas quidem. de iur. perso. li. 1. Instit. iur. ciuil. tit. 3. vbi duo illa, *naturalis facultas*, & *nisi iure prohibeatur*, ostendunt bonam esse libertatem, quia secundum naturam, & secundum iustitiam & æquitatem posita est Dicebat latius conuitiis affectus Tiberius Cęsar, *In ciuitate libera mentem linguamq; liberas esse debere*, vt scribit Suetonius in Tyberio cap. 28. Sed subtilius Cicero explicans illud paradoxum

ὅτι

ὅτι μόνῳ ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πάντες οἱ μοχθηροὶ δοῦλοι, postquam definiuit libertatem, esse potestatem viuendi vt velis, ostendit eam tantum inesse bonis, & tandiu nobiscum esse, quamdiu vitiis non seruimus: tunc enim pollet libertas atque iudicium: vt contra, vitiis voluntas impeditur, & potestas viuendi vt velis. Tuetur & probat etiam hanc libertatem Philo Iudæus lib. quod omnis probus sit liber. Et hæc est vera libertas, quam certè quisquam vix assequitur, vt ita verum forsan sit, quod in communi versatur proverbio. Nullum hominem esse liberum, quia nullus est qui non pecuniæ, aut præsentibus seruiat, vt scribit Aristoteles, lib 2. Rhetor. ad Theod. c. 21. & Claudianus, D. 4. Honorij consulatu vers.

*Si metuis, si prauaque cupis, si duceris ira,*
*Seruitii patiere iugum, tolerabis iniquas*
*Interius leges. Tunc omnia iura tenebis*
*Cum poteris rex esse tui.* Expressit lepide

Euripides, in Ione actu 3. vers. 130.

Ἓν γὸ τὶ τοῖς δούλοισι αἰσχύνην φέρει
Τὄνομα, τὰ δ' ἄλλα πάντα τἀλεύθερων
Οὐδεὶς κακίων δοῦλος ὅστις ἐσθλὸς ἦ. id est,

*Vnum solum nomen infames facit seruos.*
*Cæteris enim rebus nihilo deterior liberis seruus est, quicunq; bonus & integer.*

Et Pythagoras

Οὐδεὶς ἐλεύθερος ἑαυτῦ μὴ κρατῶν,

*Nullus liber, qui sibi non imperat*, Quod & Plato, dialo 1. de legib. *Boni omnes*, inquit, *sunt qui sibi imperare possunt: qui non possunt, mali.* Vera etiam ita illa Epicuri sententia, seruiendum esse philosophiæ, vt vera libertas contingat, vt refert Seneca Epistol. lib. 1. epist. 8. Hinc tam grauis illa seruitus seruus putatur corporum, quod facere iæpissime adigantur vel inducantur mala, quæ ipsi facienda non esse, norunt. Et quanuis voluntate probè sentientes, liberi sint, tamen quia exequi bonum nequeunt, quod volunt infælicius torquentur, sicuti & miserè pereunt, qui abutentes licentia libertatis, nulli vel æquo vel regi aut legi, vel Deo parere volunt. Moderata certè & bona liberaque seruitus est, quæ Deo exhibetur, immoderata verò quæ hominibus. Deus itaque hominibus temperatis lex est, intemperatis verò, voluptas. Seruitus enim aut libertas si modum excedant

dant, mala habet: sin autem moderata seruent, bonum, vt scribit Plato epist. 8. ad Dionis propinq. Sed obseruandum, Dei, seruitutem verè libertatem esse, vt & cultum Dei verum & supremam obedientiam, vt etiam seruitus, principum proprie dicitur obedientia, non seruitus illa, quæ contra naturam vsa est, sed subiectio naturalis, qua comparatum est vt superioribus subiiciantur inferiores sempiterna & vniuersali lege naturæ, & præstantioribus vt scribit Diony. Halicarn. lib. 1. histo Roma. cum sit pro eximio beneficio Dei, esse qui pro nobis vigilent, vt nos gratitudinem illorum adiuuantes, operam illis & manus obediendo iungamus Ita in corpore membra inferiora, naturaliter obediunt capiti, animalia senioribus & præstantibus, armenta pastoribus. Sic apud Isocratem Orat. 3. ad Nicoclen Rex admonet subditos.

*Meam securitatem, vestram esse libertatem existimate. Rebus namq; meis fœliciter constitutis, & vestra consimili modo bene habebunt.*

Et Claudianus 3. in Stillicon. laude.

*Fallitur egregio, quisquis sub principe credit,*
*Seruitium, nunquam libertas gratior extat*
*Quam sub principe.*

Et Maximus Tyrius serm. 17 plebem, quia obsequitur cõseruari ait, paucorum verò probitatem quæ iubet, eam conseruare: dicitque quod ex vtroque progreditur, libertatem appellari. Atque liberæ personæ olim sibi præposuerãt aliquos, qui ab iniuria eos defenderent, qui ideo dicti sunt defensores Iustinia. in §. 1. de defensor. ciuitat. in auth. collat. 3. tit. 2. Alia autem hæc seruitus est ab ea, de qua definitio datur, vt sit constitutio iurisgentium, qua contra naturam hoc est, contra iudicium naturale, quis dominio alieno subiicitur, id est, obtemperare alterius imperio vel tyrannidi etiam in malis sæpissimè, cogitur. Et ita intelligendus Florentinus in d. l. libertas. §. seruitus, de stat. homi. in π. & Iustinia. § seruitus est, de iur perso. libr. 1. Instit. Iur ciuil. tit. 3. Nec malum maius esse potest quàm quod velis bonum, exequi non posse. Sed breuius doceamus, bonum libertatem esse argumentis quibusdam, vt in cæteris via addiscentibus aperiatur.

Boni

Boni proprium est, sese multiplicare, mali autem priuatio, vt docuimus. at libertas bonum agit, seruitus priuat, vt proximè docuimus. ergo, &c.

Omne desiderabile & iucundum per se, est bonum, vt docuimus, libertas autem est desiderabilis & iucunda, vt scribit Cicero C. Asinio Pollioni, lib. 10. Epistola. omnium autem, epistola. fam. 207. vbi & nihil tristius seruitute esse scribit. Et Plato in Republica præstantissimum bonum existimari ait libertatem. libr. 34. dialo. 8. de Repub. vel de iusto. Atque si authoritates antiquorum te non mouent ad fidem faciendam, saltem propone ante oculos omnium animantum studium huius commune, cum illæ omni studio à possessorum manibus, quamuis opipare nutriantur, euadere contendunt, vt pristinam consequantur libertatem. Et sunt aliquæ aues, plura animantia, quæ tristitia amissæ libertatis sicurari nequeunt, sed fame se enecari permittant potius, quàm in seruitute vivere velint splendide. Eoque argumento vsus Cicero pro lege Agraria aduersus Rullum tribunum plebis, orat. 16. *Quid*, inquit, *tam populare quàm libertas, quam non solum ab hominibus, verum etiam à bestiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtur?*

Honestum omne, bonum; turpe, malum, docuimus. Porrò honestum est & egregia res libertas: turpis autem seruitus, eo quòd qui liber est, ad turpia non cogitur ab aliquo, contra qui alij seruit: vt & mori potius quidam elegerint, quam seruire, vt docet abunde Philo Iudæus, libr. quod omnis prob. sit liber. & Maxim. Tyrius sermo. 33. nihil seruitute esse ait molestius. Choruscque apud Euripidem in Hecuba actu 2. versicul. 116.

Αἰαῖ τὸ δῆλον ὡς κακὸν πεφυκέναι
Τολμᾷ δ' ἃ μὴ χρὴ, τῇ βίᾳ νικωμένον.

id est,

*Heu quantum malum seruituti consingere*
*Quam fertur indigna vt infelices subactis.*

Quæcun-

Quæcunque æstimari pretio non possunt, bonum certi pretij excedunt, vtpote quæ præstantiorem possideant bonis ipsis naturam. At inæstimabilis res est libertas, quod Iurisconsulti probant, qui erubescunt sine ratione loqui, vt Paulus, in l. libertas inæstimabilis, l.107. de reg. iur. Vlpianus in l. non est singulis. l.137. § infinita eod. de reg. iur. lib. 50. π. tit. 17. Sic nec liber homo æstimationem recipit apud Modestinum, in l. liber homo, l.103. de verb. oblig. lib. 45 π. tit. 1. Iustinia. in § sed cum libertas, quibus ex cau. manumitt. non lic. libr. 1. Instit. tit. 6. Et Caius dixit libertatem omnibus rebus fauorabiliorem, in l. libertas omnibus, l.165. de reg. iur. vt ideo. si in causa libertatis dubium exoriatur, semper sententia potius ad libertatis fauorem declinare debeat, vt scribit Paulus in l. inter pares, l.38 de re iudica. li. 42. π. tit. 2. cum similib. ibi not. neque quicquam gratis præstari posse libertate Paulus respondit in l. Paulus respondit, l.39. de fideic. lib. lib. 4. π. tit. 5.

Priuatio boni male est: boni additio, mala, vt docuimus, dū quid sit bonū, diximus. Cęterū, priuatio hæc in seruitute est, nā nihil potest sibi acquirere seruus, sed omnia acquirit Domino, nihilq; suū facit, vt scribit Iust. in §. Itē vobis, per quas perso. nob. acqui. li. 2. Instit. tit. 9. vt nec momēto apud eum remaneant quæ acquirūtur, sed directo in dominum transferantur, vt scribit Vlpianus in l. placet, 78. de acqui. hæredit. li. 29. π. tit. 2. cum similibus.

Vltimum malorum est mors, & per consequens ea mala in quantum corpus hoc vita priuatur: quanuis bona sit in quantum per eam finis laboribus imponitur, & bonis fit ad meliorem vitam transitus. Sic enim mors non est mala quam bona vita præcessit, vt scribit Augustinus ad Prosperum. quanquam Cicero malum non esse disputet mortem, sed finem miseriarum, quibus tota vita nostra afficitur. li. 1. Tusculana. Quod tamen improbare videtur Aristoteles lib. 2. Rhetor. ad Theod. ca. 23. qui ex Saphus sententia concludit, malum esse mortem. *si quidem*, inquit. *si bonum esset, dis morerētur*. Et Achilles apud Euripidem in Iphigenia in Aulide, actu 5. versic. 336. ait ὅτι θάνατος δεινὸν κακόν. *quod mors ingens malum*. Et Electa apud eundem Euripid. in Oreste, actu 4. vers. 16.

θανεῖν γὰρ οἷον τε μὴ τέκνων κακά,
τοῖς δ' ὑπὲρ βίου φίλη ψυχὴ βροτοῖς.

*Morie-*

*Moriemur, non possumus non deplorare mala:*
*Omnibus enim vobis miseranda mortalibus.*

Et Plato, lib. 29. in Phædro, vel de anima.

Omnes mortem vnum ex maximis malis existimare ait, & mortem qui oppetunt maiorum malorum metum subire. Et ego existimo aliis plurimis argumentis, mortem per se consideratam, esse malum, quod peccati malum est, partus & fructus eius. Peccatum enim dum consummatum fuerit, generat mortem. Iacobi 1. Et constat ex Genesi, ca. 2. ex prohibitionis transgressione, mortē ortam. Item, quanquam secundum philosophantes mors nihil putetur, quia tamen ex ea fit priuatio vitæ & dissolutio, est malum: mors enim omnia soluit §. deinceps de nupt. in authen collat. 4. tit. 1. Sunt & alia plura de mortis malo, quæ omitto. Porrò seruitus morti comparatur, vt scribit Vlpianus in l. intercidit legatum, 58. de condit. & demonst. libr. 35. ff. tit. 1. & in l. seruitutem, 209. de reg. iur. cum simil. iuribus ibi citatis. Similis autem, in duobus potissimum morti, quia sicut mortuus suam voluntatem corporeis vt vult membris, exequi nequit, item quia veluti mortuus, pro nihilo reputatur, nam quanuis homines natura æquales sint, tamen quod pertinet ad ius ciuile, serui pro nullis habentur, vt ait Vlpianus in l. quod attinet, 33. de reg. iur in ff. Est & similis morti seruitus, quia vtraque à peccato ortum habet, siquidem & in eius vltionem seruitus inducta est, Genes. cap. 9. cum Cham virilia patris Noachi irrisisset. can. sexto die, 35. dist. in 1. par. Decre. Bonifa. Et quanquam sit contra ius primæ naturalis libertatis seruitus, quia natura omnes homines liberi nascuntur, vt scribitur, apud Vlpianum, l. manumissiones, l 4. de iusti, & iur. li. 1. ff. tit. 1. cum similibus ibi nota. non tamen dicimus, nec dicere possumus, nunc seruitutem esse contra naturam vel ius naturæ: æquum enim & secundum naturam est, vt qui abutitur re aliqua illa priuetur, ne abusus noceat illi vel aliis. Sic vlucapiones introductæ propter possessarum rerum incuriam & negligentiam & abusum, miserorumque segnitiem, vt ait Ephesinus apud Alexandrum. in c. vigilanti. c. 5. de præscrip. li. 2. Decret. Greg. tit. 26. Res enim vt colantur distributæ sunt, & vt fructum & vtilitatem hominibus aliquam referant, cum hominum gratia creatæ sint. Caius l. in pecudum fructu l. 28. de vsu. li. 22. ff. tit. 1. & § in pecudum, de vsufr. apud Iust. li. 2. Instit. tit. 4. Quæ autem incultæ sunt res, inutiles dominorum

contemptu, aliis dominis vt suppleant eorum negligentiam dari, iustum æquumque omni iure est. Vt priuilegiũ concessum amittere meretur, qui sibi concessa abutitur potestate vt scribit Innocentius 3. in c tuarum, c. 11. §. verum, de priuileg. lib. 5. Decretal. Greg. tit. 21. & cano. priuilegium 12 q. 3. in Decreto Bonifa par. 2. Quod enim fauore alicuius introductum est, non debet in odium retorqueri, vt notant Theod. & Valent. Cæsares l. quod fauore, l. 6. de legibus li. 1. C. tit. 17. Fauore autem hominum introductum erat, vt libertate vterentur singuli, quo facilius quisque proximo succurreret: quia vero abusi quidam, & ea nocere sibi & aliis inuenti sunt, illa iustè fuere priuati veluti & secundum ius naturæ æquum est, vt vinum quod stomachum roborat, si nocere incipiat, adimatur, & arma quæ ad defensionem optima sunt, pueris & furiosis inhibeantur. Quamobrem & quod iure gentium captiuitates introductæ sint, optimo iure factum est: nam ex rebellionibus prælia, ex prælis victoria & captiuitates: Et qui nolint libere præstantioribus parere, quique libertate est ad mala & noxam vsus, in eos quos oportuit venerari & fouere auxiliis, illa priuari merito debet, ne imposterum talia audeat. Sic intelligenda lex Hermogeniani. l. hoc iure, l. 5. de iust. & iur. lib. 1. ff. tit. 1. Aristoteles quidem etiam duas hac de libr. 1. Politic. c. 4 re sententias & de seruitute iuste ex bello affert, aliis putantibus illam esse iustam quod virtutis sit cogere & dominari, aliis iniustam, quia interdum bellum iniuste incœptum est. Cæterum ego non ad hoc respicio, sed ad belli euentum & victoriam, quæ ex Deo est. Christianorum tamen iure, nullum seruum esse volo, sed eius generis cuius erat antiquitus. Omnes enim æquè natura, vt diximus, eiusdem conditionis sunt homines, & rationales, & pariter animæ omnium à Deo & Domino nostro IESV CHRISTO, de manu Sathanę redemptæ, nec est seruus, nec liber apud Dominum: Ad Galat c. 3. d. Neque Christus nostræ exemplar vitæ, docuit nos dominari, sed subiici mutuo Matthæi 10. d. Mar 10. f. Lucæ 22. c. Et nos qui Christiani sumus, sequentes Dominum nostrum IESVM, nos ipsos peccatores agnoscentes, omnium debemus misereri, neque quia peccarunt ideo seruituti illos addicere scientes, quod si peccati nostri moles expenderetur à Deo ita seuere, nos statim non solum hominibus, sed etiam iniquissimis Dæmonum potestati-

testatibus subdendos. Debemus & recordari, quia veritatis nobis lumen infulsit, quantum interfit inter animal brutum, quo ad nutum vtimur, & hominem qui similis nobis est, etiam si seruus sit, & qui particeps etiam futurus est vitæ æternæ, si bonus neque fumus hodie sub lege illa rigida Talionis, Sed sub gratis. ad Roma. 6. c Peruenimus item ad finem seculorum in quo omnia suo nitori restituēda sunt, redemptione & solutione facta captiuitatis emptione & pretio magno, non corruptibilibus, sed pretio sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI, vt scribit Paulus 1. Corinth. 6. D. & c. 7. d. Ideo & seruitus restituenda corporalis suæ pristinæ libertati, qua naturæ iure, omnes homines liberi nascebantur, veluti & liberati gratia Dei & sanguine Domini nostri IESV CHRISTI, sumus à seruiture Satanæ spirituali erepti. Deleuit enim Christus chirographum, quo illi eramus omnes obærati, sanguine pretiosissimo suo, & affixit memoriam eius quo debitores eramus & seruiebamus ideo Satanæ & elementis corporalibus mundi, arbori crucis, ad Colost. c. 2. c. vt quia in arbore transgressio & rebellio nostra cœperat & seruitus, ad eandem arborem vitæ testimonium nostræ salutis & libertatis peruenitet. Collige autem certius & breuiter ex superioribus, libertatem & seruitutem duplicem esse, nempe vnam animæ seruitutem, in qua est qui vitiis obsequitur: vt contra si vitiis imperat, hic libertatem: aliam corporis, cùm quis in potestate corporaliter domini est vel imperat alii. Ex quibus aliquando vna componitur quæ libertas vel seruitus dicitur & corporis & animæ.

### *De mortis cogitatione.*

### CAP. XIX.

SVadent in primis literæ sacræ, bonum esse cogitationem mortis, ex eo quod scriptum sit, nos inde retrahi à mali operatione, *Memorare nouissima tua in omnibus, & in æternum non peccabis.* Eccles c. 7. d. versic. 40 Nouissima vero sunt mors, & quæ mortem sequuntur. Omnibus enim hominibus, imo rebus omnibus ortis, terminus vltimus est, mors, vt scribit Iustinianus §. deinceps, de nup. in Auth. coll. 4. tit. 1. & §. hæc quidem, vers & nullus, de hær. & Falc. coll. 7. in Authen. titul. 1. can in Ecclesiastico, 13. q. 2. in. 2.

part. Decre. Gratia. Terminatur & voluntas morte hominis, qui post illam, nullum aliud velle habet, vt notat Constantinus Cæsar l. 1. de sacris eccles. lib. 1. C tit. 5. & Vlpianus, in l. 4. de adim. lega. lib. 34 π. tit. 4. ambulatoriam quidem hoc est durantem & mutabilem voluntatem, putat hominis, sed vsque ad supremum, hoc est, vltimum vitæ spiritum, vsque ad mortem. Cicero Orat. 39. quæ pro Milo. est. naturæ finem censuit, & non pœnam: optimè quidem, si naturam existimat coniunctionem corporis & animæ, ad beatam vitam exordium: male tamen, si intelligat interire omnino naturâ hominis, cum ille immortalis sit, & sit resurrecturus. Et ita mors hęc in pœnam nobis data peccati, quod forsan non potuit intelligere Cicero alienus à fide. Audiamus & eundem Ciceronem epist. penult. libr. 8. Famil. dicentem, mortem omnium esse rerum extremum. Et Horatius libr. 1. Epistol. epistol. 16. ad Quintium versic. penult.

*O Ipse Deum simulata, Volam me soluet opinor,*
*Hoc sentit, moriar, mors Vltima linea rerum.*

Et Demosthenes Oratio. De corona πέρας δὲ ἅπασιν ἀνθρώποις ὁ βίος θάνατος· καὶ ἐν οἰκίσκῳ τις ἑαυτὸν καθείρξας τηρῇ, id est, *Mors quidem hominibus est vita terminus, etiam si quis inclusum in cauea sese seruet.* Et Herodianus li. 2. de Cæsaribus sui temporis. Mortis, inquit, non vna eademq; hominibus causa est. sed aliæ aliis, cunctæ tamen tendunt ad eundem vitæ finem. Aristoteles etiã Eth. 3. c. 6. Mors omnium maximè est terribile, est enim vltimũ vitæ, & nihil post homini mortuo, aut bonum aut malum esse videtur. Homini mortuo, id est, corpori. nam corpus illud dicitur homo mortuus, non anima quæ potius homo viuens dicitur, eo quod & corpus mortuum cum comitabatur animabat. Et ita Christianus debet intelligere. Et quia istius vitæ mortalis, claudit mors extremum, ideo & mors pro fine metaphoricè accipitur, vt Aristoteles scribit lib. Metaphys. 5. c. 16. Sic dicimus mortem saxis & nominibus, & mundo ipsi aduenire, id est, finem & extremam periodum. Quia igitur mors nobis extremum est, de morte tanquam de fine cogitare optimum est. Et Plato lib. 29. in Phœdone vel de anima, veram philosophiam esse, mortis contemplationem docet, per quam à voluptatibus corporeis, vt pars illa nobilior, animus, inquam, hominis exco-la-

colatur, secernimus omnes curas & solicitudines. Sic Horatius ad Albium Tibullum scribens Epistolar. libr. 1. epist. 4. versic. 12.

*Inter spem curamq́, timores inter & iras,*
*Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

Et ad Sextium consulem Ode 4. li. 1. carm. vers. 13.

*Pallida mors aequo pulsat pede, pauperum tabernas*
*Regumq́, turres, ô beate Sexti,*
*Vitæ summa brevis, spem nos vetat inchoare longam,*
*Iam te premet nox fabulæq́, manes*
*Et domus exilis Plutonia quo simul mearis.*

Seneca, Beatum hunc ait, qui morti paratus est, etiam lib. 11 Epistol. epist. 77. *Cum voles*, inquit, *veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice, ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia; corpus ipsum exue: animum ipsum intuere qualis quantusve sit, alieno an suo magnus, si erectis oculis gladios micantes videt, & si sciat sua nihil interesse, utrum anima per os an per iugulum exeat, beatum voca. Si cum illi denuntiata sunt corporis tormenta & quæ casu veniunt, & quæ potentiorum iniuria: si vincula & exilia & vanas humanarum formidines mentis, securus audit & dicit, Non ulla laborum ô virgo mi facies inopinave insurgit, omnia præcepi atque animo mecum ipse peregi, tu bodie ista denuntias, ego semper denuntiavi mihi, hominem paravi ad humana, præcogitati mali tibi venit. At stultis & fortuna credentibus omnis videtur nova rerum & inopinata facies*, &c. Hactenus Seneca. Persius Satyr. 5. vers. 147. optimè dixit si ab illo Porcinum illud demamus: *indulge genio, & carpamus dulcia*, dum scribit:

*Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est*
*Quod vivis, cinis & manes & fabula fies.*
*Vive memor lethi, fugit hora, hoc quod loquor inde est.*

Sincerius autem expressit Chilo vnus ex septem sapientibus, cuius sententiam hoc carmine refert Ausonius in sententiis septem Sapientum.

*Vive memor mortis, sic vis & salutis.*

Epicurus etiam scribens Menicæo vt scribit Diogenes Laërtius lib. 10. de vitis Philoso. in eius vita. bene viuendi & bene moriendi, eandem esse meditationem scribit. Et Herodotus in Euterpe, siue lib. 2. meminit antiquæ, sed præclaræ consuetudinis Ægyptiorum scilicet quod apud locu-

pletese orum cum multi conueniſſent, & à cœna diſcederetur, circumferret aliquis in loculo mortuum è ligno factum, ſed pictura & opere verum maxime imitantem, longitudine cubitali omninò aut bicubitali, oſtendensque ſingulis conuiuarum dicere, in hunc intuens: Pota & oblectare, talis poſt mortem futurus. Illuſiſſe eo viſus Martialis lib. 2 Epigramm epig 59. de cœnatione Micæ.

*Frange thoros pete vina, roſis cape, tinge Nardo,*
*Ipſe tibet mortis te meminiſſe Deus.*

Prodeat in medium melleſſuus B. Bernar. Eccleſ. c. 11. c. verſ. 8. Summa, inquit, philoſophia eſt meditatio mortis aſſidua. Et Salomon Eccleſ. c. 11. c. verſ. 8. *Si annis multis vixerit homo, & in omnibus lætus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguent præterita.* Ratio porrò cur hoc faciendum ſit, atq; cur meditari mortem cõueniat, illa potiſſimum eſt, vt bene viuas. Nam bene viuere neſcit, qui bene moriendum quomodo ſit non nouit: qui autem illud nouit, ad modulum & formulam vitam inſtituit, vt ſcribit Seneca lib. 1. de tranquillit. vitæ. Serò namque cum quis eſt moriturus, vitam anteactam aut difficulter emendare ſaragit: quanquam id & improbis ferè commune ſit, vt ſub mortis tempus, quòd non bene vixerint, agitentur & torqueantur. Et ita Zaleucus legislator Locrenſium, vir eximius ſi verum dogma caluiſſet, teſtatur, πᾶσι inquit, ἐμπίπτει μεταμέλεια τοῖς μέλλουσι τελευτᾶν, μεμνημένοις ὧν ἠδικήκασι, καὶ ὁρμὴ δὲ βέλεσθαι πάντα πεπραχθαι δικαίως αὐτοῖς, id eſt, *Mortuis ei omnium iniuriarum quas commiſerint, memores pœnitentia inuadit, & vehemens cupiditas, qua vellent exactam ſibi vitam omnem fuiſſe iuſtam.* Vita autem talis vt ſit & optima cura formanda eſt, aliter non cõtingit, nec ſuauis ulla ſequitur viuendi mora ſed turbationibus & infinitis vaniſſimis occupationibus diſtracta: ſiquidem, vt Socrates dicebat, apud Xenophontem libr 4. de eius dictis in fine cùm mortem ex accuſatione Meliti non ſibi eſſe acerbam diceret, ſed melius de hac vita migrare, Optime eos viuere deputo qui quàm maximè curant, vt quàm optimi reddantur: ſuauiſſimè autem qui maximè ſentiant ſeſe fieri meliores. Porrò hoc non fit commodiùs, quam mortis conſideratione: Quod vel ex eo apparet, quia cum morti vicini ſimus, facti nos pœnitet mali, quia memoria

mortis

mortis nos vrget, & inde verum doceatur, vt si mortis memoria cum eo quod pœnitendum est, animo inhæsisset, non fuisset commissum. Sic scribit Xiphylinus ex Dione Cassio, Neronem, alioquin sceleratissimum & sanguinarium principem, hostemque ex professo vitæ humanæ, non antè resipuisse, quàm mortem sibi accedere vidit. Tunc tamen, sed sera pœnitentia cæpisse pœnitere eorum quę ante fecerat parricidij & crudelitatis, tanquam posset & infecta facere. Prostant & vulgò quotidiana exempla eorũ qui ad supplicium mortis ducuntur vltimum, vinctis, qui si mortis eius, tum cum delicta commiserunt, fuissent memores, nunquam delicta perpetrassent. Videmus & morientium in lectulis quanquam pretiosis stragulis, ornatorum miseros & flebiles luctus, anguitias, & factorum furias. Nec aliud nobis familiarius esse potest quàm domesticum & quotidianum exemplum, cuius quemque hic versiculus præmonere videtur.

*Fac ea quæ moriens facta fuisse velis.*

Sub mortem namq; anima, quia futura sibi imminentia bona vel mala prospicit, vel gaudet de bonis, vel trepidat, & pallet ex malis ante actis. Et vt ait Q. Septim. Tertullianus lib. de Anima *Cum & mortis anima exprimitur de conretione carnis, & ipsa expressione colatur, certè de oppaso corporis erumpit in spiritum ad meram & puram, & suam lucẽ: statim semetipsa in expeditione substantiæ recognoscit, & in diuinitatem ipsa libertate respiscit, & de somno emergens abimaginibus ad veritatem. Tunc & enunciat quæ vidit, tũc exultat, aut trepidat, prout consequuturam diuersorii sui sentit regionem: de ipsius statim angelis suis facie euocatorũ animarum.* Atq; D. Dionysius Cartusianus lib de 4. nouissimis multis probat rationibus, ingẽtia bona oriri ex mortis meditatione. Inter cætera, nos de quatuor loquemur obiter nostra methodo. Primum quòd mors timeatur, mors enim per se non est timenda, sed timenda ne nos subita & insperata hora illa inuoluamur maculis & sordibus pleni, & ita incendio inextinguibili cum spiritibus immundis deputemur. Vbicunq; enim ceciderit lignum, ad Austrum, siue ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit, vt ait Salomon, Eccles. c. 11. a. vers. 3. & iterum Eccles. cap. 9. c. vers. 12. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo & sicuti aues laqueo comprehenduntur, sic capiũtur homines in tempore malo, cum eis extẽplo super-*

*uenerit*,& vt scribit Ouidius epist. ad Liuiam versic.289.

*Vita data est vtenda, data est sine fenore nobis*
*Mutua, nec certa persoluenda die.*

Et Horatius libr.2. carm. ode 3. versic. 9. mortis insperatum aduentum grauiter describit, nec satis à nobis posse caueri.

*Quid quisq; cauet, nunquam homini satis*
*Cautum est in horas, Nauita Bosphorum*
*Pœnus perhorrescit ne vltra*
*Cæca timet aliunde fata,*
*Miles Sagittas, & celerem fugam*
*Parthi: Cathenas Parthus & Italum*
*Robur: sed improuisa leti*
*Vis rapuit, rapietq; gentem.*

Et cum definitum certúmve sit hominibus omnibus moriendum esse Suasoria sexta libr. 1. suasoriarum oratio. D. Paulus ad Hebræos 9.g. & omnes experientia norunt.omniũ versari vnam, quodque citius aut ocyus sedem properamus ad vnam: illud tamen quando mori contingat, nobis incertissimum est, vt etiam scribit Vlpianus in l. 1. de conditio. & demonst. lib.35.ff. tit 1 vnde quidam antiquorum, pedes finxerunt mortem habere laneos, quod nunquam venire deprehendatur. Et Hesiodus in Theogonia ver 760. mortem & somnium nunquam in lucem prodire scribit, & in tenebris & occulto vt filios noctis latere.

Νὺξ ὀλοὴ κεφέλῃ κεκαλυμμένη ἠεροειδεῖ
Ἔνθα ἣ νυκτὸς παῖδες ἐρεμνῆς οἰκί' ἔχουσιν,
Ὕπνου τ' ἠϋνάτου, θεινοί θεοί, ἠδὲ ποτ' αὐτὰς
Ἠέλιος φαέθων ὑπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν
Οὐρανὸν εἰσανιὼν, ἠδ' ἐρανὸν ἔνθεν καταβαίνων.

id est,

*Nox noxia, nube tecta atra,*
*Vbi autem noctis filii obscuras domos habent,*
*Somnus & mors graues, putati dii neq; vnquam eos*
*Sol lucidus intuetur radiis*
*Cœlum scandens, nec è cœlo descendens.*

Et rursum in lib qui Opera & dies vers. 100. mala nobis & noxia tacite & improuise obuenire sic scribit.

Αὐτὰρ

Ἀλλὰ ἦ μυρία λυγρὰ καθ' ἀνθρώπους ἀλάληται,
Πλείη μὲν δὴ γαῖα κακῶν, πλείη δ' ἁλὸς ἠδέ,
Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδὲ καὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι
Σιγῇ ἐπεὶ φωνὴν ἐξείλετο μητίετα Ζεύς, id est,

*Alia verò innumera mala inter homines errant,*
*Nam plena quidem terra est malis, plenum & mare*
*Morbi autem hominibus tam interdiu, quam noctu,*
*Aberrant ultrones, mala mortalibus ferentes*
*Tacitè: Nam vocem exemit consultor Iupiter.*

Quamobrem, vt ait Basilius Magnus Serm. de non adhær. reb. seculi. *Oportet nos quotidie ad migrandum ex hac vita paratos esse, & nutum Domini fixis oculis expectare.* Ideo Dominus noster IESVS CHRISTVS postquã discipulos docuit, de cura quam adhibere debebant, vt bene mori possent, & de renunciatione præsentium Lucæ 12. c. vers. 35. *Sint,* inquit, *lumbi vestri præcincti, & lucerna ardentes in manibus vestris,* id est, semper bonis operibus abundantes, mortem expectantes: sic enim qui ituri aliquò erãt, lumbos præcingebant apud Iudæos, vt hodie apud Agarenos Quod ipse Dominus explicat statim dicens Matth. 24. d vers. 24. *Et vos similes expectantibus dominum suũ, quando reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit & pulsauerit confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi, hoc autem scitote, quòd si sciret paterfam. qua hora fur venturus esset, vigilaret vtiq;, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis venit.* Quod scribitur etiã alibi in Apocalyp 15 iterum Apocalyp. 16 c. vers 15. *Ecce,* inquit, *Dominus venit sicut fur, beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* Docuit & alia parabola Matth. 12. de decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, & quinq; fatuæ, omnes exspectantes sponsum, ad quas media nocte venit sponsus & ingressus, cùm quinque fatuæ non haberent tunc oleum bonorum operum, nec præcogitassent de eo præparando, ad id tempus vt emerent egressæ, ianuam inuenerunt clausam redeuntes, & postea id concludit c. ver-

ſicul. 3. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.*

2 Hinc que ſequ tur bonum aliud ex mortis cogitatione, nempe cautio, vt dum ſuſpecta omnia habeamus, nulli fallaci bono fidamus *Sic, beatus homo qui ſemper eſt pauidus*, vt ſcribit Salomon Prouer c. 28. b. verſ 24. *Qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum.* Et D Paulus ad Philippen. 2. b. verſ. 12. *Fratres chariſſimi, cum metu & tremore, veſtram operamini ſalutem* Sic in comminatione & tremore mortis bonum ſequitur, delicti arrectio, vt Achab in mortis comminatione facta per Eliam, pœnitentiam egit, ieiunauit, & ſeſe coram Deo humiliauit, 3. Regum 21. Et Niniuitæ audientes à Iona, Ion. 3. adhuc quadraginta dies. & Niniue ſubuer enda, pœnitentia veniam impetrârunt. Latius hæc Dionyſ. Carthuſ libr. 1. de quatuor nouiſsim c. 8. Concluditur tamen ex eo, quod ſcribitur Prouerb c 4. b. verſ 16. *Sapiens timet & declinat à malo ſtultus tranſilit* Sed dices quòt timet mortem conſiderans? timet, inquam, duo, ne Deum malè agendo offendat, deinc ne offendendo merito pœnis æternis adiudicetur, & vitam æternam amittat. Timor mortis impedit, ne quis talia committat, quæ moriendo vellet non commiſiſſe, quæue ſi mortis tempore in morientè reperiantur, æterna vita & Dei fruitione priuant. Timor itaque Dei hic ex morte naſcitur, qui protinus expellit peccatum, illuminat corda, dirigit vias, & alia præclara operatur, quæ ſcribuntur in Eccleſiaſtico c. 1. & 2. Eccleſiaſt. Hic timor Dei bonus eſt, bonumque amori proximum, vt dum quis offendere aliquem veretur, quia eum diligit, & ſe ab illius amicitia ob offenſam excludi timet. Atque bonitas Dei hîc potiſſima cauſa timoris boni, qui vſque adeò viua operatione in nobis agit, vt non noſtri gratia tantùm, ſed potiùs amicitiæ & bonitatis violatæ conſideratio nos ab iiſdem delictis deterreat committendis & commiſſa vberrimè deteſtari faciat. Alius autem timor eſt, cùm quis timet ſui cauſa, vt ſi quis mortem timet, & peccata, ne ea mortis tempore occurrant, non ob dilectionem Dei, vel ex mandatorum eius reuerentia, ſed ob æternas & impẽdentes morientibus in delictis pœnas: nempe dum timet ignem æternum prænunciatum, Matth. 25. frigorem nimium, & ſtridorem dentium Matth. 18. cùm ex calore nimio ad frigus nimium damnati tranſibunt, Iob 14. Sempiternum horrorem, ſempiternam mortis vmbram, & æternam confuſionem Iob 10. Verentur ibi ſta-

gnum

gnum sulphuris fœtidi accensi, fœtorem indeficientem, societatem dæmonum crudelissimorum, perpetuum & Tantalicum, Danaum, Ixionis, Promethei cruciatum. Eumenidum, Gorgonum, Cerberorum, furiarum, blasphemiarum, monstrorum cumulum. tortorum infatigabiles labores, desperationem quietis. Sic ait Horatius:

*Oderunt peccare boni virtutis amore:*
*Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.*

Et ita vtrique fiunt boni exhortatione præmiorum, & metu pœnarum, vt scribit Vlpianus in l. §. nam & eleganter de iust. & iur. libr. 1. ff. tit. 1. Proponunt ideo & præmia sacræ literæ & oracula diuina bonis, pœnas immensas malis. Quæ cùm homines iudicantur à Deo citra appellationem tribuuntur, & post mortem executioni mandanda sunt. Nam post mortem iudicium cuiusque particulare, vt ait D. Paulus ad Hebr 9 g. 27. postea pœna. Quod velim ita colligas ex ordine iudiciorum. Nam qui vt reus criminis sit, carcere custoditur, è carcere dehinc ante tribunal iudicis deducitur, si in carcere purgatus non fuerit à crimine, pœna debita damnatur, & tortoribus traditur & carnificibus. Sic anima tanquam in quodam carcere & ergastulo mundi compedibus & numellis corporis constricta, reseruatur examinanda & purganda. Dum autem soluitur à corpore ex mundo hoc visibili, veluti statim à lictoribus vel ab Angelis rapitur: & ante tribunal magni iusti iudicis sistitur, quæ si bene egerit societati bonorum adiudicatur: sin pessimè, tortoribus cruciandæ deditur, vel in perpetuum dum nulla spes salutis relinquitur, vel ad tempus, donec pro misericordi iudicio Dei reliquias peccati abluerit. Ex quo particulari iudicio magnum illud & horribile sequetur, dum resurrectione corporum facta quisque & in corpore sententiam iam de se pronuntiatam, executioni mandari sentiet: & omnes iustum Dei iudicium apertè cognoscent. Congruit enim ordini, esse duplex iudicium, particulare cuiusque & commune omnium simul: nam & ex vno homine prius creato, Deus nos omnes produci iussit & in vno homine Adamo, sententia mortis data, in vno secundo Adamo Christo, sententia vitæ & gloriæ. Omnes homines vnum corpus mysticum faciunt: habent tamen diuersa officia diuersi, vt membra diuersas operationes in vno corpore;

oportet

oportet igitur, vt decens est ordini, prout membra separatim decidunt, vt seorsum iudicentur: dehinc vt cum homines omnes simul erunt, & dum corpus vnum suis partibus integrum, adstabit tribunali *Dei*, communem omnib. sententiam audiat. Eritq; tantùm duplex generalis tunc conceptio verborum sententiæ iudicis, secundùm duorum hominum generales priores sententias: nam in Adamo fuimus condemnati, in CHRISTO IESV viuificati. Harum vna, Ite maledicti, id est, iam iudicati, in ignem æternum, quod præparatum est diabolo, qui primus deliquit, & angelis, id est, ministris & sequacibus eius, quorum ex numero vos estis. Alia bonorum, Venite benedicti patris mei, possidete paratũ vobis regnum à constitutione mundi. Et ibunt illi in supplicium æternum, isti in vitam æternam, quod fiet cum malorum exprobratione, & bonorum factorum expressione Matth. 25 vt cognoscat omnis caro diuisionem & abscissionem malorum, sanctissima ratione fieri, veluti membrorum putridorum & inutilium. Hæc Christiani planè norunt, vel nosse eos oportet, saltem ex Paganorum & Gentilium literis, quæ & locum, bonorumq; præmium bene anteactæ vitæ posuerunt: & locum pernicioſorum hominum, suppliciorum lernam, in hominum pernicioſiorum pœnam, vt scribit Plato lib. 29. in Phæd. vel de anima. Et latiùs lib. 24. in Gorgia, vel de Rhetor. vbi & iudicandas iri à iudice incorrupto animas asserit in biuio, vbi geminæ viæ, quarum vna tendit ad tartarum, alia ad insulas beatorum. Et in id iudicium venturas omnes cũ affectionibus & vitiis, & actibus, aliisque quæ in vita gesserunt: in quibus nihil sani reperietur, eas mittendas in tartarum, alias verò, quibus cicatrices purgabiles incunt, purgandas, antequam in beatorum consortium admittantur cum his qui bene vixerunt. Extat & apud eundem libr. 11. dialogo 10. de Repub. vel de iusto, Eri Armenii genere Pamphili admirabilis narratio, è mortuis vt ipse vult, suscitati, q narrauit animam suam separatam à corpore vnà cum pluribus quendam in locum dæmonum peruenisse, in quo terræ proximos duos vidisset hiatus: duos item alios è cõspectu supernè in cœli regione: inter hos verò hiatus iudices sedentes, qui postquam animas iudicassent, iustos quidem ad dexteram suprà per cœlum ascendere iuberent, in aduersa ipsorũ parte signa eorum quæ iudicauerint suspendentes: iniustos contrà ad sinistram infrà, omnium quæ fecerant

fecerant

erant in vita, post tergum signa ferentes. Insuper animas malas mala multa pati, & sordidas in terram demersas: vt gaudia plura, & nitidas cœlestes. Quibus plura addit, quæ quia fabulæ instar sunt, q̃ verā nō nouisset Plato de Dei mysterijs sententiā, prętermitto, vt cauendā Christiano, ratione metempsychosis, & metasarcosis, & circulationis animarū, quæ omnia à veritate aliena sunt, & à Christiana certitudine alieniſſima. Plutarchus etiam vir grauis, & illustris (qui nunquam anilia, vel perrarò scribit) lib. de sera numi. vind. narrat summa cum diligentia, Solei cuiusdam viri (quem diuinum vocat) magnam & tremendam, & omni ferè ex parte Christiano dogmati historiam congruentem, si nomina fabulosa idololatriæ tollas. Soleus ille dictus Thespesius, id est, diuinus cùm ab alto super collum decidisset, & mortuus casu, post triduum reuixisse dicitur. Retulit autem inter cætera, quæ rogo legant omnia apud Plutarchū optimi à corpore liberatum, in locum antea inuisum peruenisse, ibique animas alias lætas, fulgidas, diuerso tamen gradu luminis conspexisse: alias maculis conspersas diuersis, tristes, gementes, in aere pendentes, in medio Adrastiam necessitatis ac Iouis filiam vindicem acerrimam, summam constitutam loco, quam nemo flagitiosus neque magnus neque paruus, vi aut clam effugere posset. Dehinc quia tres erant custodiæ: ideo tres esse expiationes, & alios aliis affici tormentis. Quosdam confestim ac dum in corpore essent pœnas dare, quique corpore pœnam darent eorum mansuetum esse supplicium, mansueto quodam dæmone multa purgatione digna, remittente. At quorum maiora essent delicta, sceleraque maiorem expeterent disciplinam, illos dæmonem post obitum tradere vindictæ dicebat: at qui penitus immedicabiles essent, ac vndique sceleribus obruti, hos tertiam atq; immitissimam Adrastiæ ministram Erynnim ad pœnam rapere, & inter errantes, hac illacq; fugientes animas transcurrere, omnesque tandem deprehensas sæuè ac miserabiliter in æternas, inauditas, nec visas demergere ac præcipitare dicebat tenebras. Purgationes porrò singulas & grauitates pœnarum, Plutarchus persequitur & finem fieri, dum animæ à maculis nitidæ redduntur. Referebat & Soleus, animas in tartarum missas, seipsas implexas ob malorum quæ commiserant memoriam mutuo deuorare. Dehinc in illo vltimarum & irremediabilium pœnarum loco, esse tres æquales lacus, vnum auro feruentem

cbul-

ebullientemque, alium ex plumbo frigidissimum, tertium ex ferro asperrimum. iuxtaque dæmones nonnullos tanquam fabros, instrumentis astare ferreis, quibuscum animas corripientes partimque deuorantes eas, quæ lucro insatiabiles fuerant, & ob auaritiam scelestè egerant, primo in aureum præcipitare lacum aiebat, vbi igni succensas ac flammis relucentes, in plumbeum immergere, ibique extinctas velut grandinem induratas, rursus in ferream transferre paludem, vbi cùm admodum nigræ ac terribiles redditæ essent, ob asperitatemque exsiccatæ ac contractæ penitus formam immutassent, denuò in aureum projicere lacum, asserebat. Refert alias crudelissimas pœnas, laniactiones, transfixiones clauorum, suspensiones, excarnificationes, immanitates, quæ crinem non dico faciem, lectione horrere & attollere præ timore cogere possunt. Quæ certè congruunt ex parte cum visionibus habitis à Christianis per reuelationem de pœnis inferorum. Et qualiter quidam vir nomine Reparatus vidit & retulit, quæve scribit Gregorius libr. 4. Dialogorum, Et Rondalus miles Hyberniæ, & monachus Anglicanus, & Sanctus Patritius, quorum narrationes hac de re scribit Dionys. Cartus. lib. de colloquio iudicii animæ, articul 20. 21. 22. 23. 24. quæ incredulis videntur fabulæ, quamuis nitantur concordantia sacræ scripturæ: quos tamen ego si illis non credant, relegabo saltem ad Paganos & Gentiles, qui de his quædam nouerunt, vt ad Plutarchum in d. lib. de ser. numi. vind. Qui & beatorum quietem omnibus deliciis abundantem describit ex eiusdem Solei reuiuiscentis narratione. Quibus & Virgilius 6. Æneidon & eadem ferè pluribus versibus scribit tam de beatorum loco, quem Elysium vocat campum, quàm de inferorum pœnis, incipiens ibi,

*Hic locus est partes vbi se via findit in ambas:*
*Dextera, qua Ditis magni sub mœnia tendit,*
*Hac iter Elysium nobis: At læua malorum*
*Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.*

Et paulò post,

*Recipit Æneas subitò, & sub rupe sinistræ*
*Mœnia lata videt triplici circumdata muro,*
*Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis*
*Tartareus Phlegeton, torquetq; sonantia saxa:*
*Porta aduersa ingens, solidoq; adamante columnæ*

*Vis & nulla virûm, non ipsi exscindere ferro*
*Cœlicolæ valeant: stat ferrea turris ad auras,*
*Tisiphoneq; sedens palla succincta cruenta*
*Vestibulum insomnis seruat noctesq; diesq;*
*Hinc exaudiri gemitus, & sæua sonare*
*Verbera, tum stridor ferri tractæq; catenæ.*

Et quæ sequuntur.

Et postea de beatorum bonis

*His demum exactis, perfecto munere diuæ,*
*Deuenere locos lætos, & amœna vireta,*
*Fortunatorum nemorum sedesq; beatas.*
*Largior hic campus, æther & lumine vestit*
*Purpureo, solemq; suum sua sydera norunt* & cætera.

De his etiam insulis meminit Hesiodus in lib. qui Opera & dies vers. 168. loquens de semideis & heroibus beneuiuentibus, morteque eorum,

Καὶ τοὶ μὲν ναίουσιν ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες
Ἐν μακάρων νήσοισι, παρ' ὠκεανὸν βαθυδίνην,
Ὄλβιοι ἥρωες. τοῖσι μελιηδέα καρπὸν
Τρὶς ἔτος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα.

id est,

*Et hi quidem habitant, securum animum habentes*
*In beatorum insulis, iuxta Oceanum profundum,*
*Fœlices heroes, his dulcem fructum,*
*Ter quot annis profert fœcunda tellus.*

Et Aristophanes in Nebulis docet, gentem etiam inferorũ cuius vitæ fuerit, dum introducit Æacum sic loquentem,

Ὅτε δὴ κατῆλθεν Ἐλπίδης
Τοῖς λωποδύταις καὶ τοῖς βαλαντοκόποις
Καὶ τ' ὄντες παιτραλοίαισι καὶ τοῖς χωρύχοις
Οἱ πὲρ ἐσιὸν ἄδου τοιῆρη, id est,

*Quando autem descendit Euripides ostendebatur spoliatoribus, crumenarum incisoribus, parricidis, & murifossoribus, qua est in inferno multitudo.* Sunt & huiusmodi antiquorũ plura, quæ prætereo, vt ad tertiũ meditationis mortis bonũ perueniam. Tertiũ igitur mortis meditationis bonum dicitur, agnitio sui, de qua alibi loquuti sumus. Nam ex quo quis fragilem hominis & mortalem nouit naturam, non tantum sibi vsurpat dignitatis, quantum si se nõ cogitans, immortalem quodammodo putaret. Pulchritudo, impe-

imperium, dominatio, diuitiæ, deliciæ, vindictæ, homines multum extollunt & in superbiam traducunt incautos, sed considerantes quòd hæc transeunt, quòd ipsa tandem relinquimus, & pro his affligendi sumus non solùm hæc non demulcent, verùm etiam contristant potiùs: *Homo enim cùm interierit, nõ sumet*, Psal. 48. d vers. 18. & Iob 27. d. *omnia, nec descendet cum eo gloria eius*. Vtimur vel potiùs abutimur rebus forsan 20. 30. 40. 50. 100. annis, sed quantũ hoc comparatione æternitatis futuræ, etiam si per sex millia annorum viueremus. *Qua est vita vestra* inquit *D.* Iacobus epist. c. 4. E vers. 14. *vapor & ad modicũ apparens*, deinceps, namque exterminabitur. Et Dauid Psal. 36. a. ver. 2. *Fœnum quod velociter aresc it, & homo sicut fœnum dies eius, & tanquam flos agri decidens*. Iacob. 1. b. vers. 10. & 11. & Psalm. 102. c. vers. 14. Et Iesaiæ 40. b. 6. Eccles. 14. E. ver. 18. *Vidi impium*, inquit idem Dauid Psalm. 36. d. vers. 37. *superexaltatum & eleuatum, supra cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat, & quæsiui, & ecce non est inuentus locus eius. Custodi innocentiam & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*. & Iob cap. 14. a. *Natus homo de muliere, breui viuens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet* Docet Adrastus in Supplicibus apud Euripidem, Act 4. vers. 112. quantum prosit vitam breuem nostram contemplari, dum ait

—— Ω θαλαίπωροι βροτοὶ,
Τίκτεσθε λόγχας κ' κατ' ἀλλήλων φόνους
Τίθεσθε, παύσασθ' ἀλλὰ λήξαντες πόνων,
Ἀσπ φιλάστεθ', ἥσυχοι μεθ' ἡσύχων.
Σμικρὸν τὸ χρῆμα ⁊ βίᾳ: τὸν δὲ χρη
Ὡς ῥᾷστα κ' μὴ σὺν πόνοις διεκπερᾶν. id est,

*O miseri mortales, quid paratis arma, & mutuas cædes committitis? Quiescite & repudiantes Labores, tranquillitatem conseruate. Nam vsus vitæ aliquod paruum est, illud autem oportet non cum anxietate, sed facile pertransire* Homo certè facilè, nobilitate qua super omnia animalia pollet, forma & dominatione, intumescere potest: sed dum moriendum esse considerat, etiam facilè concidit, & se humilem iugo *Dei* fert. In eo enim se cùm omnibus parem videt, imò & voluptuosiùs vixerit, fœtidiorem se futurum dignoscit. Herodotus Halycarnassæus in Polym. siue lib. 7. Xerxi

regi

regi Persarum incessisse cupidinem numerosum suum exercitū, quem contra Græcos parārat, videndi. dum in Abydo existeret. Atque, cùm post illius vmbratile certamen spectatum intueretur Helespontum nauibus obductum, omnia littora, atque Abydenorum plana hominibus referta ibi se beatum esse iactasse, & postea lachrymas fudisse. Quod animaduertens Arrabanus eius patruus, his verbis interrogauit, *Quàm diuersa Rex inter se nunc facis, qui te beatum dixeras, nunc lachrymas fundis.* Cui ille, *Reputanti mihi*, inquit, *quàm breuis est vita omnis humana, subit horum miseratio, quorum cùm tot sint, nemo ad centesimum annum superstet.* Diuus Chrysostomus homilia 35. in Matth. c. 10. ex mortis consideratione & corporum resolutione magnas nobis vtilitates insinuat, inter cæteras ita factum à Deo optimo Max. dixit, primum ne homines fœtore & vermib. scaturientibus pleni, sibi vel aliis diuinū Dei vindicarent honorem: secundò vt cognoscamus resolutione corpora nostra terrea esse, quod aliter alias multi suspicarentur: tertiò quia nisi ita esset, corpora hominum magis diligerentur, & rudiores homines essent, cùm etiam nunc quanquam videant fœtida, tamen animæ ob horum dilectionem non possint arceri. 4. vt homines hoc corruptibile considerantes futuræ vitæ statum maiori studio persequantur: quinto quia aliter virtus animæ non consideraretur, nisi experientia nos doceret, animam quia corpore iungitur, vitæ ministram, & ea abeunte tanquam præcipua & auriga, corpus consideret. Dehinc vt discamus non ita muliebriter formas diligendas, quæ tam facilè pereunt: omitto reliqua. Demum, & vt cognoscamus, obseruemusque, quod Sosiades, Antiphanes, Bion, & alii dixerunt.

εἰ θνητὸς εἶ βέλτιστε, θνητὰ καὶ φρόνει.
*Si mortalis es vir optime, mortalia sapito.*

Quæ si ita sedulò obseruassent Ethnici, ac dixerunt, non se Deos dixissent, non contra Deum tam insulsa ac nephanda commisissent vel scripsissent, non tot bellis genus humanum hominibus viduassent, non tot mundos Alexander requisiuisset, non Crasso sæua argenti fames caput auro, vt ait Paterculus, saturatum ademisset, non tot furta, non tot latrocinia, lites, iurgia, & reliqua malorum cohors prorupisset genus humanum. Sed dices, mortis quidem perpulchra hæc philosophia, bona simul & vtilis

sed forsan non omnibus data facultas tam amplè sapiendi. imò certè omnibus etiam inuitis se offert. Conspice mundum cœlumque ipsum tu qui microcosmos paruusque mundus es, quotidie continuis motibus intereuntem, volat citu rapidissimo Sol & dies cum illo, nox etiam cæca venit, stellæ transeunt, venti euanescunt. Si contempleris annos, æstas venit, hæc autumno interimitur, ea rursum hic hyeme pellitur, & hyems a iuuente vere interit. Si ad terram defixos habeas oculos, vt cœlestia intueri non possis, vide arbores, domos, saxa, aquas, omnia labentia, intereuntiaque. Hæc te non possunt fugere, quin passim tibi obuient: irascaris quamuis, velis nolis te seniorem admonent, tua ipsius membra quæ priùs iuuiora, nunc senescentia vides. Sed nónne alios quàm te nouisti vnquam, qui decesserunt? non audis de alijs loqui, qui fuerunt? non consideras quales fuerunt, & quales nunc habentur? non vides in cæmiterijs effossam quotidie recentem humum? non te prospicis in speculo, non noscis canos, non vides rugas, non sentis vires debiles à prioribus? Hæc certè omnia te arguunt senem, & detractum à die quo natus es tot horas, dies, & annos, quibus te vixisse existimas, & tantò te proximiorem morti, quantò itineris vitæ perfeciſti. Sed dices quorsum hæc, quid tandem? Quid? inquam, vt quod breue tempus sit vitæ, illud ipsum non vanis pœnitendisque superfluis, curiosis, malis, sed bonis & vtilibus impendas, sciasque nihil tibi charius tempore. Ne cùm mors aduenerit, cum abeundi tempus erit, & fructus & vsura actæ vitæ reddenda, bonis operibus vacuus appareas, occasionis bene agendi prodigus, & inutilis gastrimargos, & sterilis arbor. immortalitatem quidem consequi nemo potest mortalis homo, veruntamen reipsa, quodammodo vita honesta, honestaque morte nobis præparantur, vt dixit Gentilis Octauianus Cæsar in senatu, volens deponere imperium apud Dionem libr. 38. histor. Vltimum autem bonum est, vt dum didicerimus bona agere, mala vitare, ne metu mortis vncis imparati rapiamur, mortem ipsam non timeamus, qua in re magna probo viro consolatio. Nam vt ait Salomon Sapien. cap. 4. b. vers 7. *Iustus si præoccupatus morte fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna nec annorum numero computata: Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Et Cicero in Paradox. *Mors terribilis*

*bilis est iis, quorum cum vita omnia extinguuntur, non quorum laus emori non potest.* Ideo, vt idem ait lib. 1. Tusculana. *non deterret sapientem mors, qua propter incertos casus quotidie imminet, & propter brevitatem vitæ nunquam longè potest abesse* Et Seneca lib. 6. natural. quæstio. mortis contemptum, securos reddere & intrepidos demonstrat. Qui enim timet vel ob metum mortis naturalis timet, vel ob crimina quæ commisit, ne ob ea post mortem meritò puniatur. Cæterùm qui mortem meditatus est, vtrumque contemnere didicit, mortem inquam naturalem, quia quotidie ita moritur, cum corporis vinculis se ligatum agnouit, & impeditum ne ad fœlicem vitam transeat: vitia autem deuitauit, & vltionem ideo non meretur. Sic D. Paulus, *Mihi viuere* cap. 1. ad Philip. d. vers. 21 & 23. *Christus est, & mori lucrum, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo* Et ipse quotidie se mori aiebat pro fratrum gloria. 1. Corinth. cap. 15. d. vers 31. Et certè quia moriendum semel est, quia tota vita nostra mors est, donec periodus mortis quæ morè vulgò dicitur, cùm tamen sit extremum mortis, aduenerit: cur nos, & potissimùm hi, qui Deo amici sunt, mori recusent & liberari à tot rerum varietatibus. Cùm vita hæc nihil aliud sit, quàm nauigatio, qua ad portum salutis properamus. Cur, quæso, diutiùs volumus in fluctuum & tempestatum procellis periclitari? Nónne eligit mercator omnis, potissimùm qui fœliciter merces summo cum lucro secum defert, viam potiùs tutam & compendiariam, qua citiùs domum redeat, quàm inter latronum densissimas syluas, inter pyratas maris, expositas merces cum suæ vitæ periculo videre. Nos certè merces magnas deferimus, animam & eius, si bene à nobis negotiatum, bona opera. Quot bone *Deus* insidiantur isti corpusculo, & animæ negotiantibus in hac nauigatione pyratæ: quot latrones, hostes, quot dæmones, quot scopuli, rerum seculi quot flatus atroces, superbiæ & concupiscentiæ: vt naufragium nobis perpetuò verendum sit. Non igitur qui sapiet, mortem timebit, qui tanta defert, sed eam dum *Deus* decreuerit, vt ad portum ductus, iucundè ac beneuolè accipiet, salutis mercibus domum salutans æternam, vnde beatus Paulus 2. ad Corinth. 4. b. 7. *Habemus* inquit, *thesaurum istum, in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis, &c.* Et Gentilis ille Cicero lib. 2. Tusculanar. quæstion. *Qui mortis*, inquit, *non timet gradum,*

*magnum is sibi præsidium ad vitam beatam comparauit, quia, inquam, tranquillus est animus.* Et rursum in Catone maiore: *Hoc meditatum in adolescētia debet esse, mortē vt negligamus sine qua meditatione tranquillo animo quis esse nō potest.* Nam & mortem omnibus horis impendentem timens, non potest esse tranquillo animo. & qui timent, trepidi certè sunt & præsentis vitæ modico forsan momento contemnentes, quod constanti animo sapientes renuunt, & eligunt potiùs honestè mori, quàm turpiter viuere, vt docet Plato lib. 28. in apolog. Socratis. Et ita constanti animo Andromache dicebat apud Euripidem Actu 3. vers. 71.

Τὸ ζῆν γ' ὑπὲρ θνητοῖς, χρεὼν ἔστι καθορᾶν·
Ἀλγεῖν δὲ κἀδὲν τῶν κακῶν ἡδονημένῳ·
Ὅστις δ' ἀτυχήσας εἰς τὸ δυσποτὲς πεσὼν
Τύχην ἄλαστον τὴν πάροιθ' ἀπεκρίνατο,
Κεἰνη δ' ὁμοίως ὥσπερ οὐκ ἰδοῦσα φῶς
Τέθνηκε, κἀδὲν εἶδε τῶν αὑτῆς κακῶν. id est.

*At mors est potior vita, qua plena est arumnis,*
*Nullo quippe defuncti malorum sensu dolet.*
*Sed qui è rebus florentibus in calamitates incidit,*
*Animo iactatur pristinæ fortunæ memoria.*
*Illa verò tanquam non intuita lucem ætheream*
*Expirauit, nouitq; suorum malorum nihil.*

Mortis bona plura commemorat Plutarchus ex variis antiquorum scriptis, oratione consolatoria ad Apollonium: quæ quisque videre ibi poterit, & eam, quia à multis malis nos liberat, vitæ præstare probat. Et communis quidem mors tandem omnibus & bonis & malis, sed benè mori, tantùm bonorum est. Sic enim scribit Æschines, Τὸ ἀποθανεῖν ὁμοίως ἅπασι κεκλεισμένον πᾶσι, τὸ δὲ βεβιῶσθαι, ἀλλὰ τὸ ἐμφανῶς ἀποθανεῖν μακάριον. *Mori quidē omnibus determinatum mutabiliter est. Cæterùm non tardè sed gloriosè mori beatum* Quod & probat Seneca lib. 11. Epistola epist 83. Sic bonis quidem, mori bene, gloria, & malorum huius sæculi finis. Malorum autem mors, quæ ideo etiam ab his timetur, pœnarum sempiternarum initium, & finis miseriarum temporalium, vt scribit Philo Iudæus lib. de præmiis ac pœnis. & Plato lib. 34. dial. 9. de Legibus.

De Nu-

*De Nobilitatis bono.*

## CAP. XX.

NObilitatem dicimus esse generis, vel alterius cuiuslibet rei excellentiam, præstantiam vel dignitatem. *Di*ctamque ideo quidam putant, quasi noscibilitatem, ac si dicas, aliquid eximium, ex quo quid dignosci possit. Græci id dicunt γνώρισμον, Latini insigne. Quamobrem & plerique etiam antiqui, præcipuè Liuius & Cicero, & nobilem cladem, & nobile facinus & scelus dixerunt pro insigni & famoso cognitóve passim. Sed hæc non verè nobilia dicuntur, de quibus hic. Nam hîc tantùm de excellenti & bona simul loquimur. Et ideo forsan licebit nobis aliam notationem nominis comminisci, vt dicamus nobile, quasi non vile, mutata litera v in literam b. Atque tutius censeo dicendum semper nobilitatem esse bonam, & omne nobile bonum in eo in quo nobile: sicut locus clade nobilis, locus dicitur nobilis, non quòd clades bona sit, sed quia ex clade fama loco accessit, & loci antea latentis sit ex ea cognitio. Fama enim per se bonum, quia speciem perpetuitatis & immortalitatis & vitæ affert. Vnde & fuit qui hanc tantùm æstimauit, vt qui bono celebre suum nomen facere non posset, incendio templi *Di*anæ immortalitati sacraret. Extat & in Genesi c. 11. exemplum de ædificantibus superbè turrim, quam ad cœlum vsque lateribus cotilibus tollere decreuerant, vt nomen suum æternitati consecrarent. Inscribentes nomen suum lateribus vt certiùs monumenta extarent, vt scribit Philo allus quàm Iudæus libr. antiquit. biblica. Quæ tamen vt in æmulationem Dei ædificata, ita Dei iussu imperfecta remansit, confusis linguarum idiomatibus vnde Babel dicta. Et vt Iosephus libr. 1. Antiquit. cap 9. ait, fuit in terram per angelos Dei deiecta. Neque quia fama celebris mala refert, mala est, sed quia malo annexa, mala, sicut vas inauratum quod per se bonum, infectum veneno malum quidem est, sed in quantum vas & pulchrum, bonum, vt docuimus. Et dæmones angeli quidem & propria essentia boni: quia verò peccârunt, mali: idem dicendum de hominibus & reliquis etiam rebus, quibus malum annexum est, quod omnino non priuat essentiam nobilitatis: & præstantia si inueniatur etiam ibi aut cognitio, erant bona. Sicuti & cognitio mali, mala non est, sed bona, vt inde malum vite-

mus & caueamus. Igitur inquantum quid nobile, bonum est. Sed cùm res sint corporales vel spiritales creatæ, & vnus increatus Deus, sint & rerum nouem gradus: sic nobilitatis erunt præstantiores gradus quidam aliis. Aliaque animæ & virtutis, alia corporis nobilitas, alia creatarum rerum, alia Dei, quæ cuncta fouet & omnibus sua bonitate sese communicat. Aristoteles sic definit: Nobile, inquit, est animal, quod ex bono prodit genere. Generosum autem quod non degenerat à natura libr. 1. de histor. animal. cap. 1. & 2. Rhetor. ad Theod. c. 15. Porrò hîc de præstantia & rerum essentia agere, non videtur proprius locus, sed tantùm de εὐγένεια, quæ bonam propaginis noscibilitatem, & insignem scriptis laudem demonstrat: quæ quia non solo corpore paratur: hoc enim esset bona essentia, bonáue constitutio, vel pulchritudo, vel huiusmodi, sed sola animi præstantia: ideo placet, nobilitatem definire esse virtutis continuatæ vel acquisitæ in aliqua familia laudem, vel prioris virtutis signa. ideo dicuntur εὐγενεῖς quasi non tantùm noti, sed bene super omnes noti. Et ita nemo nobilitatem bonum esse dubitauit, quod in gratiam rudiorum sic probo. Omnis virtus, bonum est, vt docebitur, cùm de virtute agetur: Atqui vera nobilitas ex virtute & in virtute, ergo, &c. Docet Plato lib. 20. in Charnude vel de temperant. in virtute solùm esse nobilitatem. Et Seneca lib. 3. de beneficiis, *eadem omnibus*, inquit, *principia, eademq; origo, nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris in prima parte adium collocant, noti magis quam nobiles sunt, Vnus omnium parens mundus est, siue per splendidos, siue per sordidos gradus, ad hunc prima cuiusque origo perducitur.* Sed melius idem alibi Epistola. libr. 5. epist. 44. esse generosum & nobilem virum à natura ad virtutes bene compositum, & talem fieri, cuique patere. Et omnibus lumen præstò ad id esse philosophiæ, neq; stemmata id facere docet: primum, quia inquit, si ad stemmatum originem reuoces, omnes à Deo sunt Et si eques vel alterius ordinis, ad hunc gradum te illa perduxit industria: secundò quia nullius supra memoriam origo iacet, alii tacentur antea existentes. Dehinc quod à primo ortu mundi, nos ad hunc vsque gradum detulit ex splendidis sordidisq; alternata series, postea nemo in nostram gloriam vixit,

nec

nec quod ante nos fuit, nostrum est. Quod & Plutarchus lib. de libe. educan. scribit, *Pulchra*, inquit, *quidem est nobilitas, sed maiorum nostrorum illud bonum existit.* Aristoteles etiam libr 2. Rhetor. ad Theod. cap.15. nobilitatem definit, quandam maiorum claritatem esse, quò fit vt posteri, qui quamuis sint ex illa nobilitate orti, tamen generosi non sint (quia generosum non recidit à natura quod non contingit vt plurimùm nobilibus qui humiles & abiecti sunt) ambitiosiores, inquit, reddantur Et apud Platonem libr.5. in Alci.1. siue de natu-homi Socrates interrogat, *vtrum consentaneum est*, inquit, *meliores esse naturas nobili in genere, quàm ignobili?* Alci. respondet, *manifestum est quod in nobili.* Et rursum Socr *Nonne malè nati si bene etiam educantur, ita demum ad virtutem perueniunt?* Alci. respondet *necesse est.* Orestes etiam apud Eur pidem in Electra act.2. vers.167. id admonet,

Ο'υ μὴ Φρονήσητ' ὅι κενῶν δοξασμάτων
Πλήρεις πολ. ἀνάσθε. τῇ δ' ὁμιλίᾳ βροτὲς
Κρίνεῖτε, καὶ τοῖς ἤθεσιν τὸς ἄγενεῖς. id est,

*An non sapietis, qui vanis opinionibus pleni erratis? quin potius ex consuetudine iudicabitis & ex moribus nobiles* Probat & id Iuuenalis Satyr.8 *Stemmata quid faciunt?* &c. Persius Satyr.5. Ouidius Epist. ad Pisonem, Boetius libr.3. Metrob. & alii. Falluntur certè & errant, qui putant omnes ex nobilibus natos, esse nobiles, quiue ex aliis & ignotæ prosapiæ homines, ignobiles iudicant, iactantque illud Horatii, Ode 4.lib.4. carm.

*Fortes creantur fortibus & bonis:*
*Est in iuuencis, est in equis patrum*
*Virtus, Nec imbellem feroces*
*Progenerant Aquila Columbam.*

Et quod ait Pindarus 8.hymno Pythiorum

——Φυᾷ τὸ γενεάων
Ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παυ-
σὰν λῆμα. id est,

*Quod est generosũ natura, adiacet ex patribus, liberùm fiducia.* Nam id quidem verum est, si intelligamus de Dei prouidentia, qua quæque species vel vnumquodque genus rerũ, sibi simile generat, & producit. Quin & accidere, vt qui pulchro sunt corpore, quiue sanguine puriore corpora magis temperata gignunt & pulchra. Cæterùm cùm & hæc

in ignobilibus etiam inueniantur, & obscuris hominibus, non est cur hæc ad nobilitatem transferamus solam. Quòd si quis vlterius velit ratiocinari ex prudente & sapiente patre nasci sapientem & virtute plenum, Negabo audacter: nam virtus cùm ex habitu sit (vt docebimus in virtutibus, Deo fauente) non nascitur, sed fit. Neque putandum est, propagatione animas dari sicuti corpus à parente: parens namque in animæ creatione nihil operatur, sed solus Deus. Dein contemplentur cum Galeno in Isagogi. orat. suasor. ad artes nobilitatem & splendorem generis similem esse vsui numismatis ciuitatum, quæ cùm apud ipsas ciuitates probata sint, cuius sunt, & plurimum valeant, apud alias tamen gentes adulterina habentur, & nihil penduntur. Et ideo qui volet esse nobilis, quiue nobiles relinquere liberos decreuerit, debet institutionem morum & virtutum assuefactionem generi coniungere, quod exemplo Lycurgus apud Plutarchum libr. de liber. educ. docuit, qui geminos ex eadem parente educauit haud similibus moribus catulos, alterum enim helluonem luxuriáve solutum, alterum indagine sagacem. Cùm enim res conseruetur iisdem modis, quibus paratur: virtus, quæ ignotum extollit, notam familiam conseruare debet: quin & nobilitas illa, si maiorum tantum effert nomen, satis per se docet, nullam esse præsentium, vt se ea extollere non debeant, nisi & suam faciant, quia inclusio vnius relatiui maiorum excludit per se inferiores. Et Plato libr. 30. in Menexeno vel Epitaph. dum dixisset gloriam parentum maximum magnificumque esse filiis thesaurum scribit, non superatam gloriam à superstitibus posteris, dedecus mortuis adferre: sin autem gloriam superarent, afferre fœlicitatem. Admonentque, inquit, maiores mortui superstites, ne gloria illorum abutantur, scientes nihil turpius posse accidere, quàm seipsum honorandum, non propriam ob virtutem, sed propter gloriam superiorum præbere, sicuti diuitiæ splendorem afferunt nullum ea cum ignauia possidenti. Non enim sibi hic, sed alii possidet paratque. Et annotârunt antiqui quàm verissimè, tantum abesse nobilitate maiorum vitia descendentium tutari, quin & vitia illorum magis conspicua & improba, comparatione nobilitatis, euadant. Non enim tam citò annotantur vitia eorum qui mediocri prosapia orti, latent, quàm eorum, qui ob illustre donum altiùs exerunt conspi-

cui

cui caput. Dixit & Iustinianus, vitia successorum nocere nobilitati generis in § 1. de incest. nupt. in Authent. collat. 2 tit. 6. & rursum l. 1. de Senatusc on. Claud. libr. 7. C. tit. 24. vitia sobolis, esse dedecus fulgori cognationis pessimum. Secundo, Probatur omnem nobilitatem esse bonam. Omne honorabile & fauorabile, bonum est, probatum id ante: At huiusmodi est nobilitas omnis De nobilitate quidem rerum constat, quia omnis essentia bona, & quantò magis conspicua & insignis, eo melior. De nobilitate autem virtutis & animi item constat, quia virtus honore digna est. De nobilitate successionis generis, docetur. Quia quamuis successores non sint paris virtutis, imo vitiosi sint, tamen propter gratitudinem quam debemus superioribus, quòd virtute præditi fuerint, debemus posteris gratiam, quia vel Rempub. iuuarunt aui, vel saltem quod bono exemplo fuerunt sui temporis hominibus, qui posteà liberos probe instituerunt, quique gratiam rependere tenentur. Nam docuimus ingrato, nos naturaliter teneri ad antidora. Neque gratitudo facile patitur maiorum prosapiæ laudem de rebubl. benemeritam vnius successoris, ob turpitudinem obscurari vel lædi: imo in eiusmodi degenerantem mitius parentum contemplatione & nobilitatis amore, non delinquentis, sed prædecessorum causa animaduertitur, vt apud Honorium III. Pontificem in c. fin. de pœn. lib. 5. Decret. tit 37. cano. qui contra ecclesiæ pacem, caus. 24. q. 1. in 2. part. decret. Grat. cum simili. ibi nota. à gloss. iurib. Sic Cicero agens pro L. Flacco Orat. 24. in fine concludit, *Miseremini familiæ iudices, miseremini fortissimi patrũ, miseremini filii nomen clarissimum & fortissimum vel generũ vel vetustatũ vel hominũ causa Resp. seruate.* Quãquam grauius peccent, qui exemplis familiaribus admoniti, in ea quæ indigna nobilitate sunt, lapsi sunt. Quia vt poëta ait Iuuenalis Satyr. 8.

*Omne animi vitium, tanto conspectius in se*
*Crimen habet, quanto maior qui peccat, habetur.*

Et rectè vt quod sentio proferam, existimarem seuerius hos puniendos, quo magis ingrati & Deo & hominibus sunt: Deo quia virtutis proposita exempla, velut ad manus existentia, cõtemptui habent: hominibus, quia honore ob maiorum virtutes delato abusi sunt, vt dicam cum Marcello. l. 14. de pœn. libr. 48. π. tit 19. quædam delicta pagano aut nullam, aut leuiorem pœnam irrogare, militi vero grauio-

rem. Nam si miles artem ludicram fecerit (miles inquam quorum ex numero nostratum tantum, veluti ex sanguinis fusione trahitur nobilitas) vel in seruitutem se venire passus est, capite puniendum Menander scripsit. Multò magis enim pœna digni sunt, quibus plurimum honoris delatum est, vt ait Theodosius in l. presbyteri, l. 8. de episcop. & cler. lib. 1. C. tit. 16. Et indigni certè sunt nobiles dici, qui ex vitiis nobilitatem obscurant & deturpant. Reatus enim omnem dignitatem excludit, vt sanctè scribit Constantinus in l. 1. vbi Senato. vel clar. lib 3. C. tit 24. Excludens ita rationem fauoris, includit autem, vt etiam acerbius puniatur. Quod in delictis grauibus intelligi volo in quibus obtentu dignitatis, militiæ excusatio nulla potest dari, quin male gestum cunctis appareat, in leuibus verò puto leuius agendum. Fauorabiles etiam nobiles in multis aliis. Item & honorabiles apud omnes, vt scribit Aristot. Politic. 3. c. 8. Verumtamen plus suspicio concupitæ dominationis Spurio Cassio nocuit, quam tres magnifici consulatus, ac duo speciosissimi triumphi profuerunt. Nec Tyberio & Caio Gracchis summa nobilitas profuit, quando conati sunt statum ciuitatis conuellere. Supremusque humanæ conditionis honos & filiis Gracchi & neporibus Africani defuit vt scribit Valer Maxim. lib. 6. c. 3. & alij. Addere licet nobilitatem ex meritis nasci quia meritum nobilissimos faciat. vt dixere Cæsares Valens & Valentinianus l. prouidendum est, l. 7. de postul. libr. 2. C. Et hæc est vera cuiusque & propria nobilitas, & vt ait Ausonius,

*Pulchrum mul'o parari quam creari nobilem:*
*Et malo* (vt ait Iuuenal. Satyr. 8.) *pater tibi sit Terſites,*
*dummodo tu ſis*
*Aiacida ſimilis, Vulcaniaq; arma capeſſas:*
*Quam te Terſite ſimilem producat Achilles.*

Et vt ait Ouidius de Ponto.

*Probitas magnos ingenium q; facit.*

Porrò quod meritum habet, bonum est: sicuti quod demeretur, malum. Ergo nobilitas bonum est.

*De pacis bono.*

## CAP. XXI.

PAcem esse bonum, à fine docet Plato, libr. 34. de legibus vel de legislatore. Quod, inquit, sicuti studia bellica, per se optabilia non sunt, sed propter pacem & tranquillitatem,

tatem, ita pax debet exoptari & amari, ad expeditum libe-
rumq; veritatis cultum. Non enim pax quæritur vt bellum
exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur vt dictum
in ep. ist. D. Augustini ad Bonifacium, in can. noli existima-
re, 23. q. 1. vnde & apud Christianos, etiam bella ob eam ra-
tionem permissa sunt, vt idem D. Augustinus ait, loquens
de diuersis Ecclesiæ obseruationibus relatum in can. apud
23 q. 1. in 2 part. decr. Grat. & Cicero 1. Officior. *Suscipienda*
*sunt bella, vt in pace sine iniuria viuamus.* Secundo Chari-
tas Dei & proximi, bonum & donum Dei: At charitas est
quæ pacem dat, imo & pax charitas & dilectio proximi:
igitur pax bonum. Vtrunque probatur in can. charitas est,
vt mihi videtur, de pœni. distin. 2. in 2. part. decre. ex Beati
Prosperi lib de contemplat. vita. Tertio, Quæ Deo accepta
sunt, non possunt esse non bona. Pax & pacifici Deo pla-
cent, quin & filij Dei vocantur, & beati. Matth. 5. vers. 9. a.
Donum etiam Dei, ob bonum, docet Psalmus 118. *Pax*
*multa diligentibus legem tuam. Deus fiat pax in virtute tua.*
Item Psalm 121. *Delectabuntur electi in multitudine pacis*
Psalm. 36. Et de iniquis & malis, scribitur, *Viam pacis non*
*cognouerunt.* Psal. 13. Et, *Dominus benedicet populo suo in pa-*
*ce.* Psal. 28. Sic apud Ieremiam c. 16. de malis, *Abstuli pacem*
*à populo isto,* Et donum & pax est electis Dei, &c. Sapient. 3.
Et scriptum in cantico Angelorum, *Sit gloria in excelsis, &*
*in terra pax,* sed quibus *hominibus bonæ voluntatis.* Quarto,
Bona bonis sunt amica: At iustitia quam bonam diximus,
pacem diligit & osculatur Psal. 84. Et Pyndarus Pythiorum
ode 8. Strophe 1.

Φιλόφρον ἡσυχία, δίκας
Ὠμεγισόπολι
Θύγατερ, βλαῦπε καὶ πολέμων
Ἔχοισι κλαῖδας
Τπερτάτας. id est,

*O blanda mente tranquillitas, iustitiæ filia quæ magnas urbes*
*reddis, consiliorum & bellorum habens claues supremas.* Vn-
de, quia iustitiam matrem pacis & amicam, & malorum vl-
tricem abhorrent delinquentes, neque etiam illis pax est
impiis ait Dominus Iesaiæ c. 48. d. v. 22 & D. Iacob. epistol.
c 3. d. vers. 18. Fructus Iustitiæ in pace seminatur facienti-
bus pacem. Quinto, Quodcunque desiderabile, bonum:

At

At omnibus pax desiderabilis. Etenim, inquit Cicero, in orat. 15. quam habuit contra Rullum. *Si circumspiciamus omnia quæ populo grata sunt, atq; iucunda, nihil tam popularе quam pacem, quam concordiam, quam otium reperiemus.* at rursum Philippic. 13. *Dulce est nomen pacis, res verò ipsa tum iucunda tum salutaris.* Et nullus est qui non amet pacem, potissimum, ex bonis quinque non potius desideret quietem, quàm impiam sanguinis effusionem. Sexto, Quod vtile omnibus est, bonū est: At vtilis omnibus pax, quin & Cicero li 7. Epistol ad Attic. epist. omnium illorum 130. *Pacem*, inquit, *hortari non desino, quæ vel insuſa vtilior est, quam iustissimum bellum in ciuibus.* Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur, vt dicebat Micipsa rex Numidiæ apud Salusti. in historia belli Iugurth. Et Isocrates ait, Oratio 13. de pace ὅτι δεῖ μᾶλλον τοὺς παραινοῦντας αὐτὴν ἔχεσθαι τῆς εἰρήνης, ἢ δι' ἣν πόσα κακὸν ἐπαθομεν. δεῖ δὲ τοὺς ῥᾳδίως τὸν πόλεμον αἰρουμένους, πολλῶν ἤδη, καὶ μεγάλων συμφορῶν περιεπέπλεομεν, *quod propter eos qui pacem amplectendam hortati sunt, nunquam quicquã damni accepimus, at propter eos qui suaserunt bellum, in plorasq; easque non paruas calamitates incidimus.* Nam vt scribit Cicero pro lege Manilia, Non solum aduentus belli, sed metus ipse affert calamitatem. Cum enim hostium copiæ non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum nauigatio quiescit. Late hæc Lucan. libr. 2. incipiens ibi.

*Nobilitas cum plebe perit, lateq; vagatur*
*Ensis & à nullo reuocatum est pectore ferrum.*
&c. Ratioque ex Lucano lib. 10.
*Nulla fides pietasq; viris qui castra sequuntur:*
*Venalesq; manus ibi fas, vbi maxima merces.*

Est enim bellum quoddam graue Dei flagellum, ob mala in homines immissum, vt ait Virgilius Georg. lib.

*Quippe vbi fas versum atq; nefas, tot bella per orbem,*
*Tam multæ scelerum facies, nec vllus aratro*
*Dignus honos squalent abductis arua colonis,*
*Et curuæ rigidum falces conflantur in ensem.*

Et Maximus Tyrius sermo 14. bellum iniuriæ magistrum dicit, sicut agriculturā iustitiæ. Hinc bellatorem rapiendi studium sequi & alienis inhiare bonis, hinc̃que putare secum

cum optimè agi, vbi maximè iniurius est, cumque per iniuriam maximè voti compos efficitur pacis contra bonum, hæc omnia tollit, vt Tibullus lib. 3. docet ibi incipiens,

*Intrea pax arua colat, pax candida primum*
*Duxit araturos sub iuga curua boues, &c.*

Deinde consentiunt omnes ferè, vt alia non sit probatione opus, cum Sillio Italico qui scribit lib. 11. belli punici.

*——pax optima rerum,*
*Quas homini nouisse datum est, pax vna triumphis*
*Innumeris potior pax custodire salutem,*
*Et cineis aquare potest.*

Sic Præco in Supplicibus apud Euripidem Actu 2. versicul. 105.

Καὶ τῶν ἁπάντων γε πάντες ἀνθρωποι λόγοιν
Τὸν κρείσσον' ἴσμεν, ἢ τὰ χείρω κἀγαθά,
Ὅσῳ τε πολέμου κρεῖσσον εἰρήνη βροτοῖς,
Ἥ τ' ὠφελοῦσα μᾶλλον ἀνθρώπους μάχης,
Ποιναῖσι δ' ἐχθρὸς, τέρπεται δ' ὑπ' ἀμφίᾳ,
Χαίρει θ' ὅταν πῶς ἀφέντες οἱ κακοὶ
Πολέμιοι ἀλλήλοις ἀρέμεθα, κἠσσονα
Ἀχλύμεθ' ἄνδρες ἄνδρα κἠπόλεις πόλις,

id est.

*Et geminum omnes homines rationibus*
*Potiorem scimus, & bona scilicet & mala,*
*Quanto autem pax bello commodior mortalibus?*
*Quæ primum quidem musis est gratissima*
*Famisq; inimica, gaudetq; dexteræ sobolis*
*Procreatione, lataturq; diuitiis hîs neglectis mali,*
*Bella amplectimur, & viri virum subigunt, & ciuitas ciuitatem.*

## *De bono perfecti.*

## CAP. XXII.

QVum perfectum dicatur, quod omnibus suis partibus constat, vt scribit Caius iurisconsul. in l. 1. de orig. iur. li. 1. ff. tit. 2. extra quod nihil eorum quæ sunt ipsius, accipi potest, vt scribit Aristoteles 2. de cœlo c. 4. dicimus non immerito perfectum esse bonum quia ex eo constat, essentiã eius quod perfectum est, nõ habere priuationem aliquam, vel imminutionem boni sui, & ita essentiam & substantiam intel-

intelligit Galenus, lib.7.de placi.Hippoc.& Plato pro optima vniuscuiusque perfectione. Et perfeciſſe dici poteſt is ædificium,qui conſummauit: ex quo vſus aliquis per conſequens bonum haberi poteſt apud Vlpia. in l. ædificia, l. 139 §.perfeciſſe.de verb.& rer ſign. lib.50 π.titul.16.Perfectum dicitur,vno modo,extra quod non eſt vllam accipere particulam, & quod ſecundum virtutem & id quod cuiuſque bene. non habet exceſſum ad genus, ſic perfectus muſicus, perfectus tibicen, cum ſecundum propriam virtutis ſpeciem,in nullo deficiunt. Virtutis itaque eſt perfectio & rerum abſolutio cum nihil eorum quæ ad rem pertinent, deeſt vel exuperat Ariſtot. Metaphyſ. 5.c.15. Cæterum hæc ſunt virtutis,in nullo exuperare vel deficere: ideo & ex virtute bonum & perfectum erit bonum. Dicimus tamen metaphorice & perfectum,de malo,ſicut & bonum, vt bonus & perfectus fur,latro, &c. Sed id improprie, vt ſcribit idem Ariſtoteles lib.15.Metaphyſ.

*De rationis bono.*

## CAP XXIII.

RAtionem Seneca,bonum eſſe his verbis probat.Epiſtol. lib.10.epiſt.77. *Quid in homine*, inquit, *proprium? Ratio, hac recta & conſummata felicitatem hominis impleuit. Ergo ſi omnis res cum bonum ſuum perfecit,laudabilis, & ad finem naturæ ſuæ peruenit, hominis autem ſuum bonum ratio eſt ſi hanc perfecit laudabilis eſt, & finem naturæ ſuæ attigit. Hæc ratio perfecta Virtus vocatur, eademq; honeſtum eſt. Id itaque vnum bonum eſt in homine, quod vnum hominis eſt. Nunc enim non quærimus quod ſit bonum, ſed quod ſit hominis bonum. Si nullum aliud eſt hominis quam ratio, hac erit vnum eius bonum. ſed penſandum cum omnibus: ſi ſit aliquis malus puto improbabitur: ſi bonus, puto probabitur. Id ergo in homine proprium ſolumq; eſt, quod & probatur & improbatur. Non dubitas an hoc ſit bonum, dubitas an hoc ſolum bonum ſit.* Hactenus Seneca. Ex quibus verbis in ſumma colligo, Rationem eſſe bonum, Quia proprium hominis bonum. Quia laudabilem hominem efficit. Quia honeſtum. Quia perficit hominem. Quia ratione boni ab improbis & malis ſecernuntur. Et Plato libr.24. in Gorgia oportere ait ſe committere rationi tanquam medico. Nam vt ſcribit Manlius lib.2. Aſtrono. Neque decipitur ratio neque decipit vnquam.

Quæ

2 Quæ à Deo sunt, & diuina, bona sunt. constat. Atqui nihil est, non dicam in homine, sed in omni cælo atque terra, ratione diuinius, quæ cum adoleuit, atque perfecta est, nominatur rite sapientia, vt ait Cicero *1.* de legibus vt alibi li. *5.* de Finib. bono. & virtutes omnes ex ratione nasci, quæ bonæ sunt, docet. Et *1.* de legib. vocat etiam rationem summi Iouis filiam, vt Claudianus, in consula. Manlij Theodo.

*Dii proximus ille est,* inquit,
*Quem ratio non ira mouet, qui facta rependent,*
*Consilio, punire potest mucrone cruento.*

Et Aristot. lib *7.* Polit. c. *15.* rationem & mentem esse naturæ finem.

3 Anima bona naturâ, quia à Deo creata, & eius solius opus. At purissima animæ pars, ratio est, vnde λογικὸν animal, vt scribit Macrobius libr. *1.* Saturnali c. *14.* Nam vt ait Claudianus in 4 Honorij consulatu.

*Nostros atherea miscens terrena Prometheus,*
*Synseram patri mentem furatur olympo,*
*Continuit: laustris, indignam temq; reuinxit:*
*Et cum non aliter possent mortalia fingi,*
*Adiunxit gemmas: illa cum corpore lapsa*
*Interiere, hæc sola manet, bustoq; superstes,*
*Euolat. Hanc alta capitis fundauit in arce*
*Mandatricem operum prospectur amq; labori.*

Sed aperte Tertullianus lib. *2.* aduers. Marcio. *Nec ratio,* inquit, *sine bonitate, ratio est: nec bonitas, sine ratione bona.* Et D. Ioan. Damascenus, li. de duab. Christi natur. *Primum bonum,* inquit, *quod liberi arbitrij est, naturam eam decet qua ratione gaudet & libero arbitrio vti: perturbationibusq; sic qua naturam affernantur, iram dico & cupiditatem imperare.* Et tantum bonum esse constat rationem, vt si quis priuetur, veluti accidit in infante vel furioso, eius opera, nullius sint meriti, quamuis bona: nec punienda, si mala, quia nec de iis Deo redditurus est rationem, quæ tempore priuationis rationis egit: alij rationales, de omnibus, canon firmissimè, *15.* q. 1. in *2.* par. Decreti Grat. Et ideo mente captus, nec disponere ad pias causas, nec in fauorem suæ animæ potest, vt scribit Innocentius *3.* in cap. fin. de succes. ab intest. lib. 3. Decret. titul. *27.* Neque monasterium mente captus ingrediens, iure professus dicitur apud eundem Innocentium tertiũ In cap. sicut tenor, c. *15.* de regularib. li. 3. Decret.

Decret.tit.31.nulla enim vox, vel sensus infanti vel furioso esse dicitur apud Iustinianum in l.sancimus l.7.ad Sc.Treb. lib 6 C.tit.48 Sicuti à criminum pœna immunis vterque, & infans, & furiosus: alterum enim innocentia consilij, alium fati infœlicitas excusat, vt scribit Modestinus in l.infans,l.12.ad l.Cornel de sica.li.48.π.tit.8.Et in l. pœna parricidij.l.9.ad l. Pompe.de parric.lib 48.π.tit.9.& Marcellus in l.diuus, l.14.de off.præs. lib.1.π.tit.18.& in hoc brutis æquiparantur, quæ quia sensu carent, non videntur nec dicuntur iniuriam facere:apud Vlpianum in l.1.§.1.si quadrup paup fec.dic. lib.9.π tit.1. Deinde constat rationem, societatis humanæ esse vinculum, quæ per orationem dicendo, communicando, disceptando iudicando conciliat inter se homines, coniungitque naturali societate, vt scribit Cicero,1. Offic.Hac leges condimus, hac suum cuique tribuimus, hac denique homines sumus: quæ cum bona esse docuerimus, non mirum si rationem, bonum dicimus.

*De Sancti bono.*

## CAP XXIV.

CIcero 1. de natu. Deo. apertè indicat Sanctum esse bonum, dum ait, Sanctitatem esse, scientiam colendorum Deorum. Hac appellatione etiam continetur religio, quæ est scientia qua Deus colitur. Nam & Cicero eod.1. de nat. Deo religione cultum pium Dei, contineri ait: separatque à superstitione, quæ est inanis timor Dei, hoc est, timere vbi non oportet Deum. Et 2 de nat. Deo. rursum vtrumque latius demonstrat, *Cultus* inquit, *Dei* (Deorum dicit ille idololatra) *est optimus, idemq; castissimus atque sanctissimus, plenissimusq; pietatis. Vt enim semper pura, integra, incorrupta, & mente & voce veneremur. Non enim philosophi, verum etiam maiores nostri, superstitionem à religione separauerunt. Nam qui totos dies precabantur & immolabant, vt sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomen patuit postea latius. Qui autem omnia quæ ad cultum Dei pertinerent diligenter pertractarent, & tanquam relegerent sunt dicti religiosi, ex relegendo: vt eligentes ex elegentes, tanquam à deligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes.* Apud Iurisc. Sacræ res dictæ omnes sunt, quæ consecratæ sunt, non priuatim, idq; quadam lege [illegible] publica, eoq; per eã constitutionẽ ab iniuriis homi-

hominum defensæ munitæque sunt, vt scribit Martia. in l. in tantum, l 6. § sacræ, & l. sanctum est l. 8. de rer. diuis. lib. 1. π. tit. 8. qui & sanctum, id quod tutum est ab iniuria definisse videtur, siue Deum res illa, siue homines respiciat, *Sanctum*, inquit, *à sanguinibus quibusdam herbis, quas legati populi Romani ferre solebant, ex delatione quarum tuti erant. Sicuti & legati Græcorum, vt tales dignoscerentur, essentque inter aduersarios tuti, deferebant caduceas, quæ vocant Græci κηρύκεια*, id est, virgas quas fœcialibus ad pacem sanciendam deputatis, tradebant. Dicta autem sagmina, quasi sanctificamina, nam sagmina non erant, vt vulgo creditum est, verbena sola, quã Græci vocant ἱεροβοτάνην καὶ περιστερεῶνα, quæue interdum dabatur fœcialibus, vt apud Plinium, lib. 25. c. 9. qui & magorum & sacerdotum antiquorum maxima veneratione habitam scribit, & multis morbis pro remedio esse, vnde & nomen accepit, vt sit ἱερὰ βοτάνη. Sic enim scribit etiam Dioscorides li. 4. c. 61. καλεῖται δὲ αὐτὴ ἱερὰ βοτάνη διὰ τὸ δεῖχρησθαι ἐν τοῖς καθαρμοῖς εἶναι εἰς τὰ περιάμματα, id est, *sacram vocant herbam, quoniam multum ad Amuleta, expiationesq; commendetur*. Sed & fuerunt herbæ aliæ, quibus fœciales vtebantur, vt gramẽ, apud eundem Plinium li. 22. histo. natu. c. 2. & Liuium. lib. 1. ab vrbe cond. cuius hæc verba, *Fœciales*, inquit, *regem Tullum sta rogauit, iubesne me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? iubente rege, sagmina*, inquit, *te rex posco: Rex ait pura tollito. fœcialis ex arce graminis herbam attulit, postea ista regem interrogauit. Rex facisne me tu regium nuntium populi Romani, Quiritũ, vasa, comitesq; meos? Rex respondit, quod sine fraude mea, populiq; Romani Quiritium fiat, facio*. Deinde fiebat fœdus multo & longo præfatu carmine, & porco sacrificio mactato. Fiebat enim sponsio fœcialis medio sacrificio, vt scribit Liuius lib. 9. Decad. 1. Quibus ducor vt existimem herbas quascunque à fœcialibus & legatis delatas dictas sagmina, quasi segmina, quæ Græci dicunt ὀπτόμματα, id est, incisa & resecata, ac si resecatio esset pro symbolo, quod potestas legati erat quædam facultas & potestas à principe & populo pendens. Vel sagmina quasi stabilitorũ signa, & sancitorum à publico signa. Sic enim diximus, sanctum esse publice consecratum, & cum religione & sine religione. Hinc & sua idola quæ Deos dicebant Gentiles

sanctos dixerunt, quod tutam, habitabilem, & ferinam, vel ab aliquo periculo immunem reddidissent vrbem. Dictus ideò à Propertio, Hercules sanctus, quod quædam animātia notiua & latrones occidisset. ita enim lingua Curetum id indicare ait dum scribit.

*Sancte pater salue, cui iam fauet aspera Iuno,*
*Sancte velis libro dexter inesse meo.*
*Hinc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,*
*Su sanctum Thacia composuere cures.*

In Fastis etiam de hoc Curete sancto meminit Ouidius, Syllius & alij. Comminiscitur quædam Annius Monachus in commentar. super opusculum Sempronij de diuisione Italiæ de Sagminis & Sabatio, vnde sanctum ducit. & idem Sangnus apud Hetruscos & Sabinos, quod Sanctus apud Latinos. Et Saga lingua Aramea, quæ significare vult idem quod purum, religiosum & sacerdotem, quia & Festus Sagam exponit expiatorem, vt rursum Annius scribit in commenta. ad secundum Berosij. Quæ si vera sunt, sanctio verbum, potius à sancto, quàm sanctus à sancio sancis sancire, quod significat stabilire, statuere, ratum facere maxime pœna contra facientes adiecta. Non multum tamen interest, Papinian. l. sanctio legum 41. de pæn. li. 48 π. tit. 19. quod primum fuerit horum dum scimus, sancire & sanctum, pro stabili, firmo, & rato assumi. Quamobrem & nos bonum sanctum dicimus, siue de diuinis, siue de publicis. & statutis agamus, eò quòd ratum, approbatum, & firmum huiusmodi sit, tutumque ab iniuria, & secundum leges quæ iustitiæ & rationi consentiunt: quæ & bona esse docuimus. Deinde constat inter omnes quascunque religiones, cultum numinis esse bonorum omnium fundamentum, ex eo, quod in religione cultus Deo defertur, eoque & honoratur Deus, quo nihil melius: vt impietate Deus contemnitur, quo facto nihil scelestius superbiusue. Sic Cicero, in partitio. orator. bonitas vulgò, erga parentes pietas, erga Deum religio. Possem hîc percurrere præstantissima monumenta antiquorum, Euripidis in Bacchid. act. 1. & 5. Platonis, 1. de legib. & in Eutyphro. & alibi. Et quæ Diodorus, Dionysi Halicarnassæus, Hesiodus, Homerus, Æschylus & alij, tam Græci quàm Latini tradiderunt. Sed mihi nimium stomachum moueat, quod ea dicta sint ab ijs sub no-

sub nomine religionis veræ & fuco eius, de impietatibus abominabilib. & infandis idolis, à quorum etiam nomine nos Christi gratia lumen veritatis amplexi abhorremus omninò, qui puram, religiosam, & incontaminatam linguam & mentem præferre debemus. Quamobrem illis prætermissis ad veram religionem nos conferemus. Probo itaque rursum, Religionem & sanctum esse bona, quia & quod Deum honoremus, Deus nos honoratos reddit: & contra ignobiles eos qui non eum honorant 1. Reg. c. 2 f. vers 30, Honor autem & gloria bona. Dehinc, bona sanctitas quia est via ad vitam & fœlicitatem æternam: *Si vis* inquit Deus, *ad vitam ingredi, serua mandata*. Matth. 19. c. vers. 17. Mar. 10. d. vers. 17. & sequentib. Est & sanctum communicans cum Deo, quia Deus sanctus verè dicitur, & sanctitas ipsa. Ipse quippè solus verè mundus & perfectus. ideò scriptum Leviti. 11. g vers. 45. *Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quicquam eorum*, scilicet immundorum, ne immundi sitis. *Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, quia ego sanctus sum.* eadem scribuntur Levitici c. 19. a. vers. 2. Et 1. Petri 1. c. vers. 16. & Iosue c. 24. c. vers. 19. & Psa. 98. a. & psal. 144. D. cum similib. Et alibi, *Dominus magnificus in sanctitate*. Hæc, Exodi 15. b. vers. 12. sanctitas omnia quæ sancta sunt sanctificat, nec aliundè quàm ex Dei beneficio quis sanctus dici per se potest, nisi verbo Dei, fide, vel dono alio visibili sanctificetur seu approbetur, stabiliatur in gratia, purificetúrue. Proinde Sophonias ait, Sophoniæ 1. b. vers. 7. *Silete à facie Dei Domini, quia iusta est dies Domini, quia præparauit Dominus hostiam: sanctificauit vocatos suos.* Et Exodi c. 31. c. vers. 13. *Ego Dominus qui sanctifico vos, seruate sabbatũ, quia per me sanctificatũ*, id est, seruitio meo dicatũ, *nõ operibus vestris*: quicuit enim Deus septima die, & illam sanctificauit Genes. 2. a. Sanctificare autem accipitur interdum in scripturis sacris, pro purificare & mundare, sicut & sanctum pro mundo, vt sanctificare populum apud Iosuam, Iosuæ 7. b & alibi. Ad Hebræ. 9. d. Hinc sancti in scriptura sacra, recti corde, & purificati à peccatis, & per lauacrum regenerationis in Christo mundati Euang. Ioan. 17. ad Roma. 1. & 2. Corint. 2. Et sancti sæpe, pro credentibus accipiuntur, & fidelibus. Item sanctificare Deo, id est, consecrare, & à profanis vsibus ad Dei cultum transferre. vt *Sanctificabitis mihi*, inquit Deus, *omne primo-*

*genitum sexus masculini.* Deutero. 15. d. Sic, Sanctificatio anni. Sic templum, Leutt. 25. b. tabernaculum, altare sanctũ Domino. Deus autem sanctus sanctorum. Daniel. 9.

*Verum quod bonum sit.*

## CAP. XXV.

VErum esse bonum constat, quod omne bonum in esse, seu id quod est, sit, omnis autem essentia vera sit. Illa namque semper præsupponit, aut quæ sunt, aut quæ fuerunt, aut quæ futura sunt, vt ait Cicero 2. de Inuentio. Ita D. Augustinus, veritas est, vt quod est dicas: contra falsitas, can. cum humilitatis, 22. q 2. in 2. part. Decre. Grat.

Quod omni studio desiderabile est, quodue inquiri debet, bonum est, vt supra docui: at omnibus modis veritas inquirenda est. vt scribunt Seuerus & Antoninus Cæsares in l. 2 de eden. lib. 2. C. tit. 1. & ad veritatem inquirendam, natos homines dixit Aristoteles. libr. 1. Rhetor ad Theod. c. 1.

Quod honore dignum est, bonum esse probauimus: At veritas honore digna maximè est, quia & sanctum est, honori & amicitiæ veritatem præferre, inquit Aristot. Ethic. lib. 1. ad Nicoma. c. 6. Sic Æschines, ἔστ' ἰσχυρὸν ἡ ἀλήθεια ὥστε πάντων ὑπερέχειν τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν. *i, adeo valida res est veritas. vt omnes humanas cogitationes superet. Atq; 3.* Esdræ 3. *omnia vincit veritas.*

Donum Dei omne bonum est, vt docuimus. At veritas est donum Dei. Nam solus Deus veritatis cognitionem dare potest, vt ait Plato in Alcibia. 2. vel de voto. quia propriè Deus verax, omnis autem homo mendax. D. Paul. ad Rom. 3. a. vers. 4. Matthæi 22. b. vers. 16. Mar. c. 12. b. vers. 13. cum similibus. Ipse quoque Deus explicauit se esse veritatem his verbis: *Ego sum via & veritas* Et in Euang. D. Ioan c. 15 a. scribit Olympias apud Strobæum. ἀλήθεια θεῶν ἐμὸς μόνη θεοῖς σωφροσύνη, *veritas cœli cultus est, & sola fruitur consultu diuinorum.* Pindarus Olympio. ode 10. strop. 1. hæc dicit de veritate. ἀλλὰ σὺ καὶ θυγάτηρ ἀλήθεια φιλεῖς, *sed tu veritas filia Iouis, &c.*

Plato lib. 31. dialo. 6. de Repub. vel de iusto ex oppositione veri & mali, arguit: *Vbi* inquit, *dux est veritas, ibi nullo modo malorum chorum subsequi, sed verum sustumq; morẽ.*

Et

Et alibi li. 34. de Legib. vel de legumlatore. veritatem tum diis quos vocat, tum hominibus omnium esse bonorum ducem ait, cuius qui fœlix beatusq; futurus est, statim ab initio particeps esse debet, vt in veritate plurimum tempus vitam agat. Postremo, veritas, dux virtutum omnium est: mendacium autem, vitiorum. Nam quandiu quis recta nouit, vix errat. vitia autem nihil aliud sunt, quàm cùm mala bona putantur ex ignorantia, vnde fallum. Nihil autem magis est contrariũ veritati, quam falsitas, quæ est veritatis immutatio, vt scribit Iustinia. in §. 1. de instrum. fid. & caut. in Auth colla. 6. tit. 3. Sed de veritate & mendacio infra latius, dum de veritatis principio. Deo fauente, agemus. In verum bonum non cadit mentiri, criminari, præripere, fallere. Cicero, de vniuersit. Quia vir bonus nõ errat Cice. 1. Offi. Et Marsilius Ficinus, li. 1. Epist. li. 1. Bene viuere, est verã intelligere, consultare bene. velle bonum agere. Bonum primum, sapientiæ est: secundum, prudentiæ, tertium, iustitiæ: quartum, perseuerantiæ.

## *Vtile quod sit bonum.*

## CAP. XXVI.

QVamuis vtile idem non sit cum iusto, tamẽ pulchrum est: pulchrum autem bonum est, teste Platone. Plato in Menone, vel de virtute.

Secundo, Quod omnes expetunt, bonum est: At omnes vtile expetunt: ergo bonum, vtrumque probat Aristoteles 1. Rhetor. ad Theod. cap. 6.

Tertio, Probatur à finitione vtilis, ex Aristotele, in Rheto. ad Alexan. cum de genere deliberatiuo agit. Vtile, inquit, est, præsentium bonorum conseruatio, aut absentium comparatio, aut malorum instantium propulsatio, aut futurorum incommodorum inhibitio. Et vtiles impensæ dicuntur, quæ rem meliorem faciunt apud Vlpia. l. quod dicitur. l. 5. de impen. in reb. dotal. fact. libr. 25. ff. titul. 1. addit Fulsinius quæ meliorem rem faciant, & deteriorem esse non sinant, vt refert Paulus Iurisc. in l impensæ, l. 78. §. vtiles de verb. & rer. sign. libr. 50. ff. tit. 15. Siquidem vtilitas, non tam dicitur respectu rei præsentis, quàm damni declinati. Et ideo interdum cessans vtilitas consideratur, non rei præsentis, quia plerunque illius æstimationem excedit, hoc est, vtilitas pensanda ex re retenta excedit rem retentam, vt scribit Vlpian. in l. Iulianus, l. 9. § fin. ad exhiben. libr. 10. ff.

tit. 4. Non enim damnum intelligitur, nisi omni lucro deducto, neque lucrum, nisi omni damno absente vt ait Paul. iurisconsul. in l. Mutius, l. 30. pro soc. lib. 17. ff. tit. 2.

Quarto, honestum bonum est, vt probatum: At vtile honestum, sic enim vtile interpretatur glossa iuris ciuilis in §. 1. in verbo vtiliores. de referend. sacri pala. in auth. collat. 2. tit. 6. Et Cicero vtilitatem in ciuili consultatione, in duas partes diuidit, libr. 3. Rhetor. ad Herennium in tutam & honestam: tuta, inquit, pars est, quæ conficit instantis aut consequẽtis periculi vitationẽ, qualibet ratione. Hęc distribuitur in vim & dolum. Quorum aut alterum separatim, aut vtrumque sumemus coniunctim. Vis discernitur per exercitus, classes, arma, tormenta, reuocationes hominum, & alias huiusmodi res. Dolus consumitur in pecuniam, pollicitationes, dissimulationes, maturationes, mentiones, & cæteras res. honestum diuiditur in rectum & laudabile. Rectum est quod cum virtute & officio fit: id diuiditur in iustitiam, prudentiam, fortitudinem, & modestiam &c. lib. 5. Epist. famil. omnium familia 75. Rufo scribens: & alibi omnes, inquit, fortes ac boni viri, nihil putare debent vtile esse, nisi quod rectum honestumq; sit.

Quinto, Et Cicero docet vtilitatem bonum, quia salutaris, conueniens, & ad defensionem iusti. Sic enim scribit libr. 2. de Inuent. *Vtilitas aut in corpore posita est, aut in extraneis rebus: quarum tamen rerum multo maxima pars, ad corporis commodum reuertitur, vt in repub. quædam sunt, quæ, vt sic dicam, ad corpus pertinent ciuitatis, vt agri corpus, pecunia, classes, nauta, milites socii, quibus rebus incolumitatem ac libertatem retinent ciuitates. Quare vtilitatis duæ partes videntur esse, incolumitas, & potentia. Incolumitas, est salutis tuta, atque integra conseruatio. Potentia est, ad sua conseruanda, & alterius obtinenda, idonearum rerum facultas.* Et iterum Cic. 3. Offic. *Bonus est, qui prodest quibus potest, nocet autem nemini, item qui nemini inuidet, prodest autem omnibus cum potest.* idem lib. de vniuersi. & Speusippus, vtile inquit, lib. de definit. Platoni. causa quod vnum quodque bonum beneficiatur. Cæterum hic obseruandum est, omne quidem lucrum, vtile & bonum esse per se, eo quod re ipsa, aliam rem augeat & multiplicet. Veruntamen media per quæ lucrum quæritur, & voluntas, mala esse possunt: & ita alicui lucrum vtile, alij autem potest esse damnosum & inutile, quemadmodum & quod mihi inutile

tile est ob vsum, eo quod eo non egeo, tui respectu potest esse vtile, quia eo indiges, vt scribit Paulus iurisc. libr. 1. de contrah. empt. lib. 18. ff. tit. 1 Vtilitatum ita comparationes fieri debent adinuicem, vt ait Cicero lib. 2. Offic. Nam quia res aliæ aliis meliores, sic aliis aliæ vtiliores. Sic bona corporis & vtilitates eiusdem, cum externis comparari solent. Interdum corporea cum corporeis, externa cum externis inter se, & cum spiritualibus & substantialibus & accidentalibus, vt illa mutuo. Hinc lucra turpia & improba, vel ratione modi habendi, eo improbo existente & malo, si ea quæ per se vtilia sunt, malis artibus acquiruntur: vel ratione nocumenti alteri illati, cum quis iniuste suis expoliatur, vt alter ditetur. Hinc vetitæ vsuræ, furta, rapinæ, & huiusmodi spoliationes, iniustis artibus factæ. Quæ quia nocent animæ iniustè acquirentis, pœnasque arcessierunt, & nocent etiam iis à quibus res extorqueantur, non propriè lucri vel vtilitatis nomine digna sunt, sed damni. Sic Publius Mimercus optimè, *Damnum*, inquit, *appellandum est, cum mala fama lucrum.* Si enim, vt probauimus, lucrum non dicitur, nisi omni damno deducto, & verum sit, comparationem in vtili, faciēdam rerum: certè quia anima plus est, quam extranea bona, lucrum vel vtile dici non poterit, ex quo animæ detrimentum ingeratur, sed potius sordes & damnum. Quam enim commutationem homo dabit pro anima sua? aut quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Matth. 16. d. vers. sic. 16. Marc. c. 8. d. versic 36. Nullus autem dubitat animam præstantiorem corpore. l. sancimus, de sacrosanct. eccles. quia anima corpus viuificat, non contra. Nec bona dicuntur quæ continent miserum quid, vt scribit Cicero 1. Tusculan. & in Parad. 1.

## *Quare bonitatis fiat disquisitio.*

## CAP. XXVII.

INterrogabit forsan aliquis, quare bonitatis fiat tam accurata & diligens apud nos disquisitio. Et cur nos hanc prius imposuerimus transcendentium principium. Cui quatuor ex superioribus colligi istius tractationis rationes possint, adiciam adhuc duo esse quæ bonitatis indagationem suadeant. Primùm, vt Deum omnium authorē, prudentem, rerum omnium architectum, seu demiurgum

agnoscamus: & prouidentiam liberalitatemque eius in omnia promanantem obseruantes, eum omni studio & cura colamus, diligamus, & veneremur, vt tradit Lactantius lib. 7. diuinar. Inst. c. 5. Deinde, vt bonum à malo nota certa, quatenus hominibus licet, distinguentes sine errore saltem crassioris ignorantiæ, qua maior pars hominum ducitur, eligamus audienda, dicenda, facienda: & vt omisso satis tædioso Philosophorum ludo, qui res ad literas reuocant, verbisque inanibus obtenebrant mentem: ad facienda & ad res peruenianus, vt non immerito antea Socrates, qui etiam Philosophiam reuocauit ad mores, hanc summam dixerit esse sapientiam, bona malaque distinguere, vt scribit Seneca, libr. 10. Epistol. epist 72. Distinctione namque electio fit bona cum electio sit, meritis cuiusque allegatis, arbitratio, vt scribit Vlpianus in l. generaliter, l. 24 §. quid ergo, & ver. quis ergo, de fideicommiss. libert. libr. 40. ff. titul. 5. Est namque discretio mater virtutum omnium in c. 1. de offic. custod lib 1. Decret. Grego. titul. 27. Sic eueniet etiam, vt cognitis quatenus oportet bonis vel malis, illa quis sectetur, ista fugiat. Et sapiens factus nunquam assentiatur rei vel falsæ, vel incognitæ, quæ etiam propria ponit sapientis Cicero. 4. Academ. quæst & hoc pulcherrimum judicat, vera videre: & turpissimum probare pro veris falsa. Quod continget si ad illam bonitatem, Deum inquam, veluti ad Cynosuram nautis, mentem nostram dirigamus, quæ semper vera est, & veri substantiam indicat. Accidet etiam vt bonitate cognita, nos ipsos meliores reddamus, & tuta certissimaque via, ad Deum, qui finis noster est, & fœliçitas, pura & incontaminata mente peruenianus. Nauta enim qui nouit surdos scopulos, latentes petras, profundos vortices, tuto clauum ab itinere tam periculoso detorquet. Qui autem horum insçius, quive ventorum flatibus vagus obtemperat, in pericula omni momento impellitur, citiusque absorbetur & perit, quam periculum præcauendum didicerit. Adhæc natura suadet, in omnibus actionibus, vt eligamus quod bonum est, fugiamus autem quod malum, vt scribit Galenus 7. De decret. & placit. Hippocrat. & Plato Sui enim natura bonum est expetendum, vt ait Speusippus, libr. de definitio. Plato. Aristot 1. Ethicor. cap. 1. & alibi, & nos supra docuimus. Et ideo nobis datã esse sapientiã scribit Lactãtius li. 7. diuina. Inst. vel li. de diuino prçmio c. 5. Addendũ q9 qui huius bonitatis

nitatis & malitiæ electionem norunt, faciliùs sibi & aliis consulunt. Cùm enim duo bona proposita sunt, qui vtrumque nouit, melius eligit: qui verò ignorat, sæpiùs quod melius apparet, & tamen minus bonum eligit. Probè autem qui sapit & prudens bonitatis notione factus contrà. Sicuti duobus inculitabilibus malis alicui propositis, debet quis maiori studio maius malum fugere: non enim dico minus eum debere eligere, nam electio malorum nulla est. Omnia enim mala vitanda: sed dico, magis vitandū maius malum. Exempla traduntur, & huius electionis resolutio, in cano. duo mala, ex consilio Toletano 8. & ex Gregorio 13. distinctio. in Moralib. parte 6. libr. 22. c. 55. & 56. in ca. nerui testiculorum 13. distinct. in 1. parte Decre. Gratiani, & in ca. si aliquid. & can. sequent. 22. q. 4. in secunda parte Decr. eiusdem & fere tota illa distinct. In quibus probatur, duobus malis occurrentibus, maius vitandum: veluti, si quis iurauerit vel vouerit Deo, vel promiserit stuprum, adulterium, cædem, & huiusmodi: potiùs peierandum est, quàm ea committantur: quòd ea committere maius delictum habeat. Et sic de similibus, in quibus magis peccatur, cùm maius peccatum fit. Sicuti & non mediocriter errat, & contra dignitatem hominis facit, qui mediocre bonum maiori præponit, vt ait *D.* Hieronym. cano. non mediocriter, de consecrat. distin. 1. in 3. part. Decret. Gratia. In vtroq; autem, rationis & scientiæ requiritur prudentia. Nec tamen vt nobis, sed vt aliis consulamus. Sunt enim personæ quædam in hac vniuersi repub. quæ cùm aliorum curam habeant, perfectioris notionis & scientiæ esse debent, veluti sacerdotes, qui consecrati Deo, qui perfectio ipsissima est, & in perfectione scientiæ boni & mali excellere debent, vt dijudicent & discernant inter lepram & non lepram, peccatum & non peccatum, inter causam & causam. Deuter. c. 17. b. vers. 8. & 9. Et vt ait Malach. c. 2. b. versic *7. Labia sacerdotis custodient scientiam: & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Quamobrem & per Symbolum homo claudus, cæcus, & obtorto vel nimium longo naso, non poterat offerre sacrificium Deo, vel non sacerdotio fungi Leuitic. cap. 21. c. versicu. 16. & sequent. vt significaretur hominem in electione boni dubium & claudicantem in vtrumque & naso non integro, hoc est, iudicio discretionis, quo bona vel mala non sentiret, quiq; cæcus in his esset, isto munere indignum. & ita interpretatur

ex Grego. canon. hinc etenim 49. dist. in 1. part Decre. Grat. Sunt & istius ordinis magistratus, & qui aliis sunt præpositi redditurí rationem animarum quibus præsunt, vt scribit D. Paulus ad Hebr. cap. 13. c. vers. 17. in hos enim redundabit iudicium, si quod malè de subditis habuerint, vt monebat suos iudices Iosaphat Rex 2. Paralip. cap 19. b. vers 6. Et ita Speusippus, Platonis discipulus lib. de Definitionib definit hominem bonum, qui huiusmodi est, vt homini bona reddat Sunt & aliæ rationes quæ ad bonum nos impellunt cognoscendum & agendum, vt quia iustum, honestũ, pulchrum, desiderabile, pacificum, Deo placens, &c. quæ prætermitto. Quibus breuiter expositis illud pro conclusione apponemus, quod Rabi Ben Sirah in sententiis moralibus scribit, sententia quinta חוס טב וידך מן טבתא לא תמנע *haue tab bidach min tabetha lo timnayn*, id est, *Esto bonus, & manum tuam à bono ne abstrahas*, quod adhuc idem repetit alibi Sententia 10. quodque Isaias cap. 1. d. vers. 16 *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite bene agere* Et Dauid Psal. 33. *Declina à malo & fac bonum*, vt D. Paulus 1. ad Thessal. 5. c. vers. 22 *Ab omni specie mala abstinete vos*, id est, non tantùm ab eo quod apertè malum est, sed & ab eo quod speciem & similitudinem mali habet. Et quod Homerus dixit, *à fluctu atq; luto longè depelle carinam*, bona agere bonos arguit, & ex bonis quoque nasci, bonos natos esse præsumptione facit. Quamobrem & Vlpia. in l. quòd si nolit, l. 31. §. qui mancipia, de ædili. edict. lib. 21. ff. tit. 1 scribit ex edicto, qui mancipia vendunt, nationem cuiusque pronunciare debere, quia inquit, præsumptum est quosdam seruos bonos esse, quòd nationis sint non infamatæ: quosdam malos videri, quia ea natione sunt, quæ magis infamis est. Admonent etiam nos antiquorũ Gentilium sapientes, nihil vltra à Deo nobis petendum, quàm simpliciter bona. Sic enim monet Euripides in Helena,

—— τοῖς θεοῖσι χρὴ
Θύοντα σαίτειν ἀγαθά, μαντείας δ' ἐᾶν.

id est, *Deo sacrificantes oportet bona petere, & omittere diuinia*. Et Socrates idipsum statuens, quia inquit, Deus scit quod vnicuique sit vtile, nos autem plerunque votis expetere, id quod non impetrasse melius foret, vt scribit Val. Maxim. lib. 7. c. 2. in Socrate.

De

*De axiomatibus electionis boni.*

## CAP. XXVIII.

DE distinctione boni & bonitatis cùm satis tractatum sit, plura non addam, nec de regulis, quas breuiter perstrinximus lib. 4. Synta. art. mirab. cap. 1. in fine. Verumtamen axiomata quæ obseruabimus ibidem cum aliis quibusdam subiungam. Quorum illud primum.

1 Bonum melius est eligibilius, malum peius potiùs vitandum, quod patet tonitoribus atque lippis per se, & proximo superiori capite docuimus.

2 Melius dicitur collatione alterius boni minoris, id est, cùm id quod maius est, continet id quod minus est, & adhuc alio bono fulcitur, vt docuimus. Item bonum melius dicitur, quod in ordine graduum perfectionis naturæ superius est, secundùm ea quæ diximus lib. 6. Syntax. art. mirab. cap. 1. Sic maius malum, quod magis à bono declinat.

3 In bonis eligendis, quæ propter aliud eliguntur, vel quæ aliud considerant, vel ad finem diriguntur, maximè cauendum est ne decipiamur. Nam licèt in bonis fine, vix aut nunquam erretur, in mediis tamen quæ ducunt ad finem, facilè erratur. Sicuti exempli causa, nullus est qui non nouerit sanitatem esse finale bonum, in hoc non erratur: sed in mediis quibus quis ad sanitatem peruenire possit, & num hoc comesse ad sanitatem pertineat, erratur, teste Aristotele lib. 1. Magnor. moral. c. 19. Sic victoriam bonum esse nemo quoque dubitat, velut & pacem: sed quibus modis ad id perueniatur, hoc opus, hic labor est.

4 Præstantiora sunt bona finis, bonis tendentibus ad finem. Quia bona finis propter se exoptantur. quæ verò ad finem, ad aliud ordinata sunt. & quodammodo imperfecta videntur antequam perueniant quò diriguntur, & propter quod vnumquodq; tale est, & illud magis. Sic finis, perfectio cùm sit, bonum est per se, vt scribit Aristot. 2 ad Eudemum Ethic. & li. 2. Metaphysic c. 2. Ideo idem scribit libr. 5. Topic. cap. 1. bonum propter se, magis esse eligibile, quàm bonum quod propter aliud. Et id quod bonum per se est, quàm quod per accidens bonum est, vt virtus præstat fortuna. Item fugibilius malum per se & propter se vt vitium, quàm quod per fortunam & accidens malum.

5 In vnaquaque arte, bonum perfectum, finis opus secundùm

cundùm artem: vt medicinæ, ſanitas: militiæ, victoria: & ſic in vnaquaque arte, vt percurrit Ariſtoteles 1. Ethic. ad Nicomach. cap. 7.

6 Quantò finis præſtantior eſt, tantò bonum eius melius: vt quia finis iuris ciuilis eſt bonum humanum, idque generalius cæteris finibus, alios in ſe complectens, ſic etiam præſtabilius, vt docet Ariſtot. 1. Ethicor. ad Nicomach. cap. 2.

7 Meliora homini ſunt bona animi, quàm corporis, & corporis plus quàm extraneorum, Cicero 5. Tuſcula. quia anima melior corpore.

8 Bonum perfectum melius imperfecto, quia plus boni in perfecto.

9 Bona, quantò *D*eo naturæ participatione proximiora, tantò meliora.

10 Neceſſaria bona non neceſſariis præponenda.

11 Omne bonum quod excellit, dignum eſt maiori honore, Ariſtot. 8 thic. lib. 4. ad Nicomach. cap. 3.

12 Optimum vnum, in vnoquoque genere boni poteſt eſſe, non plura. Quia quod per ſuperlatiuum dicitur, vnum eſt *D* Thomas prima primæ. quæſt. 11. art. 3. & libr. 1. cont. Gentil. cap. 42. facit Vlpia. l. vbi autem non apparet, l. 75. de verb. oblig. lib. 45. ff. tit. 1. & in l. quis ſit fugitiuus, l. 17. §. fin. de ædil edict. lib. 21. ff. tit. 1. gloſſ. in can. metrapol. 63. diſt in part. 1. *D*ecre. Bonifa. Et commentator ſuper 1. Ethicor. comment. 67. Si inquit, plura ſunt optima, nihil eſt optimum, quia optimum eſt, quod vni ſoli conuenit.

In dubiis, quæ ad bonum & malum referri poſſunt, potiùs in boni opinionem quàm mali declinandum, & quod honeſtius eſſe poteſt, ſequendum & præſumendum, vt dū quæritur, vnde mulier nupta acquiſierit, potiùs ex bonis mariti acquiſiſſe exiſtimatur, quàm ex turpi lucro proſtitutionis, vt expreſsè tradit Pompon. Iuriſconſ. in l. Quintus Mutius, l. 52. de donation. inter vir. & vxor. libr. 24. ff. tit. 1.

Plura bona creata, quia finita ſunt, paucioribus meliora Ariſtot 3. Topic.

Bonum increatum Deus, optimum per ſe & infinitum, non poteſt plus recipere, quia infinitum: nec minus, quia immutabile, & ſempiternum bonum.

Præſtantior videtur homo, qui circa meliorem & nobiliorem negotiatur rem, nobiliusque aliquid tractat. Sic carpen-

carpentarius qui ligna tractat, dignior eo qui sterquilinia purgat: carpentario, aurifex: aurifice, medicus: eo, magistratus. Paul. Ricius, in Symbolum apostol. Sed præstantior qui intellectu quàm qui corpore negotiatur, quia qui corpore & in corpore versatur, circa particularia versatur: qui verò intellectu, circa vniuersalia & indefinita, nec circumscripta loco & tempore, vt sunt corporea. Sicut prius est, quod propius est primo, sic nobilius quod propinquius est nobilissimo, veluti honorabilior qui proximiorem regis clientelam obtinet. Et ita Aristot. lib. 3. Topic. 2 quod propinquius, inquit, bono, melius atque eligibilius: & quod est similius bono, & quod meliori eorum est similius. Notandum etiam est singulis rebus proprium inesse bonum, & omnia suo bono constare: vitem, fertilitas commendat: sapor vinum: velocitas, ceruum. Quare fortia dorso iumenta sunt quæris, quorum vnus est vsus, sarcinam ferre, in cane sagacitas, prima est: si inuestigare feras debeat, cursus, si consequi, audacia, si mordere, in hominem esse putà optimum ratio & proprium hominum. In cæteris namque homo cõmunicat rebus aliis, & superatur interdum. Nam si homo robore valet, itidem & leones, si formosus, & pauones etiam: si velox, & equus: & arbores, & animalia habent impetum, & motum voluntarium, item & vermes. Si habet vocem, sed quantò clariorem canes; acutiorem, aquilæ: grauiorem, tauri: dulciorem mobilioremque, luciniæ, vt Seneca confert lib. 10. Epist. epist 77.

15 Bonæ res quantò maiores, tantò meliores, vides, vt statuas, signa, picturas, hominum denique multorumque animalium formas, arborum, si modò sint decoræ, nihil magis quàm amplitudo commendet. idem orationibus euenit. Quin etiam voluminibus ipsis authoritatẽ quandam & pulchritudinem adijcit magnitudo, vt iisdem verbis tradit Plinius secundus lib. 7. Epistol. epist. Cornelio Tacito.

Sunt tamen obseruanda quædam indifferentia inter bona & mala, quæ siue eligas, siue non eligas, nihil interfer quæ explicat Suidas in verbo ἀδιαφορία.

Indiffe-




*De Magnitudine, Transcendente 2.*

CAP. XXIX.

QVia quæ bona sunt, tantò meliora quantò maiora, vt Plinius secundus scribit libr. 1. Epistol. Cornelio Tacito. & mala maiora deteriora sunt. Ideo post bonitatem congruè tractatur de Magnitudine. Nec quisquam (vt opinor) dubitat, rebus omnibus magnitudinem ineſſe quandam, vt oportuerit gradum aliquem supra res constitui, ad quem omnes magnitudines referrentur vt ad aliquid extra naturam ferè rerum, quod omnibus rebus maius esse diceatur. Nam id naturaliter etiam cuique constat, maiora minorum

norum esse principia: vt proculdubio fons principiū est rivulorum, in quos distribuitur principium: in arbore truncus, ramorum origo, illius autem crassiora & in terra defixa principia, radices scilicet. Sic ex corde arteria cęteris crassior, quæ in pulmones scissa dispertitur, cæteris maior, vt scribit Galenus lib. 6. de Decret. Hippocra. & Plato. & res ipsa nos id docet. Dicimus igitur, magnitudinem quandam esse cōstituendam, quæ omnia contineat: talem autem non possumus constituere aliam quàm essentiæ ipsum fontem, nempe Deum, qui cuiq; naturalem dedit crescendi finem: quiq; & alia creauit, ex quibus extensio fieri potest, vel quæ ab eo facultatem extendendi & essendi habent, vnde & Lucanus lib. 1. de bello Pharsal. scribit,

*In se magna ruunt, latiùs hunc numina rebus*
*Crescendi posuêre modum.*

Deus tamen magnitudo vel paruitas, vt liceat ita loqui doctrinæ causa, non est eo modo, quo intelligibilium dicitur magnitudo, sed incomprehensibili & supersessentiali, & indiuisibili modo, tanquam fons omnis essentiæ: quemadmodum & Deus veritas & bonitas, & sapientia, alio quàm apud nos modo, dicitur, vt scribit Diuus Dionys. Areopag. lib. de mysti. Theolo. cap. 5. & D. Chrysostomus Tomo 4. magnum Deum non ad aliquid sed incomparabiliter dici scribit. Et immensum & incomprehensibilem etiam dixit tomo 5. homil. 1. de incompreh. Dei natu. Nam Deus cùm sit vnus, nec aliud sit quod Dei nomen ascisci possit, eò quòd sufficiens is vnus sit, nō ad aliquid Deus dicetur: nec per cōsequens ea ratione magnus, cùm aliter accidat in magnitudinibus creatis, in quibus non quantum sed potiùs ad aliquid dicitur. Nihil enim per se magnum vel paruum nominatur, sed ad aliud sanè refertur: seu mons quidem paruus dicitur, siue milium non ita magnum, propterea quòd ille maior, hoc minus, & idem in his quæ generis eiusdem sunt. Ad aliud est igitur ipsorum relatio, & si paruum quicquam magnúmve per se diceretur, nunquam mons quidem paruus, miliū verò per se magnum dicetur: idem de bicubito & tricubito dicendum est, quæ quidem quantum significant: si autem magnum vel paruum adjiciatur, ad aliquid, vt scribit Aristoteles in Categoriis. Habet enim vnum & idem respectu extensionis quantitatis, quantum. Quod autem pertinet ad appellationem magni vel parui relationem ad aliud, vt docet Galenus to-

mo 4. lib. 2 de differen. pulsuum, & latiùs lib. 2. de dignosc. pulsib. Et magnum continuum, quantumque quoddam est, vt idem Arist. scribit problema sectio. 16. q. 7. Quare magnum de Deo, & magnitudo eius, dicitur sui perfecta, & in nullo deficiens plenitudo eximia & incomprehensibilis sufficientia, vt penè infinitis sacræ scripturæ locis dicitur, *Deus magnus*, Iob 36. d. Psal. 46. a. & Psal. 85. b. & Psal. 88. b. & 94. a. & 146. a. Eccles. 43 d. & 46. a. Num. 2. b. & alibi. Sic Iob c. 23 b. vers. 6. magnitudinis *Dei* molem dicit. Et c. 26. de *Deo* loquens in fine. quis tonitruum magnitudinis eius poterit intueri, & Dauid Psal 144. a. vers. 3. ***Magnus dominus, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non est finis.*** Et Salomon Eccles. c. 14. ***Quis sufficit enarrare opera Dei, quis eminuestigauit magnalia eius? virtutem autem magnitudinis eius quis enunciauit.***

*Quid nominis.*

Magnitudo dicitur Latinis, cumulus, aggestio.

Græcis μέγεθος, ὄγκος.

Hebræ. גדל godel.

Hinc opponitur paruum μικρὸν, σμικρὸν, ἡλαχιστὸν, τυφὸν, σταμβὸν.

Hebræ. קטן פחות &c. pachout caton

*Quid res.*

Magnitudo in rebus creatis (siquidem Deus qui vera magnitudo incomprehensibilis est & sine fine, definiri nequit) est cuiusque rei extensio, ex qua magna dicitur. Hanc finitionem nos docuit Carolus Bouilius lib. 1. Introduct. Geomet. sic paruum dicetur, extensionis defectus Dico esse extensionem, nō coniunctionem, magnitudinem: eò quòd magnitudo omnis est continua, sine diuisione, quamuis apta diuidi sit, vt scribit Aristoteles lib. 4. Physico. cap 11. Quod res ipsa loquitur. Vbi enim diuisio in magnitudine, ibi desinit esse vna magnitudo, & plures esse incipiunt. Extensionem etiam dicimus vel defectum ratione cuiusdam mediocritatis, & sicut mediocre, ex ferè infinitis considerationibus determinatur: sic & magnum & paruum. Ideo cùm vnicuique rerum generi competat moderatum, competet pariter magnum vel paruum. Quamobrem id quod visum est in omnibus artibus, & in omni vita, ad moderati exa-

men

men refertur. Sic medicus dicet, multum sumpsisse quempiam, vbi corpus naturam nutriendi excesserit, rursus parum, vbi infra eius mediocritatem sit. Eaque ratione Athletæ duas minas carnis parum dicimus esse, & frequenter ægroto etiam cremoris prisanæ plurimum exorbere interdicimus, velut supra mediocritatem: ita magnum etiam pulsum & paruum dicimus eum, qui à mediocritate deflectit. &c. quæ leguntur latissimè lib 2. de dignos. pulsi. tomo 4. apud Galenum, Generali verbo etiam extensionis, quæ fit per materiam, continetur intentio, quæ est, cùm rei formalis essentia vim suam extendit, veluti cùm animus vel virtus quædam essentialis sese colligit & auget effectum, vel attentiùs & fortiùs operatur, veluti ignis in ferro candenti intenditur, quia nō dissipatur, nec sese separat, quemadmodum accidit in stupa, sicuti etiam animus, qui circa vnum omninò vires colligit, fortius & efficacius operatur, quàm si circa plura dissipetur, & occupetur.

## *De distinguenda magnitudine.*

### CAP. XXX.

DIuisionem magnitudinis in libr. 4. Syntax. cap. 2. iam compendiosè præposuimus, vt alia sit creata, alia increata, in potentia, in actu, spiritualis, corporalis, &c. prout ibidem tradidimus, vt non opus sit hìc eadem repetere. Explicabimus tamen ea quæ aliquam videntur habere dubitationem, & in quibus magnitudo inueniatur, & quatenus, & quomodo. Primum itaque in spiritualibus magnitudo ea erit quæ per intentionem & remissionem fit, vt in ratione ex Aristotele 6. Ethic. ad Nicomach. cap. 1. apparet. In corporalibus autem puris per extensionem solùm. In mixtis, quæ ab vtroque fiunt, per intentionem & extensionem, qualis est natura magnitudinis actionum: vt in magnificentiâ quæ est virtus magnitudinis, sumptuum effectiua. Hæc enim magnificentia consistit in actibus, in rebus exteris quadam admiratione dignis Quia & illa est, vt scribit Cicero 2. Rhetoric. rerum magnarum & excelsarum, cum animi quadam ampla & splendida propositione, cogitatio & administratio. Et ad hanc referuntur facta præclara, optimæ administrationes honorum, & huiusmodi ex vtrisque coniuncta, vt ait Speusippus libr. de Platoni. definition. Atque ex magnificentia

hac vt plerunque sequitur magnanimitas animi, scilicet magnitudo quæ consistit in virtute; nata dum ob splendorem quis, & operis magnificentiam dignum se honore eximio putat, & tali quod magnis viris debetur idque ob præmium, vt notat Aristoteles lib. 4. Ethic. ad Nicomach. c. 3. Hanc autem Marsilius Ficinus in Lachem Platonis existimauit magnanimitatem datam esse à *Deo* pro calcaribus, ad animum adhibendum honestis, à quibus malus dæmon tristitia nos detrahit. Cicero etiam magnitudinem hanc animi aliis omnibus præponit, & inde fieri hominem beatum tradit, eo quòd per eam quæ hominibus accidere solent, contemnantur, 3. & 5 de Finib. & 5. Tuscula. 3. Offic. & 3. de Oratore. Et vt vno verbo absoluã, per qualitates etiam vel corporis, vel animæ, fiunt magnitudines. Quæ vt apertiùs cognoscantur, quasdam particulares magnitudinum describemus species, ad quas veluti ad media, qui volet magnitudinem docere, recurrere poterit. Sed in corporali magnitudine obseruandum, vt quantitatem quis nouerit dimetiri. Quamobrem sciat oportet, omnem quantitatem concludi terminis, metiri interuallis. Terminus est, quod vnamquamque rem claudit & determinat. Porrò quia in rebus quæ oculis subiacent, tres sunt species magnitudinis, nempe linea, superficies & corpus: sic & tres terminorum erunt differentiæ. Nam lineæ termini, erunt puncta: superficiei, lineæ: corporum, superficies. Erunt & pariter metiendi tres modi per tria interualla, per longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Longitudo est, quæ ab imo sursum tendit, vel à summo deorsum, *exemp.* | | | Latitudo quæ à dextris in sinistrum protenditur, vel cõtrà à sinistris in dextrũ, | ——— | . Profunditas cui antè & pòst termini sunt. □ . Ex punctis linea..... termini lineæ. ——. pũcta, ex lineis superficies | ——— | sine profunditate dimẽsio termini lineæ | ——— | . Ex superficiebus, corpus cum profunditate, termini superficies. Indè tres dimensiones ductæ, Quamobrem & Hippocrates corpus longum, magnum dixit: & Galenus crassum, vt apud Galen. Tomo 7 comment. in 2. lib. Aphoris. Hippo. aphor. fina. Ad similitudinem corporum, gradus magnitudinis animi expressit D. Paulus ad Ephes. cap. 3. c. ver. 18. dum scribit, se deprecari Deum, in corde discipulorum habitare Christum, vt possent comprehendere cum omnibus sanctis,

tis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profun-
dum, scire etiã supereminentem scientiæ charitatem Chri-
sti, vt implerentur omni plenitudine, Deo. Existimo quo-
que scientiam & rerum cognitionem lineis Mathematico-
rum comparari. Nam sicuti lineæ punctis quodammodo,
vel puncti fluxione crescunt in longitudinem: sic cognitio-
nes, & rerum notiones paulatim, & veluti minutissimis
accessionibus augentur. Nemo enim repente fit doctus,
sed cum tempore Et sicuti pluribus lineis constat superfi-
cies: pariter ex rerum plurium cognitione, quæ veluti sin-
gulæ lineæ sunt, constat scientia. Cùm nec quid res, nisi
per aliam ascitam, demonstrari possit: nec quòd homo sit
animal rationis particeps cognoscitur, nisi lineæ, quid sit
ratio, quid animal, quid participare, cognoscamus. Quem-
admodum etiam in mentis nuntiis & testibus, dico sermo-
nem & literas, oratio non cognoscitur tota, nisi priùs in
oratione termini, & vsus eorum, in literis figuræ, & va-
lor cognoscantur. Sic virtutes singulæ quæ totidem viæ
sunt, qua itur in cœlum, vt dicebat Gregor. Nazianze.
Oratio. de pauperib. constant progressu quodam, veluti
ter metimur & percurrimus, passibus: & cùm virtutes
pingimus, veluti superficiem facientes, imus de virtute in
virtutem, vt scribitur Psalm. 83. b. Dicimus & circulares
scientias à figura geometrica, quòd in sese recurrant: ita &
virtutes sibi inuicem hærere, dixit Cicero pro Archia poë-
ta, Marsilius etiam Ficinus in commentario in conuiuium
Platonis oratio. 2. c. 3. Deum centrum rerum omnium po-
suit, circulos autem quatuor circa id assiduè reuolutos:
mentem, animam, naturam, materiam: quorum mens,
stabilis circulus: anima, per se mobilis: natura mobilis in
alio, non ab alio: materia ab alio & in alio mobilis. Cen-
trum vocauit horum Deum, quia sicut centrum, circuli
punctum est, vnum indiuisibile, stabile, vt scribit Psellus
ἐν σύνοψι γεωμετρίας Euclidis, & alii: Sicut etiam ex cen-
tro ad circumferentias multæ lineæ mobiles & dissimiles
duci possunt: ita per Deum in singulis lineis virtus dimit-
titur. illo stabili & immoto remanente, & omnia mobili-
ter quodammodo replente. Neque magnus quisquam
vnquam fuit, sine aliquo afflatu diuino, vt scribit 3. de na-
tura Deor. Cicero, & innuit Ouid. dum 6. fastorum scribit.

*Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,*
*Impetus hic sacra semina mentis habet.*

Et rursum lib. 3. de Art. aman.

*Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,*
*Sedibus ætherei spiritus ille venit.*

Inuisibilium autem circulorum, mentis inquam animæ & naturæ, imago est visibilis mundi circulus. Corpora enim animarū mentiumq; vmbræ sunt & vestigia. vmbra verè & vestigiū figurām eius cuius vmbra est & vestigiū referunt. Mens semper immobilis, quia eius substantia & operatio eadem manet, & similiter, quia intelligit eodē modo & similiter. Mobilis tamē in eo, quod vt cætera, à *Deo* procedens, in eundē se vertit. Animæ mobilis circulus, quia discurrendo percurrit, & tēporis eget curriculis in operatione: discursus ab alio in aliud mentis peruagatio & temporis curriculum, motus sunt, & si quiescant & stabilia sint, id potius in mente. Naturæ etiam mobilis circulus apparet in generandi facultate, quæ motu temporis eget: in alio mouet, quia in mole corporis eius molem generat, nutrit & auget per se, quia principium motus, vt anima. Materiæ vel molis, orbis mobilis: ab alio, quia ab anima necessariò agitatur: in alio etiam, quia in loci spatio corporis motus agitatur. Et hæc hactenus ex Ficino. Extenditur vel intenditur etiam latitudo animi, cùm ad actum vsque peruenit, vel ad finem propositum, sicuti cùm quis facit quæ facienda nouit. Item sufficientia & patientia. Sic patientiam & longanimitatem *Dei* connectit Paulus ad Roman. 2. a. Et inter fructus patientiæ longanimitatem etiam posuit ad Galat. 5. d. & alibi. Item & cognitio creaturarum & scientiā de rebus creatis: sicut altitudo est scientia de rebus arduis, anima circa ardua versante, circaque difficilia aditu. sic & profunditas de rebus obscuris, quæ egent ampla, subtili & laboriosa perquisitione. Et qui antiquitus manu Rempub. iuuārant, & virtutibus decorauerant, magni dicti sunt apud Romanos. Magnitudo rerum spiritualium in duobus maximè attenditur, scilicet quantum ad potentiam, & quantum ad propriæ naturæ bonitatem seu complementum. Dicitur enim aliquid magis vel minus album, secundum modum quo in eo sua albedo completur. perpenditur etiam magnitudo virtutis ex magnitudine actionis vel factorum, vt ait *D.* Thomas lib. 1. contra gentil. c. 43. & D. Aurelius Augusti. quoque tradit in his quæ non mole magna sunt, idem esse maius quod melius.

*l. 3. ver.*

| *8. Synopsis eorum quæ magnitudinem referunt.* | *His repugnant.* |
|---|---|
| Abundantia. | Penuria. |
| Amplitudo. | Angustia. |
| Adiunctio. | Diminutio. |
| Auctio. | *Detractio.* |
| Capacitas, comprehensio, continens. | Incapacitas. |
| Communio. | Partitio. |
| Copia. | Inopia. |
| Dignitas omnis, & maiestas. | Status priuatus. |
| *Diuitiæ.* | Paupertas. |
| Excellentia, excellens. | Vtilitas. |
| Egregium. | Infimum. |
| Extensio. | Restrictio. |
| Essentia omnis. | Nihil. |
| Exuperantia. | Defectus. |
| Fœcunditas. | Infœcunditas. |
| Fertilitas. | Sterilitas. |
| Immensum. | Mensurabile & apprehensibile. |
| Infinitum. | Finitum. |
| Inflatio. Tumor. | Depressio. |
| Insigne. | Obscurum. |
| Intentio. | Remissio. Restrictio. |
| Liberalitas. | Auaritia. |
| Multitudo. | Paucitas. |
| Sublime. | Infimum. |
| Sufficientia. | Insufficientia. |
| Vehementia. | Remissio. |

Hanc Synopsin quoque in lib. 4. Syntax. c. 2. adiecimus, ex qua facilis est ad argumenta per inuentionem medii via. Si quid magnum esse docere velimus. In gratiam autem eorum, qui tyrocinium agunt, vtque memoriam doctiorum adiuuem, exemplorum aliqua leuiter percurram, vt indicem magis quàm tractationem singularum videar instituisse

*Docet* nomen dictam esse magnitudinis speciem abundantiam ab extensione, vel multiplicatione, deducta metaphora ab amnibus, qui vt ait Ambrosius Calepi. imbri.

bus vndis explentur, magniq; & inflati euadunt. Vnde quia finitio magnitudinis conuenit, conuenit & definitum.

Amplitudo magnitudinem habet, quia ei conuenit quoque finitio extensionis. Et Ciceroni 2. de Inuentione, amplitudo potentiæ, aut maiestatis, aut aliquarum copiarum, magna abundantia. Et hinc amplius dicitur, quod exuberat, vt apud CCC. Galien. Valentem, & Valentinia. in l. legem, l. 16. de loca. libr. 4. C. tit. 65. dum aiunt, non esse supra legem conditionis aptius quàm conuenit petendum. Et ex aliis Iurisconsultorum locis in confesso est, verbum hoc, amplius, extensionem & cumulationem addere, vt scribit Paulus in l. Paulus Calimach. l. 26. de leg. 2. libr. 32. ff. tit. 1. & Scæuola in l. fin. de reb. dub. lib. 34. ff. tit. 5. cum simili. Huc pertinet amplificatio, vel per exempla diductio, vel loci dilatatio, & similia.

Sic Auctio Adiunctio, Additio, magnitudinem habent, quia extendunt rem. Nam per id quod additur, id cui fit additio, augetur & per consequens extenditur. Quamobrem contrarium arguit detractio apud Vlpian. in l. Ius ciuile. l. 6. §. 1. de Iust. & in lib. 1. ff. tit. 1 *Cùm*, inquit, *additum aliquid iuri naturali, nostrum proprium efficimus.* Et apud Hermogenem Iurisconsul. l. vectigalia, l. 10. de public. & vectig. lib 39. ff. tit. 4. dum ait, Non licere nec præsidibus prouinciæ augere vel minuere vectigalis præstationem.

Capacitas, est id quod aliud continere potest, veluti in corporalibus, locus erit quo aliud comprehendi possit: in anima, facultas comprehendendi intelligenda vel scita. Magnitudinem autem inibi esse constat ex eo quia id quod continet, contento maius sit oporteat, idque satis natura docet, & quotidiano exemplo discimus, nec magnum vas à minori, sed à maiori minus comprehenditur. Atq; capacitas à capiendo: quia capere potest: vnde & capax nominatur apud Iurisc. qui capere potest: incapax, qui non potest, qui potestate priuatus est accipiendi. Et cui interdictum est modis qui scribuntur à Callistrato, in l. 1. de iure fisci lib. 49. ff. tit. 14. cum similib. ibi nota vt incapaces dicantur minuti facultate illa: vnde quia diminutio in potestate est non libera, statim iudicatur magnitudinem illis deesse potestatis, per oppositionem ad aliquid.

Communia & vniuersalia, & totum, quia particularia quæ communionis sunt, complectuntur, vt scribit Aristot. libr. 4. de generat. animal. cap. 3. erunt & magnitudines:

quod

quod dicendum etiam de quolibet genere & specie in quantum sub se alia continent, quæ respectu eius in quo continentur, parua dicuntur, vt partes totius integri, dum non separantur à toto. Magnitudo enim continua est, vt ait Aristot lib.4.Physic.c.11.si autè diuideretur in partes, tunc partes maiores, & magnitudo diuisa, minor suo toto, eo quòd partes naturam numeri magis sortiuntur, vt scribit idem Aristot. Problemat. sectio. 16. quæst. 7. Et Iurisconsulti etiam communionis duas constituerunt species. Primò commune, quod commune cùm sit, potest dici singulorum: hoc est, vt singuli ex communione possint eo, ac si proprium esset, vti, & ita proferunt: *Quod commune est, meum est*, vt scribit Caius Iurisconf. in l illud dubitationis, l 46. de rit. nupt. lib. 23. ff. tit.2. Alio modo, quod conuenit vniuersis vt vniuersis, non vniuersis vt singulis: qualia sunt vniuersitatis, theatra, stadia, & his similia, vt scribit Martia. in l. interdum, l. 6. §. vniuersitatis de rer. diuisio. lib. 1. ff. tit.8.

Copia est satietas rerum, idem quod abundantia, inde cornucopiæ dictum: siue etiam ad militarem manum, seu ad aliam quamuis transferas significationem.

Dignitas apud Cicero. 1. de Inuentio. est alicuius honesta & cultu. & honore & verecundia, digna authoritas: ex qua fit existimatio, quæ est illæsæ dignitatis status, legibus approbatus, apud Calliistratum l. cognitionum, l.5. de var. & extraord. cognit. lib. 50. ff. tit. 15. Hæc est qualitas quæ extendit famam hominis: sicuti infamia, vel vile, vel vita priuata, est paruitas famæ, famamque detrahit. Nam vt scribit Iamblichus,

Πᾶν τὸ τιμώμενον ἄυξεται, ἐλαττοῦται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον,

*Omne honoratum augetur, contemptum imminuitur,*

Hic etiam sedem habet maiestas, quæ est quasi maior dignitas, vel maior status, & prius & propriè Dei tantùm dicebatur maiestas, quemadmodum scribitur Psalm.28.a. *Deus maiestatis intonuit*, & in Prouerb. 25.d. *scrutator diuinæ maiestatis opprimetur ab ea.* Et sæpe alibi. maiestas Dei dicitur. Deinceps authoritate maiori à Deo donati (quia nō est potestas nisi à Deo, ad Rom.13 a. cum similib. Maiestatis nomen participârunt.) Quia & principes, & qui reipub. curam gerunt, simulachra & imagines dicuntur Dei, qui cuncta gubernat, & omnibus prouidet, vt pulchrè & Chri-

stianè docet Plutarch. lib. de doctrina principis. Quamobrem Cicero in partitionib. oratoriis *Maiestas*, inquit, *quoniam est magnitudo quadam populi Romani, in eius potestate, aut iure retinendo, aucta est potius quàm diminuta. Denique maiestas est imperii, atque in omni populi Romani dignitate, quam minuit is qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocauit.* rursum Cicero 2. de Oratore, *Maiestas est amplitudo & dignitas ciuitatis: is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradit* Hinc Iurisconsdiuinæ & humanæ maiestatis reos constituunt, cùm enim maiestas *Dei*, aut principum, aut populi sit, ita & lædere eorum aliquem maiestatem dicunt. Extant tituli de hæreticis, & ad legem Iuliam maiestatis in Cod. Iustinianeo, & Pandectis. Et quia altior & eximior Dei authoritas quàm hominum, grauius esse dicimus diuinam quàm humanam offendere maiestatem Auth. gazaros de hæret. libr. 1, C. tit. 8. Innocent. III. in c. vergentis. cap 10. de hæret. libr. 5. decret. Grego. tit. 7. Adhæc maiestas dicitur magistratuum authoritas, & item eorum generaliter dignitas qui imperio publico nituntur, vel funguntur principis dignitate Sic Prætoris dixit dignitatem Paul. Iurisconsl. in l. pen. §. fin. de iust. & iur. titul. 1. ff. libr. 1. & *D.* Lucas cap. 9, d. ait visum fuisse Heliam & Mosem in maiestate. Item Val. Max. libr. 2, cap. 5. maiestatem dixit esse clarorum virorum sine tribunalium fastigio, sine apparitorum ministerio potentem in obtinenda amplitudine sua. Plura ibidem exempla narrat maiestatis etiam in vultu apparentis, & in fortunæ mutatione tanta est eius magnitudo & præstantia. Ouidius libr. 5. Fastor. vers. 25. exprimens natiuitatem maiestatis, magnitudinem signat, dum ait, ex honore & reuerentia natam,

*Donec honor, placidoq; decens reuerentia cultu,*
*Corpora legitimis imposuere thoris*
*Hinc sata maiestas, qua mundum temperat omnem,*
*Quaq; die partu edita magna fuit.*

Dicimus & maiestatem orationis pro decente grauitate: & rerum maiestatem honorabilem constitutionem.

Diuitias nemo dubitat cumulationem esse pecuniarum vel aliarum rerum. Et ideo extensionem esse, Itemque in thesauris, opibus, & aliis similibus. Ideo Philemum apud Stobæum,

Αργύ-

Ἀργύριόν ἐστι τοῦτ' ἐὰν ἔχῃς, λέγε
Πρὸς τοῦτ' ὁ βέλεις, πάντα σοι γενήσεται
Φίλοι, βοηθοί, μάρτυρες, σωοικίαι.

id est.

*Argentum est, id quod si habueris pete*
*Ab ipso quicquid vel u, omnia fient tibi,*
*Amici, auxiliatores, testes, domorum multitudo.*

Extensio autem per se, rem magnam fieri aliqua ex parte trium dimensionum, ostendit: sicuti extenuatio, contrarium.

Eximium excellens, dictum ex eo quòd excellens è grege pecus eligebatur, vt Deis falsis sacrificaretur: ἐξαίρετον dicunt Græci, & electum propter excellentiam quandam: excellentia verò est, magnitudo animo mensurata. Cicero inquit in Officiis, animi excellentiam, magnitudinemque ἐξοχὴν. Quod igitur præcellit, præstat, eminetque aliis tale est.

Essentia magnitudinem continere docet Mercur. Trimegist. in Asclepio *Mundus*, inquit, *plenus est, atq; perfectus corporibus, & mundi membra plenissima: corpora perfecta qualitate & forma diuersis, & specieum habentia & magnitudinem, quorum vnũ est alio minus aut maius, & validitate, & tenuitate diuersa.*

Exuperantia superadditum in omni re designat, aut numero, aut pondere, aut mensura, aut fide, aut dolo, aut solemnitate, vel similibus incrementum addens.

Fœcunditas, est extensio substantiæ. Nam omne quod generat, sibi simile in substantia generat, vt homo hominem, equus equum, &c.

Fertilitas, multiplicatio commissi seminis maior.

Immensum, magnitudinem propè habet infinitam.

Infinitum, magnitudinem habet non designatis vel non existentibus, vel non apparentibus terminis vel finibus.

Inflatum, tumidum, materiæ incrementum addunt, & per consequens magnitudinem significant.

Intentio & & remissio est propriè in virtute, vi, & vehementia ingenij & intellectus: vel in virtute qualitatum incorporearum & substantiæ, vt dum vterus, vel quid aliud vt arcus, inflatur vel tenditur. Dicitur & intentio vt neruorum & aliorum similium in cythara, quæ intensa reddunt

sonum magis audibilem, vt cum remittuntur minorem. Vt inflata ita si remittantur, & intensa in se concidunt. Sic accidit in animo, qui dum aliquid considerat vehementius, omnem vim colligere videtur in eo, vt animus cogitans vehementius, sæpe membra relinquere videatur quasi emortua, & veluti sine anima. Dicimus & remittere animū, dum ab intentione ad aliud reuocatur.

Liberalitas præsupponit largitionem rei alicuius magnitudinis: nam quod damus, manu largimur, vnde δῶρον Græcis. quia doron palmam significat, qua largitio fit, vt scribit Plinius lib. 35. cap. 14.

Mensura magnitudinem quandam habet extensionis.

Multitudo habet aggregationem plurium.

Sublimitas, habet extensionem vel intentionem in spiritualibus, vel inuisibilibus, inter capedinem magnam spatij eleuationis.

Sufficientia habet mediocrem magnitudinem.

Vehementiam in morbis & magnitudinem esse constituit Galen. tom. 7. in Aphor. 12. lib. 1. Aphorif. Hippocr. vbi primum insultum morbi etiam scribit nullam habere latitudinem. Et morbum habere principium, augmentum, modum consistendi, & declinationem. Atque tradit gradus esse morborum, vt alij acuti dicantur, veluti morbus lateralis siue peripneumonia, pleuritis. alij peracuti, angina, iuxtangina, cholera, distensio neruorum: alij diutini, vt aqua intercus, atra bilis, suppuratio, tabes. Peracutos dixit dies idem Galenus, in commentar. in 1. Aphorif. aphorif. 7. qui circa primos quatuor dies, vel paulò vlterius, in summo vigore consistunt. Et Hippocrates lib. 2. Aphorif. aphor. 23. acutos simpliciter iudicat 14. diebus dum ait τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαιδεκαταίοις, *acuti morbi iudicantur, in quatuordecim diebus.* Acutos autem vt dicunt, οὐ μετὰ πλώσεως, hoc est, ex mutatione & degeneratione speciei in speciem. Idem Hippocrates, in Prognosticis 40 dierum spatio terminat. Longos autem dicunt & diutinos, qui hos 40. dies excedunt. Acuti & breues morbi habent magnam intentionem, & ideo magni cito euadunt, orti ex calidis humoribus, nempe sanguine & flaua bile: sicut longi à frigidis pituita & atra bile. Sed, & vehementia in aliis locum habet, vt cum animi impetus augetur, sic enim Aulus Gellius, lib. 5. noct. Attic. cap. 12. & lib. 16. c. 4. à mentis vi & impetu, vehemens compositum dicit.

dicit. Et, *ve*, particulam, cum intentionem significare, tum minutionem.

*Regulæ magnitudinis.*

## CAP. XXXI.

INtensum magnum perfectius est sito extenso. Intensa sunt formalia, spiritualia, & substantialia, vi rationis comprehensa. Et intensum omne habet rationem formalem, magis de veritate & virtute, quam extensum, quod dicit materiam, in qua virtus est extēsa, & debilior intensa. Nam virtus vnita, qualis est cùm intenditur, maior se ipsa dispersa, id est, cùm latè per materiam diffunditur. Exemplum in igne adfertur, qui magis pollet in ferro candenti, quàm in stupa, in qua dissipatur, & veluti materiæ cessione refrigeratur. Aliud exemplum in magnis & paruis corporibus, in quibus idem calor & sanguinis feruor, quæ in magnis corporibus, non ita vires exercent ac in paruis, quo facilius se colligunt & minori motu, & mille viri in exercitu vniti vincunt quinque millia dispersos. Et ignis vnitus intentius calefacit vt patet in fornacibus occlusis, dispersus autem minus, & debiliter, & tardius. Atque inter tot animalia magna incrustata, marina, conchæ minores, maiores ferunt vniones, vt scribit Claudius Ælianus libr. 10. de natu. animal. c. 13. Hanc regulam Algazel vel alius quisquis sit author, libro de causis, proposito 17. sic comprehendit, *Omnis entitas vnita plus est infinita quam multiplicata:* infinita, id est, magis perfecta, quia multiplicatio arguit diuisionem: vnitio autem magis ad perfectionem primæ causæ quæ vna est, accedit. Eadem scribit Proculus lib. de elementat. Theoricis.

Secun. Reg Magna paruis non esse contraria, sed dissimilia, Arist. in Præd. quia hæc maximè referuntur ad aliquid: & cum duo contraria in eodem subiecto esse non possint: tamen hæc possunt. Nam paruum quid dici potest respectu alicuius magni, & idipsum magnum respectu alterius parui, quod & docet Galen. lib. de differen. febrium. Puto tamen aliam contrariam regulam adiici posse, quia rationes Aristotelis loquantur, cum variantur propositiones: quo casu magnum paruo contrarium non est, quinimo nec vllam diuersitatem inuenio in eo, nam cum vnum dicitur paruum alicuius ratione, & idē magnū alterius, dicoq; non cum eodem magnum & paruum dici, sed cū vno

magnum

magnum cum alio paruum, nec vtrumq; simul. Quamobrem aliam constituo regulam tertiam.

Tertia regula, id quod paruum est, quatenus magno opponitur constituit magnum paruo contrarium. Ratio quia eius respectu quo paruum est, non potest esse magnum, nec magnum paruum, sed contrarium. Si autem quod paruum erat alterius respectu, alterius consideratione magnum dicatur, iam excluditur à dictione magni, paruitas. Quare cum contrariorum ea sit natura, vt se mutuo expungant, & quod magnum est eius respectu quo magnum, dici non possit paruum, erit magno paruum contrarium: potissimum cum nihil in rerum natura creata, magnum absolutè dici possit, sed alterius ratione, vt prædicti authores Aristot. & Galenus, fatentur in loco proximè citato. Sic de maiore & magno, de paruo & minore scribit & Galen. lib. 2. de puls. dignosc. Nec quod in eodem subiecto possint esse magnum & paruum, ideo magis existimandum est, non esse contraria. Nam possunt quidem esse, sed non simul, & eodem tempore, se enim mutuo expungunt. Et cum dicitur paruum, non potest dici magnũ ea ratione qua paruũ, sic non eodem modo. Docetque ratio boni & mali, non posse dici minus contraria ea quæ diuersis respectibus, quanuis eodem tempore, reperiantur. Bonum namque constat, malo contrarium esse. Porrò hæc etiam in eodem subiecto reperiuntur, sed diuersis respectibus non ideo tamen minus contraria, magnam & paruam ob diuersos respectus. Siquidem angelus, homo, anima, vno respectu creationis inquam, bona sunt: fecit enim Deus omnia bona valde. Genes. 1. & similibus, respectu tamen peccati, hæc & Angelus, dæmon inquam & anima mala dicuntur.

Quarta regula, Nulla essentia magnitudinis spiritalis, quæ intentionem solum, non extensionem recipere nata est, vere diuidi in partes potest, sed remitti potest: corporalis autem diuiditur & extenditur. Nam quicquid diuiduum est, compositum idem est, & ita intentioni obnoxium vel solutioni. Cæterum, anima cum simplex sit, nec ex præiacenti materia composita, sed incorporalis, nec composita, nec diuidua est. Passiones tamen & affectiones, quæ extrinsecus accidunt spiritui creato, dissipantur, diuidunturue ratione, & intellectu, & actione. In hac regula operæpretium est, nosse Pauli Iurisc. diuisionem, in l. 1 §. quæ.

quædam, de rer. diuis. libr. 1. ff. tit. 8. & Iustiniani in §. 1. de rer. diuis. lib. 2. Instit. tit. 1. res alias esse corporales, alias incorporales: corporales esse quæ tangi videríve sui natura possunt, vt homo, lapis, & huiusmodi. Incorporales, quæ tangi & videri nequeunt, qualia quæ in iure consistunt, hæreditas, obligatio, & similia, id est, quæ determinatione mentis comprehenduntur tantum. Et hoc est quod Cicero dixit, in Topicis rerum alias esse, alias esse intelligi. Hinc fit seruitutes censeri apud Iurisconsultos indiuiduas, & alia quæ tantum iuris definitionibus, & mente percipiuntur, quale dicunt iter, actum, vel ius eundi: item obligationes, & alia quæ in quantum iura sunt, non diuiduntur: & si ea quibus inhærent, diuidantur interdum, vt scribit Paul. Iurisconsl. in l. 2. §. & harum, & §. seq. de verb. oblig. & Vlpian. in l. stipulationes non diuiduntur, l. 75. de verb. oblig. li. 45. ff. tit. 1 cum similibus.

Sed & Carolus Bouillus lib 1. introductorij Geometriæ, sequentes magnitudinis geometricæ colligit regulas, quas vocat magnitudinis proprietates.

1 Omnis magnitudo actu finita, est continua, & infinita diuisione, partibilis. Eadem verò infinita & discreta. Magnitudo actu dicitur, in eo quod est: potentia autem, veluti animæ nostræ rationi subiacens.

2 Non contingit aliquando magnitudinem totam, ac omnino esse diuisam.

3 Magnitudinis partes, sunt potentia finitæ, actu autem semper infinitæ.

4 Impossibile est omnes magnitudinis partes assignari.

5 Magnitudo tota homogena est, cuius quælibet pars est magnitudo.

6 Diuisa vtcunq; magnitudine, impossibile est ex diuisione eius terminos relinqui.

7 Nulla magnitudinis pars, eius terminus est, nec vllus magnitudinis, eius pars.

8 Impossibile est ex suis terminis, magnitudinem constare.

9 Similares magnitudines dicuntur, quæ sunt eiusdem speciei, vt lineæ plures.

10 Ex punctis nulla magnitudo accrescit.

11 Omnes magnitudines sunt tres, linea, superficies, corpus.

12 Quo-

12 Quota est vnaquaque eorum in sua specie, tot habet & terminos. & interualla: prima quidem vnum: secunda duo: tertia verò, tria.

13 Nec plures tribus esse magnitudines, nec magnitudinem plures quàm tres terminos aut interualla habere, est possibile.

14 Sola magnitudinum tertia perfecta est, tres terminos & interualla possidens, cæteræ duæ sunt imperfectæ.

Sexta regula, magna negotia, magnis periculis suscipi volunt, Herodotus lib 7. siue in Polymnia.

Circa magnitudinem maximè versantur Geometræ, & Mathematicæ omnes disciplinæ. Item corpora & figuræ illorum. Nam & figuræ magnitudines quædam sunt, vt scribit Aristoteles 3 de anima cap. 1. Versatur & architectura, & omnes artes mechanicæ & pictura. mensurarum tam liquidorum, quàm aridorum considerationes, & ponderū. Item omnes animæ virtutes, habitus, qualitates, accidentia omnia, & substantiæ, & quæ animo metimur & distinguimus. Sunt & actuū magnitudines. Sunt bonorum magnitudines. Sunt malorum itidem. Sic delicta alia aliis maiora, atrociora, &c. Huc etiam omnes potestates, dignitates, iurisdictiones, subiectiones referri posse constat. Et omnia quæ magni appellationem recipiunt, vt magnus discendi labor, magna res, magna dignitas, magna & summa gratia, vt apud Ciceronem pro Murena Huc omnia quę recipiunt magnum, maius, maximum, paruum, minus, minimū, &c.

## *De duratione, siue permanentia.*

## CAP. XXXII.

QVia omnia quæ sunt, vel esse intelliguntur, ea vel constant, vel apprehenduntur, vel noscuntur, vel fiunt, sub numero temporis, quod est mensurationis, quanquam enim tempus apud Aristotelicos (quos ego soleo irridere, in eo quod dicant, quod fuit non fuisse, & tempus quod transit non fuisse, veluti implicantes contrarietatem transisse & non fuisse, transire enim non potest quod non est) non sit motus, tamen numerum rebus tribuit & mensuram, vt scribit Aristotel. libr. 4. Physic cap. 10. & 11. Porrò quod spatia diuersa numerari permittit, in tempore vtriusque spatij sit necesse est. Et illius à quo numerari incipit, & in quod desinit, quod inter vtrumque est necessario ab vno vsque ad alterum

alterum perſeueret, oportet. Quamobrem & Hebræi vocant permanentiam, משך זמן *meſcech zeman* colligationem temporis. Et Ariſtot. libr. 6. Phyſic. cap. 2. ad motum temporis, & magnitudinem & quantitatem rei variari docet. Et Plato lib. 9. in Parmenide vel de vno omnium principio, & de ideis, neceſſarium inquit videtur, quodlibet eorum quæ in tempore ſunt atque hoc tali participant, eandem ſe cum ipſo ætatem agere, ac ſenius ſeipſo, aut iunius fieri. Sic Pindarus, Olymp. ode 2. epode. 1. vocat χρόνον πάντων πατέρα, tempus omnium parentem. Dicimus autem durationem eſſe ens vel id, ratione cuius, quod durare dicitur, exiſtentiam quandam demonſtrat, vel ſignificat præſens, præteritum, vel futurum, vel vtrumque In corporibus, durum ad differentiam mollis, illud dicitur, quod tactu non cedit. Et durities illa eſt qualitas, vt ſcribit Ariſtoteles, Meteoron. lib. 4. cap. 5. & Plato in Timæo. Hinc dicimus durare, & durationem, in cæteris in quibus non ceditur his quæ accidunt, ſed ea contra eadem perſeuerant conſtanter. Sic legimus in ſacris literis, ſæpe indignationem duram Simeonis & Leui. Geneſ. 49. a. verſ. 7. quæ non potuit mitigari & molliri curſu temporis, & obſequio Sichemitarum. Et populus duræ ceruicis. Exod. 32. c. 33. a. 34. a. & alibi, cor durum, ſermo durus, & huiuſmodi plura, pro eo quod non flectitur, ſed perſeuerat in aliquo. Sic durus labor, durus morbus, qui nobis reſiſtit, & nos ſuccumbere cogit nec cedit pro nutu vel voluntate. Sicque vſurpat Horat. lib 1. carmi. ode 24.

*Durum, ſed leuius fit patientia,*
*Quicquid corrigere eſt nefas.*

Et Lucan lib. 9 *gaudet patientia duris.*

Et ita alij vſurparunt Latinitatis authores. Atque Galenus libr. 5. faculta. natur. cap. 4. tomo 5. corporis tres durities & mollities deſcribit, quas ad alia per metaphoram transferre poſſimus incorporalia, vel ad rationem apprehenſa. Aliud inquit abſolutè durum dicitur, vt terra: partim per exceſſum, vt vnguis, calcar, cornu, partim ad ſymetrum ſui generis vel ſpeciei, vt hoc animal, puta Elephas: vel hic homo, puta Hercules: partim ad quiduis obuium collatu, vt Diogenes ad Ariſtotelem. Pari modo dicitur molle, aut vt ſummè eiuſmodi, aut per exceſſum aut ad ſymetron ſui generis vel ſpeciei, aut ad quiduis obuium. Quod fit comparatione eo quod magis vel minus cedat. Et rurſum

sum cap. 5. eius libri, dura ait prouenire, aut resiccatione, aut concretione, aut nimia implctione, aut harum coniugatione quapiam. Hæc autem in reliquis incorporeis etiam considerari per similitudinem posse, admonuisse semel sufficit. Quamobrem & Constãtinus imperator, in l. 1. de fundis rei priua. libr. 11. C. titul. 61. ius dominij firmum & durabile dixit. *Vanerfi*, inquit, *cognoscant hu possessiones quas de fisco nostro comparauerunt seu comparant nullo à nobis iure retrahi, sed propria firmitate possessas etiam ad posteros suos dominis perpetuis durabilitate duraturi.* Et Vlpian. scribit l. 1. de pœn libr. 48. π. titul. 19. *sim deteriorem quis conditionem fuerit redactus, eam pœnam cum subire oportebit, quam sustinuisset sim priore conditione duraßet.* Ibi durare, in conditione, pro eiusdem esse conditionis, & in ea perseuerare. Et vt facilè ad animum transferas quæ de corpore dicit Galenus, hoc exemplum cape, quo ad reliqua via fiat facilis. Per excessum, durus animus omninò obstinatus, erit: per symetron sui generis, qui non facile ac alius apprehendit vel audit: ad obiectum, qui aliquid non apprehendit. Sic de molli animo per excessum is est, qui omnino est effœminatus, dissolutus, voluptati deditus: respectu quidam, collatione facta vnius ad aliud.

Diuiditur vel partitionem suscipit duratio hunc in modum.




Sempi-

Sempiterna duratio est Dei, qui semper est, sine principio, medio aut fine. Et in quo semper est nunc, non præteritum vel futurum. *Nam antequam montes fierent & formaretur terra, à seculo & in seculum tu es Deus*, inquit Dauid, Psalm. 89. & Iob, c. 36. d. vers. 26. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram, numerus annorum eius inæstimabilis.* Et rursum Dauid, Psalm. 144. *Regnum eius regnum omnium seculorum.* Omne autem quod semper est, etiam æternum est, quanuis non omne quod æternum est, innatum non sit, vt notat D. Hilarius, lib. 12. de Trinita. Nam & æterna erit nostra vita post resurrectionem, & semper in futurum æterna: sed tamen non ea dicenda semper æterna absolutè, ideoque nec sempiterna qualis in Deo, qui semper & sine principio est æternus. Sic non omne quod æternum est, est Deo coæternum, quia est ipse ipsum æternum & æternitas ipsa, & tempus & dies eo quod ipse, velut causa efficiens sit dierum & temporis creator, vt late docet D. Dionys. Areopagita. lib. de diuinis nominibus c. 10. Extra tempus Deum esse, constat apertè ex eo quòd Deus est creator & artifex temporum: per consequens tanto maior tempore & præstantior quanto artifex præstat operi. Porrò nemo dixerit artificem operi subiici, sed contra pro nutu opus ab opifice corrigi, & gubernari. Deinde tempus est ex cæli conuersione, & solis cursu, vnde dictus annus & mensis, & dies & horæ: vt patet per se, & scribit Macrobius, libr. 1. Saturnal. c. 8. & Iulius Pollux lib. 1. Onomasti. c. 7. Cicero lib. 1. de vniuersita. Plato in Timæo, Varro, 5. De lingua lati. & alij non quod ipsa conuersio tempus sit, sed quia conuersionis mensura, tempus sit, vt fusius disputat Aristoteles lib. 4. Physico. c. 10. & c. seq. Iam vero Deus non est in motu, quia immobilis, sed mouet: quamobrem & supra tempus est, & extra tempus. Omnia namque Deo, & præsentia & præterita & futura, præsentia sunt: & nunquam ei præterita, nunquam futura. Veluti in cētro circuli omnia æqualiter vtrinque sine distinctione concurrunt, quanuis circunferentiarum gratia, diuersitatem accipiant, & eadem tamen in puncto & centro sunt. Cuius constituamus exēpli causa, vt rudioribus manifestè id doceamus, huiusmodi figuram,




a. punctū significat & Deum, b præteritū. c. præsens, d futurum. dehinc lineæ inter iacentes, temporum interstitia. Quod pertinet ad nos, longe differt præsens à futuro,

& præterito, quia sub linea extensa sumus, vbi longum haber diuisio. Cæterum quia omnia æquè ad punctum referuntur, & punctum indiuiduum est, illa erunt in puncto indiuidua: & quia Deus veluti punctum est, vnico etiam intuitu sine diuisione præterita & futuri, intuetur, vt doctissimè ostendit Catharinus Politus, lib. de præsentia & prouidentia Dei. Quo fit, vt, quia omnia præscientia Deo censentur, prophetiæ diuinæ sub verbis præsentis temporis de futuris conceptæ fuerint. Certa enim omnia & præsentia sunt ante Deum. Et semper *nunc* & est ante Deum est, non erit vel fuit: quia in *nunc*, tempus incipit habere ortum, & finem suscipit, vt scribit Aristot. 8. Physico. c. 1. in Deo erit principium & finis temporis. Nam nunc, principium temporis cum fine coniungit. Et accidens temporis atque vltimum, omnino temporis est, vt idem Aristoteles scribit Physico lib. 4. c. 13. Et tamen ipsum *nunc*, pars non est temporis: nam pars metitur, ipsum autem nunc non metitur. Ex partibus præterea constet totum oportet. At tempus ex ipsis *nunc*, non videtur constare. Insuper, ipsum *nunc*, quod præteritum distinguere, futurumq; videtur, vtrum vnum idemque semper permaneat, an aliud sit, atque aliud, non discerni facilè potest. Nam si sit aliud atque aliud semper, cum plures partes temporis nullæ simul, nisi altera contineatur ab altera, perinde atque minus à maiore tempore continetur, atque id quod nunc quidem non est. antea vero fuit, necesse sit aliquando esse corruptum: ipsa vero nunc profecto simul non erunt, prius autem semper corruptum esse necesse est. In seipso igitur corruptum esse non potest, propterea quòd tunc est. In alio verò nunc, qui fieri potest vt sit corruptum? Sic enim hoc impossibile, ipsa nunc sibi hærere vt puncto punctum, &c. quæ late scribit de ipso nunc idem Aristoteles lib. 4. Physic. cap. 10. Item de Deo dicitur Eccles. c. 36. ℣. versic. 19. quòd Deus sit conspector omnium seculorum. Et D. Hilarius lib. 2. de Trinitate. *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt, ergo nihil sine illo est, per quem vniuersa cœperunt.* Et in infinito est per quem quod est omne sit factum, Tempus enim est spatij, non in loco, sed in ætate manentis significata moderatio. Et cum ab eo sint omnia, res nulla non ab eo, & idcirco tempus ab eo est. Et rursum audiendus Q. Septi. Tertullianus, libr. aduersus Hermogenem. *Aeternitas*, inquit, *immutabilis; non enim demutatur quod sit æternum, amissurum scilicet*

*quod*

*quod fuerat, dum fit ex demutatione quod non erat, si non esset aternum Et quod demutationem admisit, amisit aternitatem statim, mortuaq; est sua forma neque conuersio materia vlla in aternitate est.* Quamobrem dicimus, durationem perfectiorem & longiorem, imo sine fine sempiternitatis, quam sint cæteræ durationes, quæ variantur, potissimum quæ sub tempore sunt. In quo mutationi omnia obnoxia sunt, nec firma eiusdémve permanent status diutius. Nam vt ait Creusa apud Euripidem, in Ioue, actu 3. versicul. 243. τὰ θνητὰ τοιαῦτ', οὐδὲ ἐν τῶιδε μένει: *Talia sunt mortalia, & nihil in eodem statu maneat.* Et Aelius Spartianus in Seuero imperat. omnium rerum quasi naturali lege dixit esse mutationem. Docet id eleganter lib. 3. de rer natu. Lucretius,

*Et quasi longinquo fluere omnia cernimus æuo.*

Et Paulò pòst,

*Nec remorantur ibi, sic rerum summa nouatur,*
*Semper & inter se mortales mutua viuunt*
*Augentur alia gentes, alia minuuntur,*
*Inque breui spatio mutantur secla animantum,*
*Et quasi cursores vitai lampada tradunt.*

Et Plato, libr. 25. in Conuiuio, vel de amore. *Natura*, inquit, *mortalis semper, & immortalis esse pro viribus nititur: hoc autem generatione duntaxat assequitur, quoniam alterum iuuenem semper veteris loco substituit.* Enimuero eo ipsò in tempore, quo animalium, vnumquodque viuere dicitur, idemque esse, vt à pueritia ad senectutem, quanuis idem dicatur, nunquam tamen in semetipso, eadem continet: sed nouus semper efficitur & vetera exuit secundum pilos, carnem, ossa, & sanguinem & vniuersum corpus. Neque in corpore solum, verumetiam in anima id contingit, moresq; & consuetudines, opiniones, cupidines, voluptates, dolores, atq; timores continuè permutantur: neq; quicquam ex istis idem & simile perseuerat, sed priora quidem abolentur, noua vero succedunt. Et Iustin. Cæsar, l. 2. §. sed quia, de vet. iur. enuc. libr. 1. C. tit. 20. *Humani*, inquit, *iuris conditio semper per infinitum decurrit, & nihil est quod in eo perpetuo stare possit: nullas enim formas edere natura deproperat.* Omitto reliquos qui his subscribunt, cuius tamẽ rei rationes breuiter tres annotari desidero. Prima est ex Dei ꝓscriptione desumpta; altera ex cursu siderũ: tertia ex natura

terum. Primam tradit Mercurius Trimegistus, qui in Pymandro sermo. 14. sic scribit, *Aspice precor agricultorem semina in terra gremium diffundentem, hic triticum, ordeum alibi, alibi verò reliqui seminа generis. Aspice eundem, vites, malos, ficus, repastinantem, atque amputantem: eodemq; modo Deus in cælum quidem serit immortalitatem: in terram verò, mutationem: in totum denique mundum, vitam.* Secundam tradit D. Ioan. Damasc. libr. 1. Orthodo. fid. cap. 3. πάντα τὰ ὄντα ἢ κτιστὰ ἢ ἀκτιστά, εἰ μὲν ἔν κτιστὰ, πάντως, καὶ τρεπτά. ὧν γὰρ τὸ εἶναι ἀπὸ τροπῆς ἤρξατο, τοῦτο τῇ τροπῇ ὑποκείσεται πάντως, ἢ φθορὰ μᾶλλον ἢ καὶ μεθαίρεσιν ἀλλοίωμα. εἰ δὲ ἄκτιστα καὶ τὰ ἀκολουθίας λόγον πάντως καὶ ἄτρεπτα, id est, *Omnia quæ sunt, vel creata sunt, vel increata. si sunt creata, omnino & sunt mutabilia: quorũ. n. esse à mutatione cœpit, ea omnino mutationi sunt subiecta, aut in interitum eunt ia, aut per electionẽ, & pro voluntate alterabilia. Si autem sunt increata, & per consequentiam rationis & sunt immutabilia.* Tertia ratio est ex Ptolomeo lib. 1. Ptolom. quadriper. oper. c. 2. vt sint mutationes in mundo ex duabus materiebus circulo Lunæ suppositis, igne & aere quæ circundant aquam & terram in æthere, suisq; mutationibus vegetabilia mutant. Hinc quatuor anni tempestates, conceptuum vices, arborum fructus. Item ex eorũ volubilitate terra calescit & frigescit idipsum & contigit in Lunæ incremento & decremento, vt in riuis & mari & corporibus apparet: Item ex erraticarum & fixarum stellarum circumuolutione: in quibus sol prævalet cæteris, quem aliæ stellæ quandoque iuuant, nec impediunt. Motus itaque superiorum corporum continuus, mutationem inferioribus affert. Quid enim erit stabile, vt scribit Iustinia. in §. vt autem lex, de non alien. aut permu. reb. eccles. in Authen. collat. 2. tit. 1. Et ita immobile inter homines, vt nullam patiatur mutationem, cum omnis noster status, perpetuo motu consistat.

*De abaci explicatione eorum quæ durationem referunt.*

## CAP. XXXIII.

| *Synopsis eorum quæ durationem habent.* | *His repugnantia.* |
|---|---|
| Æternitas. | Horum respectu quod terminatur oppositum |
| Æuiternitas. | |
| Ætas omnis. | Mors. |
| Antiquum. | Recens, nouum, |
| Constantia. Contractus, pacti iuramenti vis. | Inconstantia, rescissio, nullitas. Contrarium. |
| Confidentia. | Diffidentia. |
| Consistentia. | Incontinentia. |
| Continentia. | Mollities. |
| Durities. | Priuatio, corruptio aliquando. |
| Existentia. | Infirmitas, debilitas. |
| Firmitudo. | Infidelitas. |
| Fidelitas. | |
| Immobilitas alia | pro temporis definitione vel negotij. |
| Immobilitas sempiternum | perpetuo. |
| Immobilitas æternum | mobilitas. |
| Immortalitas. | Mortalitas. |
| Insolubile. | Dissolubile. |
| Nobilitas. | Nuperrima cognitio. |
| Nunc. | Præteritum aliquando |
| Patientia. | Impatientia. |
| Perpetuum Permanens | Transitorium. |
| Perseuerantia. | Mutatio. |
| Præsentia. | Aliquando. |
| Spes. | Desperatio. |
| Stabilitas. | Instabilitas, variatio. |
| Sanitas. | Infirmitas, morbus. |

| | | |
|---|---|---|
| Temporis iudicia | Seculum. | se inuicem continent & temporum curriculis, & mundi conuersione fiunt, vt scribit Cicero 1. de Natur. Deor. |
| | Annus. | |
| | Mensis. | |
| | Hebdomada | |
| | Dies, | |
| | Hora. | |
| | Minuta. | |
| | Atomus. | |

Vita Mors.

Ad hunc abacum & synopsim quoque durationis, sicut in præcedente magnitudine, coniectanea quædam in gratiam rudiorum annectemus.

Æternum, immutabile est. quales sunt Deorum naturæ inquit Galenus in Isagogi. lib. an qualita. incorpo. sint. Et Cicero 1. de natu. Deorum, ostendit durationem æternitatis, his verbis. Fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla circumscriptio temporum metiebatur. Spatio tamen qualis ea fuerit intelligi nō potest: Quod ne in cogitationem quidem cadit, vt fuerit tempus aliquod nullum cum tempus esset. Et Philo Iudæus lib. de mundo ἐν αἰῶνοις; inquit, ὅτε παρελήλυθεν ὅδεν, ὅτε μέλλει, ἀλλὰ μόνον ὑφέστηκε, id est, *In æternonibil nec præteritum est, neq; venturum est; existit verò atq; in rerum natura est.* Et Lactantius Firmia. lib. de opifi. Dei c. 17. Quicquid viget moueturque per se semper, nec videri aut tangi potest: æternum sit necesse est. Æternumque quidam scribunt per e, non per diphthongum æ, dicentes eternum compositum ab e, & terminum, quasi extra terminum vel terminos. Notandum tamen est, verbum, æternum & sempiternum, etiam assumi impropriè, pro spatio quodam temporis definito, longæuo tamen, vnde & Plinius lib. 13. c. 5. de cedro loquens: materiæ eius esse dixit æternitatem. Et ideo inde antiquos simulachra Deorum factitasse. Est etiam æternum dictum id, in quo subrogatione alterius res quodammodo ita æterna & perpetuo subsistens dicitur, vt scribit Paulus in l. cum debere, l. 32. de seruitut. urb. præd. lib. ff. π. tit. 2. Ideò imperator dixit æternitatem principis, durationem imperij. l. 2. de fabricens. li. 11. C. ti. 9. Et alius imperator Gordianus, æternales vultus, imagines Imperatorum, quibus numi percutiūtur. in l. fi. de veter. numisma. potest. lib. 11. C. ti. 10. Censebant enim imperium, ea successorum substitutione perpetuum. Vt in sedibus episcopalibus sem-

libus semper dicitur idem obseruari, quod pariter à successoribus recipitur apud Iustinia. in §. fin. quomo. opor. episcop in Authen. collat. 1. tit 6 Sic etiã in sacris literis, æternitas & æternum propriè de Deo dicitur: quia hic habitat æternitatẽ Isaiæ 57. c. vocat etiam Daniel, c. 12. a. vers. 3. vitam æternam, quæ in Deo est, perpetuas æternitates, quia vt scribit David, Psal. 101. *Tu autem Domine in æternum permanes.* Et Aristoteles. Metaphys. lib. 12. c. 7. *Quare*, inquit, *æternum est primum cælum. Cum verò id quod mouetur & mouet medium sit, est etiam aliquid, quod non motu mouet, quod æternũ substantia & actus est.* D. Hilarius lib 1. de Trinitate ab essentia, Dei æternitatem cõprobat, dum ait, *Nihil aliud propriũ magis Deo, quàm esse intelligitur, quia idipsum quod est: neq; desinentis est aliquando, neq; cepti. Et id quod cum incorrupta beatitudine potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse, quia diuinum omne neq; abolitioni, neq; exordio obnoxium est. Et cum in nullo a se desit æternitas, dignè hoc solum, quod esset, ad protestationẽ incorruptæ suæ æternitatis ostendit, dicens Mosi: Ego sum qui sum.* De quo docuimus latè in principio finitionis bonitatis. Interdum etiam æternum dicitur, quod finem habet & continuũ perpetuò non est, sicuti Rabi Moses Ægyptius tradit. Sic terra peregrinationis æterna promittitur semini Dauid. Sic perenne regnum semini Dauid, ablatum tandem sub aduentum CHRISTI, imo celeriter de domo Dauid ereptum, si simpliciter & ad literam interpretemur Minatur & Deus in æternum non remansurum spiritum suum cum homine Geneſis cap. 6. a. vers. 3. &c. Notandum autem æterna priora esse corruptibilibus, nihil verò æternum, potentia est, vt scribit Aristoteles libro nono Metaphysicor. cap. nono. Notandum etiam æternitatem Dei non fuisse post Deum, sed cum Deo, & ita Deus est sua æternitas. Sic Aristoteles libro duodecimo Metaphys. textu 39. tradit *Deũ esse vitam suam, & textu 49 & Deum esse, esse suũ & textu 39 quæ duratio*, inquit, *cõtinua & æterna existit Deo, hoc Deus.* Quod annotare volui ne quis decipiatur in eo quod scribitur in lib. de causis proposit. Secunda, cuius libri ferunt fuisse authorem Arabem philosophũ Algazellem, siue Alpharabium vel Auen Pace, esse Dei, esse supra æternitatem, dum scribitur, *omne esse superius, aut est superius æternitate, & ante ipsam: aut cum æternitate, aut*

*post æternitatem, & supra tempus.* Quod & dixit & probat Proculus, lib. de elementation. Platonis: nisi intelligimus Deum esse ante æuum æternum, id est, ante id quod participatiuè æternum dicitur, vt etiam D. Diony. Areopa. c. 10. de diuinis nominibus scribit, *Deum esse ante æternum & æuum*, quod de æterno participatiuè intelligit D. Thomas, in commentariis eius capitis: quod conuenit substantiis immaterialibus, non de æterno essentialiter, quo solus est Deus æternus. Et hoc omne me docuit Chrysost. Iauellus comment. suis in lib. de causis in 2. propositionem scribens. Æuitas dicitur ab æuo: æuum autem à verbo Græco αἰάω, reiecta littera u, & est annositas, vel vita longior communis. Et D. Hieronym. in cap. 26. Ezechiel. scribit, æuum, vel seculum esse 70. annorum. Festus, M. Terentius Varro lib. 5. de Ling. lat. seculum, spatium centum annorum vocarunt, dictum à sene quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt. Æuum ab ætate omnium annorum: hinc æuiternum, quod factum est æternum. Id ait Chrysippus esse αἰάω. Et ita Iustinia. Cæsar in l. 2 §. omni igitur, de vet. iur. enucl. libr. 1. C. tit. 20. suum omne æuum dixit, pro tempore vitæ suæ, & omnium aliorum. Hocque facilius colligere quis poterit, ex epigrammate quod adscribitur Virgilio, in fine operis eius de ætatibus animalium.

*Ter binos deciesq; nouem superexit in annos*
*Iusta senescentem, quos implet vita virorum.*
*Hos nouies superat viuendo garrula cornix,*
*Et quater egreditur fornicis secula Cerui.*
*Alipedem ceruum ter vincit coruus, at illum*
*Multiplicat nonies Phœnix reparabilis ales*
*Quam vos perpetuo decies peruertitis æuo,*
*Nymphæ Hamadryades, quarum longissima vita est.*
*Hi cohibent fines vitæ fata animantum,*
*Cætera secretis nouit Deus arbiter æui.*

Cur autem aliqui centum, aliqui pauciores seculo tribuant annos facilis ratio est, ex eo quod aliquibus in locis diutius, alibi minus viuant homines: quodque prioribus seculis longior esset senecta: remansit tamen seculi communis centum annorum æstimatio. Quamobrem & erant ludi seculares, qui post centesimum annum, vel centesimum decimum fiebant im omnibus theatris Romæ, & oblatis ordine sexus, die noctuq; sacrificiis, quæ dicabant antiqui Romani

mani idolis, potissimùm in campo Martio, vt scribit Zozimus, Pompeius, Festus, & alii, vocanturque hymni qui canebantur tunc, secularia carmina, quale est illud carmen seculare Horatii. Vocabant & sua idola antiqui, Deos æuiternos: quod æuo sempiterno permanere illos, falsò tamen, arbitrarentur. Sic Ennius, sic Apuleius vocant, vtpote existimantes illos in sublimi vertice ætheris locatos, ab humana prorsus contagione discretos, cùm tamen sint illorum *Dii* in profundo dæmonum, pœnis condignis castigati. Seruius æuiternos, quasi cuintegros arbitratur dictos ab Ennio, vt annotauit P. Crinitus lib. 12. de honesta disciplina. c 13. & Lilius Gregor. Gyraldus in histor. Deorum syntagma 1. Æuitatem & leges dixerunt, de annorum numero obseruationem. Sic enim lex antiqua dicebat, *aut tatem annali lege seruanto.* Ea enim lex erat quæ centum constituebat annorum numerum, vel pro capescendo magistratu, vel de militiæ sacramento soluendo. De quibus per totum 13 lib. 8. de honesta disciplina tractat P. Crinitus. Ætas secundùm antiquos Saturni, χρονὸς, quasi χρονὸς, id est, temporis filia. Sic n. scribit Euripides actu 4. Herclida vers. 115. πολλὰ γὰρ τίκτει μοῖρα πλατισθὲν αἰῶν τε χρόνε παῖς, *multa enim producit fatum omnia finiens, & ætas Saturni filia.* Ætatem esse omnem mensuram temporis, & durationem nemo dubitat, sed ex inferioribus latius Cic. in Lælio vel de Senectute, ætates quinque describit, dum ait, *Omnino enim, vt mihi quidem videtur, omnium satietas, vita facit satietatem, sunt puerilia certa studia, num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt & iuuentis adolescentia, num ea tam constans requirit ætas quæ dicitur media. Sunt etiam huius ætatis ne ea quidem in senectute quærunt. Sunt autem extrema quædam studia senectutis Ergo, vt superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. Quod cùm euenit, satietas vita tempus maturũ mortis affert.* Numerat hìc itaque Cicero pueritiam, adolescentiam mediam, consistentem ætatem, senectutem primam, & extremam ætatem. Aristot. 2. Rhetor. ad Theod. cap. 12. eas tribus tantùm concludit, iuuentute, virilitate, senectute. Seruius Tullius Romanorum rex, totidem etiam ætates tantum fecit. Sed eas spatio, quod ad bellorum normam faceret, limitauit: atque inde ab anno 17. quos idoneos esse iam reipublicæ arbitraretur, milites scripsit: & mi-

nores, pueros esse existimauit: & à 17. vsque ad quadragesimumsextum, iuniores: supra eum annum, seniores appellauit, authore Tuberone lib. historiæ prim. quem refert Aul. Gellius lib. noct. Attic. 11. c. 28. Chaldæi vniuersam hominum ætatem ad planetas septem, & per consequens septem constituunt ætates, quarum cuiusque durationem secundùm Crinitum libr. 23. de honest. discip. c. 12. sic metiuntur.

1 Luna, inquit, ab ipso natali vsque ad quintum annum ætatis, moderatur atque disponit per quinquennium 5
2 Sequens Mercur. per decenniũ 10
3 Venus per annos octo, 8
4 Sol Vndeuiginti 21
5 Mars quindecim 15
6 Iupiter duodecim 12
7 Saturnus reliquum vitæ—— tempus 71

nostri inquit Crinitus tributum

Infantiam, Lunæ: Pueritiam, Mercur. Adolescentiã, Vene. Iuuentam, Soli: Virilitatem, Marti: Senectutem Ioui: Senium, Saturno.

Hippocrates lib. 7. de victus ratione, & alibi septem illas approbat ætates: verùm ille in tres easdem colligit, in pueritiam, virilitatem, & senectutem: pueros constare calidis & humidis dicens, quoniam his constitit & creuit. Nam calidissima & humidissima sunt, quæ proxima generationi sunt, plurimumque crescunt, hisque accedentia similiter. Calidus quidem est adolescens, quod ignis, aquam superauit: siccus autem est, quod puerile iam humidum consumptum est, partim in corporis incrementum, partim in ignis motum, partim in laboribus. Vir autem frigidus est & siccus, quod calor ampliùs non superat: corpusve propterea non crescit, propterea friget. Siccitas enim prioris ætatis inest, sequentisque & aquæ accessus nullam habet humectationem, quod siccis & humidis superatur. Senes verò frigidi & humidi sunt, quòd ignis discessit, aqua accessit, quæ sua humiditate sicca repulit, humida confirmauit. Hactenus Hippocrates. Sed breuius, quæ de septem ætatibus senserit Hippocrates, referri non potest, quàm à Iulio

Pollu-

Pollucel lib.2.Onomast.cap.1.& Philone Iudeo lib.de mundi opifi his verbis, *Hippocrates medicus* ait lib. de carnib. & lib. de septimestri partu, *septem esse ætates, infantiã, pueri, adolescentia, iuuenis, viri, senioris, senis: harum mensuram, septimanas annorum, non tamen deinceps. Sic autem dicit: in hominis natura septem sunt tempora, quæ ætates dicunt, infantia, puerilia, adolescentia, & reliquæ.*

Infans est donec intra septennium dentes amittat. Græcè, 1 Παιδίον.

Puer vsque ad genituræ excretionem, ad geminatum septennium. 2 Παῖς.

Adolescens vsque ad barbæ hirsutiem, ad annum ter septimum. 3 μειράκιον.

Iuuenis vsque dum crescit totum corpus ad quater septimum. 4 νεανίσκος.

Vir vsque vnde quinquagesimum ad septies septimum. 5 Ἀνὴρ.

Senior vsque ad sextum supra quinquagesimum ad octies septimum. 6 Γέρων.

Ad senium pertinet quicquid deinceps sequitur. 7 Πρεσβύτης.

Senium viam ad mortem dixit Galenus tomo 4 lib.2 temperam. quia cùm mors sit caloris extinctio, senium talem tabem habere omnes conueniunt, quamuis de puerorum & florentium temperatura, non ita facilè medici conueniant: scribit enim ibi, adhuc sub iudice litem esse, num pueri calidiores sint florentibus ætate, vel contrà. Et ibi rationes vtriusq; sententiæ profert, meminitque de omnibus septem ætatibus sæpe sparsim idem Galenus: verumtamen in Isagogicis finitionibus medicis (siquidem illæ Galeni sint) in ætates quatuor cogit. & ibi,

1 Iuuenum, qui temperatura calidi & humidi, similes veri.

2 Vigentium, qui calidi, & sicci, similes æstati.

3 Mediorum qui frigidi & sicci, similes autumno.

4 Senum, qui frigidi & humidi, similes hyemi. hic perfectum animal abundat
1 Sanguis.
2 Bilis flaua.
3 Atra bil.
4 Pituita.

In 1. ætate animal augetur,
In 2. auctum & perfectum animal,
In 3. modus seruatur.
In 4 minuitur animal.

Cæte-

Cæterùm Galenus, non omnino posse semper ex annorum curriculo ætates distingui ait, quia citius vel tardius pro temperaturæ facultate imparitèr homines ad signa, veluti dentes, pubem, barbam, & huiusmodi perueniunt. Scribit autèid variis in locis, potissimùm tom. 2. li. 6. de sanit. tuen. ratioque illi est, naturæ obseruatio. Aristoteles etiam lib. 7. Politic. cap. fin. non probat eos qui hebdomadibus diuidunt ætates, sed sequendam naturæ diuisionem quanquã ipse eodem terminet infantiam 7. annis, deinceps statuat pubertatem aliam vsque 21. ad annum. Accidunt adhuc his diuersæ aliorum opiniones circa ætatum distinctiones, insuper Varro quinque tantùm putat, diuisis his, extrema excepta in annos quindecim. Solon Philosophus decem posuit, quibus Staseas Peripateticus addidit duas. Fuerunt & aliæ sententiæ, de quibus videndus D Augustin. libr. 22. de ciuita. cap. fin. & lib. de Genes. c. 23. & Censor. c. 12 De die natali. At ne sub dubio nostram conniueam sententiam existimo ego veriorem esse, & magis secundùm naturam, eam quæ septem posuit discrimina vitæ integræ. Rationes à me plures adferri possent ex nostra arte paratæ. Sufficiet tamen pauculas attulisse. Prima erit à rei natura, nam homo, naturales pauciores vel plures, quàm septem, non habet variationes. Prima est illa, quæ, dum homo in mundum producitur, quamuis dentes habeat sub gingiuis latentes, non tamen eos statim exerit, sed postmodum circa septimum annum: erit igitur & sequentibus nobis naturam, primus gradus perfectionis hominis. Post annum septimum, natura adhuc corpus illud molle, & veluti lineis quodammodo confusum remanentibus, expolit, quod crassum & veluti mixtum distinguit, vt videmus in puerulis, qui ferè rotunda figura in præstantiorem formam eriguntur, incipitque tandem aliam virtutem ad sui conseruationem producere natura, nempe partes illas pudendas, quæ, quia hinc perficiuntur, nobis alium gradum perfectionis etiam reclamantibus indicat. Postea ad tertiam se vim præparat, & cùm inferiora perfecerit, ad superiora maiore vi transit, & pilos educit & barbam, vel lanugine mentum operit. & hoc adhuc signum, non potest nisi à cæcis calumniari, alterius esse succedentis perfectionis. Erit igitur is tertius gradus, à quo adhuc ad quartum se accingit natura, & reliquas corporis partes in latum protendit, & singula ornat. Et quia vltra ad aliam corpoream perfectionem non extendit sese, ætatem

tem videmus sequi quietam, quam dicimus consistentem & virilem, quasi quæ maioris vis, virtutis, & efficaciæ sit: ibi enim moram videtur agere natura vt ad summum gradum perducta, suos æstus in seſe reducens, quamuis perpetuò sit in motu: sed quia in medio ætatis illius, dum vltrà progredi natura fas non datur, dum iter quo venerat repetit, magis circa punctum motari videtur, & firmior ibi est, vbi bis reperitur, quàm vbi semel graditur. Accessio enim & regressio cùm simul concurrunt in extremitate, multiplicant robur, quod simplex est in accessione sola & regressu. Et ideo maior vis ætatis virilis, vbi incipit regressio, & desinit accessio, quàm in reliquis ætatibus, veluti in verticali puncto vel Zenith nostro, Sol ardentiùs radios iaculatur, quàm cùm ascendit, vel descendit ex hemisphærio. Quia cùm in puncto verticali accedit, nos & accessione & recessu vtimur, in ascensu & descensu, non item, & in salo in portu vehementiores vndarum impetus, dum se ad littus confringentes duplicant accedentes, & statim reiectæ impetu: sic in corpore humano extremæ partes magis sensibiles, dum sanguis vltima contingens cùm vltrà redire nequit, per easdem vias rediens, in se redit. Dehinc hanc virilem ætatem & diei vitæ nostræ medium, sequitur occasus iisdem mediis descendens & gradibus, quibus ascendit. Et dum incipiunt vires minui, capilliq́ue albicare, quis est tam stolidus qui non dicat continuò mutationem naturæ fieri? & quia calor natiuus minuitur vnde sanguis procedit, vt ait Galenus tom. 7 in Aphoris. 12. Hippocra. lib. 6. aphorismo. Dicunturq́ue senes quasi semi neces, & quasi sanguine priuati pro parte, subitq́ue pituita, tunc corpus humor albus permeat per cutem vsque ad capillos, quos decolorat. Cani namque capilli propterea albescunt, quod longo tempore humor, qui in homine inest, liquescit, candidissimusq; excernitur. Et caro cùm quamcunque humiditatem trahat candidam atra niue, capillum pilúmve sic inficit, vt scribit Hippocrates libr. de pueri natura. Cutis hoc vitium quod canos pilos reddat, vitiliginem vocat Aristoteles libr. 3. de histor. animal. cap. 11. & rursum libr. 3. de histor. animal. cap. 11. & rursum libr. 5. de generat. animal. c. 4. idem repetit alibi, aitq́ue caniciem ætatis esse inopiam & exilitate caloris contrahi, vt omnis ætas labitur in frigiditatem, cùm iam corpus inclinatur & senescit. Senectus enim frigida est & sicca. Non ergo possumus apertè minutionem virium

rium corporis & membrorum quæ vltimè creuerant, videre. Sed natura illud nobis in facie signat, & quod ante ætatem virilem vltimum productum erat, illud in regressu primum vitiatur apertè. Sic incipiunt canescere pili circa tempora: pubes autem quæ primum incœpit, nouissimè canescit, vt scribit idem Aristoteles lib. 5. de histor. animal. c. 3. & lib. 3. de hist. animal. c. 11. Hæc postea sexta ætas, vltimam trahit: & quia terra fuit homo, quáve dentes primum signum gradus emisit, sic etiam postremum signum extremæ vitæ, insinuatur, dum incuruus senex graditur, & manus genibus iungere paulatim incipit, quia & in hunc modum natus est, manibus ad genua & os conuolutis. Demum dentes excutiuntur, caligant oculi, paulatim sensus recedunt ministri vitæ, sarcinæ componuntur & conglomerantur, neque quis vltrò potest gradus vitæ statuere. Et quia homo est veluti planta inuersa, vt ait Plutarchus libr. de exilio. & Plato, quamuis non immobilis, nec terræ infixa à plantis rursum septem graduum ætatis ordinem, doceo. Ex terra primum planta surgit, dein surculum quendam attollit informem: tertio, in surculo luxuriat, & semen quodammodo intra librum & materiam generat: quartò auget vestitque corpus totum foliis, velutipilis & floribus ætate virili. Quinta, concoquit, digerit flores & fructus producit, idque à vere in æstatem transiens. Demum sexta ætate in autumno canescit, folia virida dealbantur, decidunt. Septima calore omni truncus destituitur, isque se ad radices ex corpore subducit. Quod si forsan plantarum nec hoc tibi persuadeat exemplum, contemplare mundum vniuersum & magnum, & confer parnum cum illo. In primis Sol qui ætatem perficit diei, in cœlo primum crepusculum emittit, dum incipit tenebras lustrare: postea aurora apparet rubicunda, ex iubare maiore Solis: tertiò Solis facies hemisphærium apertè conscendit similis iuueni splendido. Quartò dehinc Sol verticem capitis nostri accedens, iam maiores sui caloris radios iaculatur & exerit. Sed dum ætatem quintam agit, & in vertice pendet, tunc vim duplicem habere videtur: donec sexta ætate videmus illum ad Occidentem demergi. Qui cùm illius stellam occultauerit iubar, paulatim tenebris occulitur omnino. Age dum, conferamus totam mundi creationem cum microcosmo, ex Genesi 1. Prima die creauit Deus cœlum & terram simul, materiam inquam & formam:

mam: prima ætate etiam omnia quæ in homine sunt simul, & quodammodo impolita nata sunt, vbi tamen lux distincta a tenebris, & homo distinctus à belluis luce rationis & animæ immortalis. Secunda die, diuisæ sunt aquæ ab aquis. Secunda ætate, diuisa est aqua spermatica ab vrina, scilicet, quia tunc in secunda pubertatis ætate ad coniunctionem vir incipit esse aptus: vel diuisus est humor viscosus ille, quo fiunt pili, vt scribit Aristoteles lib. 3. animal. cap 11. Et sic fuerunt pili congeniti, quales sunt, vt idem eodem, capilli supercilliorum & palpebrarum, diuisi à pilis genitis qui sunt in pube: secundò in alis, postea in mento. Nascuntur autem illo ordine. In tertia die, congregatæ in locum vnum aquæ quæ sunt in terra, & apparuit arida, terra germinauit herbam virentem, & fecit fructum. In tertia ætate adolescenti adest copia seminis, & herbæ terræ nostræ, nempe pili crescunt, & generatio præstans fit ea ætate. In quarta facta luminaria magna & stellæ: in ætate quarta, perficitur integra forma, qua apparet, veluti certo lumine qualis quis futurus sit. Quinta die produxit aquæ Dei iussu cete grandia in mari, & omnem animam viuentem, & reptile, pisces. In quinta ætate virili, omnia grandia & perfecta opera perficiuntur hominis in hoc mundo, qui aquis multis comparatur. Sexta die, terra produxit quadrupedia: iumenta, reptilia, & alia terrena animalia, & hominem. Sexta ætate homo quadrupedibus assimilari incipit, & in terram pronus dejicitur, inde ac si cum quatuor pedibus ambulare vellet, cognoscitque se hominem, id est, corruptioni terrestri obnoxium, excepta anima. Septima die quieuit Deus ab omni opere creando: sic septima ætate, homo, de quo dictum est, participatiuè, *Ego dixi dii estis in terra*, quieuit ab omni opere nouo, & sepulchro otiosus includitur. Et hæc certè per se nota sunt & rationibus seipsa manifestant. Iurisprudentiæ tamen tyrones, à me suæ artis testimonia adhuc expostulant: quamobrem vt satisfaciam, quanta sit duratio cuiusque ætatis apud Iurisconsultos exponam. Infantiam igitur ipsi metiuntur spatio etiam septem annorum, & intra horum fines illam concludunt. Sic Theodos. & Valentinia. in l. si infanti. lex 18. de iur. delib. lib. 6. C. tit. 2. scribunt, *Si infanti, id est, minori septem annis, delata hæreditas fuerit*, &c. Pueritiam etiã concludunt 14. annis, vt plerunq; & minorẽ 14. annis intra pueritiam censent. in canon. pueri, 1. q. 1. in 2. parte decret.

decret. Grat. iuncta glo. & cap. 3 de ætat. & quali. lib. 1. Decre. Gregor. tit. 14. iuncta etiam glo. & similib. ibi nota. Vlpianus tamen quod pertinet ad postulationem, pueritiam protendit vsque ad decimumseptimum annum. in l. 1. §. Initiũ autem fecit prætor. de postu. lib. 3. ff. tit. 1. & Modestinus existimat pueritiæ appellationem vsque ad pubertatem protendi; interdum fauore alimentorum pueritiam ad 18. annum produci & vltra in masculis, & in fœminis vsque ad 14. *Quamuis*, inquit, *communiter non ita extendatur*. vt scribitur in l. Mela ait. l. 4 de alim. & cib. leg. lib. 34. ff. tit. 1 Pubertas autem apud Iurisconsultos dicitur quod aliis adolescentia, quæ communiter incipit à decimoquarto anno vsq; ad 25. in masculis: in fœminis, quæ citiùs pubescant à 12. anno. ætas enim illa sufficiens vt plerunque existimata est, ad pubem, id est, lanuginem, circa pudenda emittendam: quamuis alii citiùs, alii tardiùs pubescant, vt notant ex Isidoro in cap. puberes, de desponsi. impub. lib. 4. Decre. tit. 2. Et antiquitus non ex annorum serie pubertas dijudicabatur, sed ex corporis inspectione, quæ quia turpis visa est, cùm in masculis, tum in fœminis, sublata tandem est, annorum præfixa certo numero, in quo communiter & mares & fœminæ pubescere certum est, vt scribit Iustinia. in §. 1. quib. mod. tut. fin. lib. 1 Institut iur. ciu. tit. 22. & in l. fin. quando tuto, vel curat. esse desi. lib. 5. C. tit. 60. Quamobrem & plenam pubertatem 18. annorum dixit, in qua quis verisimiliter generationi aptus esset in §. minorem, de adopt. libr. 1. Institut. iur. tit. 11. Ante autem hanc pubertatis ætatem, dicunt leges impuberes etiam illos quos diximus pueros: veluti etiam puberes dicunt, minores 25. annorum, & constat ex titulis de minor. 25. annor. Iuuenes dicunt etiam maiores 25. annis Iurisconsulti, vt in l. 1. & 2. si maior fact. alienat. rat. habuer. libr. 2. C. tit. 46. cum simili. ib. infinitis. Dicuntur & maiores absolutè, qui in virili sunt ætate, vt tit. ex quib. caus. maio in integ restitu. lib. 2. C. tit. 54. virum tamen dicunt, vt Latinitatis authores, & eum qui aptus est negotiis reipub. & qui vxorem habet. Sed hæc latiùs persequi non licet per otium. In 60. anno facultatem generandi liberos terminant leges ex Vlpiano in l. si pater. l. 15. §. fin. de adopt. lib. 1. tit. 7. Maiores septuaginta omnino negotiis ferè gerendis inutiles habent, vt constat ex l. 1. qui ætate se excusant lib. 5. C. tit. 68. & Iustin. §. item maior. de excusat tuto. libr. 1. Instit. tit. 25. cum simili. ibi nota, Hancque ætatem

infir-

infirmam senum sicuti puerorum dixit Paul. Iurisc. in l. ciuitatibus. l. 125. de leg. 1. lib. 30. ff. tit. 1. Sunt & seculi ætates, de quibus de pœnitentia suprà tractantes, aliqua diximus in bonitate. Sunt imperiorum vt imperio Romano tribuit Florus in epito in prologo. Sunt & reliquarum rerum spatia, & durationes certæ vitæ & mortis, quia sub mobili tempore degunt: huic antiquum, huic nouum.

Constantiam sub durationē posui, neque equidem valde laborandum in probatione est: quia verbum ipsum compositum, à simul stando id denotat. ita constans est is, qui firmi, tenacis, & perseuerantis est propositi vir: & constantius versatur in resistendo voluptatibus, vel aliis, à quibus se abducit. Hinc contrariū constitues inconstantem & mobilē, omnib. sese sine firmitate subijcientē, nec in volūtate perseuerantem, vt scribit Aristot. lib. 7. Ethic. ad Nicomach. c. 7. Huc pertinent promissiones, pacta, iuramenta, & alia quæ perseuerantiam constantis voluntatis indicant: vt de iuramento potissimùm in ca. incommutabilis. & c. innocens. scribitur tota 22. q. 4. cum similibus infinitis ibi notatis. De reliquis contractibus & illa est regula generalis. ab initio liberum pacisci, postea durationem necessariò pacti inducī. l. in commodato. §. sicut commod. lib. 13. ff. tit. 6. & l. sicut ab initio, de action. C.

Continentia etiam durationem indicat, ita dicta, quia perseuerando statū eundem teneat, & consistit in superando, cedere nescia. Et proinde si superatur voluptatibus, vel aliis reb. dicitur incontinentia, teste Aristotele libr. 7. Ethic. ad Nicom. c. 7. Cum pertinace continens conuenit, quod vterque durat in sententia: cæterùm differunt quod pertinax in sententia etiam falsa durat, nec hinc auelli potest: continens autem iustè persuasioni cedat. Eod. lib. 7. Aristotel. c. 9. Sicuti incontinens cum intemperante communicat, quia vterque cedit firmitati verùm & distincti, quòd incontinentem facilè facti pœniteat, intemperans autem in voluptate perseueret. De castitate & continentia diximus, cùm de bono honesti suprà docuimus. Et Cicero continentiam, virtutem esse quæ voluptati resistat, scribit lib. 5. Epistol. ad Atti. epist omnium 105. Exempla continentium circa pecunias & voluptates, adfert Valer. Maxi. li. 4. c. 3. Confidentiam, dixerunt firmatam & duratā fidem in aliquo, vnde plerique & ferè omnes antiquorum, con-

fidentiam pro audacia sui & fiducia obdurata posuerunt. Et aliquando pro temeritate, quæ dum in se nimium fidit, in pericula ingentia se conjicit. Aristoteles eum confidentem dicit, qui non metuit vt decet, nec quando decet, nec quomodo decet: sed perseverat sine discretione. libr. 2. Ethic. ad Eudemum, Quodque minùs quàm deceat, timeat, & magis quàm oporteat, audeat: vnde & audax dictus, & audacia confidentia. Vt idem scribit 3. Ethic. ad Eudemum in principio. Et sicut fiducia timori contraria est: sic id cui confidimus, ei quod timemus. Aristot. libr. 2. Rhetor ad Theod. c. 5. Potest tamen confidentia in bonam partem intelligi. Sic enim libr. 4. Tusculanar. quæst. Cicero vsurpauit, *Vt*, inquit, *confidere decet, ita & timere non decet.* Atque existimo, confidentiam & fiduciam variè audiri ratione subiectorum, & nostræ vel veræ vel falsæ conceptionis, vt dum dicitur, *non esse confidendum in principibus, in filiis hominum in quibus non est salus*, Psalm. 145. & alibi, Micheæ 7. *Nolite confidere in duce, &c.* Item dum confidit quis sibiipsi, neque vires suas cum imminenti periculo metitur, ille est nimium confidens & imprudens: cùm autem quis confidit in Dei adiutorio, vel alteri medio negotio sufficienti, bona erit confidentia, vt Dominus noster IESVS CHRISTVS Ioan. 16. g. dixit, *Confidite, ego vici mundum.* Matth. 9. c. &, *Confide fili a, remittuntur tibi peccata*, Quamobrem & Aristot. libr. 3. Ethic. ad Nicomach. c. 7. confidere, inquit, bene sperantis hominis est. Circa igitur hæc versatur & audax, & meticulosus, & fortis.

Confistentia durationem refert. Id enim quod non fluit, nec dilabitur vel separatur, sed stat firmum, consistere dicitur. Sic aluum consistentem dixit Cato libro de re rustic. c. 125. loquens de vino myrtheo: *Hoc vinum ad aluum crudam, & ad laterù dolorem, & ad caliacum, & si aluus non consistat.* Et consistentem morbum, qui nec crescit, nec decrescit, sed in eodem statu permanet, dixit Galenus tomo 7. commentar. in 1. Aphor lib 2. aphoris. Hippocra. Et omnes medici consistentem dicunt ætatem, quæ nec crescit nec decrescit, scilicet mediam. Sic consistentiam dicunt vrinæ, & vini, & similium: quod & ad animi opera non ineleganter transferri didicimus. De duritia & mollitie satis in principio durationis diximus.

Existentia, durationem etiam arguit. Item præsentia, perma-

permanentia, hæc enim rem vsque ad nos & nostrum tempus veniſſe indicant: nec eget hoc probatione, ſicut nec quod nunc eſt. Corruptio, & aliquando, reſpectu præſentis, durationi opponuntur, durationem tamen fuiſſe arguunt, quia ſi defierunt, & fuiſſe conſequens eſt. Deinde in generatione corruptionéve penitus abſurdum eſſe videtur, ſi corrumpi continuò generatum, nulloque in tempore permanere neceſſe eſt, vt ait Ariſtot. lib. 3. Phyſico. c. 1.

Firmitudo dicitur ſtabilitas, conſtantia, quæ non facilè loco mouetur à loco vel à propoſito, inde firma vina, durabilia, ſolida, vt apud Virgil. libr 2 Georgi. *Sunt etiam Ammineæ vites, firmiſſima vina.* Vt Plinius libr. 14. c 2. vitium principatum datur Ammineis propter firmitatem, ſenioque perficientem vini eius vbique, vitam. Et D. Paulus 2. ad Timoth, c 2. c. verſ. 19. *Firmũ*, inquit, *fundamentum Dei ſtat*, id eſt, perpetuò ſtat ſolidum, & indiſſolubile. Et Horatius firmo opponit mobile,

*Tanquam*, inquit, *ſit firmum punctũ quod mobilis hora*
*Nunc pretio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema,*
*Permutet Dominos, & cadat in alterius ius.*

De fide & fidelitate, *Deo* iuuante, tractabimus in virtutibus, cùm de fide agemus.

Immobilitatem, durationem ſignificare conſtat ex Ariſtotele lib. 5. Phyſic. c. 2. dum ait, *Eſt immobile, & id quod moueri non poteſt, vt ſonus inuiſibilis eſt, & id quod multo in tempore vix mouetur: aut id quod tardè admodum incipit: & id inſuper, quod aptum eſt quidem vt moueatur, moueriq; poteſt, non tamen tunc, cùm eſt aptum moueri, & vbi, & quemadmodum eſt aptum mouetur: quod quidem ſolum immobilium quieſcere dico. Eſt enim motui contraria quies.* Conſiderantur mobilia vel mouentia, & ſe mouentia, & immobilia apud Iuriſconſultos. De quibus tractatur ſuper legem Celſi in l. mouentium, l. 93. de verb ſign. lib. 50. ff. tit. 16. à gl. & ſcribentib. aliis in eam leg. l. à diuo Pio §. in venditione, de re iudic. in ff. Immobilia dicentes, quæ perſeuerant in loco, vt fundus, domus, & huiuſmodi. Mobilia quæ tolli poſſunt, vt lapides, fructus, ſe mouentia, q̃ ſeipſa è loco mouent, vt animalia. Immortalitatẽ, durationem maiorem dicimus, eo quòd morti nõ cedat, & ita Plato lib. 29. in Phedone vel de anima. immortale dicit eſſe incorruptibile, & indiſſolubile, & interitus neſcium: talemque eſſe *Deum*,

& animam in homine, qui dum moritur, id quidem, quod in eo mortale est, interit, quod verò immortale incorruptum sospesq; morti se substrahit. Triplices gradus ponerem ego immortalitatis: infimum, cùm quid perpetuò durare potest, non in eadem specie, sed in genere, facta subrogatione specierum eiusdem generis. Sic vna & eadem planta semine eodem subrogata, perpetuò immortalis remanere dicetur. Sic ex nuptiis & generationis propagatione, immortale genus fieri videtur hominum. Et ita Plato lib. 34. dialog. 4. de legib. *Vxorem*, inquit, *ducere quisq; debet, ab anno trigesimo ad trigesimumquintum. Si non duxerit, pecunia mulctetur ac dedecore. Ducere autem debet, cogitans quòd natura quodam humanum genus quodammodo immortalitatem consequitur. Cuius rei quisq; natura summopere cupidus est. Nemo enim est qui non desideret perpetuum apud posteros nomen habere. Genus itaque hoc modo immortale in sempiternum perdurat: quod filiorum filios relinquendo vnũ & idem, semper per generationem immortalitatem adipiscatur. Nefas autem seipsum sponte immortalitate priuare.* Et rursus idem Plato lib. 25. in Conuiuio, vel de amore: *Viri sanè mulieriq; congressu*, inquit, *fœtus partumq; prouenit. Est autem hoc opus diuinum, & in animali ipso mortali, immortale hoc est, conceptio scilicet & generatio.* Hunc secutus est Iustinia. Cæsar in §. 1. de nupt. in Auth. collat. 4 tit. 1. *Matrimonium*, inquit, *sic est honestum, vt humano generi immortalitatem artificiosè introducere videatur, & ex filiorum generatione renouata genera maneant.* Nam quod subrogatione reparatur idem esse videtur, vt philosophatur Alphenus Iurisc. in l. proponebatur, l 76. de iudic. lib. 5. ff tit. 1. ratus iudicem esse eundem, quamuis mutatus in sede, & alius priori substitutus fuerit: eandemque legionẽ quamuis milites decesserint, & alii his fuerint subrogati: & nos ipsos eosdem, quamuis quotidie secundùm philosophos, particulæ minutæ ex quibus constamus, à nobis excedant, & nouæ extrinsecus accedant. Ita Pomponius l si grege legato, l. 22. de leg. 1. lib. 30. ff. tit. 1. gregem eundem esse putat, si mortuis ex eo, pecora essent in locũ alia substituta. Heraclitus item philosophus, vt scribit Plutar. oratione consolatoria ad Apollonium, nihil eorum quæ sunt, interire, sed continuari generatione noua, & perseuerare volunt. Idem, inquit, viuens & mortuum, vigilans & dormiens, nouum & vetus: quæ enim cecidere illa sunt: & illa rursus

quæ

quæ cecidere hæc. Nam vt ex eodem luto potest quispiam animalia fingens, confundere, atque hoc vicissim incessanter facere: sic & natura ex eadem materia, iamdiu quidem nostros edidit auos, & continuò post eos genuit parentes, mox nos, deinde alios, ac alios circulari quodam modo producet: & hic nascendi fluuius perpetuò fluens nunquã quiescet. Quod etiam sapiens ille Salomon Ecclesiast. c. 1. e. vers. 9 & 10. tradit. *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub Sole nouum, nec valet quisquam dicere, esse hoc recens est: iam enim præcessit in seculis, quæ fuere ante nos. Non est priorum memoria, sed nec eorũ quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in nouissimo.* Et in hoc gradu immortalitatis fit omnino mutatio specierum permanente genere, & consumpta substantia. Alius autẽ hunc sequitur secundus, in qua remanet eadem substantia semper & durat, sed mutationes accipit accidentiũ: vt angelus bonus voluntate, in melius proficit & mouetur, dæmon, ex bono in malum motus est, & anima hominis in vtram libuerit partem declinare vel inclinare potest, vt scribit Damascen. li. 1. de Orthod. fid. c. 2. & D. Augusti. lib. sexaginta quinq; quæstio ad Orosium quæst. 41. *Solum Deum immutabilem & sine tempore & loco agentem: eo quòd in illo nulla cogitatio noua & nullum accidens, & nulla mutatio & spiritus quidẽ angelicos, sine tempore contemplari Dei veritatem, claritatem, & æternitatem, tamen quia ex tempore iussa Dei in inferiora exequuntur, iure credi moueri in tempore, corpora etiã sua in loco mouere dum descendunt de cælo, & ascendunt in cælum. Item spiritus hominũ moueri in tempore reminiscendo præterita, futura expectando, aliaq; noua addiscendo, in loco autem non moueri, sed in seipsis quia cùm recordantur, exempli causa, ciuitatis vel castri, ibi non sunt sed in seipsis sident & quia cogitatio imitium habet: non autem mouetur per locum. Spiritus autem creator sine tempore & loco: corpus autem & loco & tempore.* Hactenus D. Augusti. Mori tamẽ dicitur anima, non quòd substantia illius intereat, sed quando Dei gratia, quæ est vita vera, priuatur. Nam veluti homo viuens, dum dormiens nullas actiones in ipso corpore viuentis exequitur, pro mortuo habetur. Sic anima quæ à gratia Dei non animatur, cuius ope verè operatur, ea priuata, ob scelus aliquod, inutilis, & ignis pabulum æternum fit, Dæmonum concessa potestati: ita dicimur viuere Deo, si Deo

accepti eius gratiam amplectimur: vt contrà morimur Deo, cùm per peccatum ab eo separamur. sic tres mortis species posuerunt paginæ sacræ interpretes. Constituunt vnam, quæ est hæc mors propter peccatũ, priuatio vitæ æternæ, de qua Ezechiel. 18.c. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Aliam mysticam, cùm quis liberatur à peccato: & ita moritur peccato, & viuit Deo: qua iustificamur, & de qua D. Paulus ad Rom. 6. *Consepulti estis cum Christo per baptismũ in mortem, &c.* Tertiam, solutionem corporis & animæ dicit D. Ambro. lib. de bono mortis, c.2. & lib.7. in Lucã sup. c.10. dum tractat illud Euangelii, *Vulpes foueas habent.* Cõsentiunt alii. Et D. Cyrillus Archiepiscopus vel Patriarcha Alexand. lib. de exitu animæ. Mortem propriè esse dicit, nõ quæ animam à corpore dirimit, sed quæ à Deo separat. *Nam Deus*, inquit, *vita est, à quo qui disiungitur, perit, liberam erga Deum fiduciam amittens. Mors verò diabolus est, & ipsius mortis pater, &c.* D. Ioan. hanc vocauit mortem Apocal. c.2. D. & 21. c. secundam, *Qui vicerit, nõ ladetur morte secunda.* Et diabolum esse mortem etiam insinuat, c.9. b. dum vidit equum pallidum, dicitque sedentem super eum, vocari mortem. Atq; Dominus noster IESVS CHRISTVS in Euangelio D. Ioan. c. 15. a. in principio docet, Deum vitæ veræ nostræ esse fontem & fomitem. *Ego*, inquit, *sum vitis vera, & pater meus agricola est, omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Et postea, *Ego sum vitis, vos autem palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere: si quis in me non manserit, mittetur foràs sicut palmes & arescet, & colligent eum & in ignem mittent, & ardebit.* Immortalitatis autem tertia species in Deo est, semper & eodem modo immutabilis, vt diximus in æterno, & semper æterna. Philo quoque Iudæus lib. de profugis vitam & longæuitatem ponit in Dei dilectione, & hanc esse egregiam immortalis vitæ finitionem tradit. Insoiubile, indiuiduum, & huiusmodi, continuitatem & perseuerantiam rei consignare nemo est, vt arbitror, qui dubitet. Motus cùm fiat successiuè & in tempore, durationem quandam habet, vt scribit D. Thomas lib.2 con. Gentil. c.20. dum docet nullum corpus per modum creationis, vt Deus facit, producere. Et in prima par. 1. quæst. 45. art. 5. & idem de vet. quæst. 5. art. 9. Nobilitatem etiam, veluti continuatam seriem & propagationem nominis & famæ maiorum vsq; ad posteriorem

ætatem

ætatem nemo ambigit: quanquam eam & in virtute ipsa constituas. Habet namque & virtus constantiam & perseuerantiam, & durationem aduersus vitia quibus nō cedit. Nunc quia existentiam significat præsentem & durationē, significare quoq; præsentem docet. Patientia deinde quæ consistit in duris, vt est apud Lucan. lib 9.

*Dulcia virtuti gaudet patientia duris.*

Et durationem animi ex patientia describit Seueri. Boëtius lib. 1. Metro. 4.

*Quisquis composito serenus æuo,*
*Factum sub pedibus egit superbum,*
*Fortunamq; tuens vtramq; rectus*
*Inuictum potuit tenere victum:*
*Non illum rabies, minæq; ponti,*
*Versum funditus excitantem æstum,*
*Nec raptū quoties vagus caminis*
*Torquet fumificos vesæuus ignes,*
*Haud celsas soluti ferire turres*
*Ardentis via fulminis monebit, &c.*

Et Claudianus eius durationem etiam insinuat. Panegy. secunda in laudes Stilico. vers. 76.

——*patientia corpus*
*Instruit, vt nullis cupiat cessisse laboris.*

Et Cicero 2. de Inuentio. diuturnam & voluntariam perpessionem honestatis causa esse dixit. Dicebat etiam Dionys. Tyrannus, qui postea ludum literarium Corinthi exercuit, τοῖς δ' ἀνθισταμένοις καὶ μὴ καταπίπτουσι κακόν περ γίνεται τὰ κακά. *iis qui perferunt & non cadunt, lesa fiunt mala.* Docet insuper pluribus Seneca libr. 2. de tranquilli. vel quomo. in vir. sapientem non cadat iniuria. virtutem omnem constantem perpeti, & semper durationem patientiæ, in omnibus contra omnia perseuerare & vincere. Sed de patientia alibi suo loco docui in virtutibus. Ad perpetuum, quæ diximus de æternitate & immortalitate huc referri possunt. Permanentia & præsentia, idem quod duratio: nam conseruatio rei nihil aliud est, quàm continuatio essentiæ ipsius, vt scribit D Thomas contra Genti. lib. 3. c. 65. Perseuerantia, est constantia animæ aliqua in re seuerè & sine deflexione continuans propositum. Et Cicero lib 2. de Inuentio. *Perseuerantia est in ratione bene considerata, stabilis & perpetua permansio.* Proba-

tur & ex Paulo Iurisc. in l. diuortium, l 3. de repud. lib. 24. tit. 2 qui animum constituendi diuortium & dissensionem perpetuò, perseuerantiam dicit. Facit quod scribitur Psal. 118. *In ordinatione tua perseverat*, id est, durat & renascitur. *dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* Et Ecclesiastes c 3. *Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus eis quicquam addere vel minuere: quæ fecit Deus vt timeatur* Atque vt breuiter rem complectamur totam, perseuerantia, est duratio vsque ad finem propositum. Sic Dominus noster scribit Matth. 10. *Qui perseuerauerit in bono vsq; ad finem, hic salvus erit.* Nam non sufficit bene vitam incœpisse, nisi perseueremus. Multi enim bene incipiũt, sed male deficiunt. can. multi, de pœni. dist. 2. cano. si enim, §. euidenter, & can. Apostolus, in fine ead. dist, cano. si ex bono, de pœnitent. dist. 4 cum similib. ibi nota. Deinde quia in patientia duratio est, non dubium, quin & in perseuerantia sit, quia beata est perseuerantia, ex virtute patientiæ, vt scribitur in cano suggestum, 7. quæst. 1. in 2. par. Decre. Gratiani. Qui voluerit iustum volumen de bono perseuerantiæ videre, legat Maphæum Veggium libro de perseuerantia. Notandum tamen, perseuerantiam, & in bonam & malam transferri partem: in bona, est donum Dei Dat enim is perficere pro bona voluntate, vt ait D. Paulus ad Philip. 2. b Aliquando & perseuerantia in malo, vt quando aliqui perseuerare in malitia dicuntur 1. Reg. c. 20. c. Et perseuerare in obstinatione apud Cæsares Dioclet & Maximi. in l. diffamari, l. 5 de ingen. manumi. libr. 7. C. tit. 14. De spe in confidentia diximus imò proprio capite egimus in virtutibus. Stabilitatem firmitatem significare constat, & in eodem statu durationem, vt apud Catonem de re rust. c. 7. stabilia mala dictum est, id est, non decidua. Et mutationem stabilitati contrariam docet Iustinia. in l. sancimus, l. 27. de testa libr. 6. C. tit. 23. *Quod*, inquit, *non mutatur, cur flare prohibetur?* Et fructus qui non moti sunt à loco, sed pendent, dicuntur stantes apud Papinia. in l. diuortio, l. 8. sol. matrim. lib. 24. ff. tit. 3. & alibi. De statione eadem dici possunt, quæ dicitur ab stando, apud Vlpian. l. 1. §. stationem, de fluminib. lib. 43. ff. tit. 11. Eadem de stationariis militibus, & aliis, de quib. in iure, item de stabilitate stateræ & de similibus quæ in eadem nominis appellatione participant. Sanitas est duratio quædam cõuenientis temperaturæ, eò enim finitio-

nes

nes sanitatis apud medicos conspirant. veluti dum in Isagogicis libr. finitio. medic. Galenus scribit, sanitatem esse humorum primorum, qui secundum naturam in nobis sunt, probam temperiem: aut naturalium virium actionem minimè impeditam: vel commodam quatuor elementorum temperaturam. Et alibi. Tomo 2. lib 1. de sanit. tuenda dixit, sanitatem similarium quas vocant partium, esse calidi, frigidi, humidi & sicci symmetriam, id est, conuenientiam inter se quandam: instrumentalium verò ex similarium ipsarum compositione, numero, magnitudine, figuraque constare. *Quare*, inquit *quisquis hac commode* (vide durationem) *tueri possit, is optimus sanitatis custos fuerit. Siquidē actionum harum & temperaturæ mutatio & alteratio, morbos & ægritudines infert*, vt idem notat Galen. tomo 6 libr. 1. Methodi. Docet & plenius tomo 7. libr. 1. de differen. morbo. c. 2. & alibi Probat etiam Aristoteles, sanitatem durationem, cum vult eam esse virtutem corporis, lib. 1. Rhetoric. ad Theod. c. 1. Virtus autem est in duratione & efficacia perseuerante. Et lib. Problema. sectio. 1. 93. vt idem ait in temporum maximè mutationibus, bene valentes qui in mediocritatis temperamento constituuntur, ægrotare incipere: quod temperamentum aduenientē mutatione dissoluatur & ita non perseueret. Non alienum autem ab instituto erit, ea quæ de sanitate & morbo corporis dicta sunt, vel dici possunt, transferre ad animam, ad Respublicas, ad plantas quoque, & huiusmodi quæ corpus constitutum habent vel ciuile vel naturale. Et vt vnico authore contenti simus, prodeat in medium textus Galeni, qui sic lib. 5. de Hippocra. & Plato Decretis. tomo 2. scribit. *Quemadmodum sanitas corporis, est simplicium eius partium, qua elementa appellamus, calidi inquam & frigidi, sicci & humidi aquabilitas: eodem pacto anima, credo, sanitas aquabilitas erit simplicium eius partium: qua quidem partes quales, quotq; sint, quoue modo sese habeant, tibi explicare necesse est (ô Chrisippe) si modo præstare, id quod pollicitus es, nihilq; præmittere volueris. Quinetiam morbus animæ pari ratione inæquabilitas quædam erit, & discordia earundem harum inter se partium, quarum aquabilitas animæ sanitas esse dicebatur. At verò partes hæ ex Platonis sententia, nulla alia sunt quam irascibile & rationale, & quæ tertia his annectitur concupiscibile: vt & sanitatis & morbi anima similitudo, ad corpus in omnibus seruari optimè possit. Siqui-*

*dem consentientes inter se hæ tres partes, nullaq; in re prorsus dissidentes sanitatem animæ contra dissidentes ac discrepantes morbum creant. Morbum vero superius quiddam, atque & paulò antè dixi, & uniuersalius est: cuius notionem ita complectimur. Morbus est rei natura cognata ex aliqua corruptela dissentio. Ad hunc enim modum à Platone, in Sophista definitur. Quam quidem definitionem generalem esse, omnesq; singulares morbos pernitiosos tam animæ quam corporis tam in cæteris animantibus & plantis, quam etiam in totis ciuitatibus comprehendere facile cognosci potest. Ita scilicet seditionibus intestinoq; aliquo bello laborantes ciuitates dicimus ægrotare. Propterea quia ea quæ in ipsis inter se natura cognata sunt, in dissidium ac pugnam venerunt.* Hactenus ex Galeno. Subiungam adhuc quæ dixit hac de re Cicero, li. 3. Tusculan. quæstio. Cuius hæc verba. *Nomen insaniæ significat mentis ægrotationem & morbum, id est, insanitatem & ægritudinem animi, quam appellarunt insaniam. Omnes autem perturbationes animi, morbos philosophi appellant, negantq; stultum quemquam his morbis vacare. Qui autem in morbo sunt sani non sunt, & omnium insipientium animi in morbo sunt, omnes insipientes igitur insaniunt. Sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaq; censebant: his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam, propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore sanitas esse non possit, &c.* Tempus omne duratione metiri, & perseuerantiam habere, collige ex his quæ diximus cum de ætate ageremus. Singula namq; spatia tẽporis, eo quod sint, & præsentia sunt & existunt, durationem quandã habent. Et tempus etiam ipsum, durationem suam habet, cũ & habeat finem suum, vt dixit Angelus Danieli, c. 8. e. versi. 19. sed modica duratio temporis. Nam vt ait D. Gregorius lib. 4. moral. in Iob. c. 2. *Modum quippe est temporis, & statum non habeat mansionis.* Quia enim per ventura tendit ad esse, semper ex præteritis festinat non esse. Atq; alia spatia aliis durabiliora sunt, verum tamen omnia sub duratione quadam. Vt etiam momentum, quod minus spatium, Græci, ἄτομον & ἀκαρὲς dicunt, durationem suam, habeat quãuis exiguam. Nam momentum, vt existimo, tantum motum ipsum simplicissimum & rapidissimum demonstrat, quod aliquo modo distinctum, non potest accipere diuisionem: punctum vocant & horoscopum Genethliaci, quem obseruari iubent, cùm tamen impossibile sit omnibus hominibus

minibus illum obseruare, non secus quàm in rota citissimè agitata figuli, punctum obseruare nequimus, cuius tamen velocitate cæli lapsus & ascensus vincit. Vnde & ipsi Chaldæi Genethliaci sese suo gladio iugulant, dum iubent momenta obseruari, ipsi autem non momenta, sed horas obseruent: vel ex horis forte & temere momenta horæ eligãt, in quibus suas vanas fingant domorum machinas. Merito idcirco irrisi à Gellio libr. 14. cap. 1. & ab vtroque Pico Mirandulano, libris contra Astrologos. D. August. & ab aliis. Momentum tamen apud aliquos longioris durationis est, & pro spatio aliquo, quod relatum ad maius tempus, proportione seruata non minus est, quàm momentum ad horam, vt eius pars insecabilis & minima Vt & corpora prima, quidam finxerunt, atomos, indiuidua nempe, vt scribit Vitruuius lib. 2. Architect. cap. 2. & ita vsurpauit Horatius lib 1. Serm. satyr. 1. versu 5. dum scribit,

*At contrà mercator nauem iactantibus Austris,*
*Militia est potior, quid enim? concurritur: horæ*
*Momento cita mors venit, aut victoria læta.*

Momentum itaque dicunt possessionis, iuris prudentes, spatium modicum, quo retinetur restituenda in perpetuũ possessio. vt intelligenda l. vni. Archadij, Honorij, & Valentis, sub tit. si de moment. possess. fuer. appell. lib 7. C. tit. 69. & apud Hono. & Theodos. in l. fin. qui legit. pers. stan. in iudic. hab. libr. 3. C. tit. 6. cum similibus. Et in eodem momento, rogatus statim manumittere filium, dicitur pater possessor & vsusfructuarius manu nittens apud Iustinia. in l. fin §. fin. de bon. quæ lib. &c. libr 6. C. tit. 60. Porrò illud statim habet aliquod temperamentum temporis, vt scribit Paulus, in l. quod dicimus, l. 105. de solut. lib 46. π. titul. 3. cũ simil De reliquis spatiis temporis, nempe de quintis, tertiis, secundis, minutis, de horis, diebus, hebdomadibus, mensibus, annis, & huiusmodi ex his contractis, & compositis partibus non loquar, cùm constet cuique certas & definitas has esse temporum durationes, vel durationis numerationes. De diuersa autem computatione anni apud Gentes diei & mensium tractamus in Astrologia, de Sole & Luna locuti. Vitam pariter neminem latet esse durationem: cùm temporis sit cuiusque continuitas: sicut mors, dicitur finis, & in homine vitæ priuatio, non est intercepta duratio, corruptio, & continui diminutio. Vnde & caro post vitam dicta à carendo, quod vita careat: sicuti ca-

ri cadauer, quod caro est magis decidua & putris, à cadendo dictum, quod decidat à duratione. Vita autem in summa dupiex, sicuti mors. Vna limitata, quæ finitur solutione eius quòd vitam continet in hominibus: in aliis temperaturæ congruentis corruptio. Et hominum vitam certam durationem habere constat, sed apud Deum qui constituit vitæ terminos, qui præteriri non possunt, vt scribit Iob. cap. 14. a. vers. 5. Nobis tamen incertus eius terminus, quanuis nihil certius morte, vt alibi docuimus. Et variauit viuendi antiquus annorum numerus, non vt quidam putant ob senium mundi quasi exercere nunc suas nequeat vires ita validas vt prius: sed ob malitiam hominum, quæ ad fastigium ferè impietatis peruenit, vt terra quæ propter hominem creata est, & propter hominem maledicta fuerit, nempe in opere hominis: Genes. 3. & nunc propter malitiam hominum insignem, maiorem maledictionem quoque patitur, quæ in hominem authorem mali retorquetur. Quam ob causam illa sterilescit, senescereque videtur, idque propter malum hominis: non autem homo imminutus bonis propter malitiam terræ. Etenim Deus qui impietatem nouit hominis, subtrahit benedictionem, qua terram dotauerat pro dictione, Crescе & multiplica semina. Gen. 1. & 9. Nemo enim, si sit aliquantum in sacris literis versatus, ignorat, generationis & fertilitatis & longeuæ vitæ fundamentum esse, Dei benedictionem, ob quam & frumenta nos nutriunt. Videmus quippe tempore famis, dum Deus iram suam iustam in populos fundit, vt eum a nocet à malis (est namque vnum ex flagellis Dei acerrimis fames, sicut pestis & bellum Reg. li. 2. c. fin. ver. 13. Non deficere panes, in ea quantitate, quæ tempore erat saturitatis, non quidem ita nutrire, & omnia frustra & maiori quantitate, sed sine saturitate deuorari: quia fundamentum panis, benedictio nutritionis, sublatum est, sicque scriptum. Psal. 104. b. vers 16. *Et vocauit famem super terram, & contriuit fundamentum panis.* Sic patres quanto meliores, & quò à peccatis magis continentes, eo diutius vixerunt, vt legitur, Genes. cap. 5. Adamum vixisse 930. annos, Seth. 912. Enos 905. Malaleel, 895. &c. Dehinc legimus Genes. 6. a. Deum dixisse, de hominis vita, *quia caro est*, hoc est siue animæ cultura, *erunt dies tantum centum viginti annorum.* Ad hæc verba Treuellij Pollionis, in vita Claudiani possunt recitari. *Doctissimi* inquit, *Mathematicorum, centum*

& Gi-

*& viginti annos homini ad viuendum dant, neque amplius tabernas cuiquam esse concessum: etiam illud addentes, Mosem solum Dei, vt Iudaorum libri loquuntur, familiarem, centum viginti quinque annos vixisse, qui cum quereretur, quod iuuenis interiret. responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum.* Hæc Pollio. Iurisconsulti longissimum viuendi terminum constituunt, centum annorum. Quamobrem & vsumfructum legatum municipibus, hoc spatio veluti longissimo vitæ termino, durare voluerunt, vt scribit Paulus, in l. si vsusfruct municipib. l. 8. de vsufr. leg. li 33. ff. tit. 2. & in l. an vsusfructus, l. 63. de vsufr. & quemad & Iustinian. in l. fin. §. fin. de sacrosanct. eccles. lib. 1. C. tit. 5. Est alia vita perpetuo durans, quæ immortalis dicitur, de qua diximus supra in immortalitate, & alibi.

Per durationem etiam tractatur de omnibus quæ sunt, vel esse dicuntur: de principiis transcendentibus, de bonitate, magnitudine, potentia, virtute. &c. De subiectis materialibus & de reliquis. Nunc quasdam durationis regulas attingimus.

Prima regula, Omnis duratio magis perseuerans, cæteris paribus, perfectior & præstantior: quantò enim aliquid permanentius, tanto est nobilius in eodem genere. Arist. 3. Physic.

Secunda. In duratione considerantur quatuor, ante, nunc, & postea, & semper. Hæc simul in nullo. Semper & nunc tantum in Deo: ante & nunc in existentibus & deficientibus: ante & nunc, & postea, in anima, & spiritu, & si qua sit materia incorruptibilis, quæ cum creata sint, semper non fuerunt, & tamen finem habitura non sunt.

Tertia, Vnaquæque res tanto est diuturnior, quanto eius causa efficiens, scilicet est efficacior. Illud igitur cuius diuturnitas est infinita, oportet quod habeat esse per causam efficaciæ infinitæ. Quamobrem Deus qui non habet aliunde causam sui esse præter se ipsum, erit infinitus. D. Thomas, lib. 1. contra gentil. c. 43.

*De Potentia.*

## CAP. XXXIV.

CVm partes entis sint potentia & actus, & prædicamenta, vt scribit Christophorus Iauellus Epito. Metaphysic. lib. 5. tract. 2. cap. 7. necessarium fuit poni hoc vniuersale princi-

principium Potentiæ. Nam eorum quæ sunt, vel non sunt, prius vnum est, vt præcesserit potentia essendi vel non essendi: quod autem sint vel non sint, est posterius. Est itaque possibilitatis potentia prior actu, quæ non aliunde quam à potentia oritur, vt notat Aristoteles lib. 1. de cælo, cap fin. & 8. Physic cap. 1. Et generaliter omnis qui aliquid facit, necessarium est vt eorum quæ facit habeat potestatem, vt scribit Cassiodorus Commentario in Psalmum 94. Item necessarium est in omnibus, quæ ad actum tendunt, potentiam adesse. Sic in seminibus, plantę latere dicuntur, & ea quæ ex plantis, vel materia plantarum sunt: quia inest in his quædam vis & facultas, quæ dirigere potest semen ad id. Actus namque est cuiusque rei & potentia naturalis, & motus cum quodlibet essentiale suam habeat efficaciam, vtpote intelligentia intelligendi, sensitiua sentiendi, motiua mouendi, volatilis volandi, natatilis natandi, & sic de similibus, vt scribit Gregorius Nice. & D. Athanasius libr. de definitio. Sic Vlpianus in l. 1. de aqua quoti. & æst. lib. 43. ff. titul. 19. vult aquam quotidianam dici, non quæ quotidie ducatur, sed quæ potest duci: à potestate, non ab actu nomen quotidianum interpretatus. Sic actus, qui aliunde dependent, alienam etiam potestatem requirunt cum propria agentis: ita in hominis artibus, duo requiruntur necessario ad actum, voluntas & potestas. Altero enim horum deficiente nihil agitur, vt scripsit Boetius, in Topicis. & colligitur ex Dioclet. & Maximinia rescripto aliquo in l. multum interest l. 6. si quis alt vel. sibi libr. 4. C. titul. 50. nec maior defectus est quam potestatis. Ex potentia actio sequitur, sicut ex impotentia passio, dum aliquid passo prævalet, vt scribit Galenus tom. 2. lib 4 de decr. Hippocra. & Plato. in fine. Sciendum tamen est non omnem potentiam, actum necessario ponere consequentem. sed quod possit consequi, etsi non semper producatur: potissimum, dum verbum, potuit, ponitur affirmatiue. Sic Papinianus scribit, non quicquid iudicis potestati committitur, iuris necessitati subiicitur, l. non quicquid, l. 40. de iudic. libr. 5. ff. titul. 1. veluti potest dilationes plures iudex dare, si velit, tamen si terminum peremptorium assignauerit, non tenetur si nolit, vt scribit Innocentius 111. in can. consuluit, c. 24. de offic. & pot. iudi. de lega. libr. 1. Decret. Greg. titul. 29. cum similibus. Et Bessario Cardinalis Nicenus & Patriarcha Constantinopolitanus libro secundo, in calumniato.

lumniato. Plato. cap. 7. ait, Genus omne bifariam diuidi, aut enim, inquit, potentia, aut actu est: vt ouum potentia animal est, semen planta, sed auis non potentia sed actu animal est, & arbor planta. Non me latet tamen commentatorum controuersia in 9. Metaphysices Aristotelis, qui cum Megaricis disputant, quid prius, num potentia actu, vel contra: quibusdam existimantibus & fere omnibus perfectione priorem esse potentiam actu, eo quod omnia tendant ad finem, & actus perfectior sit tendente ad finem: item quod consideratur actus in potentia: aliis contra sentientibus, cum quibus nec videor consentire. Cæterum illud quod dico, potentiam actu priorem, non intelligitur ratione perfectionis absolute, dico tamen prius potentiam perfectam, quia actus sine perfecta potentia non perficeretur, deficiente ea, quia paulatim actus perficitur: item & ratione numeri, & ordinis, priorem dico. Nam oportet prius posse, quam agere: quanuis sint actus, qui simul cum potentia perficiantur, & natura ab imperfecto ad perfectum tendat, quod quidem verum. Et verum nihilominus ex actu præcedente potentiam generari interdum Sed dico vltra, omnia esse prius in potentia quàm in actu, cùm potentia sit ingenita, vt sensitiua, intellectiua, nec ab actuum frequentia vt potentia cytharizandi, quæ ab actu dependet. Item dico priorem esse potentiam actu, quanuis potentia ex actibus fuerit generata, sed respectu agendorum: nam licet actus genuerit potentiam, sicuti cytharizatio frequens cytharizandi bene, actum: nihilominus potentia cytharizandi ad futuram cytharizationem relata, est prior actu futuro: & quod illa potentia nata sit, non tam ex actu cytharizationis, quàm alia potentia mouendi manus & discendi orta, vt vere dicere possimus cytharizandi potentiam, non tam ex actibus cytharizantis, quàm ex alia potentia nasci, & sic generaliter actu potentia semper prior erit, vel creata à Deo potentia existens, vel ex alia potentia generata: mediante qua, & cuius vi, actus dicitur generasse potentiam, quod videtur probare Aristot. libro 8. Physic. cap. 4. Sic potentia ex actu, sed per potentiam alterius actus. Similiter nec omnia quæ quis potest agere, licet agere. Nam inquit D. Paulus ad Corinth. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, & Deus homini vocem dedit, non tamen ideo, vt amatoria & turpia cantet. Et ferrum ad culturam terræ largitur, non vt homicidia

cidia inde fiant. Neque quia thus, aut mirrham & ignem Deus dedit, sacrificandum inde est idolis, vt late persequitur D. Cyprianus tractat. 2. de habitu virginum. Quod pertinet ad substantiam potentiæ, ea est origo eius quod fit, vel fieri potest, & vt Galenus, tom. 1. lib. 3. de temperamentis. *Quod quale*, inquit, *dicitur, quod tale nondum est: sed potest tale esse. id hoc esse potestatem dicimus: vt hominem, verbi gratia, qui modo natus fuit, rationalem: & auem volatilem: & canem venaticum: & equum celerem: scilicet, quod eorum vnum quodq; omnino futurum est si nihil sit extrinsecus impediat, hoc seu tam id sit appellantes. Vnde (arbitror) hoc esse potestate non actu perfectum namque est, actu autem præsens ipsa energia, siue quod actu est, quod vero potestate est, imperfectum & adhuc futurum: atque vt sint quidem id quod dicitur veluti habile, non tamen adhuc est, ac maximè quidem propria sola potestate esse dicimus, in quibus natura ipsa suo ipsius impetu ad absolutionem venit, si nihil extrinsecus impediat. Præterea quatuor q; fient rerum continentes materia sunt, dum materia propinqua sit: vt ex flamma fumus: & si balitū, aere potestate dixeris. Sed q; natura potestate dicuntur proprius potestate talia sunt, nempe q ex materia propinqua. Deinde quæ tertio, etiā potestate talia, q; ex accidente oppositio talia sint. vt si corpus iuuenis carnosi, dealbatione, nō ex propria potestate, sed ex accidente calefieri dicat: Tot & modis frigida, calida & humida dicentur potestate.* Hactenus Galenus, Aristoteles lib. 5. Metaphys. cap. 12. dixit potentiam, esse ens aut principium, virtutem, aut transmutationis in altero, aut prout alterum est: vt ædificatiua potentia est, quæ non est in ædificato. Et ars medendi cum sit potentia, inerit quidem ei qui sanatur, sed non prout sanatur. Ponitque potentiam tam in agendo, quàm in patiendo, vt & alibi lib 4. de generat. anima cap. 1. potentiam metitur & impotentiam ex facultate addita agendi, vel deficienti non agendi. Et Plato, dialog 5 de repub. vel de iusto. *Dicimus vtique*, inquit, *potentiam esse genus aliquod eorum quæ sunt, quibus & nos possumus quacunque possumus, & aliud quodcunq; aliquid potest, veluti, visum & auditum potentias quasdam voco: & quia in potentia nec figura, nec color ineſt, vnde distingui possit, aliud respiciendum est, id quod est, quod agit.* Notandum autem est tria hæc nempe potens, potentiam, & possibile, sibi cohærere: potens quidem est substantia. Potentia est à qua posse habemus: possibile autem, quod

secun-

secundum potentiam fieri natum est. At possibilium hæc sunt necessaria, illa verò contingentia vt scribit Grego. Nicenus lib. 5. de creat. homi. vel de voluntario & inuoluntario cap. 5. A potentia itaque quodque potens habet, & potestas denominatur. Sic Plato, in Hyppia minore vel de mendacio *Potens à potentia*, inquit, *est is, qui facit quod vult & quando vult*, & Speusippus lib. de definitionibus Platoni *potestas*, inquit, *est id quod est per seipsum efficax*. Efficax, intellige eius ratione ad quod dirigitur potestas, non aliorum ratione, velut si potestas sit ex lapide ædificandi certam mensuram parietis, illa potestas non dicitur ædificandi immensum templum: item potestas audiendi non extenditur ad videndi potestatem, & sic de similibus, in quibus ad propria relatio facienda.

## *De distinctionibus & diuisione potentiæ.*

## CAP. XXXV.

JAuellus Canapicius Epitom. 5 Metaphys. tract. 2. cap. 7. colligit quatuor distinctiones generales verbi potentiæ. Vt primum dicatur potentia, principium mouendi seu transmutandi aliud, in quantum aliud: ita quod mouens siue transmutans in quo est tale principium, semper est aliud sine suppositio, siue realiter ab eo quod mouetur vel transmutatur: nihil enim mouet vel transmutat seipsum, sed ab alio mouetur, vt ait Aristot. 8. Physic. cap 1. Esto hæc potentia actiua. Secundo, Potentia dicitur, principium quo aliquid mouetur aut transmutatur ab alio, hæc potentia passiua: vt grauitas in lapide, qua mouetur deorsum. Tertio, Potentia dicitur principium, quo possumus bene & perfectè operari, vel quo potest aliquid bene & de facile pati, id est, recipere: hinc dicimus posse loqui expeditum lingua, balbutientem non posse. Sic dicimus quæ secundum legem sunt posse agi: quæ contra, non posse, sic in passiua lignum dicitur incisibile, lapis contra: quia facile nequit scindi. Quarto, Potentia dicitur, omnis habitus siue dispositio vel virtus qua possumus resistere: impotentia contra, totidem autem sunt inter homines, & rei potestates, quot potentiæ. Item, tot modis possibile, vel impossibile aliquid dici potest. Principium itaque est potentia, respectu actionis. At inter essentiam rei & actionem erit medium, productum quidem ab essentia, actionem vero

producens. Nam ab actionibus, quarum proximæ matres sunt ipsæ vires, eas ipsas potentias persentimus. Attamen in rebus intellectualibus, potentia cum essentia copulat actiones: actio namq; est potentiæ proles, essentia verò potentias ex se parit, vt me docuit Proclus li. De anima & dæmone. lib. 4. Syntax. cap. 4. iam potentiam diuisionem summariam tradidimus: quam obiter explicandam esse nunc operæ pretium duxi. Diximus igitur primum, potentiam aliam esse infinitam, aliam finitam: infinitam, in Deo, & Deũ ipsum, eò quod (vt sæpe monui) in Deo nihil sit, quod non sit Deus, quia ipse perfectus est, nec alijs indiget, vt sit, & ideo potentia: sicut nec bonitas, nec magnitudo, & huiusmodi alia in Deo aliud non sunt, quàm Deus ipse omninò potens & potentia, omninò magnus & magnitudo infinita, & bonus & bonitas ipsa. Quamobrem de Dei infinita potentia dictum, *Omnipotens nomen eius*. Exod. 15. a. versic. 4. & Genes. 17. *Ego Dominus omnipotens*. & Salomon, Ecclesiast cap. 43. d. vers. 30. & 31. *Deus omnipotens super omnia opera sua, terribilis dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius*. & Nehemias 2. Machab. cap. 1. f. vers. 24. *Domine*, inquit, *Deus, omnium creator, terribilis & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus iustus & omnipotens & æternus, &c.* & in ia oratione Iosophat rex Iuda, 2. Paralipo. cap 20. b vers. 6. *Domine*, inquit *patrum nostrorum, tues Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis gentium: in manu tua est fortitudo & potentia, nec quisquam tibi potest resistere*. Et Dauid Psa. 64. b. vers. 7. *accinctus potentia* dicit Deum, id est, totum potentem. Vocat & Scriptura sacra Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui verus Deus & homo est, *potentiam Dei*, vt scribit Euthimius Commentar. in Psal. 20. Et quia ipse totus est infinitus, & accinctio potentiæ infinita. Si enim Deus esset finitus, ab alio terminaretur & concluderetur, & per consequens id quod contineret esset potius Deus, quàm contentum. Quamobrem Deus à nullo comprehensus, infinitus est, & quæ eius sunt infinita sunt. Et per consequens & potentia infinita. Quare non est impossibile apud Deum, omne verbum, vt ad beatissimam Virginem Mariam testatus est legatus cælestis Angelus Gabriel, Lucæ 1. d. vers. 37. Et quanquam apud homines, plura impossibilia, apud Deum omnia tamen possibilia, vt Veritas ipsa dixit Matth. 19. d. vers. 26. & Mar. c. 10. D. vers. 27. Et

27. Et Lucæ 18. c. vers. 27. & alibi dicitur, Psalm. *113. Deus autem noster in cœlo omnia quæcunq; voluit fecit.* Ita Salomon Eccles. c. 3. c. vers. *21.* magnam potentiam Dei solius esse ait, id est, infinitæ magnitudinis Est ideò unum ex nominibus Dei Hebr. שדי *Sadai* quod Psal. 90. sit sua potentia Deus, sibi sufficiens & omnipotens. Atque proprium esse Deo soli, vt sit sibi sufficiens, neq; alterius indigeat amicitia, vel ope scribit Aristot. li. 2. mag. Mora. c. *15.* Et li. 7. Ethic. ad Eudemũ. Et D. Irenæus. li. 2. cõ. hære. c. 2. *Proprium,* inquit, *Dei supereminentia, non indigere alio organo ad conditionem eorum quæ fiunt, & idoneum & sufficiens est ad formandum hominem.* proprium eius verbum. Iamblichus etiam, lib. de myster. Ægyptiorum. *Dii, inquit,* ( nos Deus ) *possunt omnia momento & nitè. anima contrà nec omnia, nec momento, nec & ni, è.* Sed & idipsum Ethnicorum alii Sapientes, lumine naturali prælucente cognouerunt. Nam Galenus, tomo *1.* lib. 4. de Hippocra. & Plato. decre. *Non enim* inquit *quemadmodum quæstio illa de mundo, factus ne, an minimè sit inutilis est: ita quoq; de prouidentia, & Dius* (Sic ethnicus loquitur) *indagare non confert: sed & illum omnibus est, & vim quandam esse in mundo, hominibus & sapientia & potentia meliorem cognoscamus.* Pyndarus quoq; Pythio. ode 10. antistro. *3.* in fine.

Ἐμοὶ δ' ἄθαυμάσας,
Θεῶν πελεσσάντων
Οὐδὲν πότε φάινεται ἔμμεν ἄπιστον,
Id est, *Nihil mihi videtur*
*Deo perficiente impossibile.*

Et Virgilius lib. 10. Æneid. vers. deum nominat omnipotentem,

*Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas.*

Et Cicero. *3.* de natu. Deor. nihil est, inquit, quod Deus efficere non possit, & quidem sine labore. Et apud Æschilum in Prometheo ligato Hermes. Prometheum alloquẽs ait, ψευδηγορεῖν δ' οὐ γὰρ ἐπίσταται στόμα τὸν, ἀλλὰ πᾶν ἔπος τελεῖ. id est, mentiri non nouit os diuinum, sed omne verbum exequitur. Credit & lex ( quanuis impia Mahumeti in alijs) Deum esse omnipotentem, & ideo cœlum & terram sine fatigatione condidisse, & homines, & illos sine labore suscitaturum. in Alcora. azoarą 29. &

56.a.D.etiam Cyrillus patriarcha Alexandrinus, lib.1 contra Iulian apostatam. *Nihil est*, inquit, *quod perfectissima & omnipotentis Dei vis perficere non queat* Et omnipotentem esse Deum suadet ratio, quia creator sit, & Dominus consequenter: qui autem dominus est omnimodam habet in sibi subditos potestatem. Dehinc, quia Deus est perfectissimus, & nullo egens: expedit itaque necessario, omnia illius nutui subiici. Nam si in quædam imporens esset, illius resistentia à suo robore & magnitudine detraheret, quodq; resisteret, æqualem, imò maiorem potestatem haberet. Quod fieri non potest, sicuti impossibile est & duos vel plures esse, siue æquales, siue maiores & minores Deos. Et quia (vt docuimus in bonitate) primum principium & suprema causa Deus est, necesse est concludamus, eum esse omnipotentem, neque ab vllo prohiberi posse quin quod velit non agat: quia primo nihil contrarium est, vt scribit Aristoteles lib.12.Metaphysic.c fin. Ab hac infinita potentia distributæ particulares sunt potentiæ & potestates, quæ sine illius præsidio vanæ & inutiles sunt & frustra. *Semel locutus est Deus, quia potestas Dei est*, vt scribit Dauid, Psalm. 61.circa fin.cano.quid culpatur 23.c.1.in 2. par. Decre.Gratia. *Non est potestas nisi à Deo*. D.Paul. ad Roma. c.13.a.Sic dominus noster IESVS CHRISTVS in Euangelio D.Ioannis. c. 19. b. vers. 11. dixit Pilato iudici, *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper*. Scribit & D.Cyprianus, *Dei est, inquam Dei est quod possumus: inde viuimus, inde pollemus. inde sumpto & concepto vigore, hic adhuc posiri futurorum indicia præsciamus*. Creata potentia, vel est actiua vel passiua. Actiua quæ agit: passiua quæ patitur, imperfecta quæ alio indiget, vt in actum deducatur, nempe agente. Quamobrem & hoc modo Deus non est in potentia, quia is est actus purus & sine imperfectione. Et habet potentiam actiuam non repugnantiæ, id est, cui nihil resistit, quin non agat quæ vult, vt scribit Francis. Siluestris Ferrariensis. Actiua naturalis potentia, est virtus creata, cui est innata inclinatio ad aliquid agendum in alterum creatum, passiua naturalis, cui innata est inclinatio ad recipiendum ab extrinseco creato formam naturalem, sicut materia prima inclinatur ad recipiendam formam substantialem. Habet obiectum proprium patiens actiua, passiua verò agens. Rursum potentia creata, est vel rerum corporearum, vel incorporearum. Incorporearum

sub-

substantiarum sunt animæ, & angeli ministri Dei, potentes virtute qui faciunt verbum illius, Psalm. 102. D. vers. 20. intelligentia validi: & sunt potestates cælestes nominatim, Angeli, ita dicti, ob munus præcipuum iubendi apud Dionys. Areopagitam, libr. de cœlesti hierarchia. Est Dæmonum intensior potentia naturalis, quia spiritualis substantiæ quàm hominum: at illa in malum semper vergit, sicut bonorũ in bonum. Vtraq; autem potestas à Deo, vel quod fieri per eos iubeat, quæ in nos moliuntur, vel quod permittat, ad nostram probationem. Præterea Iob, 1. tractatur ex D. August. cont. Manich. in can. quid culpatur, 23. q. 1. in 2. par Decre Gratia. 41. D versi. 24. maximam & acrem potentiam permissam Sathanæ super terram, docet. *Non est*, inquit, *potestas super terram, quæ comparetur ei qui factus est vt nullum timeret, omne sublime videt, ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Donec Christo adueniente & triumphante de victoria eius, data ab ipso potestas nobis super dæmonia. Lucæ 9. a. & c. 10. b. & Marci, c. 6. a. cum similibus. Corporearum rerum potestas hominum & aliorum est. Sunt & omnibus animalibus inditæ & quasi natæ potentiæ plures specie, sed quæ genere ad vnam reducuntur rectricem totius animalis corporis, vt scribit Galenus tomo 7. in commenta in lib 2. Aphoris aphoris. 16. Est & quędam virtus indita à Deo, ex qua actiones animales sequuntur. facultatem dicunt medici, ex qua procedit actio, quam subdiuidunt in animalem, vitalem, & naturalem, vt late tractat Fuschius, vt & de harum subdistinctione, in compen. Medic. c 12. & 13. Constituunt & plantis pariter & animalibus quatuor potentias, altricis & nutritiuæ facultatis, primam qua attrahitur cibus, secunda qua retinetur, tertia qua alteratur, quarta qua per secessum expellitur, vt scribit Galenus tomo 3. lib. de cau. morbo. c. 6. Distinguendæ tamen sunt potentiæ rationales ab irrationalibus: quia rationales possunt in oppositа & non oppositа agere, actiuo appropinquato passiuo, in ea dispositione qua passiuum potest pati, & actiuum agere: & possunt etiam in oppositas & contrarias actiones, sicut medicus arte medicinæ, & sanitatem & ægritudinem inducere potest. Irrationales vero non possunt non agere passiuo appropinquato in sufficienti dispositione, nec etiam possunt in oppositas actiones nisi per accidens, sed sunt ad vnum determinatæ, vt calor calefacit, infrigidat autem per accidens, exhalatione facta

per poros ab eo apertos caloris interioris. Est & in plantis & animalibus, imo & hominibus quædam potentia latens diuina, per quam miræ producuntur substantiarum operationes, non ratione elementari, sed constitutione diuina. Omnis namque res duplici potentia vel vi, actiones exerit, secundum Platonem & Mesuen, in suis canonibus medicinalibus, nempe vel elementari, vel cœlesti. Quia & duo considero ego in omni re, nempe partes elementares, quibus quid confingitur & fit, secundo formam & integrum quod ex his temperatum. Est & sigillum artificis Dei, nempe proprium aliquid præter & supra vim compositionis partium quo adorandus artifex maiestatem suæ diuinitatis accessisse ostendit. Quidam Physicorum & medicorum dicunt id esse facultatem à tota substantia: ego artificis munus & proprietatem singulis concessam arbitror: vt nihil sit qualecunque etiam minimum, non animal vel planta, vel stella, lapillus, metallum, vel quiduis aliud, in quo non lateat quædam proprietas & potestas supra elementarem compositionem sui, & fœlix qui potuit rerum dignoscere causas, Deique opus solius: nos enim substantias illas nouimus per operationes & actiones, & experientia, vt scribit Galenus, libr. de simpli. medic. & de sancto Amando. in antidotario. Et hæc sola experientia nouimus sine certa ratione, Rhabarbarum & Scamonium, flauam bilem expurgare: Epithinum, Polypodium, Sena, humorem melancholicum: Agaricum, pituitam. Aliud soluit, aliud aggregat, aliud confortat, non quia calidum, non quia frigidum, sed ob formam, vim, potentiam specificam. Sic fœtida fugant matricem, odorifera attrahunt. Succinum, gagates lapis & adamas, festucas & paleas trahunt. Argentum viuum, auro afficitur: gallus terret cantu leonem. Magnetum alius ferrum, alius carnes trahit. Sunt & his aliæ propè infinitæ proprietates singulis, in singulis speciebus ab Authore rerum omnium secreto sigillo consignatæ. Virtutem cœlestem vocarunt philosophi. Scribit quoque D. Thom. in summa cont. Genti. libro primo, cap. 20. in corpore cœlesti esse quasi potentiam actiuam, non tamen absolute dixit esse potentiam actiuam sed quasi, & hanc virtutem essendi, quanquam virtus essendi potius ad potentiam formæ pertineat, quàm ad potentiam materiæ. Nam vt idem D. Thomas primo Cœli lectio. 6. ait, Forma secundum sui conditionem, dat esse materiæ:

& di-

& diuersæ formæ dant diuersum esse: materia namque propter formam est, non forma propter materiam. Accedit & vis & effectus alius præstantior rebus naturalibus ex supernaturali potentia, nempe ex verbo, veluti dum verbo Dei sacramenta Ecclesiæ exercentur: dumque iungitur verbum Dei elemento, fit sacramentum. Et ex potentia Dei superuenit gratia Dei collata inuisibiliter rebus visibilibus, quæ gratiam conferunt, non ex propria potentia, sed Dei, cuius verbo sanctificantur. Dicimus deinde potestatem inter homines ex iure aliquo vel consuetudine inueniri: hæc etiam ex potentia Dei dependet, qui vt omnia potuit, & voluit talem potestatem largiri hominibus. Quia itaque homo parte vna constat immortali ad similitudinem & imaginem Dei creata, nempe anima: & alia mortali, dum creatus fuit, Potentia fuit immortalis & mortalis, nam in vtram vellet partem, declinandi potestatem acceperat, vt dictum Genes. 2. illi. Si comederis de fructu vetitæ arboris, morte morieris. Et Dominus noster IESVS CHRISTVS restaurator humani lapsus, nobis restituit per suam fidem potestatem illam: sic enim scribitur in Euangelio D. Ioannis cap. primo. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Gratia itaque Dei adiuuat illam potentiam naturalem respectu intellectus & voluntatis animæ ad bonum, eo quod quia etiam post peccatum, manet in anima, humana potentia ad bonum: & est illa potentia, potentia passiua, quæ per gratiam Dei potest reduci in actum, & reparari in bono. Et sic homo potest consequi remissionem peccatorum, vt docet D. Thomas, libr. 3. contenti. cap. 156. adducitque caput Iesaiæ primum. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur:* Est autem illa potestas interior & cuique particularis. Exterior alia tamen duplex homini, non tantum in his quæ particulariter ad seipsum pertinent, sed etiam & quæ alios respicit, & supra alios: cum in his quæ ad sacra pertinent: tum in his quæ ad secularia. Quamobrem duæ sunt à Deo concessæ potestates in genere, spiritalis & secularis. Hanc principes habent, summi pontifices alteram: illa secularis caput & fons, Deus benedictus ipse. cano. cum ad verum, & can. duo sunt, 96. dist. in 1. par. De-

cre. Grat. can. quoniam, 10. dist. Et sunt duo gladij, quos Christus Dominus Lucæ 22. d. dixit sufficere. Spiritali enim & iuridico anima à corpore Christiano & mystico separatur: per secularem autem à corpore proprio. Verùm super potestatem omnium esse Dei potestatem, docetur ex D. Augustino 2. Confessionum in cano. quæ cont. mores hominum sunt, 8. dist. in 1. par. Decre. Bonifa. Gratiani, potestatis verbum semper vim vel facultatem agendi vel patiendi in eo de quo potestas dicitur, significat. Idque secundum diuersa subiecta, vt in persona magistratus, imperium: ratione liberorum in patre patriam potestatem: in seruorum personas, dominium: in sistendo & exhibendo, facultatem exhibendi, vt notat Paulus Iurisc. in l. potestatis verbum, l. 215. de ver. & rer. sig. libr. 50. π. tit. 16. vbi gloss. similia citat iura quæ ego prætermitto. Statuunt & leges nos non posse ea facere, quæ facta lædunt pietatem, existimationem, & verecundiam nostram. Et vt generaliter dixerim, quæ sunt contra bonos mores, vt scribit item Paulus Iurisconsul. in l. filius qui fuit in potestate, l. 15. de conditio. & demonst. libr. 28. π. titul. 7. Quod hic potentiam adimit, superioris prohibitio potissimum est, quæ vim cogentem habet, libertatisque naturalem facultatem continet, vt libertatis definitio docet, quæ naturalis facultas est eius quod facere licet, nisi si quid vi aut iure prohibeatur l. libertas, de sta. homi. in π. cum simil. Neque hoc mirum videri cuipiam debet, si repetat principum & magistratuum originem. Siquidem cum omnis potentia, vt diximus, sit à Domino, omnibus sublimioribus potestatibus obedire oportet, & pro his rogare qui iubent & præsunt, vt vitam quietam & tranquillam agamus, siue ij boni sint, siue mali: & tanquam Dei ministris, vt scribit Paulus ad Tit c 3. a. & ad Roma. c. 13. b. c. 2. de censibus can. magnum 11. q. 1. & D. Paul. 1. ad Timoth. 2. a. Ipseque D. Paulus cum percuteretur iussu sacerdotis magni in iudicio, etiam contra legem, cum dixisset, Ignorans percutiet te Deus, paries dealbate: admonitus, quod esset sacerdos magnus, dicta retractauit dicens, *Nesciebam fratres, scriptum enim est, principem populi tui non maledices.* Actuum c. 23. b. Quod & scriptum est in c. 22. D. Exod. Et ita Apostoli & primi Ecclesiæ Catholicæ regni cœlestis tunc candidati, nunc Dei gloria fruentes, proculdubio Imperatoribus in his quæ ad politiam humanæ administrationis

perti-

pertinent, obtemperârunt. & legibus eorum colla subiecerunt, quantumuis iniquissimi illi & idololatræ perditissimi & crudeles tyranni fuerint, ob potestatem, quam à Deo illis permissam nouerant: exemplo Domini nostri IESV CHRISTI, cui placuit, quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda, quæ Dei, Deo. D. Matth. c. 22. b. Marc. 12. b Lucæ 20. e. Tributumque pependit pro se & Simone, & si ab alienis reges terræ tributum exigere dixerit D. Matth. c. 17. Nec quis conqueratur, quia alii tyranni sint, alii impii, alii contra ius regnantes: nam quomodocunque principatum obtineant, vel directè vel permissiuè à Deo illis potestas est concessa, vel in vltionem delictorum subditorum, & principum, vel in probationem & vtilitatem bonorum. Sic obseruatum sæpissimè suscitatos à Deo tyrannos, qui depopulati sunt, & flagellârunt principatus & regna, ad castigandos ipsos regulos, qui à subditis non valent nec debent castigari. Talis Alexan. Mag. Xerxes, Attila, qui se flagellum Dei dicebat, & aliæ barbarorû inundationes, talis Assur, quê Deus dixit virgam furoris sui. Iesaiæ 10. b. Prouerb. 28. a. Et Iesaiæ c. 3. scriptum, *Propter peccata terræ, multi principes eius: & propter hominis sapientiam, & horum scientiam quæ dicuntur, vita Ducis longior erit.* Et alibi in vltionem scelerum Deus minatur se daturum pueros principes, & quòd effœminati dominabuntur, & corruet populus, vir ad v. ũ. & vnusquisque ad populum sistens, &c. Quo maius vix accidit malum populo, nempe puero rege, & effœminato ne dicam de fœminis. Docuit nos experientia rerum Firmat Eccles. c. 10. c. Ecclesiastes clamans, *Væ terræ cui rex est puer, & cuius principes mane comedunt.* Hoc iterum dico omne nos quoque expertos. sed delicta maiorum lues Galle, donec templa refeceris, &c. Non enim tam culpa omnis in principem rejicienda, quantum in delicta, quæ talem promeruerunt rectorem Reipublicæ, & forsan aliquando regis delicta luunt subditi, veluti ob delictum Dauid 2. Reg. c. 24. Sic per Prophetam Oseam Deus, Oseæ c. 13. c. *Dabo tibi regem in furore meo.* Non tamen ideo superbiant principes mali: non ideo enim ipsi à Deo approbati, vt boni, sed tantùm in vindictæ diuinæ ministerium & flagellationem, vt carnifices, veluti vasa electa furoris Dei. de quibus & Deus per Prophetam Oseam c. 8. a. scribit. *ipsi regnauerũt, & non ex me principes extiterunt, & non cognoui.* Quod scribit & interpretatur D. Hieronym. cuius verba afferuntur,

in can. audacter 8 q. 1. non secus quàm Sathan carnifex vltionum Dei, ideò tamen ipse bonus non est, quamuis voluntatem Dei exequatur in vltione & vindicta scelerum. Faciunt itaque carnifices illi, & sunt ex Dei permissione, non tamen ex consilio Dei: sicuti 1. Reg. c. 8. Deus, dum populus peteret sibi dari regem à Samuele in morem gentium reliquarum, permisit, & in illorum iugum regem fieri edixit, non quòd ipsius consilio fieret, sed ad illorum prohibendam peruicaciam: *Non enim*, inquit ad Samuelem *Deus, te abiecerunt, sed me: verumtamen prædic eis iugum & furorem regis: filios*, inquit, *vestros tollet, & ponet in curribus suis, & filias vestras faciet sibi vnguentarias, focarias, & panificas. Agros vestros & vineas & oliueta optima tollet & dabit seruis suis, &c. Et clamabitis in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem* Quibus efficitur, voluntariè quidem populum sibi constituisse regem, sed ea lege, vt dum à facie eius clamabunt, non liberentur. Vnde duo sequuntur, primùm, vt dubitare de potestate principis instar sacrilegii sit. & ei obsistere vel negare potestatem principis, vt scribunt Cæsares Valentin. Theod. & Archad. in l. sacrilegii instar. l. 5. de diuers. rescrip. lib. 1. C. tit. 26. Quia illud est derogare legi diuinæ, quæ ius regis statuit: deinde, quia quasi ex cõtractu inter Deum & populum, ius regis stabilitum est. Neque haud vix rempub. inuenies monarcha moderatam, & successione confirmatam, quæ non suum ius in regem transtulerit. Sic ius regni Israëlitici stabilitum. dicto c. 8. Reg. 1. Eò refer parabolam Iudicum c. 9. 6. *Dum* ierunt ligna vt vngerent super se regem, & recusantibus frugiferis plantis imperiũ, Rhamnus sterilis illud acceptauit, ea conditione, inquit, vt si verè me regem vobis constituistis, venite & sub vmbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno & deuoret cedros Libani. Legimus & populum Romanum, lege regia omnem potestatem in regem transtulisse, & ita subjici eius voluntati, quæ pro lege nemine impediente habetur. § sed & quod principi, de iure natu. gen. & ciu. tit. 2. Pompo. Iurisc. in l. 2. §. deinde cùm esset, de orig. iur. lib. 1. ff. tit. 2. Vlpia. in l 1. de constit. princip. lib. 1. ff. titul. 4. cum similib. Scimus & Iudæos lege sempiterna sibi Cæsarem in regem suo malo accepisse, qui eos ob mortem Christi, si, seruitute perpetua, contineat, dum dixerunt: Non habemus

bemus regem nisi Cæsarem. D. Ioan. c. 18. Scimus & Gallos lege Salica sibi regem confirmasse ex historiis Gallicis, & sic alias gentes sibi elegisse reges. Quò fit vt aliud secundum hinc colligatur, non esse in potestate subditorum in regem quicquam amoliri, vel committere, vel in regni eius imminutionem: & huiusmodi ritè crimine læsæ maiestatis puniri, vt si aliud quippiam in malos principes fiat. Cuius rei gratia in Pandectis & Codice Iustinianeo extant tituli ad legem Iuliam maiestatis, quæ gladio hanc temeritatem vlciscuntur. Atque qui turbant quietem publicam & seditiosi, vltimo supplicio afficiantur, vt scribunt Gratian. Valentinian. & Theodo. Cæsar. in l. 1. de seditio. libr. 9 C. tit. 30. & simil. quia populus iam renuntiauit suæ potestati, nec eam repetiit. Et hæc hactenus dicta sint de his quæ in diuisione potentiæ difficiliora videbantur, omissis reliquis membris diuisionis, quæ per se satis patent, vt opinor ex his quæ in 4. cap. 4. lib. Syntax. dicta sunt. Subijciam autem ex eodem lib. synopsin eorum quæ ad potentiam pertinere possunt, & aliquorum explicationem.

## *De abaco potentiæ, & eius explicatione.*
## CAP. XXXVI.

| *Synopsis eorum quæ potentiam referunt.* | *Repugnant his.* |
|---|---|
| Agere. | Succumbere. |
| Authoritas. | Sine authoritate. |
| Dignitas. | Priuatum. |
| Diuitiæ. | Paupertas. |
| Dominatio. | Obedire. |
| Facultas. | Prohibitio efficax, vel impedimentum. |
| Fortitudo. | Debilitas, timor. |
| Idoneum. | Non idoneum. |
| Iurisdictio. | Sine iurisdictione. |
| Libertas. | Seruitus. |
| Magistratus. | Sine magistratu. |
| Præcipere. | Obtemperare. |
| Principatus. | Famulatus, subiectio. |
| Patrem esse. | Filius. |

Potestas.

| | |
|---|---|
| Potestas. | Impotentia |
| Robur. | Infirmitas. |
| Vis omnis, virtus | Resistentia. |

Violentia, & ea omnia per quæ vis infertur: vt arma, lapides, coactio, &c.

Agere, est ex potentia, nam vt diximus in principio, præcedit actum potentia. Authoritas, est auctio quædam & eminentia aliqua, vel ex scientia, vel ætate, vel honore, vel moribus, vel diuitiis comparata vel delata, ob quam is qui eam habet, maximè potest & valet vel sententia, vel opinione, aut consilio, aut iussu, vel persuasione. Et in summa id authoritatem per se habere dicitur in aliquo, quod sufficit ad aliquid agendum, nullo alio adminiculo. *Dicta* authoritas, vt opinor, à nomine græco *αὐτος*, quod proprium ex se. Hinc dicimus authoritas præstationem tutorum, in negotiis pupillorum: illam potestatem, qua negotia pupillorum velut à potentia in actum validum educuntur, veluti sine personis tutorum, alioquin inutiliter contractis, vt tractat Caius in l obligari, l 9 de autho tuto. libr. 26 π. tit. 8. & Iustinianus in §. 1. de autho. tuto. lib. 1. Instit. iur. ciuil. tit. 21. *Dicitur* & authoritas legum, quia ex vi illarum aliquid facere possumus, vel prohibemur ne faciamus. Item authoritas rerum iudicatarum, robur & efficacia iudiciorum ex qua aliquid fieri potest apud Metium Iurisc. in l. seruo inuito, l. 65 §. qui prætor. ad SC. Trebel. lib. 36. π. tit. 1. *Dicitur* & sæpissimè in iure, etiam authoritas magistratuum pro eorum potestate. Sic iustè possidet, qui authore prætore possidet. l. iustè possidet, de acquir. rer. dom *Dicimus* authoritatem iudicis requiri in aliquibus vtiliter gerendis negotiis, vocamus & authoritatem, insignis viri testimonium, quod ipsius dignitas scientiæque opinio persuadendi vim efficacem habeat, vel recepta de illo inter bonos bona fama. Sic Paulus Iurisc. argumentatur ab authoritate Hippocratis de septimestri partu legitimo, in l. septimo mense. l 12. de sta. homi. lib. 1. π. tit. 5. Et omnes iurisprudentes à legum authoritate Rhetores quoque inter topicos locos illum ab authoritate constituunt, ex electis viris vel in aliqua arte peritis responsa & dicta pro fundamentis sumendo, & scribit Aristot. lib 3. Topic. c. 1. & Cicero 1. Tusc. quæst. *Authoritas quidem ad eam sententiam*, inquit, *quamuis obtinere, vt optimis possumus, quod in omnibus causis & debet & solet valere plurimum.*

Digni-

Dignitatem potentiam esse ex eo constat, quia multa committuntur ei qui dignitatem habet, & per consequens qui illam habet, multa potest. *Dehinc* qui habet dignitatem siue ea sit magistratus, siue ordinis Ecclesiastici, habet authoritatem qua præualet cæteris. Quicunque habet authoritatem, potentiæ communicat, &c. Et cùm dicitur ad Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Potestatis appellatione & principes & magistratus continentur. Et in cap. 2. de censib. lib. 3. *Decreta.* Grego. tit. 39. & Imper. Arcadius in l. 2. de executo. & exacto. tribut lib 12. C. tit. 61. Et compulsores, admonitores, petitores, agentes in rebus, Palatini, & alii officio aliquo insigniti potestatis esse dicuntur. Et Modestinus Iurisc. in l. fideiussor impetrauit à potestate, l. 26. de pignor. lib. 20. ff. tit. 1. potestatem posuit pro iuris moderatore & iudice, & Vlpian. in l. 3. §. pignori. de reb. eor. qui sub tut. lib. 27. ff. tit. 9. *Pignori capi iussu magistratus vel præsidis, vel alterius potestatu*, inquit, *& distrahi fundus pupillaris potest*, vbi concludit magistratus sub potestatis nomine, quæ in illorum persona imperiū significat, vt diximus, ex l. potestatis verbo. de verb. sign. lib. 50. ff. tit. 16. Et iurisdictio ipsa est potestas de publico introducta, cum necessitate iuris dicendi: nam sine potestate iurisdictio exerceri non potuit, qua collata, & ea concessa censentur, sine quibus exerceri non potest. vt scribit Iabolenus Iurisc. in l. 2. ex qua glossa præd iurisdictio finitionem colligit, de iurisd. omn. iud. lib. 2. ff tit. 1. Hinc potestatem exercere, pro vsu illius potestatis magistratibus concessæ dicimus apud Vlp. in l. 1 de offi. proconf. & leg lib. 1. ff. tit. 16. Neque dubium est quin in originibus dignitatum, in principatu, in pontificatu sit potestas, quia ex illa omnes seculares, ex altera ecclesiasticæ dignitates, veluti ex fonte riuuli, manant.

*Dominatio* habet potestatem in illos, in quos exercetur, vt in seruos & filios. d. l potestatis verbo, de verbor. signif. In potestate namque nostra sunt liberi, quos ex iustis nuptiis procreauimus §. 1. de pat. pot. lib. 1. Inst iur. ciu. tit. 9. Id iure Roman. §. ius autem potestatis, eo. tit. *Dionys.* Halicarna. lib. 2. Histo. Rom. & item iure Gallico, nam etsi habebant etiam imperium vitæ & necis in liberos. vt scribit Iulius Cæsar lib 6. comment de bello Gallic. Item in potestate domini serui §. in potestate. itaque de his qui sunt sui vel ali. iur. lib. 1. Instit. tit. 8. Item in potestate mariti vxor,

Gene-

Gene. 3. c. vers. 16. can. manifestum, cano. est ordo, cano cùm caput 33. q. 5. Quo fit vt noua ratione filios non habeant in potestate matres, vt scribit Iustin. §. fœminæ, de adopt. lib. 1. Instit. tit. 11. Caius l. nulla, l. 13. de suis & legit. liber. lib. 38. π. tit. 17. cum sim. lib. ibi nota. eo quod habere non dicitur alios in sua potestate, qui non est suæ potèstatis, vt scribit Vlpian. in l. sic euenit, l. 21. ad legem Iuliam, de adulte. lib. 48. π. tit. 5. Dicimus & libertatem esse potestatem, quia est facultas naturalis eius quod cuique facere libet, Iustinia. in §. & libertas de iur. perso. lib. 1. Instit. tit. 3. vt contrà, seruitus est status, quo quis alterius dominio subjicitur. § seruitus, eod. tit. vtrumque Florenti. Iurisc. in l. libertas. l. 4 de sta. ho. lib 1. π. tit. 5. Diuitiæ etiam potentiæ nomine concluduntur, quia per opes multa exequimur & possumus, vt non immeritò Philippus Macedo dixerit, nullam ciuitatem sibi videri inexpugnabilem, in quam asellus auro onustus ingredi posset, vt scribit Plutarchus in Laconicis. & Cicero scribit 2. Officiorum. idem Cicero Actio. in Verrem, Philippum id ex oraculo Pythii didicisse, consulentem quo modo victoria posset potiri. ille enim respondit ἀργυρέαις λόγχαισι μάχῃ, καὶ πάντα νικήσεις, id est, *aureis pugna hastis, & omnia vinces.* Nihilque tam sanctum, quod non violari, neque tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. Extat & oraculum quod fuit responsum Alcamen. & Theopompo Spartæ regibus, ἡ φιλοχρηματία αὐτῶν ἕλοι, ἄλλο δ' οὐδέν: *Amor pecuniæ Spartam capiet, aliud nihil.* Significans tum Lacedæmonios esse vincendos, cùm cœpissent aurum & argentum in pretio habere. Et ita adolescens quidam Rhodius respondit Apollonio, homines videri amabiliores propter ea quæ possident: multum enim inquit diuitiæ possunt, vt narrat Philostrat lib 5 de vita Apollo. cap 8 & Demosthen. oratio Olynth. 1. δεῖ δὴ χρημάτων καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἧττον γίνεσθαι τῶν δεόντων. id est, *pecuniis certè opus est, cùm sine his eorum quæ oporteat non liceat quicquam fieri.* docet & Horat. Satyr. 3. lib. 2. Serm. vers.

——*omnis enim res*
*Virtus, fama, decus, diuina humanaq; pulchris*
*Diuitus seruent quas qui construxerit, ille*
*Clarus erit, fortis, sapiens etiam rex,*
*Et quicquid volet.*

Et Lu-

Et Lucretius lib. 5.

*Posterius res inuenta est aurumq; repertum,*
*Quod facilè & validis & pulchris dempsit honorem.*
*Diuitioris enim sectam plerunq; sequuntur.*
*Quamlibet, & fortes & pulchro corpore creti.*

Et vulgaria sunt quæ scribit Ouidius De remed. amor 2. vers.

*Curia pauperibus clausa est, dat census honores,*
*Inde grauis iudex, inde seuerus eques.*

Et quod Persius Satyr. 2.

*Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.*

Et rursum Horatius 2. epist.

*Sulcet Vxorem cum dote, fidemq; & amicos,*
*Et genus, & formam, regina pecunia donat.*

Sed & lepidè Demosthenes Oration. de pace scribit, ὅταν ὑπὲρ θατέρας ὥσπερ εἰς τηυτάνην ἀργύριον περιενέγκῃς, ὁ ἕτερος φέρων καὶ καθείλκυσε τὸν λογισμὸν ἐφ' αὑτὸ, καὶ οὐκ ἐτ' ἂν ὀρθῶς ἐλέγχοις ὑγιῶς ὁ τὸ πολὺ ποιήσας περὶ ὀλίγου ἂν λογίσαιτο, id est, *Cum in alteram partem, velut in trutinam argentum attuleris, id plus argentum praponderat, & ad se rationem omnem detrahit. Nec amplius qui hoc fecerit, recte neque syncerè vlla de re ratiocinari poterit.* Opes certè à iuuando dictæ sunt, eo quòd plurimum inde opis habent hominum ciuiles conuentiones, maximè si cum ratione & virtute his quis vtatur. Sunt enim tunc potenter vtiles, vt Pindarus scribit Ode 5. Pythior. in princip.

Ὄλβος δ' ὑψιθένης
Ὅταν τις ἀρετᾷ κεκραμένον καθαρᾷ βροτήσιος ἀνήρ,
Πόθεν παρεδόντος αὐτὸν ἀνάγκη, id est,
*Diuitia late potentes, quando pura*
*Virtute temperatas, mortalis*
*Aliquis vir, fortuna tradente,*
*ipsas auget.*

Et idem Pindarus Ode 1. Olympio. in princip. ob necessitatem & vsum potentem comparat aurum elemento aquæ, & præstantius dicit esse elemento & splendore ignis, dū ait,

Ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ
Χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ

Απ διαπρέπει νυ-
κτὶ μεγανόρ@ ἔξοχα πῦρ ἀκτή.
*Optima quidem aqua, sed aurum*
*Vt lucidus ignis, noctu excellit*
*Super eximias diuitias.*

Omitto quomodo in omnibus commerciis pecunia egeamus, vt constat ex Paulo Iurisc. in l. 1. de contrahen. empt. lib. 18. π. tit. 1. & Aristotele 5. Ethicor. & vt scribit Iuuenalis Satyr. 3.

*Haud facilè emergunt quorum virtutibus obstat*
*Res angusta domi.*

Quamobrem opes, quia defectu earum hoc infœliciſſimo seculo etiam optimi multa indigna patiuntur, summopere potentiæ nomen sibi vendicant, vt & in præcedentibus seculis Nam & Strabo lib. 9. Geogra. eas omni tempore plurimum inter res humanas honoratas fuisse scribit. Et potissimùm apud Græcos, qui hac de re suos reges δυνάστας, id est, potentes vocarent. Et vsque adeò pecuniarum creuit ambitio, vt necesse fuerit ad minuendam potentiam, & ad euitandam inuidiam & tyrannidem potentum, in quibusdam Græcorum ciuitatibus, Ostracismum, id est, exilium voluntarium decem annorum diuitibus indicere, vt scribit Aristoteles 3 Politic. cap. 9. Meminit & Plutarch. in vita Periclis, legendus & Alexan. ab Alexandro lib. 3 Genia. dier. cap. 20. Ostracismus autem fiebat, dum populus suam sententiam de expellendo aliquo vrbe ob potentiam, ostracis, id est calculis testaceis in scriptis dabat, vt scribit Plutarch. in vita Aristid. & in vit. Niciæ. & Diodorus Siculus lib. 11. Biblioth. hocque fiebat potissimum Athenis iudicium populare, quod imitatus est, vt scribit Diodorus in 9. Populus Syracusius in omnibus, excepto quod non Ostracismum, sed petatismum iudicium dicerent: eo quòd nomen exulis, non testis, sed folis inscriberetur. Sublata tamen lex Ostracismi à populo sub Aristide, vt scribit Plutarch in vita Aristid. Petatismus autem non diu, nec obnixè obseruatus, vt Diodorus scribit dicto lib. 10. Quia & ob id plures tragœdiæ inter plebem & ditiores natæ fuerint, veluti aliquando apud Romanos, ob leges Agrarias, ob æs alienum, ob creditorum seueritatem, de quibus latè Dionys. Halicar. Liuius, Appianus, Florus, & alii scribunt. Prospectum tamen est le-

est legibus, vt ne freti potentia diuitiarum, opprimerent pauperes, idque ad præsidis curam maximè negotium delatum est, vt scribit Vlpian. in l. illicitas, l. 6. §. nec potentiores, de offic. præsid lib. 1. ff. tit. 18. & à Dioclet. & Maximi. in l. 1. ne licc potentio. litigant. patroci. præsta. vel in se actio. transferre lib. 2. C. tit. 14. & in toto eo. tit. & l. 2. seueriſſimè puniri iubentur, qui prætextu potentiæ terrorem aliis incutiunt, in quibus potentes, diuites, & dignitate fulgentes continentur, vt etiam legitur apud D. Iacobum Epistol. cap. 2 b. 6. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahũt vos ad iudicia?* & alibi Demosth. in orat. funebri. ὁ πλῆτος, inquit, καὶ τὸ πάχος, καὶ ἡ ἰσχὺς, καὶ ὅσα ἄλλα τούτοις ὅμοια ἀυτάρκεις, ἔχει τὰς ὑπηρεσίας τῆς κεκτημένοις, καὶ κρατῆσιν ἐν αὐτοῖς ἂν παρῆ· ἂν μηδεὶς τῶν ἄλλων βάλητας. id est, *Diuitiæ celeritas & robur, & quæcunq; alia istis similia, amplo & copioso fructui sunt suis possessoribus, & in his ipsis excellunt quibus interſunt, licet nullus alius velit.* Facultas est etiam potentiæ nomine contenta, quasi dicas facilitatem faciendi: quamobrem dicimus esse vel non esse potestatem agendi, eius quod facere vel non facere possumus. Sic nos docet Vlpia. in l. quoties, l. 21. §. prætor ait, versi. in potestate, de noxal. actio. lib. 9. ff. tit. 4. *In potestate rerum habere dominum sic accipere debemus, vt facultatem & potestatem exigendi habeat. Cæterùm si in fuga sit vel peregrè non videbitur esse in potestate. Si enim qui exhibendi facultatem habent, ad exhibendum tenentur.* vt idem ait Vlpia. in l. Celsus. l 5. ad exhiben. lib. 10. ff. tit 4. cum simili. lib. facit expressè l. potestatis, de verb. sign. lib. 50 ff. tit. 16 & Cicero 1. De inuentione *facultates*, inquit, *sunt quibus quod facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest.* Et medici, facultates naturales potentias dixerunt, vnde & nascuntur actiones, & extant libri Galeni tres de naturalibus facultatibus. Fortitudo etiam potentiam indicat, qua quis potens est ad ferendum aliquid, vel ad resistendum, in periculis & terroribus incussis, vt scribit Aristot. Ethic lib. 3. ad Nicom. cap 6. Et cùm fortitudo virtus animæ sit, non mirum si potentia egeat Omnes enim virtutes, potentia egent. Nam Aristoteles lib. 10. Ethic ad Nicom. cap 8. Forti, inquit, opus est potentia, si aliquid agit eorũ quæ à virtute proficiscuntur, & potestate etiam temperanti. Vocamus & fortitudinem, robur corpora-

e, veluti Milonem dicimus fortem fuisse, & Iasonem & Athletas, & propugnaculum forte. Iudas 1. Machab. 2. g. quoq; Machabæus fortis viribus. & alibi Matth. 12. c. cùm fortis armatus custodit atrium suum, &c. si fortior se venerit, alligat fortem, &c. Sic exercitus fortes, id est, potentes armis. Itaq; timiditas & ignauia præ se fert impotentiam, sicut & audacia, artis ignorationem, vt ait Hippocr. libello de lege. Dicitur & fortitudo, vis & virtus quæ corroborat siue animum, siue corpus. vt dicitur de cibo & pane subcinericio Eliæ: quod Elias in fortitudine cibi illius ambulauerit quadraginta diebus & quadraginta noctibus 3. Reg 19. b. Sic alibi Psal. 27. c. Dominus dicitur fortitudo plebis suæ, id est, potentia, qua populus potest Dei adiutorio. idem Psal. 30. a & 42. a. & 117. b. & alibi. Sic robur exercitus, potentia exercitus, vt in historia Iudith 1. b. vers. 5. Iudith, Gloriabatur Arphaxad quasi potens, in potentia exercitus sui, & gloria quadrigarum suarum. Et in Psalmis, Psal. 75. ibi, *Confregit potentias, arcum ac scutum & bellum.* Et alibi 2. Machab. 15. *Non secundùm armorum potentiam, &c.* Idoneum habet quandam potentiam eius causa ad quod est idoneum, habet si dicere ita licet aptitudinem & facultatem agendi: facultas autem pro potestate & potentia sumitur, vt diximus. Atque idoneum, facultatem aliquam agendi significare constat, quia idoneum dicimus testem, qui potest cum efficacia & effectu testificari, quive nulla exceptione repellitur. notatur in cap. 1. & ibi glo. de testib. lib. 2. Decret. Gregor. tit. 20. Sic intelligendus Iulianus Iurisconsultus in l. idonei, l. 6. de testib. lib. 22. ff. tit. 5. dum ait, testes, quibus imperari potest, non esse idoneos. Et ita audiendus Paulus in l. test is idoneus, l. 9. eod. & Pomponius l. nullus idoneus, l. 10. sub eod. tit. in ff. patrem filio, nec filium patri, neq; quenquam in re sua testem esse idoneum, asserentes: & sic de reliquis, qui idonei non sunt, si aliqua exceptione qua non possint testari, repellantur. Sic puta tutorem vel curatorem idoneum, cum qui potest tutelam vel curam gerere, eique muneri sufficiens est vel facultatibus, vel industria, vel fide, vel ætate, vel his similibus, vt notatur à glos. in § interdum, in verbo idoneus, de curatorib. l. 1. Institut. tit. 23. cum similib. Appellamus ita idoneum fideiussorem, qui potestatem habet soluendi, vel qui potest passiuè facilè conueniri, isque patrimonio & fide idoneus quoque existimatur à Pomponio in l. si quis stipulatus sit, l. 112. § fin. de verb. obl.

obl. lib. 43. ff. tit. 1. vt alio nomine huiusmodi fideiussorem idoneum, locupletem dixit Vlpian. non tam ex facultatibus, quàm ex facilitate conueniendi. in l. 2. qui satisd. cogan. lib. 2. ff. tit 8. Sunt alia his similia, qualia q̃ de idoneo procuratore, qui potestatem agendi & defendendi habet. De idoneo ad munera, qui adipiscendis muneribus accommodus est. Sic de aliis collige. Necessitas habet vim cogentem. & omnia sursum versus, ad diuinam causam ducit volentia & inuita: eam, qui lætus sequitur, verè est sapiens, inquit Epictetus, teste Arriano, in Enchirid. Epictet. cap. fin. atq; Prometheus apud Æschilum in Prometheo ligato,

πλὴν πεπρωμένην γ' ἴσμεν
Ἀβίαστον φέρειν ὡς πάσει, γνώσεται τ' ὄπη
Τὸ τῆς ἀνάγκης ἐστὶ ἀδήλητον σθένος. id est,

*Caterum destinatam oportet*
*Parcam ferre facillimè, cognoscentem*
*Quod necessitatis est inexpugnabile robur.*

Iurisdictio, vide Dignitas.
Libertas, vide Dominatio.
Officium, vide Dignitas.
Præceptum, vide Dignitas.
Pater, vide Dominatio.
Robur, vide Fortitudo.

Vis accipitur pro virtute & potentia tam cœlesti quàm inferiori: sic apud Cicer. orat. 39. pro Milo. vis cœlestis & numinis, id est, quod non Sol nec homines, nec aliud quidquis mouent, sed ex quo omnia fœlicissima ciuitati & reipublicæ aduenium: & eam vim Dei esse ait in omni naturæ motu & corpore nostro. Item vis corporis, & pro roboris potentia, & magnitudinis virtute, apud Aristot. libr. 1. ad Theod. cap. 6. Propriè tamen vis est siue in animatis, siue in inanimatis, violentum illud cum agendi causa, à qua quid cogitur, quorum autem interior nec in ipsis causa est, vis non est, vt scribit Aristot. lib. 1 magnor. moral. cap. 15. Quia igitur vis accipitur pro violentia, quæ est maior vis frangitque maximas opes, vt ait Cicero Orat. pro C. Rabirio, de illa dicemus, si modò notemus violentum esse, cuius principium est extra, nihil conferente vim passo, apud Aristot. 3. Ethic cap. 2. Violentia itaque, vis est & potestas contra naturam agens, si credamus eidem Aristot. libr. Problemat. sect. 1. q. 6. & idem lib. 5. de generat. animal.

cap. fin. violentum præter naturam esse dicit. Et alibi, Aristot. libr. 2. Ethico rad Eudemum, Omne inuoluntarium acerbum esse dicit & violentum, scilicet, id omne quod coactus quis facit aut patitur. Quia omnis res necessaria, molesta est: itaque si quid molestum, idem etiam violentum erit, & contrà. Quicquid verò præter cupiditatem est, id omne dolorem infert, iucundorum enim cupiditas est. Itaque violenta etiam inuoluntaria sunt, & proinde quæ secundùm cupiditatem, eaque voluntaria, hæc inuicem sibi sunt contraria. Et paulò pòst eodem loco, videtur violentum necessariò, vis & necessitas voluntario persuasionique in rebus agendis opponi In vniuersum autem, violentum necessitatemque inanimatis assignamus. Nam & ignem vi, coactumque deorsum ferri cernimus. Verùm quando secundùm naturam propriumque impetum fertur, nec violentia, nec voluntarium subest, sed nomine caret antithesis, sed. cùm præter hoc contingunt, vt diximus fieri. Eodem pactò & animalia & inanimata, vi multa cùm facere tum pati animaduertuntur, quando scilicet præter naturalem impetum ab externo aliquo mouentur. Quod in anima quidem expertibus, simplex est: sed in animatis non sæpe simplex, vt in quibus non semper ratio cupiditasque consonant. Ac cæteris quidem animalibus quemadmodum & inanimatis violentum simplex est, quippe quæ cupiditati, nam ea viuunt, rationem minimè contrariam habeant: homini verò ambo insunt, certa quadam ætate, ea scilicet, quæ rebus per rationem agendis idonea est. Cicero Oratio 12. pro Cecinna. non solùm corporis, sed etiam animi vim vocat. Corporis, cùm quis corporali impetu vel vulneribus adigitur: animi. cùm metus vel terror incutitur. Et rursum Orat. 33. pro P. Sext. vim generaliter opponit iuri humano. & vim omne id quod contra ius est vtilitatemque publicam. Dixit & alibi lib. 3. de Legibus dum legem priscam commemorat. *Sunt cum populo actiones, in quibus primò & maximè vis abesto. nihil enim est exitiosius ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri & legibus, nihil minus est ciuile & humanum, quàm in composita & constituta republica, quicquam agi per vim.* Sed quid de vi & violentia sentiant scripta iura, videamus: & extant leges quæ nobis apertè insinuant, vim esse tam aduersariam animo, quàm corpori impetum, cui resisti non possit. Vlpia. in l. 1. & Paul. in l. 2. de eo quod met. cau. b. 4. ff. tit. 8

tit.2. *Ait prætor*, inquit Vlpianus in d.l. 1. *quod metus causa gestum erit, ratum non habebo, olim dicebatur quod vi metusve causa. Vis enim fiebat mentis propter necessitatem impositam contraria voluntati. Metus est instantis periculi vel futuri causa, mentis trepidatio: sed postea detracta est vis. mentis ideo, quia quodcunque vi atrociter fit, id metu quoque fieri videtur.* l 2. eod. Vis autem est maioris rei impetus qui repelli non potest. Quod de vi maiore dictum est coactiua: nam existimant iurisconsulti quandam aliam vim esse, cui resisti potest, sed ægrè & non sine periculo, quam vocant impulsiuam vel compulsiuam. Vt annotatur & citantur iura in glo. d.l.2. de eo quod met. caus. Quod notabile est, plerique enim sunt casus, in quibus re pereunte, apud non dominum, vi maiore, eam non præstat possessor, sed domino perit, veluti in commodato, in quo re penes commodato accipientem pereunte, perit domino, non autem tenetur qui commodato accepit, nisi aliud conueniat, vt scribunt Dioclet. & Maxim in l.1. de commoda. lib 4 C. tit.23 cum simil. ibi nota. Similiter in locatione. si vis tempestatis calamitosæ contigerit, cùm quæsitum esset: num locator conductori aliquid præstare deberet, Seruius respondit, omnem vim cui resisti non potest, dominum colono præstare debere: vt pura, fluminum, graculorum, sturnorum, & si quid simile acciderit, aut si incursus hostium fiat: si qua tamen vitia ex ipsa re oriantur, hæc damno coloni esse, veluti si vinum acuerit, si raucis. aut herbis segetes corruptæ sunt, &c. Apud Vlpia. in l. ex conducto, l. 16. loca. & cond. lib 19. ff. tit. 2. cum simili. ibi nota. Sunt casus his similes, quos prætermitto: duo enim exempla sufficere videntur ad probandum, potestatem extrinsecam vel vim considerari in iure. *Distinguunt autem* & vim illi, num cum armis, vel sine armis fiat, num publicè vel priuatim: de quibus sunt expressi tituli in C. & ff. ad leg. Iul. de vi publi. & ad leg. Iul. de vi priua. & nos in Syntagmate Iuris vniuersi suis locis copiosè disputauimus.

## *Regula potentia & potestatis.*

## CAP. XXXVII.

OMne sempiternum, abstractum, & necessarium est actus, & non est in potentia passiua actus, quia si esset potentia passiua, posset esse & non esse: at non conuenit

sempiterno non esse, quia semper est, & per consequens, quia potentia deducit ex non ente in actum, cùm semper sit, est actus non potentia. Sic cùm potentia passiua implicet possibile & non possibile esse, non erit illa in sempiterno. Sic in *Deo* non est potentia passiua, quia immutabilis, nec potest non esse. Sic etiam necessarium, cùm non possit non esse, non habet eadem ratione passiuam potentiam. Sic angeli, animæ, non habent actionem passiuam, quod pertinet ad substantiam essentialem, quia non possunt non esse: porrò quod pertinet ad accidentia, habent actionem passiuam, sicut Luna & Sol patiuntur defectum in deliquio, non in substantia, sed in accidentibus, quod ad lumen visibile: sic spiritus creati, mutationem voluntatis & actiuam accipiunt, & ideo mutabiles, & differentes à diuina Dei maiestate, quæ nulla accidentia, nullam commutationem, nullam alterationem, nullum temporis spatium recipit. Dehinc generaliter quorum non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsismet actio est, vt visio in videnti, speculatio in speculante, & vita in anima. vnde patet, quòd substantia & species actus sunt, vt scribit Aristoteles lib. 9. Metaphys. c. 9.

Potestatum alia consideratur veluti efficiens in effecto, sicut intellectus in intelligibili: alia est in fieri, per quam aliquid fieri possit realiter, distincta ab efficientis essentia, vt in generatione cum motu, loco, & tempore: nam successiuè potentia reducitur ad actum. Et quia omnia, respectu Dei imperfecta sunt, sic actiua nostra potentia imperfecta opera relinquit respectu veræ perfectionis. Sola existente perfecta potentia, qua omnia reguntur, in *Deo*, quia *Dei* potentia *Deus* est, sicut magnitudo & æternitas *Dei*, Deus ipse: vt scribit D. Augusti. lib 7. de trinita. c. 1. & Magister sententiarum libr 1. dist. 19. & in eum omnes scribentes. Quamobrem Maxi. Tyrius serm. 1. *In intellectu*, inquit, *duplicem naturam video. Alter enim intellectus intelligendi cum habet à natura, licet actu nequaquam intelligat: alter verò, & ipse vim intelligendi habet, nondum tamen perfectus esse cognoscitur, nisi amplius addideris super illum atq; omnia intelligere, non autem alia temporibus alia, adeò vt perfectissimus sit, qui quidem semper atq; omnia simul intelligat.* Et hic Deus, quem in mentis præstantia constituo.

Tertia potentia quæ actum suum bonum assequitur, perfe-

perfectior & melior, quàm cùm in fieri erat. Duplici ratione, primùm quia meliores sunt fines tendentibus ad finem, vt docuimus in regulis boni. Secundò, quia actus est perfectio potentiæ, & ipsum posse præcipuum, ad operationem refertur & ibi consistit, vt ait Aristot. lib. 9. Ethicor. c. 9. Dehinc bonus actus melior potentia, quia cum bono actu in quantum bonus, non admiscetur malum: cum potentia verò ad bonum implicatur, & potentia ad malum, quia vtrunque ex eadem voluntate fluit. Sic bonum in potentia secundum quid est. Melius autem est bonum simpliciter, quàm secundum quid bonum: ergo bonum simpliciter actu, melius potentia. Et postremò ratione actus, potentia, non contrà. Est & in actu, & potentiæ vestigium & effectus cum causæ iudice: in potentia verò tantùm vna potentia sine effectu.

Quarta Reg. In malis, actus malus peior potentia. Cuius rationes inductione contraria à superiori collige regula proxima.

Quinta, omnis potestas à Deo est, & docuimus iam bona à *Deo* esse effectiuè, mala permissiuè. Tractant & id Scholastici, Theologi doctores in commentariis super li. 2. Sententiarum patrum, Petri Lombardi distinct. 44. Et ipse Lombardus ex D. Augustino super Psalmum 85. ait, etiam potestatem dari à *Deo*. Quia ad Roma. 13 D. Paul ait, *Non est potestas nisi a Deo*, & Pilato Christus dixerit, *Non haberes in me potestatem nisi data tibi desuper esset*. Et alibi Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & tyranni terram tenent*. Et Iob 33 c. ait de Deo, *Quòd facit regnare hypocritam*. Et Oseas 2. c. *Dedi Israel regem in ira mea*. Cæterùm quamuis potestas mali faciendi à *Deo* sit, non tamen malum à *Deo*, sed à voluntate nostra, & ex nostra elatione in potentiæ abusu. Neque damnabitur potentia, qua liberi eramus bono vti, sed actio praua & malitia nostra: sicuti & ferrum, aurum, & vires, bona quidem per se & à Deo essentiam suã habentia: porrò quòd ferro ad homicidia, & viribus ad iniuriam, & auro ad auaritiam vel scelus committendum abutamur, id nostrum est, & malitiæ propriæ vel ex Diaboli suggestione. Quomodo regnent mali & de exemplis Tyrannorum, qui à Deo potestatem acceperunt, tractat fusè Ioan. Salesberiensis in libr. 8 policratico de nug. curialium c. 18. Et *D.* Grego. Magnus lib 2 moral. in Iob c. 10. Sathanæ voluntatem semper dicit esse iniquam,

sed nunquam potestatem iniustam, quia à semetipso voluntatem eam habet, sed à *D*omino potestatem. Quod enim ipse iniquè fieri apperit, hoc Deus fieri nisi iuste non permittit, vnde bene in 1 Regum cap. 18. dicitur, *Spiritus Domini malus irruebat in Saul.* Ecce vnus idemque spiritus, & *D*omini appellatur, & malus, Domini videlicet per licentiam potestatis iustæ: malus autem per desiderium voluntatis iniustæ.

Sexta, potentia tendit ad esse, impotentia ad non esse per se constat.

Septima, nulla est potentia passiua in natura, cui non respondeat potentia. D. Thomas lib 2 cont. gentil. c. 60 & lib 3. eiusdem summæ c. 45. & c. 102. actiua.

Octaua, in potestate nostra esse non censetur, quæ sunt contra leges, quæ facta, pietatem, & bonos mores Paul. Iurisc. in l. filius qui patri, l. 15. de condit. & demonstrat lib. 28. π. tit. 7. & de pact. apud Greg. lædunt. veluti vt plagiū fiat obligatio vt impossibilis rejicitur à Papinian. in l. si plagii, l. 123. de verb. obligat. lib. 45. π. tit. 1. si stipuletur, eo. tit. Iurisconſ

Nona, nihil potest esse simul in potentia formali, & in actu formali respectu eiusdem, vtputa, actu calidum & potestate calidum. Potest tamen aliquid esse in actu virtuali, & potētia formali simul. Scribit Scotus in 1. Sentent. dist. 5 quæst. 7.

Decima, omnis forma separata à materia, est intellecta in actu. Sic enim intellectus agens eas facit species intelligibiles actu, in quantum abstrahit eas. *D*. Thomas lib. 2. cont. Gentil. c. 82. argum. 2. & c. 98. in princi.

Vndecima, vnumquodque intelligitur, in quantum est, actu, non in quantum est in potentia. Quia intelligere est actus, & ideo oportet id quod intelligitur esse in actu.

Duodecima, verum & falsum consistit circa actum, & non circa potentiam: quia potest quid verum vel falsum verificari tripliciter: in naturali materia, vt homo est animal, secundo in materia contingenti, vt homo est albus: tertio in materia remota, vt homo est asinus: & compositio horum aliquando potest esse vera, aliquando falsa. *D*uas has proximè positas regulas probat D. Thomas super libr. 9. Metaphysic. sup. textum 20. Chrysostom. Iauellus lib. 9. epito. Metaphys. c. 4.

*D*ecimatertia, potentia naturalis & aptitudo, & impotentia,

tentia, qualitatis sunt species. Aristot. libr. Categor. in qualita.

Decimaquarta, omnium potentiarum quædam natura nobis sunt insita, vt sensuum, quædam consuetudine, vt tibiis canendi: quædam doctrina vt artium: Aristoteles lib. 9. Metaphys. c. 5.

Decimaquinta, impossibilium faciendorum nulla est obligatio, nec quisquam ad ea tenetur Paul. Iurisconsul. in l. impossibilis, l. 7. de verb. oblig. libr. 45. π. tit. 1. Marcellus Iurisc. l. impossibilium, l. 145 de reg. Iur. §. si impossibilis, de inutil. stipulat. lib. 30. Instit. tit. 20 Martia. Iurisc. in l. non solum, l. 30. de actio lib. 44. π. tit 7 §. fin de hæred. instit. lib 2. Instit. tit. 14. siue illa impossibilitas sit facti, vt si aquam maris bibas omnem: siue sit iuris, nempe quia non sit permissum id iure quod iniunctum est, vt diximus supra reg. 8. Est enim possibilitas & impossibilitas iuris & facti, vt cap. fin. apud Greg.

*De potentiis & principiis rerum agitur facilioris via.*

## CAP. XXXVIII.

QVia diximus ex Aristotele, lib. 5. Metaphysic. c. 12. potentiam esse in vniuersum, ens & principium. Sequitur vt de quibusdam principiis, quæ ex potentiis descendunt, dicamus. Quamobrem in summa, sciendum est principia & causas omnium rerum creatarum, in quantũ agunt vel patiũtur, manare vel à rebus quę sunt extra nos, vel à nobis: qua de re sic scribit Damascenus, li. 2. de Orthodo. fide c. 26. Τῶν γινομένων, τὰ μὲν εἰσὶν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δ' οὐκ ἐφ' ἡμῖν. ἐφ' ἡμῖν μὲν ἔνεισιν, ὧν ἡμεῖς ἐσμὲν αὐτεξούσιοι ποιεῖν τε καὶ μὴ ποιεῖν, τοιοῦτοι πάντα τὰ δι' ἡμῶν ἑκουσίως πραττόμενα. διὸ ἑκουσίως ἐλέγετο προῄρησθαι τῆς προῄρεσις οὐκ ἄσης ἐφ' ἡμῖν, καὶ ἀπλῶς ὅσι ἐπαινοῦμεν, ἢ ἐπαινοῦμεν, καὶ ἐφ' οἷς ἐστὶ σπουδὴ καὶ νόμος. κυρίως δὲ ἐφ' ἡμῖν ἐστὶ τὰ ψυχικὰ πάντα, καὶ περὶ ὧν βουλόμεθα, &c. id est, *Eorum quæ fiunt, quædam in nobis sunt, quædam in nobis non sunt. In nobis sunt ea, quorum sumus liberam adepti potestatem. & facere & non facere. Huiusmodi autem sunt, quæ per nos sponte nostra aguntur, vniuersa: non enim ἑκου-*

*taneè dicerentur agi, actione in nostra potestate non existente. Et omnino ea quæ sequitur laus aut vituperatio, & in quibus prauaricatio cadit & lex: & propriè in nobis sunt omnia animæ, de quibus consultamus*, &c. quæ sequuntur. *quæ sunt extra nos.* Idem sentit Damascenus, eod. libr. 2. tractat c. 24. Epictetus etiam eiusdem fuit sententiæ. Nam vt scribit Arrius, in Enchiridio Epicteti dixit, *Eorum quæ fiunt, partem in nobis esse, partem non esse: in nobis esse opinionem, conatum, appetitum, declinationem, & quæcunq; nostra sunt opera. Non esse in nobis corpus, possessionem gloriam, principatum, & quæcunq; opera nostra non sunt.* Hæc vt intelligamus, quæ ex nobis & quæ extra nos oriantur, subiungemus breuem quandam tabellam, de reliquis latius acturi Deo iuuante, cum de principio tractabimus, vbi & trademus plenius de causis.

*Hic debet inseri typus Potentiæ.*



*De cognitione.*

## CAP. XXXIX.

PLures rationes sunt quæ nos admonent necessariò, ad numerandam cognitionē inter prima nostræ artis principia. Quarum illa in primis, quod Deus omnium rerum opifex, adorandus, & creator, vt admirabilem suæ omnipotentiæ vim ostenderet, infinita nobis rerum genera & species creauerit: quæ cùm fieri nō potest à nobis intelligi, saltem admirari, & aliqua ex parte vt cognoscamus, eniti debemus. Nam neq; Deus, neq; natura ab illo creata, aliquid fecerunt frustrà, vt scribit Arist. lib. 1. de Cælo cap. 4. Hac cognitione duce, vera & bona cognoscim⁹ & sequimur. Ignorantia verò his priuamur, & palantes in infinitos & inexplicabiles erroris impellimur laqueos, quia mater erroris ignorantia cano. ignorantia, 3⁹. distinct. in 1 part. Decret. Quot thesauros putas latere, vtiles maxime nobis ad miraculum vsque in proprietatibus, cæli, terræ, aquarum & animalium, lapidum & plantarum? quæ si nobis cognita essent, nos ferè immortales redderent & admirandos. Horū enim quædam etiam inscios manifestè iuuant, occultis naturæ miraculis, maiora continentia quæ non nouimus. Et si quædam nota sint, ea pauci norunt, eaq́ue vel exigua admodum cognitio in tam incomprehensibili & admiranda mirabilium multitudine, vt nihil nos nosse propemodum fateri oporteat, donec depositio hoc mortali corpore, arcanis æternitatis instruamur ab illo, in quo & per quem & cum quo perfectius omnia, quàm in propriis visibilibus corporibus & inuisibilibus substantijs sunt. Omnia bona à Deo creata in quolibet proprio genere, & magnitudinem & super excellentiam artificis ante oculos ponunt: ex quibus ad æternitatis & vitæ felicis possimus peruenire notionem. Nam ea omnipotentiam, & scientiam, voluntatem, virtutem, veritatem, & gloriam Dei insinuant, &c. per reliqua principia. Deinde nihil est, quod speciem quandam à Deo cognitionis sibi inditam, inæqualem tamen non recipiat, vel actiuam, vel passiuam. Passiuam dico in eo quod est cognoscibile, nec cognoscere tamen proprie potest. Siquidem nulla propriè dicitur cognitio extra naturam animalis: quia cognosci quidem & amari, in rebus inanimatis consistit: cognoscere autem & amare, tantum in animalibus, vt scribit Aristot.

Aristot lib 2. Magno. moral. cap. 11. Alibi quoque nos plura, de necessitate scientiæ & cognitionis attulimus, & de modo sciendi, & eius gradibus, quæ si quis nosse desideret, consulat. Addè tamen interim & quendam cæcum in nobis amorem esse, quem dixerunt Græci φιλαυτίαν, amorem sui nimium, quo sicuti amans obcæcatur circa amatum, valde decipimur. Ex quo accidit vt quis propriam ignorantiam esse sapientiam opinetur, fitq; vt quamvis nihil prorsus sciamus, scire tamen omnia nos arbitremur. Cum verò nec aliis committamus facultatem agendi ea quæ ipsi facere ignoramus, facientes ipsi, errare compellamur, vt scribit Plato, lib 34. dialo. 5. de legibus. Huic autem malo scientia & notione tum sui ipsius, tum aliorum, & rerum occurritur. Et Mercurius Trimegistus in Pimandro, Sermone 4 *Nisi*, inquit, *ô fili, tuum corpus oderis, teipsum amare non poteris. Quamprimùm verò non te sed Deum ipsum dilexeris, mentem protinus consequeris. Hanc denique natam scientiam è vestigio nanciscere. Impossibile enim est, ô fili, vtrisque simul intendere mortalibus videlicet atque diuinis. Nam cum duo tantum in ordine rerum inueniantur, corporeum & incorporeum. Et illud quidem mortale, hoc diuinum dicatur electione tua. Si tu amittimus alterum. Quotiesque vnius cura remittitur, alterius actus intenditur.* Scire est prima perfectio animæ, vt scribit Auerroes 2. de anima. & Quintilianus libr. 1. Institutio. orato. cap. 1. naturalem esse homini promptitudinem ad discendum ait, vt aues ad volandum, feræ ad sæuitiam gignuntur. Receptum etiam scientiam nobilitare homines, potissimum eos qui grauissimis negotiis deseruiunt, quales sunt aduocati, ideo existimati nobilissimi à Cæsaribus qui nobilitandi habent potestatem, vt à Valente & Valentiniano in l. prouidendum, l. 7. de postulan. lib. 2. C. tit. 6 & Cassiodorus lib. 10. Epistol. epist. 3. eruditionem vitam ornare. & eximium reddere docet. Et Aristoteles vel alius, tractatu de bona fortuna, cap. 2. nihil melius scientia & intellectu, præter Deum, esse ait. Sed & scribit Proclus, in commentariis in Alcibiadem, ignorantiam esse deformitatem animæ. *Cùm enim* inquit, *ratio in vniuersa anima ordinem habeat specierum, merito prauitas rationis est turpitudo animæ, sicut rationis virtus est animæ pulchritudo: fit enim ignorantia quidem propter rationalis potentiæ dominatum: cognitio autem propter rationalium imperium, atque deformitas animæ superata ratione contingit,*

*tingit, quando videlicet proprias actiones inconsonnas & incongruas edit, & ineffaces & ineptas ad finem.*

*De definitionibus nominis & rei cognitionis.*

## CAP. XL.

COgnitio Latinis dicitur à cognosco. Quidam formant γνῶ & γινώσκω à νοέω cogito, considero, intelligo. Quod certe conuenit cognitioni quæ ex rerum consideratione nascitur. Quamobrem non incongruè iudex, qui examinat litigantium negotia, quia considerat vtriusque rationes, cognoscere dicitur ab Vlpia. in l.2.de re iud.li.42. π.tit.1.& in l.notionem,l 98.de verb.signifi.lib.50 π.tit.16. Et notionem accipere debemus & cognitionem, & iurisdictionem. Quia iudex debet plena disquisitione qualitatem rei in primis discutere, vt ait Constantinus Cæsar, in l. iudices,l.9.de iud.li.3.C.tit.1 cano.indicantem.40. q.5.in 2. part Decret. Gratia. Dicimus etiam in iure recognoscere instrumenta, dum ea releguntur & considerantur, vt idem scribit Vlpia.in l.cognoscere,l.56 de verb.& rer.sign π.Forsan etiam cognitio per imminutionem nominis à cogitatione tracta est. Et erit forsan cogitatio, mentis agitatio, vt scribit Lactantius lib.6. Institut. vel lib.de vero cul. cap. 17. quia tamen mens nulla brutis, cognitio hæc ad illa non pertineret. Addimus & nos posse γιγνώσκω & cognosco à verbo γίγνομαι vel γίνομαι formari, quod quidem significat Græcis, contingo, suscipio, progeneror, fio, sicut M. Terent. Varro lib. 5. de Ling.lat.à γίγνομαι. deriuat, verbum latinum,gignitur Proprium namque est cognitionis, abstractionem quandam rerum cognitarum vel repræsentationem & phantasma creare in se & trãsferre,qua approximante rem præsentem habere videtur & contingere. Academici,vt scribit Cicero,lib.4-Academ.quæst.dicunt,necessarium non esse definiri, quid esset cognitio, aut perceptio,aut si verbum è verbo volumus,comprehensio,quam καταλήψιν illi vocant:eosque qui persuadere vellent esse aliquid quod comprehendi & percipi posset, facere inscienter, eo quod nihil sit clarius ἐνεργείᾳ, quam vt Græci, perspi-

perspicuitatem aut euidentiam nos, si placet, nominemus. Cæterum nos ita definiemus. Cognitio, est rei ignoratæ vel latentis declaratio vel manifestatio. Quæ finitio de cognitione actiua creaturarum est, non creatoris. Nam huius quidem cognitio, rei ignoratæ notio non est: omnia enim sine tempore & ante tempus, & essentiam, nuda & aperta in oculis sunt eius. Estque itaque cognitio, Dei amplexio rerum omnium & claritas. Sed quia non est nobis, qui limitata vtimur scientia aliud nomen, quo possimus explicare illam Dei omnium comprehensionem & super comprehensionem, humanis vtentes verbis, vocamus cognitionem. Cæterum maximè à nostra perfectione & veritate differentem. Cognoscendi tres modos nobis tradere videtur Cicero, 3. de Oratore nimirum coniecturam, definitionem, consecutionem. Plato autem libr. 31. vel dialogo de repub. vel de Iusto. Omne, vel in id quod est, vel quod non est diuidens, medium inter vtrumque constituit cognitionem & ignorantiam: cognitionem pro eo quod est, ignorantiam, eius quod non est. Et rursum idem, libr. 5. in Alcibia 1. vel de natura hominis, viam duplicem constituit cognoscendi, vel per inquisitionem à nobis ipsis factam, vel cum aliunde discimus: & vtrumque fugare ignorantiam, cum ante cognitionem cognita ignorauerimus. Hac ratione sacræ literæ quæ honestatis plenæ sunt, cognoscendi verbo vtuntur pro mixtione sexus, & re venerea: quia in illa mixtione cognoscitur & detegitur pars quę occulitur generationi deputata, vt Genes. 4. Adam cognouit vxorem suam, id est, cum ea concubuit, & Loth ad Sodomitas Genes. c 19. dicebat, habeo duas filias, quæ nondum virum cognouerunt. Et de Abisag 3. Reg. 1. a Sunamitide pulchra & decora nimis, quæ dormiebat cum Dauide sene, de qua dicitur quod rex non cognouit eam. Et *D.* Lucas in Euangelio, c. 1. D. versic. 14. salutatam virginem beatissimam Mariam ab Angelo, qui de futura conceptione verba ad illam faciebat, ait respondisse attonitam,

*Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hoc est, cum viro non commisceor.

*De diuisione seu partitione cognitionis.*

## CAP. XLI.

DIximus lib. 4. Syntaxeon artis mirab. c. 5. Cognitionem aliam esse increatam, aliam creatam. Increata in Deo est. Scientia autem Dei, vel in seipso ratione sui ipsius, vel ratione nostri consideratur. Quod ad Dei scientiam sui ipsius pertiet, certum est, quod Deus pater æternè se intelligendo genuit filium, cui eandem numero naturam communicauit, omniaque essentialia, & sic eundem intellectum, eandem scientiam, hoc est, cognitionem qua comprehendit seipsum, & omnia alia quæ à se fieri possunt. Ausus est etiam Ethnicus asserere Cicero, libr. 2. de natu. Deor. nullam rem esse in Deo præstantiorem scientia. Cui operę pretium est iungi quod Proclus lib. commentario. in Alcibiad. 1. Plato. tradit, diuersas cognitiones ratione cognoscentium, & id quod diuinum & æternum est per essentiam, æternè diuineque cognoscere cuncta: quod humanum est, humane cognoscere & quod indiuiduum est, indiuidue. Neque potestatem cognoscendi superum per nostram debilitari, iudicariue debere, cum & nos plura cognoscamus quæ nobis inferiora non possunt, veluti inferiora, cognoscere. Et hæc scientia non est habitus, sed substantia infinita, & ipsemet Deus, vt scribit Ioannes Viguerius in Institutionibus Theologicis, cap. 20. §. 2. nullo modo definibilis, quia cum Dei essentia infinita sit, & intelligere Dei essentia est: cum nihil sit in Deo, quod non sit Deus, & intelligere est actus intelligentis in ipsa existens, non in aliquod extrinsecum transiens. Et probat etiam hoc *D.* Thomas, libr. 1. Cont. genti. cap. 45. & docet etiam cap. 46. quod Deus nihil intelligit quam per suam essentiam, & quod cap. 48. seipsum per se Deus cognoscit, & cap. 49. quod per cognitionem suæ causæ etiam alia quæ in se non sunt, cognoscat. Conuenit namque *Deo* quòd sit aliorum causa. Porrò cum nihil aliud sit scire, quam per causam cognoscere, cognita sua essentia, quæ causa omnium, & omnia verè necessario cognoscat oportet. Alia scientia *Dei*, qua omnia etiam intelligit perfectè intelligens & cognoscens omnia ex seipso. Vt scribitur in compend. Theolog. libr. 2. cap. 45. *De* qua *D. Dionys.* Areopag. Senator lib. de diuinis nominibus. c. 7. Sic scribit

Item

*Itaque diuinus animus omnia continet, omnibus, nemo ascientia, iuxta omnium causam, in seipso omnium causam praambiens, prius quam Angelos fierent, fiens & adducens Angelos, & omnia illa abintus & ab eo, vt sic dicam fiens & in essentiam ducens. Et hoc arbitror tradere eloquium Daniel. 13. Sciens omnia ante generationem eorum. Non enim ex existentibus existentia nouit animus diuinus, sed ex se & in se ipso eandem causam omnium scientiam & cognitionem, & essentiam profert, & ante ambiuit: non secundum speciem singula contemplans sed secundum vnam causa circunstantiam omnia sciens & continens. Semet igitur diuina sapientia cognoscens, cognouit, omnia immaterialiter materialia, & non partite partita, & multa vnico medio, ipso vno omnia & adducens & cognoscens. Nam si secundum causam Deus omnibus existentibus esse tradit, secundum eandem vnicam causam sciuit omnia. Et ex ipso existētia & in ipso, ante substituta, & non existentibus accipiet eorum scientiam, sed & ipsis singulis eorum scientia erit largitor. Non igitur Deus videns, alteram habet propriam sui scientiam, alteram autem communem, existentia omnia comprehendens, ipsa enim seipsam omnium causa cognoscens, non scientia existentium, sed ipsa sua omnia cognoscit* Hæc ille. Et author libri de causis, siue sit Algazel Propositione 23. vel alius, id probat, & Proculus, lib. de elementationibus Theoricis, & D. Chrysostomus, tomo 1. homilia in Psalm. 138. *Deus*, inquit, *omnia nouit antequam gignātur, sed nos cognoscimus ex rerum exitu.* Annotandumque est Deum omnia cognoscere, non solum vniuersaliter, vt quidam dixerunt, nempe Auicenna, 8. Metaphys. c. 6. Algazel, & commenta. 12. Metap. commenta. 17. sed etiam singulas res, prout adinuicem sunt distinctæ. Nam cum Deus sit causa prima influens mediatis & immediatis, causata per eum nota illi plane esse debent, & seipsum plane cognoscens, cognoscit & effectus: quia ad cognitionem causæ cognitio effectuum sequitur: secundo quia Deus cognoscit per intellectum, quia eius esse, est eius intelligere. Et quia habet cognitionem rei quam intellectu agit, scit & quæ à se facta sunt omnino. tertio rerum distinctio non est casu nec ex intentione causarum secundarum, ergo ex prima causa. si autem distinxit, & cognouit demū cum Deus omnia cognoscat perfectè, aliter non esset Deus, nouit & per consequens distinctiones singulares. Et hæc & plura D. Thomas tradit lib. 1. con. gentiles c. 50. & prima

parte

parte primi, quæst. 14. arti. 6. Quin & annotandum secundum traditionem eiusdem D. Thomæ, libr. 2. cont. gentil. c. 24. quod Deus omnia secundum suam sapientiam operatur: quia cum in Deo non sit nisi intellectualis apprehensio, & intelligat omnia se intelligendo, illud intelligere est sapientem esse. Sic Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti domine.* Et Prouerb. c. 3. *Dominus sapientia fundauit terram.* Ex quibus vt ait, reprobatur error eorum qui dicebant, ex simplici diuina voluntate dependere res absque aliqua ratione. His addere licet quod scribit Proclus, libr. commentario. in Alcibia. primum Plato. naturaliter omnibus esse hominibus persuasum diuinitatem ipsam omnia nosse, etiam ipsa animarum occulta momenta. Consentit is sacræ paginæ, in qua Deus scrutans renes & corda dicitur. Psalm. 7. Et alibi, ad Roma. 8. quod Deus scrutatur corda. Alio modo scientia & cognitio Dei, cum ad nos refertur, sumitur pro eo quod nos scire facit. Et sic D. Grego. Magnus lib. moral. 21. in Iob. c. 6. *Scire*, inquit, *Dei dicitur, scire nos facere, & si tato nostræ locutionis modo qui lætum diem dicimus, ex quo contingit vt lætemur. Hinc est enim quod ad Abraham Deus dicit: Nunc cognoui quod timeas Deum. Neque enim creator temporum, quicquam cognouit ex tempore, sed cognoscere eius est ex cuiuslibet causæ emergentis articulo, nobis cognitionem præbere.* Hactenus Grego. proximo citato loco, quæ repetit libr. 8. Epistol. c. 42. Eulogio patriarchæ Alexandrino rescribens. Et rursum Origines tomo 1. homilia 6. sup. Genes. c. 19. *Scire*, inquit, *Dei etiam est, cum Deus nos dignos efficit & vt eum cognoscamus.* Item in scripturis sacris cognitio Dei erga nos, pro approbatione nostri, cumque nos admittit in eius dilectionem & gratiam, sicuti cognouit Deus qui sui sunt, vt scribit D. Paulus, 2. Timoth. 2. b. id est, in dilectione habuit, & sibi sociauit. Et ita interpretatur idem Origines, tomo 3. lib. 7 in epist. ad Romanos in cap. 8. Et D. Greg. Magnus libr. 2. moral. in Iob. c. 4. Sic Theophilactus archiepiscopus Bulgar. interpretatur etiam, in c 7. Matthæi *Amen dico vobis, non cognoui vos*, id est, inquit, *non dilexi vos, quia operarii estis iniquitatis, hoc enim loco ait, Charitas cognitio dicitur.* Similiter & D. Chrysostomus, in tomo 2, opere, vt vocant, imperfecto homilia 9. in c. 7. Matth. *Naturaliter*, inquit, *Deus omnes cognoscit, sed non videtur eos cognoscere, quia non eos diligit, quasi factor facturam, quasi dominus proprios seruos.* In summa sciendum

est secundum nos scientiam Dei pro rerum varietate pluribus nominibus appellari, nam in quantum cognoscit omnia quæ in mundo fiunt, dicitur visio: dum refertur ad ea quæ bene fiunt, dicitur approbatio: dum ad futura, præuisio: dum ad ea quæ ab ipso Deo fieri debent, dicitur dispositio: dum autem refertur cognitio ad eos qui præmio affici ab eo debent, dicitur prædestinatio: cum ad damnandos, dicitur reprobatio. Hæc scribit liber qui inscribitur compend. Theolog. cap. 29. Et connata cognitio illa est, quam bonitas diuina nobis largitur, vel in potentia, vel actu. Omnis namque cognitio à superiore diuina regulatur, sicut & inferiores res omnes à causis superioribus, vt annotat Franc. de Siluestris Ferrariensis in commentariis, in lib. 3. D. Thomas cont. gentil. cap. 64. Sic Algazel lib. de causis proposit. 18. scribit, omnes res habere essentiam propter eas primum, & res viuas omnes esse motas per essentiam suam, propter vitam primam & res omnes intelligibiles habere scientiam propter intelligentiam primam. Cuius ratio esse potest, quod omnis causa det aliquid suo causato, in quo assimiletur, & participet causæ. Proclus etiam, lib. de elementat. Theoricis, omnia inquit cognitiua cognitione participant propter intellectum primum. Notandum tamen est, non omnia innata cognitioni propriè in prima illa intelligentia quæ Deus, participare: sed proprie tantum intellectualia: cuius rei omni exceptione maius adfertur testimonium Clementis Alexandrini, qui lib. 6. Stromaton sic scribit, *Lux est Dominus & vera cognitio, in quem summa transplantati alioquin duplex est cognitio, vna quidem communiter qua est in omnibus hominibus, similiter intelligentia & apprehensio qua vulgo, & publice ex eo apparet, quod norit vnumquodq; eorum quæ sunt subiecta: quam non solum habent potestates quæ sunt ratione praditæ, sed etiam quæ carent, quam ego nunquam nominauerim cognitionem, vt cui sit à natura ingeneratum vt cognoscat per sensum. Quæ autem excellenter & præcipuè nominatur cognitio, ex mente & ratione formam accipit, & charaktere per quem sola potestates rationis participes fiunt cognitionis quæ his quæ apprehenduntur intelligentia, per nudam animæ operationem purè ac syncerè applicantur.* Origines tomo 4. lib. περὶ ἀρχῶν, vel de principiis. in c. 1. etiã videtur propriè cognitione referre ad intellectualia, dum ait, *Aliud est videre, aliud cognoscere: videre & videri, corporum res est:*

cogno-

*cognoscet & cognoscere, intellectualis naturæ est.* Sed expressius Q. Septimius nobis inditam vim intelligendi in anima docet. l. de anima. *Concludimus* inquit, *omnia naturalia animæ, & subsistentiæ eius esse inesse. & cum ipsa procedere ac prosilire, ex quo ipsa censetur. Sicut & Seneca sæpe noster, insita sunt nobis omnium artium & statuum semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia, ex seminibus scilicet insitis, & occultis per infantiam, quæ sunt & intellectus, ex his enim producuntur ingenia.* Ut orbo & frugum seminibus una generis cuiusq; forma est, processus tamen varius. *Alia integro statu cuadunt, alia etiã meliora respondent: alia degenerant pro conditione Soli & cæli pro ratione operis & curæ, pro temporum euentu, per licentiam casuum ita & animam licebit dicere semine vniformem fieri multiformem. Nam & hic etiam de loci interest quia & Thebis hebetes nascit & brutos proditum est: Athenis docendi sapientiq; amantissimos. Et Empedocles causam arguta indolis & obtusa in sanguinu qualitate constituit, perfectum ac profectum de doctrina disciplinaq; deducit. Comici Phryges timidos ludunt. Salustius vanos, Mauros, feroces Dalmatas putat: Mendaces etiam Cretas Apostolus. Accedit & ex valetudine, opimitas sapientiam impedit exilitas expedit, paralysis mentem prodigit, phrysis formam: acuunt doctrinæ, disciplinæ, artes, experientia, negotia, studia, obtundunt infestiæ, ignauia, desidia, libidines, inexperientia otia, vitia, est & in nobis τὸ αὐτεξούσιον, libera arbitrii potestas naturalis ad bonũ vel malum declinanda.* Hæc ad verbum Tertullianus. Consequimur cognitionem vel ex propria inquisitione & inuentione, vel cum ab aliis docemur, vt scribit Plato in Alcibiade 1. siue de natura hominis. Et id ferè omni arte commune est, vt alij alios instruant, vt scribit Pet. Coriæsius, in methodico Iuris c. 11. & Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromaton. *Ex disciplina*, inquit, *cognitio & scientia: ex nimio sui amore & vana opinione & persuasione error.* Et rursum, lib. 7. Stromat docet iuuãdos cõnatos nobis stimulos scientiæ dum ait. *Sed nobis quidem quam fieri potest maximè, prius varie exercenda est anima, vt ad suscipiendam cognitionem sit operatu facilis. Non vides quemadmodum molliatur cera & purgatur ea, vt accedentẽ accipiat characterem. Id ferè vt mors est separatio animæ à corpore: ita cognitio est veluti mors rationalis, adducens & separans animam à motibus & perturbationibus, & deducens ad vitam bene-*

*ficentia & bonarum operationum, vt tunc dicat Deo, Liberè Deo, sicut Deus.* Hactenus Clemens. Acquisitio autem cognitionis vnà est purè intellectualis, quæ Angelis competit, & hîs quibus Deus angelorum in modum communicat, & largitur & infundit. Angelorum scientia, comparatione nostræ scientiæ, valde dilatata est, sed tamen comparatione diuinæ scientiæ angusta. Sicut & ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum corporum spiritus sunt, sed comparatione summi & incircumscripti spiritus, sunt corpus, vt scribit D. Gregorius Magnus. lib. 2. moralis expositionis in Iob c. 2. Angelus cognoscit per species rerum sibi concreatas vel concretas, quæ sunt similitudines rerum. Homo autem communiter vel intellectus humanus cognoscit per species abstractas à rebus particularibus per sensus prius cognitas. Vt scribitur in summa Theolog lib. 2. c. 45. Nam cum Angeli sint incorporales ac simplices spiritus, non per corporeos sensus cognoscunt, sed per intellectualem suam vim, & simplicem mentis suæ intuitum, & hoc ex concreatis sibi scientiis vel superioribus illuminationibus, vel aliis modis, de quibus tractatur super libr. 2. Magistri sententia. dist. 3. Et D. Dionys. Areopagita, cap. 7. de diuin nominibus. *Etenim*, inquit, *& angelos scire aiunt Theologi eloquia quæ sunt super terram, non sensibus hæc cognoscentes sensibilia & terrena, sed per propriam Deiformis animi virtutem.* Hæc tamen in parte Theologi scholastici dubium mouent. Nam Capreolus libr. 2. Sententia. dist. 3. q. 2. ad Octauium contra secundam conclusionem, tuetur species intelligibiles esse connaturales angelo, tanquam eius proprietates, & per consequens videtur asserere eas ab essentia angeli profluere actiue aliquo modo, scilicet per naturalem concomitantiam, sicuti potentiæ animæ sunt ab anima. Alij dicunt species intelligibiles Angelorum non esse eorum proprietates essentiam illorum materialiter consequentes, sed dici eis connaturales dupliciter: primum, quia habent naturalem inclinationem vt eas simul à Deo immediate recipiant, propter ipsorum perfectionem in genere intelligibilium: secundo quia habent eas omnes à sua creatione, sicuti homines dicuntur natura filij iræ, quia hoc à natiuitate sua habent. Hæcque opinio posterior verior putatur. Nam & D. Thomas ita asserit, qui passim scribit has species peruenire in mentes angelicas à solo Deo, idque testatur in 1. quæst. 55. secundo ad primum

mum & quæst. 56. secundo ad quartum & 2. sententia. distinct. 3. quæst. 2. artic. 1. Et D. Dionys. Areopagita, lib. de cœlesti Hierar. c. 3. Angelorum ordines à Deo illuminari & edoceri asserit, neque pariter, sed per gradus: ait enim, vnicuique quidem hierarchiæ perfectionem, hoc est, inquit, secundum propriam analogiam, in Dei mutationem ascendere, & omnium diuinius, vt eloquia aiunt, cooperatorem Dei fieri, & ostendere diuinam in seipso actionem, secundum quod possibile est, relucentem: vtpote quoniam ordo hierarchiæ est, quosdam quidem purgari, quosdam verò purgare, & quosdam quidem illuminari, quosdam verò illuminare, & quosdam perfici, quosdam verò perficere. Vnicuique Deiformi adunationi qualicunque modo. Diuina autem beatitudo quantum hominibus est dicendum, pura quidem est ab omni dissimilitudine, plena veri luminis æterni, perfecta & non indigens, simul omnis perfectionis, purgans & illuminans & perficiens & cætera. Quibus verbis docemur angelos non tam naturales habere species rerum quas intelligunt proprias, quantum recipiant quotidie illuminati à Deo, & à superioribus intelligentiis inferiores. Neque etiam Angelus qui forsan omnes inferiores sibi rerum species connatas habet, poterit ideo & superiorum habere similitudines radicales: minus enim maius non continet, quanuis in maiori minus insit: vt scribunt etiam Iurisconsulti. Extant & duo insignes loci, quibus apparet angelos ab angelis discere quæ Deus iusserit, vnus apud Daniel. 8. E. vers. 16. Audiuit Daniel Angelum dicentem ad alterum, Gabriel, fac intelligere istam visionem Danieli. Alius apud Zachariam. c. 2. a. vers 3. Et *ecce*, inquit, *Angelus, qui loquebatur in me egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum, curre, loquere ad puerum istum dicens, absque muro habitabitur Ierusalem, &c.* Imò & D. Paulus ad Ephes. c. 3. b. vers. 8. & sequentibus angelos mysteria Dei reuelata Ecclesiæ miluanti, discere ab eadem Ecclesia dicit, & cognoscere, quod admirandum est, verba autem eius hæc, *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, vt innotescat nunc principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei.* Et Gregorius Nissenus, angelos & archangelos latuisse mysteria nostræ fide,

scribit, donec per nos & per Ecclesiam Catholicam nouerunt. Scribit & Theophilactes in cap. 3. ad Ephes. & ibi etiam *D.* Hieronymus, & Dionys. Carthusianus, Artic. 3. Et rursum late idem Dionys. Chart & Hierony. super cap. 63. Isaiæ. Resoluit opinionem, vt videbatur, contrariam D. Augustino super Genesim, & in cap. 3. ad Ephesios & Sancto Thomæ, in prima parte, qui eos cognouisse mysteria passionis & incarnationis dixerunt, ante creationem hominis, *Quod*, inquit Carthusia. *verum est, nouisse Sanctos generaliter, sed non per circunstantias & specialia.* Quanquam enim angeli boni, beati sint, & ita in beatitudine videant Deitatem, & in ea, veluti in mundissimo speculo, omnia quæ sunt, vbi elucent perfectius quam in propriis naturis: nihilominus tamen, nec omnes angeli, nec omnes beati pari modo vident, quia nec pari modo, parive gradu gloriæ Deum cognoscunt. Cognoscere autem Deum est vita æterna, ē uange. D. Ioann. cap. 17. a. omnes quidem enim cognoscunt, & omnibus se exponit diuina maiestas, sed non pariter. Sicuti res visibilis omnibus quidem exponitur videnda sub lucem, sed alij aliter vident, idque non ex defectu luminis vel rei, sed ex propria cuiusque facultate visiua, quæ prout imbecillior vel robustior est, et. iam perfectius vel deterius videt. Sic non omnes animę, non omnes angeli beati, pari modo Dei visione fruuntur, omnes tamen vel pro meritorum vel pro gratiæ sufficientia, æquè beati. Accipe aliud exemplum similitudinis accumbentium in conuiuio opipare instructo, & abundanti omni genere ciborum. Æquiparatur namque beatitudo Dei cœnæ magnæ, ad quam inuitat nos Dominus paterfamilias Deus. Lucæ 14 d. Omnibus certe conuiuis, æquè proponuntur fercula, omnibus patent escæ: videmus tamen ratione diuersitatis palati, capacitatisque ventriculi, neque omnes de omnibus, nec omnia attingere vel gustare, nec æque omnes cibis repleri. omnes tamen æquè saturari. Sic pro diuersitate capacitatis cuiusque in cœlo & gloriæ gradus distinguūtur, & quia alij aliis capaciores sunt, sic alij aliis beatiores. Et quia omnibus eadem beatitudo proponitur, omnes æquè fœlicitate propria contenti sunt. Vt omnes in cæna hunt æquè saturi, ita quoque omnes pro intellectus capacitate, intelligentia beati, sed alij aliis intelligentia capaciores, & maiora & altiora cognoscentes maiori vi purgati & illuminati. Tertiam

tiam accipe etiam similitudinem ex vasis & aqua quæ his hauritur. Nam & scriptura diuina, nos vasis domus patris familiæ comparauit, ad Rom. 9. d. Et alibi apud D. Paulum 2 Corinth. 4. b. legitur, Nos thesaurum animæ & spiritus sancti deferre in vatis fictilibus. Hauriunt singuli vasis propriis ex mari magno quantum continere singula possunt. Sed quia capaciora alia aliis, plenitudo etiam excedit vnius, alterius plenitudinem. Sic in cœlesti cognitione intelligentiarum, & fœlicitate & cognitione animarum, quæ maioris capacionisque intelligentiæ sunt, & pleniorem cognitionem obtinent. In summa Deus cognoscit actu omnia simul, quæ sunt, fuerint. & futura sunt, & esse, & non esse possunt. Angelus Deiformem & ad similitudinem intelligentiæ Dei, habet intellectum, atque ea quæ scit, scit quidem actu, sed non omnia scit, quæ scit Deus. Sed homo non scit nisi vnum actu, non plura simul, vt angelus: nec omnia, vt Deus. Sed de cognitione hominis pauca dicamus. Cognoscit itaque homo vel intellectu apprehendens solo, vel via sensuum, vt supra docuimus in ordine & modo sciendi libro primo. Idque interdum implicite, hoc est, non comprehendens vniuersum, interdum explicitè id est, cum comprehensione. Atque intellectus humanus cognoscit res per species abstractas à rebus particularibus per sensum prius cognitis, & sic doeuit Proclus, in commentar. in Alcibiad. Primum Platonis dum ait, Animæ species etiam earum rerum sibi contrahunt, quibus ipsæ se coniungunt, nempe quando se assimilant intellectui, mox immutabilitatem secundum opiniones atque vitam sibi vendicant. Cognoscit autem sensus præsente obiecto, & particularia imaginatione absente obiecto, sed tamen aliqua consideratione materiæ intellectus sine ea, sed intentione vniuersali. Nã vt ait Arist. lib. de sensu & sensato. Per sensum plura scire possumus sed vnũ possumus intelligere, quia scire dicit habitũ, per quẽ quis plura scit: intelligere autẽ actũ quisnon potest ad intellectum esse duplicatus. Ad cognitionem vniuersalis abstracti peruenimus per particularia. Sicut constat ex pueris, in quibus primo operatur facultas sensitiua, quam intellectiua. Sic & philosophi per modum inductionis venerunt à particularibus ad vniuersalia & genera, vt Plato est animal, Socrates itidem & Ioannes: ergo homo est ani-

mal. In vniuersali autem confuso, illa via non procedimus. Sed prius à confusione exordientes, paulatim ad diuisiones & inconfusas species dignoscendas peruenimus veluti ex collatione eligentes. Quemadmodum si è longinquo homo videndus sese offerat, sese imprimis offert substantia confusa corporea, paulatim propinquius admoto, ex motu colligimus animal, dehinc hominem, & propius individuum, Petrum, Ioannem. Aristoteles Metaphysic. lib. 5. cap. 11. etiam duplicem viam agnoscendi considerat secundum sensum, & secundum rationem: secundum rationem, vniuersalia priora cognitione, scribit, & accidens toto prius secundum verò sensum, particularia. Cæterum in intellectum per sensus medium aliquid peruenit, vel simpliciter, vel per accidens simpliciter, quando intelligimus sensibilia prius per sensus apprehensa, per accidens, quando intelligimus insensibilia per effectum. Et quia intelligimus per abstractionem similitudinum, dicimus in intelligentia rei, non requiri rei præsentiam, sed præsentiam similitudinis: quia res cognoscuntur per similitudinem, non per essentiam. Et D. Athanasius tracta. de definition. tria singulariter hominibus incognita dicit & infinita, Deum, Angelum, & animam. quæ soli Deo secundum essentiam cognita sint. Sciendum quoque est intellectum humanum vel actionis vel cognitionis dici, vt scribit Rabi Aben Tybbon. lib. roah achen. 1. spiritus gratiæ cap. 3. Actionis est, in quo finis est actio, dum secernit bonum à malo, eligendo bonum & honestum, virtutes & reliqua, & mala contraria reiicit, & dicitur Hæbræis דעת חכמה *dagnat chocma* 1. scientia sapientiæ. Cognitionis est, dum discernit verum à falso. Notandum Dei cognitionem quam nos habemus non fieri per abstractionem, quemadmodum diximus accidere in aliis rebus, 1. ratio, quia cum abstractio omnis sit simplicior eo à quo fit abstractio, & vt dicam quod sentio, veluti compendium rei intellectæ, in Deo fieri nequit eo quòd simplicissimus sit Deus, nec quicquam illo simplicius sit. Dehinc in omni abstractione requiritur particulare & vniuersale: particulare quidem, à quo fit abstractio: vniuersale autem, scilicet ipsum abstractum. Porrò in Deum nihil horum cadere potest, vt scribitur in compendio Theologiæ li. 2. c. 45. Et hac in parte operæpretiù est obseruare quæ Iamblichus nos de diuersitate cognitionum admonuit, variata

riata ex materia vel re cognita diuersa. *Deus*, inquit lib. de mysteriis Ægyptio. *attingitur notione innata, sic numina Deorum* (vt ipse loquitur, nos *Dei*) *perdisseque tunc demum attinguntur, quando anima deposuit modum cognitionis mobilem qui ad potentiam spectat rationalem quæ intellectui intelligentiaq; formatur, quem vocant intellectum adeptum. Nam prima notitia in agente intellecta consistit. Cùm cognitio per adæquationem fiat, sequitur vt minima sempiterna & immobilia attingamus notione sempiterna & immobili & simplici. Sic cognitio qua cognoscimus species separatas, est in alia specie, quàm illa, qua cognoscimus alia. Et cognitio diuinorum fuit semper in anima per simplicem intuitum vel contactum.* Notandum etiam scientiam infusam & fidem & prophetiam, extra ratiocinationem esse hominum, quia intellectu tantùm continentur. Infusam dicimus scientiam, quæ simul à *Deo* communicatur, neque paulatim aduenit, vt reliquæ scientiæ, ad quas gradatim peruenimus. Exemplum vtriusque ex arte typographica sumi potest; infusa namque similis est, vt dum Typographus simul paginas omnes vnica præli compressione exprimit. Acquisita alia, qualis dum qui tabulas præli ordinat seu componit, sigillatim literas & syllabas & dictiones iungit & disponit. Et vt hæc clariùs innotescant, sciendum est duplicem viam esse ad intelligentiam, vnam naturalem quæ paratur mediis operationis nostræ, inuentione, doctrina, aliam autem dicimus supra naturam, qua gratia *Dei* donamur, ex superni luminis infusione præstantiore. Vt etiam colligi potest ex Arist. libr 2. Ethicor ad Nicomachum cap. 1. dum ait, ἡ ἀρετὴ διανοητικὴ τὸ πλεῖον ἐκ διδασκαλίας ἔχει καὶ γένεσιν, καὶ τὴν αὔξησιν. i. Virtus intellectiua vt plurimum habet originem & incrementum ex doctrina. *Dixit* τὸ πλεῖον, vt plurimum, non semper, significans aliunde posse haberi, nempe à superiori lumine sine illius doctrinæ humanæ medio, vt etiam subscribit Auerroes lib de copulatio. & Abubachar in li. cerua appellato. & Plato in Theag. & in Menone. *Nunquam*, inquit, *à malo genus hominum cessat, nisi aut legitimi philosophi dominentur, aut si qui gubernant diuina quadam sorte philosophentur.* Sed & Proclus scribit ex eodem Platone, in commentar. in Alcibia. Plato. generosiorem animarum impetum atque motum à superis suscitari, propterea quæ etiam præter opinionem

agant, sæpe etiam si absque scientia, operentur. Scientias vtroque modo acquiri posse nemo dubitat: nam & Deus Adamo talem dedisse & infudisse nemo ambigit, item Salomoni, & Beato Antonio, & aliis patribus sanctis, & Apostolis, qui antè piscatores rudes & ignorantiæ pleni, infusione Spiritus sancti, varia idiomata & scientiam verissimam assecuti sunt, vt nec iis philosophia vlla potuerit obsistere, quin expugnata & euersa fuerint falsa gentilium dogmata. Cuius rationem reddere Mercurius in Pimandro serm. 4. Trimegistus mihi videtur, ex eo quòd Deus sit principium omnium, sicut monas totius numeri, & quod principio cognito celerrimè omnia complectamur. Et quòd omne quod augescit, virtute monadis augescat, euanescit autem imbecillitate propria, cùm vlteriùs monadem capere nequeat. Hos secuti eruditi doctrina, sed sensim acquisita: nam vt scribit *D.* Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus lib *16.* in lib. ciusli vel de regno semper quodammodo scientiarum initia, perfectam doctrinam non assequuntur, verùm proficiunt paulatim ad hoc, vt rectè habeant, & paruum paruo adjiciunt ac apponunt, & quasi gradibus, incrementis quibusdam ad meliora proferunt, admotu mentis magis adultæ. Porrò Plato scientias in duo capita partitur, vnã speciem agentẽ, seu practicam, aliam cognoscentem vel speculatiuã nominans. Sunt etiã duo effectꝰ intellectus: speculatiuus, q. scientiã speculatur: practicus, qui vt extrinsecè operetur, ratiocinatur, & multũ cum his operãtur vnà corporis & animæ cõmunia, vt sensus, memoria, ira, desiderium, appetitus, gaudium, tristitia, vigilia, somnus, iuuentus, senectus, inspiratio, expiratio, vt scribit Bonifacius Simoneta libr. 6. de Christia. fid. & Romano. Pontifi. persecutio. epistо. 34. Optimæ scientiæ species speculatiuam & practicam nominauit Aristot. lib. 11. Metaphys c. 6. qui speculatiuarum scientiarum tria genera ponit, Physicam, Mathematicam, Theologiam, eamque vltimam præstantiorem censet, quia in ea nobilissimum est entium. Et hoc etiam fundamentum Plato ponit, in Eutidemo, in Philœbo, in vltimo Legum, in libris de Repub. Alii aliter diuidunt. Sequutus sum tamen ego hac in parte, & in nostra scientiarum diuisione paucis additis Chrysostomum, Iauellum, Canapicium, in compen. logic. tracta. 1. c. 5. qui ita singula definit, vt referam breuiori, qua potui via.

Speculatiua scientia est, cuius finis est scire vel cognoscere

scere subiectum suum Practica, cuius non tantùm finis scire, sed & operari circa obiectum suum. Speculatiua realis, quæ versatur circa ens reale, quod habet esse extra intellectum, qualia sunt corpora naturalia, cœlum & diuinæ substantiæ, quantitas continua & discreta. Nam, vt scribit Mercurius Trimegistus in Pimandro, sermo. 4. homo effectus est diuini operis contemplator, quod profectò dum admiraretur, authorem eius agnouit. Speculatiua rationalis, quæ versatur circa ens fabricatum ab intellectu, quódque non haberet esse nisi esset intellectus. Qualia sunt terminus & dictiones ex quibus componitur oratio, vt ex orationibus argumentatio, & similiter sermo congruus vel incongruus omnis. & ornatus, inornatus, delectabilis, vel insuauis, verus vel falsus, & alia. Quæ omnia non essent nisi sibi fabricaret intellectus vel ratio, vnde etiam dicuntur entia rationis, id est, fabricata à ratione quæ intelligitur. Speculatiua realis Physica ea dicitur, scientia quæ versatur circa ens mobile quod est naturale, vt cœlum. elementa, & elementata. Speculatiua realis Mathemática, quæ versatur circa ens, quod est quantum continuum, & discretum. Quantum continuum est, linea, superficies, corpus, & omnes species figurarum, circa quas Geometria versatur. Quantum discretum, numerus, de quo & eius proprietatibus tradit Arithmetica. De vtrisque tractat Astrologia Speculatiua rationalis, Grammatica, Rhetorica, &c. vt in tabula. Scientia practica actiua est illa, quæ versatur circa humanas operationes, vt bene & moraliter fiant. Ethica circa mores, Politica, vt iustè & pacificè fiant actiones ciuiles & rectoris prouidentia. In œconomica, prudentia patrisfamil circa regimen priuatæ domus. Practica factitia, quæ circa mechanicas & manuales versatur artes. Mechanicæ autem artes dictæ sunt, eo quòd Graeci excogitationem & machinationem solertem dicerent μηχανην à verbo μήχος, id est longè, & ἀνὰ, id est ascendere, penetrare, & pertingere, vt scribit Plato libr. 2. in Cratilo, vel de recta nominum ratione. Sensualis cognitio sequitur, qua communicat homo cum brutis, in vtrisque enim illa reperitur cognitio, sed bruta ea perfectione non cognoscunt, qua homines, qui ratione intelligunt, vt notauit Arnobius libro 2. aduers. Gentes. Et quòd oculus est in corpore, hoc est, in mente cognitio, vt scribit Clemens Alexandrinus libro tertio

Stro-

Stromat. Et brutis sensus: homini autem sapientia, & prudentia finis est, vt scribit Themistius libello de sensu & vigilia cap. 5. cognoscit tamen & animal vere, quia cùm secundùm Lucretium lib. 4. de rer. natu.

*Inuenies primùm ab sensibus esse creatam*
*Notitiam veri, neq; sensus posse refelli, &c.*

Et cognitionem habere brutum necesse est, quia & sensibus præditum, visu, tactu, odoratu, gustu, auditu. Omnia tamen animalia non æquè sensibus valent, vt etiam dixerit Aristoteles aliquibus priuari aliqua, veluti consilia, & his similia lib. 1. de Plantis circa principium. Quo fit, vt quò magis animalia sensibus præualent, eò magis cognoscant, & sagaciora fiant in eo in quo præualent, vt notat idem Aristot. lib. de generat. animal. 1. cap. fin. Atque idcirco in 1. de histor. animal. alia dicit domicilia, alia prouida, alia cauta, astuta, & huiusmodi, demens tamen ab his & reseruans hominum nobilitati solam cogitandi, ratiocinandi, & reminiscendi vim. Et Claudius etiam Ælianus libris de natu. animal. exempla cognitionis quæ animalibus inditæ sunt, refert, in singulis ferè capitulis, & admirandam cuiusque ad vitam tuendam vel propagandam à Deo concessam sagacitatem, imò & futurorum præcognitionem. Et non defuerunt ex antiquis, qui animalibus brutis quandam facultatem ratiocinationis inesse rati fuerint, sicut multis adstruit Porphyrius lib. 3. περὶ τῆς ἀποχῆς ἐμψύχων. De abstinentia animatorum. Quanquam illam imperfectam fateatur: in hominibus autem rationem rectam perfici, ex perfecta meditatione atque doctrina. Eadem comprobare nititur Plutarchus libello integro cui tit. num brutis ratio insit. in quo varia sapientiæ exempla tribuuntur animalibus. Aristoteles etiam quædam memoria valere & disciplinabilia dixit 1. Metaphysic. cap 1. & 9. de Histor. animal. cap. 1. in quo plura de eorum intelligentia & morib. persequitur. Maximum quoque momentum adfert ad eius rei persuasionem, quòd animalia sensibus prædita sint, vnde cognitio. Quia nec alia ratione animalia dicimus, quàm quòd sensus illis sint, vt scribit Aristoteles lib. 2. de part. cap 1. & cap. 5. Et lib. 2. de gene. animal. cap. 3. & lib. 3. de animal. cap. 12. & alibi. Porrò nos hanc cognitionem brutorum, & eam quæ ad rationem accedere videtur, & imitationem eius præ se fert, dicimus instinctum vel proprietatem naturæ inditæ ad agendum, quod agitur natura. Quamobrem Seneca lib. 22. Epistolar.

epist.

epistol. 121. *Sensum*, inquit, *ex eo maximè apparent, quòd membra aptè & expeditè moueat, non aliter quam in hoc erudita.* Cæterùm illud concessum est naturæ per prouidentiam, à natura diuina illis concessa propter conseruationem speciei, & ad insinuandam admirabilem & adorandam maiestatem, scientiam, & potestatem omniscium superni & incomprehensibilis opificis *Dei*. Sunt autem animalia perfectiora bruta quæ æstimationem siue distinctionem quandam faciunt, & quodammodo eligunt. Platonici, qui animas creatas ante descensum in corpus longè antè putabant, & à corporibus in alia transmigrare, in hominibus duplicem ignorantiam, sicuti duplicem scientiam, ponebant. Primam qua sunt, putantes quidem se plurima nosse ob ingenitas sibi ab initio rerum notiones: ignorantes autem propter obliuionem: sic scientiam vnam ponentes ante tempus, quod habuisse illam ab æuo animas putarent: aliam autem notitiam secundùm productionem dicentes, distinctionemque rationum, quam præcedit tempus, vt scribit Plotinus Comment in Alcibi. 1. Plato. Via porrò cognoscendi quæ in nobis annotatur, ab ordine naturæ differt in naturalibus, quòd nos naturæ opus cognoscimus, primò diffinitiuè, secundò compositiuè, tertio resolutiuè: natura contrà, primùm suum opus cognoscit resolutiuè, secundò compositiuè, tertiò, definitiuè, vt scribit Paulus Israelita Iudæus lib. de nouem doctrinarum ordinib. cap. 9. Cape exempla duo, vnum, si quis aduena in ciuitatem quandam peruenerit, primum contemplatur vniuersam ciuitatem, tum partes quibus componitur, postremò ædificia distribuit. Aliud est apud Galen. in Isagogi. lib. de constitu. art. medic. dum ait, *Sicut domus per singulas partes cognita est ei qui ædificauit, alii nonnullis & similiter nos qui iam factam domum contemplamur, humanum in quam corpus, primum diffinituè, secundò compositiuè ex partibus practicis, deinde resolutiuè dissectione singulari facta singulorum per anathomen.* Instinctu etiam naturali quædam inanimata aliqua cognoscunt vel demonstrant, sequuntur pleraque & refugiunt contraria, vt Deo fauente dicemus, cùm de appetitu loquemur. Sic cantharides peculiariter intrinsecus ab homine assumptæ, solam vesicam afficiunt. Et lepus marinus pulmones solos ex omnibus animalis partibus vlcerat, vt scribit Galenus lib. de theoria. ad Pisonem & lib. de composit. pharmaco. secund. loca.

Scri-

Scribit etiam is, quod Asplenium, Capparis, Tamarix familiaritatem quandam habent cum liene, vt ipsum valde iuuent. Nouit primum diem venientem brumalem, lilium, cæpe, pulegium: nam & eo die herbæ aridæ suspensæ florent, vt ait Aristoteles Problem. sect. 20 quæst. 21. Scribit & Plinius libr. 18. natur. histor. cap. 14. & libr. 18. cap. 27. Heliotropium & lupinum herbas, cum sole quotidie circumagi, ea parte, qua Sol est, incl.nare, horasque agricolis etiam nubilo tempore demonstrare. Et cap. 26. lib. 18. signum maturitatis ordei, & sationis milii & panici, lucentes vesperè per arua cicindelas, quas Græci vocant lampyxidas, rustici stellantes volatus cap. 27 lib 18. & morũ germinantem iudicare iniuriam frigoris transisse nec esse timendam. Sic, vt breuiter concludam, viola alba ver cognoscit, & flore suo nuntiat, codianum vel codiaminum bis vere & autumno floret: cynocephalus, vt testatur Horus Apollo lib. de liter. Hiroglyp. singulas horas ostendit, duodecies die, & totidem nocte mirgens. Sentiunt canis syderis ortum mare, terra, vina, canes: feruent maria fluctant in cellis vina, mouentur stagna, canes in rabiem aguntur. Et Dominus noster IESVS CHRISTVS *Deus, ab arbore*, inquit, *discite parabolam, cùm iam ramus, eius tener fuerit, & folia nata fuerit quia propè est æstas*, Matth. cap. 24. c vers. 32 In summa vires animæ quæ cognitiuæ dicuntur, sunt, vt colligit Marsilius Ficinus in comment. super Menonem Platonis Prima mens, cuius actus est perpetua contemplatio veritas. Secunda, ratio, cuius actus veritatis inuestigatio. Tertia, Phantasia, cuius actus collectio eorum quæ sensus, eius nuntii, porrigunt, perq; illa discursus.

## *De abaco cognitionis, & eius explicatione.*

## CAP. XLII.

| *Synopsis aliquorum, quæ cognitionem referunt.* | *Repugnant hic.* |
|---|---|
| Ars omnis, liberalis, vel mechanica, & arte facta. | Temerè & sine arte facta. |
| Certitudo. | Incertum. |
| Coniectura. | |
| Consilium. | Inconsultè factum. |

Distin-

| | |
|---|---|
| Distinctio, separatio, diuisio. | Confusio. |
| Doctrina. | Incognitum, ignorantia. |
| Experientia. | Inexperientia. |
| Fides. | Dubitatio. |

Gradus omnes, quibus scientes ornantur insignibus, præceptoriatus, bacchalaureatus, prolytatus vel licentiatura, magisterium, doctoratus.

| | |
|---|---|
| Industria. | Sine industria. |
| Intelligentia. | Ignorantia. |
| Iurisperitia. | |
| Lex. | Leleges. |
| Opinio. | Error. |
| Ordo. | Inordinatum. |
| Peritia. | Imperitia. |
| Prædestinatio. | |
| Prænotio. | Incognitum. |
| Præscientia. | Improuidentia. |
| Prognosticatio. | Mendacium. |
| Prudentia. | Imprudentia. |
| Ratio. | Irrationale. |
| Regulæ præscriptio. | Irregulatum. |
| Reprobatio. | |
| Sagacitas. | Stultitia. |
| Sapientia. | Insipientia. |
| Scientia. | Obliuio. |

De quibus pauca in gratiam rudiorum dicemus, & probabimus obiter quomodo cognitionem referant, vt argumẽtandi ex illis apertior & facilior sit via.

Ars, Aristoteles lib. 6. Ethico. ad Nicomach cap. 3 scribit esse numero quinque in quibus anima verum vel falsum dicit affirmando, vel negando, hæc scilicet, artem, scientiã: prudentiam, sapientiam, intellectum. Et postea cap. 4. definit, artem esse habitum faciendi, recta cum ratione. Contrarium autem arti habitum faciendi falsa cum ratione. Et ideo autem versari circa generationem vel inuentionem, contemplationémve quonam modo fiat eorum aliquid, quæ & esse & non esse possunt, & quorum principium non in eo quod efficitur, est, sed in ipso faciente. In quo ars distinguitur à natura, casu, fortuna, & necessario contingentibus, vt etiam Plato lib. 24. in Gorgia vel de rhetor.

tor.artem non existimat sine ratione. Galenus autem,in finitionib. medic. in Isagogi. *Ars*, inquit, *est comprehensionum globus commeditarum ad finem aliquem rerum quæ sunt in vita perutiles*, Et ita Cicero 4. Acad.quæst.docet artem vllam sine scientia esse non posse. Ostendit etiam scientiam esse artem, operatio, quæ per eam facilè perficitur, ideo distinctio operis ex artis perito orta,vt considerat Seneca lib. 22. Epistol. epist. 121. Eusebius Pamphili.lib. 1. de præpar. euangel. cap. 1. nullam artem vel scientiam dici ait, quæ non omnia vel saltem plurima ad debitum finem non adducat. Ex quibus constat artem esse cognitionis speciem, dum ratione moderatur quæ agit, & falsum rejicit. Quare idem Aristoteles libr 3.polit. c.1.in artibus & scientiis omnibus id proprium esse scribit, quod cuique generi conueniat, seu exercitatio generis qualis quali conueniat, & quæ sit optima. Item Aristoteles lib.6 Ethic.ad Nicom. cap.7. sapientiam tribuit artificibus eximiis,sapientem, eodem loco dicens, non tantùm eum qui scit quæ ex principiis cognoscuntur, sed etiam qui dicat vera circa principia, sapientiam virtutem artis nominans. Et ita cum sapientia, cognitio, & scientia sit, erit & ars. Suadet id etiam origo vnde profluit ars, nam vt scribit Plato lib.24.in Gorgia vel de Rheto. *Peritia efficit, vt vita nostra per artem incedat, imperitia verò vt temerè per fortunam circumuagetur.* Et Aristoteles libr.1. Metaphys. cap 1. apertè scribit experientiam, scientiam particularem esse,artem verò cognitionem vniuersalium. ita Cicero libr 2.de Orator. *Ars*,inquit, *earum rerum est, quæ sciuntur.* Et 1 de Orato refert Menedemum hospitem suum egregiè doctum , artem negare esse nullã, nisi quæ cognitis penitusque perspectis & in vnum exitũ spectantibus & nunquam fallentibus rebus contineretur. Et rursum idem Cicero Trebatio scribens lib.7.Fami.epist. omnium 119 *nullam artem literis sine interprete & sine aliqua exercitatione percipi posse scribit.* docens cognitionem ignotorum per artem haberi. Plut. etiam lib.de sera numi. vindicta intelligentiam artificis expostulat in iudicio artium. Dicimus & artem præceptorum collectionem. Sed & Pamphilius poeta monet quanta peritia oriatur ex arte.

*Nam solet ars*,inquit,*dominum sæpe iuuare suum.*
*Ars animos frangit, vel firmas dirimit vrbes,*
*Arte cadunt turres,arte leuatur onus.*

Et rur-

Et rursum, *Vsus & ars docuit quod sapit omnis homo.*
Demum & iurisconsulti artis nomine scientias nuncupant, vt iuris ciuilis artem dicit Vlpian in l.1. de iusti. & iur. lib.1. ff. tit. 1. & cognitionem grammatices Paul. iuriscons. vocat artificium in l. 1. duo societatum. l. 72. pro soc. lib. 17. ff. tit. Et sic in reliquis scientiis præceptis concluſis vtuntur artis nomine, Quin & Vlpian. in l. inter artifices, l. 31. de solution. libr. 46. ff. tit. 3. inter artificum differentias, præcipuam institutionis & cognitionis ponit.

Annotandum tamen obiter est, artes pro dolis & fraudulentis machinationibus & cognitione iniqua accipi, vt apud Theodosium Archadium & Honorium Cæsares in l.1. de suffrag. lib.4. C. tit.3. Et alibi vt l.1. de statuis & imagi. libr. 1. C. tit. 28. Dicimus vetitas cognitiones & scientias, artes : vt artem magicam. Sic legimus 2 Paralip. c. 33. b. maleficis artibus inseruire. Et Sapient. 17. b. magicam artem. Et Actuum 8. b. dementationem factam magicis artibus.

Certitudo, Cicero 2. De finibus cognitionem certi, Academicos desperatam habuisse dicit, quamobrem nihil etiam disputasse, & Herillum tamen omnia ad scientiam reuocasse. Et Paulus iuriscons. in l. certum, l.6. de reb. cred. libr. 12. ff. tit 1. certum esse id dicit, de quo cognitio habetur siue per nominis appellationem, siue per præsentem rei demonstrationem Sed plures sunt certitudines substantiæ, accidentium, qualitatis, quantitatis, generum, specierum, individuorum, quæ oportet distingui & ad propositam hypothesin reducere, vt certum secundum quid, non in vniuersum & generaliter dicatur.

Coniectura cognitionis species est, quia pluribus à nobis collatis, per eam aliquid vel verum vel falsum, bonum, vel malum putamus, vt scribit Aristoteles libr. Rhetor. ad Alexand. vbi de coniectura agit, isque & paulò post, conjecturas à commentatione differre ait, quod illæ sint, cùm circa res & verba repugnantia quædam fuerit: commentatio autem quod è multis locis trahi dicendo possit, & Solon id indicat dicens τὰ ἀφανῆ τοῖς φανεροῖς τεκμαίρε. *De rebus ignotis, per notas & euidentem coniecturam fac.* Et apud iurisprudentes, coniecturis probatio & cognitio quodammodo colligitur, vt de matrimonii impedimento dicitur, illud probabilibus coniecturis cognosci posse, apud Innocentium tertium de clandestina desponſ libr.4. De-

cretal. Bonifa. tit. 3. Sic in voluntatum ambiguarum testatorum interpretatione, cognitionem haberi per coniecturam scribit Papinia. in l. cùm proponeretur. l. 66. de lega. 2. lib 3. ff tit. 1. Coniecturam dicimus, quando sensus vel notio elicitur, neque expressè apparet vel scribitur, vt scribit glossa quædam in l. apud antiquos, l. 21. super verbo coniectura, de furt. & ser corrup. lib. 6 C. tit. 2.

Consilium esse cognitionem docet Cicero 1. de Inuentione, dum ait, *Consilium est aliquid faciendi vel non faciendi, excogitata ratio.* Excogitatam vocat, quasi cognitam dicat. Et constat consulere alium, vel se, nihil aliud esse, quàm de agendis vel non agendis doctrinam esse, ea autem non potest esse sine cognitione, quia alius cautior efficitur consilio vel prouidentior, vt non immeritò Plato lib. 3. qui inscribitur Theages, vel de sapientia, dixerit, consilium esse rem diuinam & sacram. Et rursum expressiùs libr 5 in Alcibia. primo vel de natu. hominis. *Scientia*, inquit, *est de vnoquoq; consulere* Et sicut consilium tripartiti temporis dicitur, sic & triplex inspectio. Nam secundùm Platonis sententiam, quam refert Diog. Laërtius in eius vita lib. 3. vitarum. consilium aliud à præterito, aliud à futuro, aliud à præsenti tempore sumitur. Præteritum tempus exempla suppeditat, dum attenditur quid, cur, quæque gens passa sit, vt caueamus: aut quid prudenter egerit, vt imitemur: vtpote quid passi sunt Lacedæmonès, dum confidunt. Præsens autem, rem ipsam quæ in manibus est, considerare monèt. puta imbecilles muros, homines timidos, annonæ caritatem, & cætera huiusmodi. Futurum prospicere suadet, vt ne quid fiat temerè, habendam bonæ opinionis rationem, non esse violandas suspicione legationes, ne Græcia gloriam honestatis amittat. Et Euthymius Zigabonius, Commentar. in Psalm. 1. consilium quod in corde residet, radicem vocat operationū corporis, & primo nos consulere, quasi addiscere, deinde consiliū obfirmare.

Insuper scimus diuinationem speciem esse cognitionis, ad hæc Euripides in Helena actu 2. vers 371. scribit γνώμη δ' ἀρίστη μάντις ἥτ' εὐβουλία. *quòd opinio bona, & bonum consilium sunt optimi vates.* Adde quod scribunt Cæsares Dioclet. & Maxim. in l. dubium, l. 3. de repudiis lib. 5. C. tit. 17. inter ea quæ leuiter & non adhibita cognitione fiunt, & ea quæ consilio fiunt, quandam oppositionem consti-

tui.

tui. Hæc enim firma & rectè fieri testatur, illa autem improba. Et Gregorius 9. in can. cùm in veteri, c.52. de elect. lib.1. Decretal. tit.6. scribit, Consilium, tractationem, disquisitionem, & per consequens cognitionem præcedere atem præsupponere.

Diuinchio, cognitionem etiam duorum vel plurimum arguit, vel diuersarum qualitatum. Et ideo Seneca libr.14. Epistol. epist. scribit, facilius nos per partes in cognitionem totius adduci. Et Iustinia. in §. sed non vsque. versic. sed ne in primis de lega. libr. 2. Institut. iur. ciuil tit. 20. permixtionem rerum generare sciendi difficultatem, & diuisionem partitionémve faciliorem cognitionem adferre.

Doctrinam nemo ambigit etiam esse cognitionem faciendorum vel dicendorum, vel naturarum rerum.

Experientia, notio est, qua ars quam cognitionem diximus. perficitur, vt & docet Manilius lib.1.

*Per varios*, inquit, *vsus artem experienta fecit,*
*Exemplo monstrante viam.*

Et Propertius lib 3. eleg. 11. huic parari cognitionem docet,

*Venturam*, inquit, *melius præsagit nauita mortem:*
*Vulneribus didicit miles habere metum.*

Deinde si ratio, vt verum est, cognitio sit, erit & experientia, quæ vincit rationem. Sic vna ratio non vbique militat, sed proprium modum & vsum quæque natio habet: & quandoque extra rationem alterius, & in talibus experimentum vincit rationem, vt aliquando cibus malus etiam est cõuenientior bono, non idem vsitato, vt scribit Bonifacius Simoneta lib. 5. epistol. 63. Demum ars, est cognitio: illa tamen conficitur ex experientia, teste Galeno tomo 5. libr. 8. de composit. pharmac. secundùm locos, in princ. *Veluti*, inquit, *iudicandi à natura instrumenta data sunt ad actionum vitã cognitionem, experientiam dico & rationem, quæ quidem vtraq; ex aquo quibusdam conferunt ad artem, quibusdam verò alterum altero amplius: & tamen tanquam semper ad perfectionem alterum altero opus habeat.* Confirmat alibi eadem tomo 7. in comment. in 1. Aphoris. Hippoc. apho. 1. Extat & apud Aristot. lib.1. Metaph. c.1. à memoria eius rei argumentũ. *Fit*, inquit, *ex memoria experientia hominibus, multa enim eiusdem rei memoria vnius experiẽtia vim efficiũt.* Quare experiẽtia aliquid penè simile scientiæ ac arti esse videtur. Per experientiã autẽ ars & scientia hominib. efficitur, Experientia enim, vt ait Polus, artem

efficit, imperitia verò casum. Connumerat & inter cognitiones exactiores Isocrates Oratione πρὸς νικοκλέα experientiam, quam nominat ἐμπειρίαν ὅ τι ἂν inquit, ἀκριβῶς εἰδέναι βέλῃ ὧν ὑπίσχνεῖσθαι παρασκευάζει τὰς βασιλέας, ἐμπειρία μέντοι καὶ φιλοσοφία. id est, *quod si exquisitè cognoscere cupias quæ regum sunt peculiaria, experientiam adi & philosophiam.* Clemens etiam Alexandrinus lib. 2. Stromaton scribit scientiæ adiunctam esse experientiam Et Iustinian. in §. illud quoque, quib. mod. natur. effic. legi. in Authen. collat 6 tit. 1. ea se statuere refert. quæ pluribus rerum experimentis cognouisse se testatur. Et Marcus in l. 2. vt in possess. legat. &c. lib. 6. C. tit. 53. Cæsar ait, se multis rerum experimentis didicisse, posse remitti cautiones de legatis & fideicommissis eorum, quorum interest, voluntate. Et Salomon Eccles. c. 34. b. vers. 9. docet in experientia cognitionem adesse. *Qui non est tentatus quid scit, vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum: qui non est expertus, pauca recognoscit, qui autem in multis fatuus est, multiplicat malitiam.* Quo fit vt expertis quibusque in sua arte, propter inde coniectatam cognitionem, credendu sit. can. vt constitueretur, 50. distinct. in 1. par. Decre. Gratia. Cuius rei exempla extant apud Valer. Max. totò c. 13. libr. 8. Memorabil.

Fides. fidem nos definimus, vt sit veritatis quædam apprehensio rei cuiuslibet non apparentis, de qua latè agimus in tractatu virtutum de fide. Et D. Bernardus, cognitionem esse fidem docet lib. 5. considerat. ad Eugen. Papam. *Fides*, inquit, *est voluntaria quædam & certa prælibatio nondum propalata veritatis: opinio, est quasi prò vero habere aliquid, quod falsum esse nescias. Intellectus, est rei cuiuscunque inuisibilis certa & manifesta notitia.* Ergo fides ambiguum non habet, vel si habet, opinio non fides est. Et distat fides ab intellectu, quod & si non habeat incertum, non magis quàm intellectus, habet tamen quippiam involutum, quod non habet intellectus. Et est fides argumentum non apparentium. Ad Hebræ. c. 11 a vers. 1. Quamobrem paratur ex cognitione quadam fides, hempe ex auditu, auditus autem per verbum Dei. ad Roman. c. 10. c. vers. 17. Plato etiam Aristodoro scribens, Epistola 10. inter scientias & philosophiam, fidem ponit. *Audio*, inquit, *te in primis phi-*

*mū ph losophum spectantium vel contemplantium exercuisse, nam fimitatem, fidem, sinceritatem veram esse philosophiam existimo: alias verò & ad alia declinantes scientias & facultates si quis ornamenta dixerit, rectè, vt arbitror, appellabit.* Fit autem ab hac fidei cognitione gradus ad explicationem noritiā, ad intellectum scilicet, Monet Iesaias c. 6. a. *Nisi credideritis, non intelligetis.* In vtroque tamen æquè versatur certitudo: nam in fide potissimùm Christianæ religionis, nullo modo dubitare debemus, si fideles haberi velimus: nisi enim quis firmiter crediderit, saluus esse non potest, vt scribit D. Athanasius in fidei symbolo. & ca. quando episco. 24. dist. in 1. par. Decre Grati. & in parte 2. can. apertè 24. q. 1. Innocent. Pius in c. 1 de summa trinit. lib. 1. Decretal. Greg. tit. 1. Quamobrem Cæsares Theodosi. Valentin. & Gratia. in l. 2 de hæretic. lib 1. C. tit. 8, Hæreticorum nomine contineri placuit & infidelium, eos qui proprio argumento, à iudicio catholicæ religionis vel tramite detecti fuerint deuiare. Et Stephan. Pontifex summus in c. 1. de hæretic. lib 5. Decret. Grego. tit. 7. dubium in fidem, infidelem esse dicit. Et Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromaton apertiùs cognitionē in diuinis non esse sine fide, nec fidem sine cognitione, sed potissimùm in fide constantia consideratur & veritas. Et ita Cicero 1. Officiorum. *Fides*, inquit, *est fundamentum iustitiæ, id est, dictorum conuentorumq; constantia & veritas, credamusq; quia fiat quod dictum est. fidem esse dictam.*

Industria, est etiam cognitionis species. est enim promptitudo quædam animi ad agendum ea, quæ agere expedit: quod sine cognitione agendorum non contingit. Hanc quidam dicunt Græcis nominari Φιλοπονίαν, malo ego cum Hesiodo dicere, εὐθυμοσύνην, quasi animi ad agēdum bonam promptitudinem cum intellectu. Ex his enim nomen illud componitur, & ideo Hesiodus lib. 2. Dier. & oper. ver. 39. postquam quæ agenda essent agricolæ expressit, subdit,

Εὐθυμοσύνη γὰρ ἀρίστη
Θνητοῖς ἀνθρώποις, κακοθυμοσύνη δὲ κακίστη

Id est, *Industria enim optima*
*Mortalibus hominibus, negligentia autem pessima.*

Et Cicero libr. 2. Tuscul. quæst, Græcos industrios homines, studiosos vocasse testatur, Aristoteles lib. 1. magnor. moral. c. fin. latiùs autem rē tractans, *Est*, inquit, *industria, in*

*quibus & prudentia circa ea quæ sub actionem cadunt Industrium siquidem dicitur, quatenus consulere recte aliquid, iudicare aut perspicere potuerit circa pusilla, in pusillis q; eius iudicium est. Igitur industria atq; industrium prudentia & prudentis pars est, nec citra hæc, neq; industrium à prudente separauerit.* Hæc Aristoteles: quibus concludimus, cùm & prudentia scientia sit, & partem eius industriam scientiam quoque habere.

Iurisprudentia cognitio est, sic enim definit Iustinia. in §. Iurisprudentia de iust. & iur. lib. 1. Instit tit. 1. Iurisprudentia est diuinarum & humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia. Scribit & Cic. 1. de ll. ignorationem iuris, esse litigandi vias, non scientiam.

Intelligentiam etiam esse cognitionem per se patet. Et Cicero lib. 2. de Inuentio. definit, intelligentiam esse, per quam quis perspicit quæ sunt. nos aliàs latè de ea locuti sumus. Et coniunctam intelligentiam scientiæ scribit Clemens Alexand. lib. 2. Stromaton, quia est scientia eius, quod mente intelligitur.

Lex est cognitio etiam, quia est quædam consultationis prudentum resolutio. ita enim Papinian. vocat, & prudentum hominum consultum, legem in l. 1. de legib. lib. 1. ff. tit. 3. Et Demosthenes oratione contra Aristogitonem vocat sapientum hominum dogma. Et Chrysippus libr. περὶ νομῶν de legionibus, diuinarum & humanarum rerũ notitiam, vt refert Martianus l. 2. tit. de legib. in ff. Et Cicero 1. De legibus. *Lex est*, inquit, *insita ratio in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetq; contraria.* Dicta à deligendo, nam & nos, inquit, vim delectus, æquitatis & iustitiæ in lege ponimus, & hinc iuris basis quod nos probauimus.

Opinio cognitionis species est ac scientiæ Platoni, lib. 31. vel dialo. 5. De repub. sed diuersa ratione. Differt tamen opinio à scientia, vt confusum ab inconfuso, cùm opinio sit nondum plenè certa cognitio, sed incerta: scientia autem certa sit, vt etiam idem Plato scribit lib. 13. in Theætet. vel de scientia. Quamobrem opinio, dicitur de his quæ aliter se habere possunt, non scientia, vt notat Aristot. libr. 1. Resolutionum posterio. c. 26. Et Galenus in Isagogi. lib. de definitio. medicis, scribit opinabile, anceps, quod Græci ἀμφιδόξον vocant, esse id cuius perinde venire contrarium potest. Et alibi tomo 7. idem Galen. sup. Aphoris.

sis. Hippocr. lib. 1. aphor. 1. varias esse opiniones, vbi est magna difficultas. Et tom. 4 lib. 3. de differen pulsuum, in omnibus ferè opinionem esse, per consequens ferè in omnibus controuersiam. Et in eo differre à scientia, quæ si haberi potest, inquit, firma est. Xenocrates, vt scribit Cicero lib. 3. Academ. quæst. quod erat sensu comprehensum, idipsum sensum vocabat. Et si ita erat comprehensum, vt ratione cõuelli non posset, scientiam: sin aliter, inscientiam nominabat, ex qua existeret etiam opinio quæ esset imbecilla, & cum falso incognitoque communis. Plato autem lib. 25. in conuiuio vel de amore inter sapientiam & ignorantiam esse ait opinari, hoc est, inquit, absque certa ratione participem esse. Et rursum lib. 13 in Theæteto vel de scientia. *Ledam equidem de te opinionem habens, si tuã præterea definitionem accipio, te cognosco, alioquin opinor.* Bestiæ phantasiã quæ est motus à sensu, habent, sed opinione, vt & ratione carent, vt scribit Bonifacius Simoneta lib. 6. de fidei Christ. & pontif. Romano. persecutio epist. 34.

Ordo, Speusippus lib de definitio. Platonis ordinem & proportionem idonea ad scientiam esse testatur. Distinguunt Medici per ordines, quos alii vocant gradus, facultates, & vim medicamentorum. dicuntque ea calefacere, frigefacere, humectare vel siccare primo, vel secundo, vel tertio, vel quarto ordine, & ita cognitionem miscendorum pharmacorum facili via tradunt, vt scribit Galen. tomo 5. libr. 6. de simplic. medica. facult. c. 27. Aristoteles libr. 8. Physic. c. 1. scribit, quòd omnis ordo, ratio sit. Porrò docemus paulò post rationem cognitionis esse speciem, sequetur itaque & ordinem esse. Plato lib 32. in Timæo cùm vellet scientiam & diuinitatem artificis mundi demonstrare, eum dixit inordinata in ordinem redegisse: hoc enim iudicabat esse præstantius. Docet & cognitionis esse speciem finitio ordinis, quam adsert Aristot. 8 Physic. textu 14. *Ordo*, inquit, *est congrua aliquorum proportio, idq; secundum prius & posterius, vel ratione vel actu*, idem Philo Iudæus libr. de mundi opificio. Sic ordinis præstantia sensibilium naturam denunciat, vt scribit idem Aristoteles cœli ca. 24. Quin & idem scribit libr. de memoria & reminiscentia ordinem facilem doctrinam ad intelligentiam & memoriam constituere. Sic & Speusippus in finitionibus Platonis, ordo est concentuum operationis ad inuicem communis proportio, vicissitudinis in omnibus

causa, contemperatio ad percipiendum idonea. Cui opponit Iustinia. cõfusionem. §. si verò nullus horum, de hæred. & falc. libr. 1. Authen. tit. 1. Xenophon quoque libr. qui Oeconomicus dicitur, Magnam vim & promptitudinem inesse ex ordine cognitioni, & facilitatem curæ, & vtilitatem longa oratione docet. Et Mercurius Trimegistus in Pimandro, sermo 5. à sapientia & prudentia ordinis mundi, conuincit esse vnum eius dominum & opificem: *Ordo, inquit, fieri à deformitate nequit, eget autem deformitas Domino, qui ordinem præbeat.* Sumunt itaque ab ordine literæ probationem. Et Iurisconsulti topicum argumentum, quia Iustinia. in l. 1. §. quibus. de nou. cod. fac. lib. 1. C. tit. 1. scribit, se prima primo loco, & alia suo ordine posuisse. Et hoc in dubiis maximè verum. Nam quando de sensu constat, ordo literæ nõ spectatur, vt scribit Papian in l. in his verò, l. 5. §. fin. & Paulus iurisc. in l. nec enim ordo, l. 6. de solutio. lib. 46. ff. tit. 3. Innocentius III. in cap. causam quæ, cap. 18. & cau cum delicta, cap. 22. de rescript. lib. 1. Decret. tit. 3. Prænotio, prognosticatio, & reliqua quæ notionem futurorum & præcedentem insinuant vel de præsentibus alioquin obscuris, ad cognitionem pertinere non ambigitur. Sic Galenus in Isagogicis, lib. *De* definitio. plures cognitionis occultorum modos finit.

*Notatio*, inquit, *est, non manifestorum per notas vel signa cognitio.*

*Signum est, id quo cognito, aliud, quod ignotum nobis erat, deprehenditur.*

*Diuinatio eorum quæ euenire debent, scientia est.*

*Prognosticum signum est, ex quo dignoscitur futurum.*

*Prædictio, est futuri præcognitio pronunciata.*

*Pathognomonicũ signum est id, ex quo affectus dignoscitur.*

*Syndrome quam Græci vocant, Latini concursum, est congressus symptomatum.*

*Symptoma est accessorium affectus.*

Sunt & prognostica, quæ ad aliam, quàm ad medicinam pertinent, & prænotiones ex aliis quàm corporum hominum passionibus ex cœlestibus, aere, & aliis, de quibus Deo iuuante dicemus proprio tractatu in Astrologia. Speusippus autem expresè lib. de definitio. Platoni. *Diuinatio, inquit, scientia est, absq; rerum demonstratione præsaga. Vaticinium scientia qua dignoscitur, quid adsit, quidue futurum sit mortali homini utenti.*

Proui-

Prouidentiam, Galenus προνοίαν tomo 4. comment 1. in Prognost. Hippoc. c. 2. dupliciter accipi ait, vno modo pro cura & solicitudine futurorum & cautione, & pro eo quod est curam gerere alicuius rei, & præparare vtilia. Et ita conuenire hominibus etiam. Deinde pro generali in vniuersali administratione, quæ est Dei prouidentia, quam ipse variis in locis probat & defendit, potissimum tomo 1. libr. 9. Hippocr. & Plato decret. & alibi. *Prouidentia*, inquit Cic. 2. de Inuentione, *in expetendis est, per quam aliquod futurum videtur antequam factum sit.* Plato lib. 34. Dialo. 10. de legib. vel repub. validis argumentis tuetur prouidentiam Dei vniuersalem & particularem, exemplis petitis ab imperatoribus, patribus fa. ciuitatum moderatoribus, & huiusmodi, qui paucis paruisq; neglectis, recte multa & ingentia gubernare non possunt. Nam lapides quoq; magnos, sine paruis strui negent etiam architecti. Quod certe facile Deo est, qui sine solicitudine omnia nouit & perficit in nobis, nisi nos ex nobis resistamus Spiritui sancto, & gratiam quæ se nobis offert sponte repudiemus, reliquit libros optimos περὶ τῆς προνοίας Theodoretus. tractat & Arnobius libr. 8. contra gentes. Eam approbat Phalaris Epist. 86. Cataueis scribens, & multi alij Ethnicorum, quorum aliquos citat Theodoretus, lib. 6. græcarum affect. Et Xenophon libr. 1. de fact. Socrat. demonstrat in prouidentia diuina maximam esse Scientiam: quod per eam simulachra omnia, & animalia scientia & cognoscentia facta fuerint, & per eam gubernentur. mirabilis de dei prouidentia & tradit D. Damascenus lib. 2. de Orthodo. fid. c. 29. Et in summa ab Eccles. scribitur, *Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam, neq; dicas coram angelo, non est prouidentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.*

Prudentiam esse cognitionem, docet Galenus, tomo 1. lib. 7. de Hippocr. & Plato. Decret. dum ait, sapientiam esse virtutem: virtutes autem in scientia consistere, sicut vitia in ignorantia: imo & hanc rationis esse virtutem, quæ ratio cognitio est, sublatis etiam virtutibus reliquis: illam remanere docet Egidius, lib. 2. de regi princip. c. 8. dum partes prudentiæ constituit memoriam, prouidentiam, intellectum, rationem, docilitatem, experientiam, cautionē. Et Cicero, 2. de Inuentio. *Prudentia*, inquit, *est, rerum bonarum & malarum & vtrarumque scientia.* Forsan &

innuit Hesiodus in Theogonia, dum ait.

Ζεὺς δὲ θεῶν βασιλεὺς πρώτιν ἄλεκτον θέτο μῆτιν,
Πλείστα θεῶν εἰδυῖαν, ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων, id est,

*Iupiter autem rex, primam uxorem duxit sibi prudentiam, plurimum ex Dijs, (vt loquitur Paganus) edoctam & ab hominibus.* Sic etiam Cicero 1. de legib in veri inspectione positam prudentiam esse scribit, eamq; à prouidendo dictã in cultu diuino, & bonis à malis deligendis consistentẽ. Et rursum circa finem 2. Offic. φρόνησιν vel prudentiam; rerum expetendarum vel fugiendarum esse dicit. Et quia etiam prudentia in bonorum & malorum delectu consistit, vt idẽ Cicero scribit. 5. De finib. & alibi id cum sine notitia fieri non possit, arguit etiam cognitionem. Et Aristoteles, quanuis prudentiam neget esse scientiã cognitionis, tamen speciem fatetur, quia per eam quis scit quæ bona sibi sunt, vel reipublicæ, & in ea est legum ferendarum facultas, vt scribit idem Aristoteles lib. 6. Ethico. c. 8. lib. de virtute mor. Et ibi prudentiam à sapientia distinguit, quod sapientia circa res Dei & æternum versetur, & nobilius subiectum: prudentia autem circa res hominis item à scientia quod illa in his, quæ subijciuntur scientiæ ex demonstratione vel ratione, quia hæc in electione agendi vel non agendi. Et Plutar. lib. de virtute morum, Prudentiam distinguit à sapientia, quòd prudentia in agendi facultate, sapientia in deliberando consistat. Plato ait: lib. 6. in Alcibiade 2. vel de voto. Prudentes, existima, quicunque dicenda agendáue cognoscunt; imprudentes qui neutra vident, neque tam erga Deum, quam homines. Quod & scribit Speusippus, libro De definitio. Platoni Prudentia duplex ponitur mundi & Dei: ab hominibus enim hi prudentes dicuntur, qui dando, accipiendo, & negotijs gerendis, in fraudando, fœnerandòne versati sunt: & ex obolo vno duos facere sciunt, Deus autem hos stultos & peccatores vocat. Prudentes autem alij à Deo dicti, qui eius voluntatem & mandata norunt exequi, vt scribit D. Athanasius, lib. de virginita & D. Basilius Magnus in princip. proverb. De vtrisque Christus meminit, Lucæ 16. d. & D. Paulus ad Roma. 8. a. prudentiam primam carnis dicit & mortem. Et Baruc c. 3. c. vers. 23. prudentiam de terra dixit, & negotiatorum terræ, sicut vers. 13. & 14. veram prudentiam Dei & de cælo.

Ratio

Ratio nobis innata est, vt per eam agenda sequamur & fugienda vitemus, vt scribit Euthymius in commentar. in Psal. 104. estque cognitio illa intrinseca naturalis, qua sine pædagogo cognoscimus iusta & iniusta, vnde Claudianus in 4. Honorij consulatu, vocat rationem, mandatricem operum, prospicientemque labori. Est etiam ars cognitio, porrò ratio artes homini docuit, vt scribit Galenus, tomo 1. lib. 1. de vsu part. corpo. humani c. 3. Et Cicero, de natu. deor. 2. rationem concludimus inquit, singulasque res diffinimus, circunscripteque complectimur. Et docet ferè omnia homines ratio naturalis. sic profitetur Paulus Iurisconsultus, ratione naturali se edoctum, vt bona damnatorum, nisi quibusdam criminibus exceptis deferrentur ad liberos. in l. cum ratio, l. 8. de bonis damnato. lib. 48. π. tit. 20. Sunt & alia plura in quibus Iurisconsulti, ad notionem & lumen rationis referunt cognitionis anchoram, quæ prætermitto. Regularum constitutionem esse cognitionem etiam constat ex eo, quod illa sit, veluti cognitionis cuius est regula, synopsis, vel epitome, & breuis enarratio, vt scribit Paulus Iurisconsul. in l. 1. de reg. iur. lib. 50. π. tit. 17. & cano. regula, 4. dist. parte 1. Decre. Gratia.

Sagacitas est etiam cognitio extremorum, in quibus dubium constituatur, & idem est sagacitas ac bona intelligentia, vt scribit Aristoteles. lib. 6. ethico. ad Nicom. c. 10.

Sapientiæ cognomen maximum, ideo Platoni lib. 26. in Phædro vel de pulchro soli Deo conuenire videbatur. Quamobrem lib. 13. in Theæteto vel de scientia illa nos fieri similes Deo ait, sicuti & iustitia, prudentia, & sanctitate: totam enim Deus horum complexus est potestatem, circa hoc, inquit, vera industria & fortitudo viri, nec non inertia, imbecillitásue versatur: horum sanè cognitio, vera virtus & sapientia: ignoratio, contrà, insciti & improbitas manifesta. Seneca etiam li. 13. Epistol. epist. 89. sapientiam fuisse definitam ait, nosse diuina & humana, & eorum causas. Et D. Dionys. Areopag. c. 7. de diuin. nominib. sapientia diuina ipsius vniuersæ sapientiæ & intelligentiæ omnis, rationisq; & sensus cuiuslibet principium & causa, institutio, perfectio, conseruatio, & terminus. Nam vt scribit Iesaias, 10. cap. *Sapientia, & disciplina, & pietas à Domino.* Et Daniel. cap. secundo c. *Dat sapientiam sapien-*

*sapientibus*, & Diuus Iacobus, cap. 1 a. *si quis indiget sapientia postulet à Domino, &c.* Idemq; c 3. notas seu notiones & virtutem eius sapientiæ quæ à Deo est, tradit. Scribit & Pyndar. Olympio. ode 9 epode 1. in fine.

——ἀ γαθοὶ δὲ
Καὶ σοφοὶ χεῖρ ἀμαιμον' ἄνδρες,
Ἐγένοντο, id est, *boni & sapientes viri per Deum fiunt.*

Quamobrem sapientia illa quæ à sua origine declinat, & contempto Deo ad terrestria deuoluitur, ignorans Deum & eius amorem & timorem, mors potius est & mundi sapientia, vt scribit D. Paulus ad Roma. 8 a hanc reprobat Deus, & perditurum se minatur. 1. Cor. 1. c Et stultitia dicitur apud Deum hæc sapientia. 1. Cor. 3. d. Sapientia itaque sua finitione, se cognitionis speciem demonstrat. Nam vt Euthymius definit, Cõment. in Psal. 89. sapietia est, discretio inter virtutem & vitia, & operatio per virtutem. Et Terentius, in Adelphis scena 3. ac. 3. ver. 32.

*Istud* inquit *est sapere, non quod ante pedes modo est Videre: sed etiam illa, quæ futura sunt.*

Ponit sapientiam in præcognitione futurorum, & cautione præsentium. Et docere rectum sapientiam, paulatim vitia erroresque exuit omnes, scribit Iuuenal. satyra 13. hanc altius reperit Clem. Alexan. li. 7 Strom. *Est* inquit, *quædam cognitio hominis, tanquam hominis perfectio, qua completur per rerum Diuinarum scientiam, & modo & vita & sermone congruens, & consentiens sibi & verbo diuino, per hanc enim fides perficitur. Vtpote quod per eam fidelis efficiatur perfectus. Dicimus autem cognitionem differre à sapientia, quæ est per doctrinam. Nam quatenus aliquid quidem est cognitio hoc omnino est etiam sapientia: quatenus autem est aliquid sapientia, non est omnino cognitio.* Sed clarius Iacob. Faber Stapul. in Introducto. in lib. Metaph. Arist. sapientiam, rerum difficilium dicit esse cognitionem: & ea cognoscentem, sapientem. Et Claudius Gallenus, tomo 2 libr. de cognoscendis curandisue animi morbis, illud proprium sapientis prout sapiens est ait esse, vel perfectè vel imperfectè seipsum cognoscere, sapientissimi autem & prudentissimi, planè omninò se cognoscere. Et Euripi in Hyppol. act. 2. versicul. 107. distinctionem ponit inter sapientiæ scientiam, & actum, moresque hominum, his verbis exprimit Phædra,

Hδη

Ἤδη ποτ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ
Θνητῶν ἐφρέντησα καὶ διέφθαρται βίος.
Καὶ μοι δοκοῦσιν ἐκ κατηγνωμένης φύσιν
Πεφάσθαι κάκιον· ἐξιδεῖν δ' οὐ φρονεῖν
Πολλοῖσιν, ἀλλὰ τῇ δ' ἀθρητέον τάδε.
Τὰ χρῆς' ἐπιστάμεθα καὶ γινώσκομεν
Οὐκ ἐς πόνον μόλυβδον.

id est,

*Iam sæpe aliâ nocte & longo tempore cogitaui, quomodo sit corrupta mortalis vita. Et mihi videntur præter naturam animi peccare, ac prauè agere, quia recta sapiunt multi. Hæc autem vita, hæc res censenda, honesta quidem scimus & cognoscimus, sed non facimus.* In quo fallus est Zeno, qui nisi sapientem scientiam habere dicebat, cùm tamen constet & incipientem scientiam habere, vt aduersus eum defendit Cicero 4. Academ. quæst. & Aristoteles libr. 1. Magno. moral. cap. fin. sapientia inquit, ex scientia mente que constituitur, est namque sapientia, circa principia (quæ sub mente non sub scientia, vtpote nec demonstrabilia cadunt) ipsa quoque mentis particeps, at quatenus circa ea quæ post principia sunt cum demonstratione, scientiæ est particeps. Et alibi ait, Ethic. lib. 6. cap. 7. sapientem non solum ea scire quæ ex principiis cognoscuntur, sed circa principia dicere vera oportere, quare inquit sapientia intellectus est, & scientia rerum earum quæ summis afficiuntur honoribus. Plato scribit lib. 31. dialo. 4. de repub. vel de iusto, sapientem eum esse qui scientiam qua discernit quid potissimum ex vsu sit, tam singulis quam vniuerso. libr. 3. in Theagete. Et vocat sapientes, scientiam habentes, lib. 13. in Theæteto. vt vocat sapientiam veram cognitionem. & ignorantiam falsam opinionem. & Xenophon in 4. de dict. Socrat. ostendit, sapientiam scientiam esse. Sciētia, Simplicius in comment. ad 1. libr. de anima Aristot. scientiam dicit, cognitionem quæ veram cognitionem parere possit. Item quia secundum Speusippum Platonicum lib. de definitio. Platon. malorum & bonorum facit iudicium, & rerum causas contemplatur, fieri non potest, vt ea cognitionem non habeat. Et ideo Speusippus idem eodem scientiam definit, comprehensionem animæ, ratione vera, in cognitatione immutabili. Sic Aristoteles cum de ea scientia disputat,

& de

& de opinione lib. 6. Ethic. c. 3. scientiam certam esse, atq; ibi inter scientiam, fidem, & opinionem interesse ait, quod scientia certa & indubitata sit. Opinamur autem cum firmiter assentiuntur, quamuis ea sint immanifesta quæ credimus. Plato etiam scribit li. 4. in Menone vel de virtute. quod quicunq; scientiam habet, semper assequitur: qui verò rectam opinionem, interdum assequitur, interdum fallitur, dum quod verum est fugit à memoria, quod scientiæ non accidit, quæ perseverat in ea. Idem scientiam definit, lib. 13. in Theæteto vel de scientia, esse opinionem rectam cum scientia differentiæ. vnde, inquit, neq; sensus, neq; opinio vera, neq; cum opinione vera assumpta ratio, scientia est. Clemens etiam Alexandrinus dicit, lib. 2. Stromaton scientiam esse habitum qui facit sistere, à quo scire euenit cum fit comprehensio quæ dimoueri non potest à ratione. Sic & ignorantiam esse phantasiam seu visionem cedentem, quæ dimoueri potest à ratione. Et Speusippus, lib de definit. Platonic. *Sapientia*, inquit, *est eorum quæ semper sunt scientia. Item comprehensio animæ immutabilis, Ratio vera in cogitatione immutabili.* Et Galenus in Isagogi in li. qui Introductorium vel medicus dicitur, scientiam dicit esse, cõuenientem, & nunquam à ratione declinantem cognitionem, quam vult neq; apud philosophos inueniri, præsertim dum rerum naturas perscrutantur, multo minus nec in re medica, imo nec ad homines quidem venisse, quę repetuntur ab eodem tomo 4 li 3. de pulsu. differ. in princ. Et rursum, Scientia, in Isagogi. lib. de definit. medic. est comprehensio certa & firma, nec à ratione decidua Item, scientia est, habitus qui opinionem præbet ex visionibus, non ratione deerrantem Et Hippocrates, lib. de lege, *Duo sunt*, inquit, *scientia, persuasione & opinio*, quorum altera scire facit, altera autem ignorare. Cicero circa finẽ libri primi Officiorum sapientiam, quam Græci σοφίαν dicunt, quam principem omnium virtutum dicit, & humanarum atque diuinarum rerum scientiam, in qua continetur Deorum & hominum communitas & societas inter ipsos. Scientiam à prudentia distinguit Aristoteles, libro primo Magnorum moralium cap. finali, quod scientia versetur circa id quod sub scientiam cadit, quod cum demonstratione aut ratione est explicatum. Prudentia autẽ circa ea quæ sub actionẽ cadunt, in quibus delectus cuitatioq;, & in nobis agere & non agere est. Quamobrem quia scientia est certorum, fortuito-

tuitorum, nullam esse scientiam scribit idem Aristotel. li. 1. Resolut. posterio. c 24. Hic tamen notandum est, eundem Aristotelem, lib. 13. Metaphys. c. fin. duplicem constituere scientiam, vnam quæ est in potentia, aliam actu sicut & in ipso scire, quoddam in potentia, quoddam in actu est. Potentia dicit scientiam indefinite, de vniuersalibus: actu, cum de particularibus, secutus hac in parte Platonem, qui eadem sentire videtur, in lib. 31. dial. 5. de rep. vel de iusto. Hebræi quendam circulum scientiarum vnica sententia exprimunt, vt legimus in li. eorũ qui scribitur פירקי אבות *pirke anot.* id est., in capitula patrum, cap 3. vbi Rabi Eliezer filius Gazariah, sic ait, אם אין תורה אין דרך ארץ; אם אין דרך ארץ אין תורה; אם אין חכמה אין יראה; אם אין יראה אין חכמה; אם אין דעת אין בינה אם אין בינה אין דעת *im ein thorah ein derech erets im ein derech eretz, ein thorah: im ein chocma ein ireah: im ein ireah, ein chocma: im ein dagnath ein binah: im ein binah, ein dagnath,* id est, *Vbi non est lex, ibi non est via terra,* (id est, politia, quam viam terræ dicunt) *Vbi non est timor, ibi non est sapientia: Vbi non est scientia, ibi non est intelligentia: Vbi non est intelligentia, ibi non est scientia.* Scientiam Iurisconsulti cum Aristotele dicunt, per causas cognitionem, ideo dum aliquid scire cupiunt, examinant non tantum nuda opera, sed tempus & causas, & voluntatem, & alias circunstantias, in can. occidit 23. quæst. 8. 2 part. Decret. Et de omnibus iubet Clemen. 111. Pontifex Max. examinari testes, qui ad scientiam rei eruendam alicuius exhibentur, in cap cum causam cap. 37. de testibus libr 2. Decret. tit. 20. Sumunt & probationem, scientiæ potissimum ab antiquorum momentorum probationibus, ex sensibus, vt quia audierunt, vel viderunt, vel audierint ab iis qui viderint, vt scribit Labeo, in l. si arbiter. l. 28. de probat. lib. 22 ff. tit. 1. quem citat. Paulus Iurisconsul. in l. in summa, l. 2. §. idem Labeo ait cum quæritur, de aqua pluuiarc lib 39 ff. titul. 3. Quanquam tamen in sensibus certior sit scientia, quæ ex visu habetur, quam quæ reliquis sensibus, ibi notat glos. vt non immerito infidelitas S. Thomę, de resurrectione Christi conuincatur ex visu, *quia vidisti,* inquit Deus, *me Thoma, credidisti,* &c. in Euang. D. Ioann. cap. 20. g. Et certior auditus tactu, vt Isaac deceptus tactu Iacob, cuius tamen vocem agnouit Genes. capit. 27. Certior autem auditu visus, vt testes de visu de-

su deponentes maximè probentur. vt notatur in §. si verò absunt, de hæredib. & falc in Authen. coll. 1. tit. 1. Et veritas magis oculata fide, quam per aures animis hominum infigitur, vt scribit Iustinian. in §. hactenus, de grad. cognat. libr. 3. Instit. titul. 6. Scientiam & cognitionem in vniuersum dupliciter consideramus: alia namq; constat ratione & visu: alia fide & testimonio. Quæ constat ratione & visu, inuenit, concipit, intellecta construit, & construictis vtitur: quæ verò fide & testimonio, non inuenit, sed concipit intellecta: non construit, sed construictis vtitur. Illa natura prior, certiorq; ue, scrupulosior tamen, quam, quia laboriosa, possident pauci. Hæc natura posterior, incertiorque, securior tamen, & quia facilior, pluribus inest. Prima scilicet, quæ sensu & ratione constat, demonstratiua largitur, facultas in philosophia nominata: secunda, legis allegoricum tribuit sensum, quæ Hebraicè Cabala dicitur, id est, receptio, quia aliunde fides recipitur. Et ita scribit Paulus Licius Israelita. li. de triplici doctrina ordi.

Prædestinationem esse scientiam Dei, probat finitio prædestinationis, de qua latè Magister sententiarum, & eius cõmentaria in lib. d. 40 a. *Prædestinatio*, inquit, *est gratiæ & gloriæ præparatio, cum præscientia*, Omnis namq; prædestinatio est præscientia Dei, non contra. Nam hæc est scientia Dei, quantum ad spirituales effectus, vt etiam reprobatio, quemadmodum scribit D. Augusti. li. de prædest. sancto. Sed latius explicata hæc se offerunt ex lectione. Differt autem præscientia à prædestinatione, quòd præscientiæ verbum suo significatu non importat voluntatis actum: sicuti hæc dictio prædestinatio, & quia videmus in nobis actum voluntatis sequi actum intellectus, & scientiam præcedere prouidentiam, sic dicimus præscientiam Dei præcedere prædestinationem. Quamobrem in prædestinatione includuntur præscientia & prouidentia, vt superiora, & electio, vt concomitans. Et consequentia, quæ sunt vocatio, iustificatio, & glorificatio, quæ ordinata se habent, sicut dicimus, præscientiam, prouidentiam, & prædestinationem. Vocatio autem est non quælibet, sed ea quæ secundum propositum voluntatis Dei ad Rom. 9. Nam non omnis vocatus electus est, multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 10. Iustificationem siue gratiæ collectionem, intelligimus, ex qua sequitur peccatorum remissio. Hinc posteà continuatio gratiæ, postmodum glorificatio, v.tæ

tio, vitæ æternæ collatio, quæ est terminus prædestinationis. In reprobatione autem non tot includuntur, sed præscientia simplex & absoluta, & prouidentia tanquam superior, postmodum permissio cadendi in peccatum, postremo deputatio ad pœnam æternam, quæ est reprobationis terminus. Notandum tamen prioritates has, de quibus mentionem habuimus & ordinem, minimè in Deo esse, sed secundum nos & secundum nostrum modum intelligendi: omnia enim Deus à sua & in sua æternitate, vnico actu semper, & eodem modo permanente præsciuit. Et quia præsciuit ab æterno quosdam angelos & homines non accepturos gratiam oblatam, ideo & damnationis pœnas pro reprobis posuit. Non tamen quia Deus præsciuit quosdam damnandos, ideo necessitate illius præscientiæ damnantur, sed ex suppositione, quia se à gratia subtrahere deberent, ideo præsciuit & ideo damnandi: sicuti non ideo Iudas se suspendit laqueo, & Dominum suum & nostrum prodidit, quia prophetizatum est, sed quia ita factum iri præuisum, prophetatum est. Est enim illa Dei præscientia prædestinationis bonorum & malorum, nihil adferens necessitatis iis, sed quia ipsi tales futurum est esse, ideo præsciuit. Nec hic loquimur de præscientia Dei, quæ præcedit ipsas res vt causa, nam illa adfert effectus necessitatem, vt quia Deus præsciuit fieri lucem, dixit & facta est, sed de illa quæ sequitur res ipsas, secundum quod iam habent esse creatum in semetipsis. Et hæc hactenus de præsciētia & prædestinatione, prout exigit cognitionis nostræ principiū, de quibus qui plenius scrutari velit, & superiora probata videre, cōsulat Viguerium in Institutio. theologi. cap. 2. tit. de mysterio incarnat. artic. 8. & sequentia, Catharinum Politum, libro de præscientia Dei per totum lib. & libr. 1. de eximia prædestin. Christi, & librum primum Magistri Sentent. dist. 40. cum scribentibus in eam, & D. Damascenum lib. 2. de Orth. fid. cap. 30.

## *De appetitu & voluntate.*

## CAP. XLIII.

ALiud nobis generale principium sese offert, quod videtur vsque adeo necessarium, vt illo non considerato, omnia velut cæca, & absque serie continuationis & perseuerationis breui tempore collapsura sint. Cum enim res o-

mnes quibusdam contrariis cõpositæ & tẽperatæ sint, quæ potius ad dissolutionem & interitum perducunt, operẽpretium fuit velut gluten quoddam, aliquid adhici, quo contrarietas illa à lapsu conseruaretur & perseuerantiæ & durationi iungeretur, quòve obnoxiis declinatis, ad ea quæ conducunt cuiusque rei naturã moueretur. Sic omne desiderium naturale, cum ad essentiam dirigatur, nunquam malum esse potest etsi alteri eo noceatur: sic quod lupus mortem ouis desideret natura, ouis lupi conspectum fugiat, quod ignis qui præualet, aquam exsiccet, aqua præualens ignem extinguat, accidit, desiderio conseruandæ speciei propriæ. Non enim odio ouis lupus eius necem desiderat, sed vt inde nutriatur & sui desiderio: quod in reliquis docere facile erit. Neque vllum mundi membrum, aliud natura propria odit, vt docuit Marsil. Ficinus commentario in Conuiuium Platonis Orat. 3. cap. 4. Et longe ante eum Diog. Laertius De vita Philosophorum libr. 7. in Zenone scribit ex Chrisippo, libro primo de Finibus, primum proprium cuique animanti sui ipsius fuisse commendationem, huiusque *συνείδησιν*, id est, cognitionem, neque fas fuisse animal quodcunque sibi alienum fuisse, neque sibi fuisse propinquum, quod in reliquis existimandum est. Hoc desiderium naturale, & interdum contra naturam, nominamus generali nomine latinè, appetitum, vel impetum naturalem. Græci nominant *ὄρεξιν*, sed melius *ὁρμὴν*. Hebræi.

chephetz thesuka thaeuah. Et Cicero 5. de Finibus scribit appetitum animi *ὁρμὴν* dictum fuisse à Græcis, eadem idẽ lib. 2 Officio. & alibi.

*Quid rei.*

Appetitus ità definietur, vt sit incitatio vel impetus quidam promanans à naturali facultate, cuius vi vel aliũde, vel à se, res ad aliquid excitatur. Et Arius in Enchiridio Epicteti capit. 5 scribit, *Memento appetitus esse promissionem, & assequaris quod appetis: declinationis autem promissionem, & in id non incidas quod declinas.* Per impetum *ὁρμὴν* significo: verum quid sit quod moueat ita naturam, ignorare nos ingenue fatemur, sicuti & Cicero lib. 5. de Finibus semper ignoratum fuisse tradit etiam à doctioribus philosophis, Christiana tamen veritate nouimus, illud esse, quicquid sit, à Deo opifice datum. Et illam Dei legem & prouidentiam, de qua Virgil.

*Mens*

*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:*
*Hinc pecudum volucrumq; genus, &c.*

Quod autem appetitus impellat, exemplo nostræ naturæ humanæ docet Cicero, lib. 1. of. *Cogitatio*, inquit, *in vero exquirendo maxime versatur. appetitus impellit ad agendum, curandum est igitur, vt cogitatione ad res quam optimas vtamur, appetitum rationi obedientem præbeamus.* His ferè similia D. Ambrosius scribit primo libro Offic. cap. 22. *Sunt gemini*, inquit, *motus animæ, cognitionis & appetitus: cogitatio exquirit, appetitus ad aliquid impellit agendum, vel incitat.* Et Nemesius episcopus & Philosophus libro περὶ φύσεως ἀνθρώπου 1. de Nat. hom. cap. 16. sic scribit ἀριστοτέλης δὲ καὶ μέρος εἶναί λέγει καὶ ἄλογον, καὶ διαιρεῖ εἰς δύο, ὡς ἔφαμεν. καλεῖ δὲ τῶν ζώων κοινῶς, καὶ ὀρεκτικόν: τοῦτο δέ ἐστιν καὶ ἡ καθ' ὁρμὴν κίνησις ἡ δὲ ὀρέξις κινήσεως ἐστὶ ἀρχὴ ὀρεκτὸν δὲ τὸ ζῶον ὅτι τῷ καθ' ὁρμὴν αὐτοῦ κίνησιν. 1. *Aristoteles irrationale, & partem esse dicit & facultatem: & diuidit in partes duas, vt diximus, quæ communi nomine appetitus nominantur. Ad quem pertinet etiam motus quo per se animalia sequendi aliquid, vel vitandi gratia incitantur: appetitus namq; est motus principium. Nam simul vt appetierint animalia, per se ad motum, persequendi causa feruntur.* Qui locus videtur translumptus ex libr. Aristotelis de communi animalium motione: *Animal*, inquit, *appetitio mouet, quæ ipsa etiam si moueatur, non tamen per locum mouetur.* Et posteà. *Animal enim motu agitur vel ingreditur, vel appetitione, vel optione, alteratione tamen aliqua facta per visum aut sensum. Quis intelligit, quodammodo in actionem nunc incumbit, nunc non incumbit, & mouetur, nunc non mouetur.* Docet & ibi mouere appetitum animal, & appetitum ab alio per sensum vel visum moueri. Forsan etiam Galenus idem voluit in Isagogi. & lib. de Finitio. medi. cum scribit appetitum esse desiderium & inquisitionem.

Quibusdam etiam placuit, appetitum duplicem actum habere, vnum immanentem, qui est alium appetere: alium transeuntem, qui est mouere, vt scribit etiam Aristotel. 3. de Anima cap. & idem lib. de Motio. communi animal. tuetur potentiam motiuam animalis esse appetitum, cui subscribit Galenus tomo 7. in commentar. in Aphorism.

Hippocr. lib. 6. Aphorif. 39 & li. 4. Aph. 15. motum muſculorum ex appetitu animali fieri. Eadem ſcribit alibi libro de Oſſib. cap. 1. & Lucretius id perſequitur, lib. 2 de rerum Natura, a verſu 261. incipiens:

*Nam dubio procul his rebus ſua cuiq; voluntas*
*Principium dat, & hinc motus per membra rigantur.*
*Nonne vides, etiam patefactis tempore puncto*
*Carceribus, non poſſe tamen prorumpere equorum*
*Vim cupidam, tam de ſubito quam mens avet ipſa.*
*Omnis enim totum per corpus materiai*
*Copia conquiri debet, concita per artus*
*Omnes, vt ſtudium mentis connexa ſequatur*
*Vt videas initium motus à corde creari,*
*Ex animiq; voluntate id procedere primum*
*Inde dari porrò per totum corpus & artus.*

Et paulò pòſt,

*Iam ne vides igitur, quanquam vis extima multas*
*Pellat, & invitos cogat procedere ſæpe,*
*Præcipitesq; rapit, tamen eſſe in pectore noſtro*
*Quiddam quod contra pugnare obſtareq; poſſit,*
*Cuius ad arbitrium quoq; copia materiai,*
*Cogitur interdum flecti per membra per artus,*
*Et projecta refrenatur retroq; reſidit.*
*Quare in ſeminibus idem quoq; fateare neceſſe eſt,*
*Eſſe aliam præter plagas & pondera cauſſam*
*Motibus unde hæc ollis innata poteſtas,*
*De nihilo quoniam fieri nil poſſe videmus.*

Et paulò pòſt,

*Id facit exiguum clinamen principiorum*
*Nec regione loci certa, nec tempore certo, &c.*

Libro 4. Syntaxeon cap. 6. iam diuiſionem & ſectionem dedimus appetitus: cuius ſumma capita paucis nunc explico. In primis Galenus tom. 1. lib. 4. de Hippocrat. & Plato. Decret. appetitum in irrationalem, & rationalem, diuidit, atque tribus è cauſis moueri ait, vel ab ira vel cupiditate, quæ irrationabilia vocat, vel à ratione, vnde voluntatem oriri ſcribit. Ariſtot. etiam lib. 1. Magno Moral appetitus tres ponit partes, cupiditatem, furorem, voluntatem. Alibi eadem refert lib. de communi animal. motio. & quod dixerat furorem, nominat iram: quia & ira furor breuis eſt: Ariſtot. lib. 1. Rhetori. ad Theodor. c. 10. & li. 3. de Anima c. 10.

diuidit

diuidit appetitus, in rationales & irrationales. Rationalem definiens, libr. de Natur. homin. cap. 15. & 16. voluntatem cum ratione, irrationalem iram & cupiditatem. Scribit eadem Nemesius.

Communis itaque appellatio appetitus est, rationalibus & irrationalibus. Sed in rationalibus dicitur, voluntas & propositum. Propositum porrò differt à volũtate. Quod voluntas est finis & quod desideramus vt volumus sani fieri, & immortales, & huiusmodi. Propositum autem tendit ad finem, vt deambulemus vt sani simus, neque omne quod volumus deligimus, quod autem proponimus eligimus. Et ideo quædam tenacior videtur voluntas, vt latè hæc discutit, & docet Aristoteles lib. 1. Magno. Moral. ca. 18. Ideo Græci propriè propositũ dicũt σκοπὸν & προαίρεσιν scopum definitum & electionem: intentionem nempe voluntatis. Et iurisconsulti propositum accipere videntur pro eo quod deliberate & ex animi consilio & determinatione est, non ita voluntatem simplicem existimantes. Propositum itaque in criminibus & delictis latronum, Marcellus Iurisconsultus, in l. respiciendum, l. 11. §. fin. de pœn. lib. 48. tit. 13. ex factione præcedente, id est, determinatione & scopo electo delinquendi constituit, intentionem dicere, forsan propositum possimus: sic ex voluntate oritur intentio, & electio propositi, per quam ad finem desideratum nempe peruenire nitimur. Ita enim differre puto voluntatem, intentionem, & finem. De quorum tamen differentiis tractatur melius in sacris sententiis patrum Petri Lombardi lib. 2. de distinct. 38. litera f. & g. & ibi per commentatores. Annotauit etiam Franciscus de Siluestris in commentariis ad cap. 26 lib. 3. diui Thom. Summæ contra gentiles voluntati inesse, vt sit appetitus, quo cum aliis conueniat, sed proprium habere, vt consequatur intellectum, in quo ab aliarum rerum appetitu differt. Nam appetitus naturalis, formam naturalem consequitur, sic sensitiuus sensitiuam, intellectualis per consequens intellectualem, qui voluntas dicitur. Quamobrem & diuus Athanasius lib. de diffinitionibus definit voluntatem: *Voluntas*, inquit, *est intelligentis & rationalis substantia appetitus, ad id quod animum suauiter afficit. Nam quicquid intelligit, constat id voluntate duci.* sic θέλημα Græcis, ex θέλω λέων, à valde currendo, vel à θίλη τῦ λήμμα, ab apprehendendo, quod approbat, eique placet. & Marsilius Ficinus in argumento in

Menonem Platonis, sic describit vires appetitiuæ animæ: voluntatis, inquit actus est, appetere quæ mes & ratio porrigit: irascibilis, aggredi quæ ratio & phantasia proponit: concupiscibilis actus, adsciscere, quæ phantasia sensusque obiiciunt. Speusippus etiam, lib. de finit. Plat. *Voluntas est appetitus, secundum rationem rectam affectus rationalis affectus cum ratione, secundum naturam tendens.* Sic Damascenus li. 2. de Orthodo. fide c. 22. etiam definit τὸ θελημα. At voluntatem Stoici, quam vocant βουλησιν, quamq; putant in solo esse sapiente, sic definiunt teste Cicerone, lib. 4. Tusculan. quæstion. *Voluntas est, qua quid cum ratione desiderat. Quæ autem aduersus rationem incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus stultis inuenitur.* Diuus autem Augustinus, lib. 1. retractatio. & in can. 1. 15. q. 1 in Decret. Grat. 2. part. dicit voluntatem, esse animi motum ad aliquid imitandum, vel non imitandum, vel adipiscendum. Damascenus etiam De duab. Christi voluntatibus vtramq; approbat: & addit, *Voluntatem esse liberum animi & mentis imperantis motum.* Quamobrem dicemus appetitum intellectiuum, vel rationalem, esse inclinationem sequentem apprehensionem seu iudicium intellectus: fidem & eius rei facit locus vbi constituunt antiqui potissimam rationis & mentis sedem, nempe caput, in cuius cerebro etiam sedem posuerunt voluntatis, sicuti & Galenus, lib. De offib. c. 2. vnum esse genus neruorum dicit, quod ex cerebro, dorsiue medulla nascantur, qui voluntarij motus authores, vel potius instrumenta dicuntur, quanquam & alij constituant sedem in corde. Et D. Bernardus, lib. de Interiori domo c. 8. *Voluntas*, inquit, *hominis, nihil aliud est, quam proles mentis.*

Obiectum appetitus, voluntatis, vel sensus, est bonum vel malum, vt ait D. Thomas, prima quæstion. 20. articul. 1. Sed diuersimodè. Bonum enim, obiectum principalius & per se: malum autem secundario & per aliud, in quantum dependet & opponitur bono. Eadem est enim potentia oppositorum, sicut visus, visibilis, & non visibilis: auditus, audibile & non audibile, vt etiam scribit Aristotel. 2. de Anima, sed vnius per se, alterius per accidens. Scribit & idem D. Thomas, libr. 1. contra Gentes cap. 90. bonum & malum apprehensum esse obiectum appetitus intellectiui simpliciter, essecq; secundum volũtatem sensitiuũ autem secundum sensum. Cęterũ notandũ erit in homine,

duas

duas esse quæ ad hanc rem pertineant facultates, naturalem, animale. vel sensualem, nempe iram & concupiscentiam reperiri cum rationali. Cæterùm voluntas quæ est motus rationalis sensui præsidens & appetitui, habet quocunque se vertere voluerit, rationem comitem quodammodo pedissequam, non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque moueatur: ita vt nulla faciat per ipsam contra ipsam, hoc est, quasi per eius ministerium, contra eius consilium seu iudicium. Est autem data ratio voluntati vt instruat, non vt destruat, vt scribit D. Bernardus Tract. de gratia & lib. arbit. Sed audiamus etiam hac de re plenius disputantem D. Ambrosium lib. 1. de Vocatio. Gentil. ca. 2. his verbis, *Omnis anima humana voluntas qualiscunque datur; qua vel appetitur quod placet, vel declinatur quod displicet.* Motus huic voluntati ex prima præuaricatione priorum parentum est infirmus. Atque voluntatis duo sunt genera naturaliter. Nam voluntas vel sensualis seu animalis, vel rationalis est: sed cum adest gratia Dei, accedit tertium genus, vt alia sit spiritualis, quæ motu suo supernæ rationis lege diiudicat omnes affectus vndecumque nascentes. Sensualis voluntas, quæ & carnalis (hoc est, quæ appetitum carnis sequitur) non erigitur supra eum impium, qui de corporis sensibus nascitur, qualis est, in animis paruulorum, qui licet adhuc nulla ratione vtantur, ostendunt tamen se aliquid velle vel nolle, cum videndo, odorando, gustando, sentiendo, & ea quibus delectantur amant, & quibus offenduntur, oderunt, amare autem velle est, odisse, nolle. Habent igitur illi voluntatem, sed non rationalem, & quandiu homini ea placent quæ Deo displicent, illa voluntas est animalis, quia etiam si in bonis moribus viuat, tamen Deo non viuit sed sibi. Notandum etiam est, voluntatem hominis mutabilem esse, quandiu in hoc corpore versatur vicissitudini obnoxio: quia voluntatis actus est inter potentiam & obiectum. Quamobrem immutatio voluntatis potest intelligi per modum affectus, vel ex parte voluntatis, vel ex parte obiecti. Ex parte voluntatis, illud mutare potest voluntatem, quod illam operatur, intra ipsam, actum voluntatis causando: ex parte autem obiecti cum obiectum mouet voluntatem extrinsecè mouens voluntatem indirectè. Et hoc annotauit D. Thomas, in quæst. de veritate 22. artic. 9. Quod tamen annotandum dixi, eatenus verum, quandiu homo viuit in hoc præsentis vitæ

curriculo corruptioni, & mutationi obnoxius. Nam vt doctè probat idem diuus D. Thomas libr. 4. Summæ contra gentiles cap. 92. piorum & sanctorum animæ, post mortem mutare voluntatem nequeunt à bona in malum. Docet & cap. 93. eius libri, nec damnatorum animas mutare posse voluntatem à malo in bonum. Et c. 94. pariter immutabilem voluntatem earum quæ in igne purgatorio ad scelerum & macularum expiationem torquêtur. Deinceps c. 95. generaliter docet, omnibus animabus separatis à corpore, immobilem remanere voluntatem, & eius statum in quo reperte sunt, dum separatæ ab ergastulo corporis fuerunt. Quapropter nostri Iurisconsulti mutationem voluntatis extendunt, vt sit ambulatoria vsq; ad mortem. Vlpian. in l. 4. de adimend. legat. libr. 34. ff. tit. 4. & in l. fideicommissa. l. 11. §. si fideicommissum, de legat. 3. lib. 32. ff. tit. 1. cum similibus ibi à glo nota. Et ideo Constantinus Cesar in l. 1. de Sacrosanct. Eccles. li. 1. C. tit. 5. scribit homines post supremum vitæ diem, aliud velle non habere: neque quod in vita licitum est, post mortem redire arbitrium. Idq; docet pluribus Thomas argumentis, quorum quædam subiicio, quia hoc dignum cognitu videatur.

Quandiu anima mutate voluntatem potest, est in statu militiæ & pugnæ, vt bonum persequatur: malum autem declinet, vel vt enitatur ab eo liberari. Porrò dum à corpore soluta est anima, non eo statu pugnæ insistit, sed recipere parata est, prout gessit vel præmium vel pœnam: frustra igitur mutationem post mortem experiretur voluntatis.

Præmium vel visio Dei bonis, item peccatoribus pœna: perpetuò durabit & perseuerabit: non poterit igitur malis in bonum à malo mutari, nec bonis à bono in malum. Nã sequeretur, & mutari pœnam, & præmium, nec fore perpetua.

Creatura quæ in hac via vitæ ad fœlicitatem desiderat esse beata, dum fœlicitatem adepta est, non potest non velle esse beata. Præterea quia illa sibi sufficit, nihil aliud quærit, vel vult: est igitur voluntas immutabilis.

Malum committitur errore, dum quis illud bonum putat. Cæterum fœlix non potest errare, quia dum veritatis ipsius intuitu & fruitione fœlix sit, Dei inquam, quid erroris potest in illum cadere? ergo nec in malum mutari voluntas.

Quod mouetur ab altero in aliud, id accidit ob non conse-

consecutum finem, ad quem properat: sed anima cùm separatur, attigit finem suum: ergo non ampliùs mouetur.

Mala voluntas non potest mutari in bonum, nisi gratia Dei: at damnati omnino à gratia Dei excluduntur: ergo immutabiles.

Quamobrem quia boni, bono fini, *Deo* inquam inhæserunt, & tales moriendo reperti sunt, nam & mali malo, quia talia elegerunt, in tali statu permanent. Et quia animæ eorum, qui purgationi demandatæ sunt, similes sunt beatis, nisi quia nondum perfectè eluerunt contractas maculas, electione tamen boni statu simili compertæ in solutione animæ, immutabiles in bono remanent, quo tamen non fruuntur, donec æui & maculæ supplicio vel pœna temporaria, quamdiu & vbi Deo placuerit, ex eiusdem præscripto puritati condignæ restituantur. Concludimus igitur eandem voluntatem siue bonam, siue malam animabus immutabilem remanere, quam secum à momento solutionis habuerunt, & malis illam malam voluntatem semper pro supplicio & pœna adfuturam & cumulandam illis in pœnam, sicut & bonis erit ad perfectionem gloriæ: & hæc materia tractatur latiùs à Magistro Sententiarum, lib. 4 50. distinct. articul. 1. & ibi per omnes interpretes eius fusiùs, quos qui plura voluerit videre, poterit consulere.

Cæterùm considerandum est, aliquo modo bonam voluntatem considerari in damnatis & dæmonibus, in quãtum ea naturalis. Siquidem Theologi duobus modis considerant voluntatem, nempe naturalem & deliberatiuam, & vtraque secundùm diuum Thom. in 4 Sentent distinct. 50. quæst. 2. art. 1. quæst. 1. in damnatis consideratur. Naturalis quæ bona in eis esse potest, secundùm speciem actu aliquo modo. Sed voluntas deliberatiua in eis esse bona non potest. Atque voluntas naturalis semper bona est, quamobrem & de hac voluntate naturali recipiuntur rationes Scoti in 2. secundæ, distinctio. 7. quibus probat damnatos & dæmones posse bona velle, quia secundùm pura naturalia possunt quidem bona velle, sed naturalis inclinatio eorum corrumpitur per malitiam: quia bonum quidem desiderant, sed cum quibusdam malis circumstantiis appetunt, & bono actu abuntur in malum, vt scribit D. Thomas in 1. quæstio. 64. art 2 ad Quintum.

Angelica voluntas, est potentia naturalis ab essentia angeli fluens, qua inclinatur ad bonum prosequendum, & ad malum fugiendum, prout eidem per eius intellectum proponitur, vt scribit D. Thomas 1. part. quæst. 59 Et hæc voluntas est ei concreta vel creata, non subsistens, sed accidens. Vnde & notandum, quòd intellectus & voluntas angeli quæ illi insunt, non sunt substantia angeli, in Deo contrà. Dei voluntas summa lux dicta est à Cicerone lib 2. de legib. in Deo voluntas & velle, idem est, quod esse Dei: cùm enim nihil sit in Deo, quod non sit Deus, quia accidentia non patitur, sed omnia in eo substantialia sunt, quæ ei insunt, voluntas eius non erit motus vel affectus, sed diuina substantia. Ideoque & vna, & inuincibilis & omnipotens: nam omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra, Psal. 113. nec voluntati eius resistere quis potest, diuus Paulus ad Roman. cap. 9. & Genes cap. fin. c. vers. 19. Sic omnes Theologi resoluunt voluntatem beneplaciti Dei esse immutabilem: præcipuè D. Thomas in 1. parte summæ quæstio. 19. art. 7. Scotus in 1. distinct. 46. Alexander de Ales in tertio par. summæ tract. de lege æterna quæst. 5. D. Bonauentura in 1. distinct quæst. 46. Nam hæc voluntas Dei vocatur apud eosdem beneplacitum, siue dispositio Dei, & propriè voluntas eius, & essentia Dei. Cæterùm non ideo existimandum est, omne quodcunque velit Deus, esse essentiam eius: sicut, quanquam Deus sciat omnia, & scientia sua sit essentia sua: non ideo tamen est omnia quæ sit. Aliud est enim voluntas, aliud quod volitũ est, sicuti aliud scientia, aliud quod scitur. Rursus sciendum est, hanc voluntatem quæ beneplaciti dicitur, dici absolutam Dei voluntatem. Aliam autem conditionatam. Neque hic quoq; intelligendum est, in Deo, qui vnus est & immutabilis impartibilisque, ideo esse duas voluntates constat, vnica namq; illi ineſt, sed quod illa interdum absolutè & propriè accipiatur, & interdum ratione affectuum diuersorum, diuersa nomina accipiat, dum illa voluntas nobis manifestatur, & proponitur conditionabiliter, si velimus quæ Deus nobis proponit sequi. Hinc præceptum, consilium, prohibitio, permissio, & operatio.

Neque existimandum est ea omnia quæ vult ita per hæc signa suæ voluntatis (vnde dicitur voluntas signi) eum velle absolutè perfici: sed ad alia quàm ad implementum eius quæ sonare videntur ob imbecillitatem nostræ humanæ compre-

comprehensionis referri, veluti iussit Deus Abrahæ, vt filiũ suum immolaret, vt non mactaret, sed vt fidem eius probaret Genes. cap. 22. Erat illa voluntas conditionata, sed non conditionaliter expressa in iussione, sed in mente diuina, quæ non omnia nobis patefacit. Sic Dominus Deus Iesus Christus Mar. 1. phibuit sanato ne cui diceret, prædicauit tamen is beneficium receptum, nec improbat Deus. Nam illud præceptum aliò tendebat, vt daretur exemplum declinandi humanã laudem. Vult etiã Deus omnes homines saluos fieri, vt scribit D. Paulus, primo ad Timotheum cap. 2. vult, scilicet, per media legitima, & si illi amplectantur ea, per quæ saluamur. Nam impios non vult vbiq; saluari, nisi resipiscant. Nam contra Dei essentiã & puritatem esset, contra iustitiã, immundos & minimè purgatos & qui respuunt & contemnunt gratiã Dei, saluari. ideoque conditionaliter vult, modo accommodato, vt tractant scholastici Theologi in 1. Sententiar distinct. 45. 546. videlicet Nicolaus Liranus super epistol. ad Rom. 5. cap. Beatus Thomas in 1. parte summæ quæst. 19. Ricardus in 1. dist. 46 & ibi D. Bonauentura art. 1. quæst. 1. diuus Augustinus in Enchirid. ad Laurent. cap. 103. & 104. Sic & intelliguntur loca illa scripturæ, Matthæi 23. & Lucæ 19. *Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos & noluisti.* Et alibi: *Si voluerit mandata mea seruare, &c.* Et Iurisconsulti etiam vocationem generalem ad ordines dignitatum intelligunt semper ex rei natura conditione illa seruata, si idonei, & si se capaces eorum reddiderint, in l. vt gradatim, de muneribus li. 50. in π. Hinc cõsequitur illa distinctio nostræ diuisionis ex Quinto Septimio Tertulliano libr. de exhortatio. castitatis, qui dupliciter voluntatem considerat. Nempe permissiuè vt pote ex alia causa pendentem, & absolutam Quod & scribit D. Ioannes Damascenus lib. 2 de Ortho. fid. cap fin. Differentiam autem inter voluntatem Dei & hominis, ex pluribus vnam annotato ex diuo Thoma libr. 1. cont. Gent. cap. 32. Aliter inquit dicitur voluntas nostra, nempe ad vtrumlibet, aliter voluntas diuina. Nam voluntas nostra ad vtrumlibet se habet respectu aliquorum, & quia ad illam necessariam habitudinem non habet quod sit in potentia ad volendum vtrumlibet oppositorum, aliquando neutrum illorum actu volens: voluntas autem Dei ad vtrumlibet se habet, ratione primi tantùm, quia videlicet necessariam habitudinem habet, seu ea quæ vult, & semper est actu. Aliã ponit

D. Da-

D. Damascenus libr. 2. de Orthod. fide cap. 22. ὅτι δὴ ἡμῶν βούλησιν μὲν λέγομεν, προαίρεσιν δὲ κυρίως οὐκ λέγομεν: ἐπὶ μὲν βουλεύεται ὁ θεὸς. ἀγνοίας μὲν ἐστι τὸ βουλεύεσθαι. περὶ δὲ ἃ γινώσκομεν ἅπαντες βουλεύεται: οὐδὲ βουλὴ ἀγνοίας, πάντως καὶ ἡ προαίρεσις: ὁ δὲ θεὸς πάντα εἰδὼς ἁπλῶς. id est, *Quod in Deo voluntatem quidem propriè esse dicimus, electionem autem non dicimus. Nō enim consultat Deus Ignorantia enim, est consultare. De eo autem quod cognoscitur, consultat nemo: si autem consilium ob ignorantiam est, omnino & electio. Deus autem simpliciter omnia sciens, profectò non consultat.* Notandum tamen ne quis decipiatur in Christo Domino nostro, cùm is sit perfectus Deus, perfectus homo, homo, ex duabus naturis, diuina & humana constans, inesse & considerari etiam duas voluntates: vnam diuinam, alteram humanam, non tamen coinquinatam peccatorum sordibus, vt in nobis. Qui in re lapsi sunt Monothelitæ dicti hæretici, qui vnicam tantùm posuerunt voluntatem in Deo Christo. Quæ hæresis cœpit à Georgio quodam patriarcha Constantinopolitano, Machario, Paulo & Pyrrho. Confutata & subuerſa Synodo coacta à Constantino centum quinquaginta Episcoporum sub Agathone Papa & damnata, vt scribit P. Diaconus li. 6. de gest. Longobardorum. Hunc Georgium vocat Sergium Damascenus in lib. de hæresib. quem confirmatorem hæresis illius dicit, inuentorem autem Cyrum Alexandrinū. Scripsit & D. Damascenus eximium tractatum, vbi errores improbat, cui titulus de duabus Christi voluntatibus, & in lib. 2. de Orthodoxa fid. cap. 22 demonstrat in Deo Christo, quia duæ naturæ differentes sunt, & esse duas voluntates. Porrò quia vna est hypostasis vnaque persona, non est nisi vnum volens, vna voluntas, vnum voluntate eius affectatum, vnaque sententia, humana scilicet ipsius sequente diuinam voluntatem, & eadem volente, quæ diuina voluntas ipsius vult ipsam velle, docet etiam latiùs idem Damascenus lib. 3. de Orthod. fid. toto ca. 3. Et vtramque voluntatem se habere Deus Dominus noster Iesus Christus expressit Matth. 27. dum dixit patri, de calice suæ pretiosissimæ passionis, *veruntamen non sicut ego volo*, vt homo, *sed sicut tu vis fiat*, Lucæ 22 *& Pater, non mea, sed tua voluntas fiat.*

Fuit & alia hac in parte hæresis Euticis & sequacium, qui terrenam

terium quiddam mixtum dicebant in Christo, & vnicam tantùm esse naturam, & vnicam voluntatem, vt refert & late improbat *D. Damascenus li 3. de Orthodoxa fide cap 3.* & *lib de hæresib* & *D Augustinus in simili lib. de hæresib.* Ad quod vult *Deum*. Et diuus Paulus vtramque separatim naturam in Christo esse, nempe & diuinam & humanam, docet ad Philippen. cap. 2. *Cùm in forma*, inquit, *Dei esset, formam serui assumpsit*. Et D Vigilius Episcopus Tridentinus lib. 1. contra Eutichum, scribit Nestorii errorem fuisse, extitisse duos Christos, vnum verum Deum, alterum verũ hominem. Et alibi lib. 2. scribit, Eutichum & duos Apollinarios in Christo vnam tantùm arbitratos naturam: Manichæum autem dum solùm ad miracula Christi respexit, noluisse eum hominem fuisse, confiteri. Cui contrarius Fotinus alius hæreticus, dum nimium in eo corporis nostri naturam considerat, Deum Christum fuisse impiissimè negauit: vterque sic errans, ille vt seminet virtutes, hic vt virtutes repleat: ille deitatis, iste humanitatis præconia allegat: illum maiestas nominis ab humanitatis professione reuocat: istum humilitas, inuidias quas Deo cernit indignas, in hominis tantùm confessionem retractat: illum miracula auocant, istum passiones retardant. Lapsi vtrique, quia vt diximus in vna hypostasi Christus verus *Deus* & homo est. Sed de his hactenus.

Sequitur pauca dicamus de appetitu naturali. Appetitus naturalis, vt scribitur à *D.* Thoma 1.part quæst.60. art.1. dupliciter sumitur. Primò, vt distinguitur ab appetitu sequente cognitionem: alio modo, vt distinguitur ab appetitu libero. Primus modus ordinat naturæ ordinem ad aliquid, neque aliud exprimit, quàm rei formam cum habitudine naturali, ad aliquod: veluti appetitus rei grauis ad locum deorsum, nihil aliud est quàm forma grauitatis, cũ habitudine ad locum deorsum, & se habet tanquam actus primus Hoc modo quælibet potentia appetit sibi conueniens, vt idem in 1. quæstione 78. art. 1. & 3. Thomas scribit. Secundo modo appetitus est actus elicitus sequens cognitionem, ita tamen ad vnum oppositorum determinatus, vt ad alterum flecti non possit, sicut omnes naturaliter appetunt beatitudinem actu elicito à voluntate sequente beatitudinis apprehensionem. Sed de primo agamus naturali appetitu, quem dicimus communem esse & animatis & inani-

inanimatis. Quia vt diximus in principio finitionis appetitus, appetitus est initium motus.

Porrò rebus omnibus motus quidam naturalis inest proprius, & per consequens appetitus. Sic terra & omne graue natura mouetur deorsum: omne autem leue, sursum, mouetur ferrum ad magnetem, nisi oleo oblitus sit: Paleæ ac festucæ trahuntur à succino, gagate, adamante, quæ omnia ferè genera festucarũ attrahunt, dempto ocynio, quod basilicum dicunt, vt scribit Leuinus Lemnius libr. 4. de occult. natu. miracul. cap. 10. Scribit eadem de vna specie magnetis & ferri attractione Plinius libro 36. cap. 16. vbi agit de quinque speciebus magnetis. Et libro 37. cap. 3. de Succino & magnete sic scribit. Cæterum attritu digitorum, accepta caloris anima trahunt in se paleas, ac folia arida, ac phylira, id est, tenues arborum inter cortices membranulas, vt magnes lapis, ferrum. Est & appetitus, & desiderium quoddam etiam venereum inter plantas, sicuti in palmis elucet: fœmina namque ad maris veluti osculum se inclinat, & appetitu tactus sanata, vegetior euadit, vt ait Leontinus Græcus author ex Georgicis Florentini, & Geoponicis Magonis Carthaginiensis & Mazaldis libro secundo Arcanorum Naturalium, & Theophrastus libro secundo de historia Plantarum capite nono, *Palmis*, inquit, *auxilium masculorum coitus refert, hoc enim, & perdurare & matureſcere fructus potest.* Scribit & Plinius lib. 3. cap. 4.

Sunt & aliæ, quanquam diuersi generis plantæ, quæ se inuicem appetunt, & felicius sociatæ, crescunt. Mixtio tamen plantarum in dispositione quadam est quod forsan explicare voluerunt Anaxagoras, & Empedocles, qui desiderio plantas duci aiunt, sentire item, ac tristitia voluptateque affici. Et Anaxagoras animalia ipsa esse, & voluptate & dolore moueri docuit, ex foliorum scilicet defluuio, & ex incremento illud colligens.

Et Empedocles sexum illis inesse arbitratus est, quæ tamen improbat Aristoteles, docetque nec sentire nec animalia esse, etsi vitam illis concedat & desiderium naturale sine sensu. Verùm qui inserunt, norunt surculos in aliquibus arboribus insertos, fœlicius crescere quàm in aliis, & delectum habent. Sunt etiam quæ solum diuersum, pro natura diuersa appetunt, vt fœcundè & fœliciùs crescant.

Montes

Montes amant arbores, cedrus, larix, tæda, & è quibus resina funditur, item aquifolia, buxus, ilex, iuniperus, terebinthus, tilia, cornus, ornus, populus, carpinus. Inter herbas veratrum gaudet asperis montibus, & polemonya. Mõtes & valles amant arbores abies robur, castaneæ, tilia, ilex, cornus. Inter herbas helenium gaudet siticulosis locis, tilia asperis, liguſticum altissimo, cuminum sylvestribus, trifago petrosis, lithospernon eminentibus, alysson montanis gracilibus, smyrnion saxosis & angulis, lonchilis, asperis & attientibus, phyllitis opacis & hortis, viola opacis & asperis. Aquosa appetunt inter arbores acer, fraxinus, sorbus, tilia, ceratus, tantùm in aquosis salices, alni, populi, filer, liguſtia. Ex herbis paludes amant & humida, plantago ranunculus, lauer, qui riuorum innatat aquis, cardaminacum sion, heliselinon, sphondilion, syſimachia, atisma, chelidonium minus, nimphæa, malobathrum, oryza, hipolopatum, & huiusmodi, vicinitatem maris etiam appetunt helenium, ægyptum, critanum, corniculatum papauer, solanum, doryonion, tripolium, glaux, & huiusmodi. Descendunt in plana, & ea appetunt etiam, cornus, corylus, quercus, ornus, acer, fraxinus, fagus, carpinus. Gaudet frigidis: sorbus, vetula. Aquas odere, cupressi, iuglandes, barba Iouis. Et sic de reliquis dicendum, de quibus tractat Theophrastus, Dioscorides, Plinius, Ruellius Manardus, Constantinus, Fuchsius, Amatus, & reliqui istius naturæ plantarum indagatores. Et Proclus libro de Sacrific. & magia appetitum quendam inferiorum ad superiora esse scribit naturaliter. Vnde putamus, inquit, plantas illas quas heliotropias nominant, id est, solisequas, ad Solis motum, Solem verius moueri: sed selinotropias, id est, limisequas ad Lunam verti: nempe cuncta precantur, hymnosque concinunt ad ordinis sui duces: sed alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia naturali, alia vero sensibili modo. Addit in cœlo plantas omnes, & lapides, & animalia pro cœlesti natura, vitam habere intellectualem, sicuti in terra licet aspicere Solem & Lunam, sed pro qualitate terrena. Quæ quidem veteres contemplati, alia cœlestium, alia terrenorum in magia inquit, adhibuerunt, ob cognationem quandam & occultam in rebus naturalibus inter se, & compassionem aliorum ad alia, & agnouerunt in infimis suprema, & in supremis infima, in cœlo quidem terrena secundùm

cundùm causam modoque cœlesti, in terra verò cœlestia, sed modo terreno. Atque virtutes cœlestes in inferioribus, ob quandam similitudinem agere, quia similitudo ipsa sufficiens causa est, ad res singulas inuicem vinciendas. Veluti si quis canabim vel papyrum calefaciat, deinde proximè admoueat lucernæ. Ea enim ex siccitate contracta etiam si ignem non contingant subitò non tactum contrahunt, similitudine siccitatis ignem.

Dehinc lotus, appetere videtur Solem, & ideo folia ante Solis exortum implicata, paulatim in oriente explicat, & in Meridie omnia pandit: & dum iterum Sol petit occasum, paulatim pro recessu contrahit. Lapis Selenitus, id est, lunaris, figura Lunæ corniculari similis, quadam sui mutatione, lunarem sequitur motum. Lapis heliosselenus, id est, solaris lunarisque, imitatur quodammodo congressum Solis & Lunæ, figuratque colore. Gallus solem appetit manifestumque, quòd surgenti soli quasi quibusdam hymnis applaudit, hæc Proclus, vbi suprà.

Quinetiam, vt scribit Manilius,

*--- propriis inter se legibus astra*
*Conuentunt, & certa gerunt commercia rerum,*
*Inque vicem præstant visus, ac auribus hærent,*
*Aut odium fœdusque gerunt, conuersaque quædam*
*In semet proprio ducuntur plena furore.*

Et erraticæ stellæ in cuspidibus cœli, vel partibus angularibus, quas vocant κεντρικὰς maximas sibi vires parant, sed & in quibusdam locis quæ appetunt, veluti reges in propriis solijs, maiores vires exerunt. Sic Sol ex duodecim locis, vel domibus, vt vocant, cœli, nono peculiariter gaudet, Luna octauo, Iupiter vndecimo, Venus quinto, Mars sexto, Saturnus duodecimo. Gaudent & quibusdam coniunctionibus & oppositionibus, de quibus tractant Astrologi, & Schonnerus in sua Isagog. Astrol. par. 2. & Iouianus Pontanus lib. 2. de reb. cœlest. potissimùm c. 5. & aliis Ptolem. & alij, dicuntque amicum Saturnum esse Iouis, Solis Lunæ, inimicum Martis, sed magis Veneris. Iouem omnibus planetis amicum, præterquam Marti. Sic dicitur amicus Mars Veneri solùm, aliis omnibus, inimicus, Sol amicus Iouis & Veneris, inimicus Marti, Mercurio & Lunæ. Venus omnibus amica, præterquam Saturno. Sic dicitur inimicus Martis, Solis, Lunæ, amicus autem Saturni, Iouis, Veneris. & Luna amica Ioui, Saturno, Veneri, inimica Marti,

Marti, Mercurio, Sic dicunt capiti Draconis inimicum Saturnum, Martem, amicos Iouem, Venerem: caudæ amicum, Saturnum, Martem inimicum Iouem, Solem, Venerem Lunam. Sunt & aliter constituti amici vel inimici ratione concordantiæ, vel differentiæ substantiæ & qualitatis, vel oppositionis, vel exaltationis, quæ tradit Schonnerus 2. par. Isag. Astrol. ca. 35. in vniuersum litem & amicitiam omnium causam dixit ex elementis Empedocles. Et extant apud Diog. in Laertium lib. 8 in vita Emped. carmina eius de re,

Ζεὺς ἄργης ἠπητε Φερέσβιος, ἠδ' ἀίδωνεύς
Νῆστις θ' ἡ δακρύοις ὁπικροῖ βρότεον
ἄλοτε μὲν φιλότητι, συνερχόμεν' εἰς ἓν, ἅπαντα
ἄλοτε δ' ἂν δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.

id est,

*Iupiter albus*, i, ignis, *& alma soror Iuno*, id est, terra,
*Aegq; potens dis aidoneus*, i, aër. *& nestis*, i, aqua.
*Lachrymis hominum qua lumina complet,*
*Hac nonnunquam connectit amor simul omnia, rursus*
*Nonnunquam seiuncta iubet contentio ferri.*

## *De abaco appetitus, & eius explicationes.*

## CAP. XLIV.

*Synopsis eorum, quæ appetitum referunt, &c.*

| | *his repugnant.* |
|---|---|
| Amor. | Odium. |
| Amicitia. | Inimicitia. |
| Audacia. | Timor, metus, pauor. |
| Beneuolentia. | Maleuolentia. |
| Concupiscentia. | Nihil concupiscens. |
| Consuetudo. | *De*suetudo. |
| Cupiditas. | Nihil cupiens. |
| *De*siderium. | Nullum desiderium. |
| Dilectio. | Odium. |
| Gaudium. | Tristitia. |
| Interpretatio. | Dubium. |
| Libertas. | Seruitus. |
| Lex. | Sine lege, incertum. |
| Liberum arbitrium. | Coactio. |

| | |
|---|---|
| Licentia. | Nullus appetitus. |
| Permissio. | Prohibitio. |
| Spes. | Desperatio. |
| Voluntas. | Nolle. |

Huius Synopsis partem aliquam explicabimus vt ex illis reliqua faciliora sint: ac primùm de Amore quædam tractare perutile, perneceſſarium mihi visum est Amorem itaque antiqui, purum & impurum dixerunt, honestum & castum, & impudicum. Sic autem amicitiam Romani pinxerunt, teste Paulo Fagio in comment cap 5. capitul. patrum Hebr. Iuuenem forma, aperto capite, tunica rudi indutum, in cuius fimbria scriptū erat, MORS ET VITA, In fronte ÆSTAS ET LVCTVS, Latere aperto vsque ad cor, brachio inclinato & digito cor ostendente, ibique scriptum erat, LONGE ET PROPE Forma iuuenilis indicat amicitiam semper recentem, nulla temporis diuturnitate tepescentem: nudum caput omnibus pateat, quia amicus nullo vnquam tempore amicum suum publicè profiteri erubescit, vel vt ego existimo, significat nuda omnia, & saltem capitalia & præcipua communia esse inter amicos & sine simulatione: rude indumentum significat amicum nulla ardua nec inopiam ipsam ob amicum, recusare debere: vel vt melius existimo amicum non rerum extranearum gratia, vel ob cultum vel ornatum, sed ob ipsum eligi & fieri. In fimbriis vita & mors inscripta significant mortem etiam pro amico oppetendam. Sed melius amicitiam & in vita, & post mortem perseuerare, Æstas & hyems in prosperis & aduersis amicitiā durare. Latus apertum vsq; ad cor, nihil amico celandum vel melius corde ipso, nō verbis amandum Brachium & digitus ad cor inclinatur, in symbolum, quod factum cordi respondere debeat, & cor verbis. Longè & propè significat amicitiam locorum interstitiis & intercapedine non minui.

Et hæc veræ amicitiæ pictura est. Nam dè impura amicitia alia, & duplex pictura fertur à Philostrato libro de Imaginib. 1. vna quæ Comi est dæmonis incentiui amorū impudicorum, vnde κωμάζειν: alia cupidinis. Priori dantur & iuueniles anni, facies, mollities, præ vino rubor, & præ ebrietate somnus, venabulum, impuritatum appetitus, brutum omnino, oblitum virum, signantes. Cupidini cæcitas, arcus, pharetra, pueritia sine ratione, faces pennatæ, & molles affectiones & irrationales, à quib. immunem & cupidi-

pidinis victricem Mineruam, 1. scientiam & prudentiam scribit Lucianus in Cupidinis dialog.

Amor, est primus motus partis concupiscibilis, ex quo manant & surgunt, veluti ex fundamento omnes actus & passiones, & ex quo si præsens sit obiectum, sequitur delectatio & gaudium, si absens, desiderium. Diffinit amorem Viguierius lib. Institution. Theolog. cap. 1. §. 10. art. 2. vt sit quædam complacentia vel consonantia in bono sensibili, delectabili, simpliciter seu communiter apprehenso, id est, absque consideratione difficultatis præsentiæ vel absentiæ. In malum tamen boni specie interdum appetitus amoris dirigitur, & ita vtrumque complectitur Galenus tomo 1. libr. 4. de Decret. Hippocrat. & Platon. *Affectus*, inquit, *amor, cùm aut iudicium quoddam sit, aut iudicio succedat, aut motus quidam concupiscibilis facultatis existat, eodem modo tra aut iudicium, aut quidam irrationalis affectus, qui iudicium subsequatur, aut facultatis trascibilis motio quædam est vehemens.* Sed & Maxim. Tyrius serm. Philoloph. 11 *vsx*, inquit, *amor quicquam aliud quàm appetitio sit.* Docetur etiam esse amicitiam vel amorem ne voluntatem & appetitum, quia omnis amicitia, vel est ob bonum, vel ob voluptatem, vel simpliciter, vel amati: vel ob similitudinem quandam. Et in summa, amicitia, vel ob bonum vtile, vel delectabile honestum quod est virtute vallatū. Quippe fundamentum amicitiæ in his consistit, & quantò magis appetitus habet firmius fundamentum, tantò constantior est amor. Ideo qui amat aliquem, quia appetit res eius, vt sunt amici bonorum extraneorum & mensæ, his exantlatis bonis, & ipsorum amor finit, atque vt ait Horatius lib. 1. carmin Ode 35.

*Diffugiunt cadū*
*Cum face siccatis amici.*

Quia cessante causa, cessat effectus. Et in Pierze annot. cap. 5. Hebræi dicunt כל אהבה שהיא תלויה כד בך בטל דבר נטלה אהבה: ישאינה תלויה בך בך אינה בטלה לעולם col ahaba scei thelsia badabar, batel dabar betelah ahonah: scina thelsia bedabar linach betelah legnolā: id est. *Omnis amor qui pendet ab aliqua re, cessante re cessat amor.* Qui verò non pendet ab aliqua re, non cessat vnquam.

Et certè Aristoteles libr. 2. Magnor. Moralium cap. 11.

scribit non esse amicitiam inter probum & malum, quia consistit in fide & constantia: improbus autem & malus neutiquam talis, neque ideo malum malo amicum. Scribit etiam amicitiam esse amorem reciprocum & æqualiū, vnde nec cum *Deo*, nec cum inanimatis esse nobis amicitias, sed cum animatis, quanquā illa sint amabilia. Qui pariter ob vtilitatem diligunt, vt ferè senes omnes, cito hinc dimouentur, quive ob voluptatem, vt sunt iuuenes, quia vtriusque est satietas, & vtriumque perire facilè & quotidie, & momentis omnibus potest: vt & amicitiæ inibi sint, instar Prothei, mutabiles: quæ autem ob virtutis similitudinem vel desiderium iunguntur, cùm virtus perpetua sit, & illæ perpetuò voluntatis & appetitus perseuerantiā habent, vt scribit Aristoteles lib. 8. Ethic. ad Nicom. cap 3. sequent. Et idem in cap. 2. Docetque omne quod mouet extrinsecus amorem, siue omne amabile, esse aut iucundum, aut bonum aut vtile. Vide & plura de his & de naturali, sociali, & communicatiua siue politica amicitia alibi apud eundem libr. 7. Ethic. ad Eudemum, in voluptate vetita, amor impurus ille libidinosus dicitur à Cicerone lib. 4 Tusc. quæst. & alibi in lib. de Amicitia, vbi & de aliis tradit membris seu speciebus amicitiæ. *Di*sputat & Plato lib. 26. in Phædro. & in Conuiuio lib. 25. & lib. 12. in Lysíde vel de Amicitia, Cicero 2. de Finibus, à finitione comprobat adhuc amare ex voluntate pendere, dum scribit, *Quid aliud est amare, nisi velle bonis aliquem affici quàm maximis, etiamsi ad se ex his nihil redeat*. Subnixus itaque est verus amor voluntate, non rebus extraneis. Sed cùm similis similem desideret ac expetat, vt ait Plato lib. 12 in Lysíde vel de Amicitia, ille autem amor est animi amati, non corporis: ille enim perpetuus, hoc autem corruptibile, vt idem Plato scribit lib. 5. in Alcib. 1. vel de Natu. homi. & Vlpianus in l 3. de donation. int. vir. & vxor. lib. 24. ff. tit. 1. refert maiorum opinionē fuisse, verum & honestum amorē solis constare animis, sine subnixu bonorū externorū. Quod multis docet argumentis Maxim. Tyrius serm. 36. vbi tractat, quomodo quis ad amicum se habeat. Quā dere ex lege 1. Pauli Iurisconsulti in li. 1. de extraord. crimin. li. 47. ff. tit. 11. animad uertitur, & propter cogitationē pernicioſæ libidinis in eos, qui interpellant pudicitiam vxorum aliorum, & amicitiam illam animorum maritalem soluere nituntur: quod & in aliarum amicitiarum quàm coniugum solutione, piacu-

lum

lum esse censeo: cùm & sui natura optimæ amicitiæ animis immortalibus compactæ immortales esse debeant. Odia vero & inimicitiæ mortales vt scribit Cicero Orat. 40 pro C. Rabirio Posthumo. Sunt & leges vulgares in nostro decalogo, *Non mœchaberis, non dices falsum testimonium*: priore prohibita dissolutione animorum coniugum vel existentium vel futurorum: altera prohibita solutione amicitiæ communis, quæ plerunque falsis testibus & calumniis impiorum violatur & detractionibus. Sanè vbi idem & maximus & honestissimus amor est, aliquanto præstat morte iungi quàm vita distrahi, inquit Valer. Maximus libro 4. cap. 6. loquens de M. Plantio. Cic. libr. 2. de Finib. & in Lælio amicitiam ab amore dictam testatur. Seneca tamen libr. 5. Epistolar. epist. 35. differre arbitratur, quòd amicitia inquit, semper prodest, amor aliquando nocet. Quo loco angustior appellatio amicitiæ est, quàm amoris. Et Cicero etiam in Lælio, amicitiam tantùm inter bonos & in bonis & cum virtute esse putat, non in luxuriosis & aliis libidine conspurcatis, nec cum hominibus hircinis & satyris.

Amicitiæ odium opponitur. Odium autem est, id quod dissonat, & quod displicet appetitui eius quod concupiscibile est: quod cùm ratione fit, bonum: si sine ea, malum. De bono vt Psalm. 54 *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*, & Psalm. 25. *Odium ecclesiam malignantium*, & Psalm. 30. b. *Odisti omnes obseruantes vanitates superuacuè* & Prouerb. 6. *sex sunt quæ odio habet Deus. &c.* Sic & alibi. Genes. 27. De malo, *oderat Esau Iacob*, & Genes. 37. *Fratres Ioseph eum oderant*, & in similib. Prout autem habet rationem mali opponitur odium amori: hinc ex odio causatur abominatio, quia id quod odimus, fugimus. Cicero in Lælio vel de Amicitia, venenum amicitiæ dixit odium, & 4. Tusc. diffinit odium esse iram inueteratam: inimicitiam autem, iram tempus vlciscendi obseruantem, vt scribit Aristoteles lib. 5. polit. cap. 10 Item ira de iis est quæ ad seipsum pertinent: Inimicitia verò vel odium etiam sine ipsis. nam si talem esse suspicabimur, odimus. Præterea ira semper in singulos, vt in Socratem & Calliam, odium etiam in genera: omnes enim calumniatorem aut furem oderunt, vt scribit Aristoteles libr. 2. ad Theodectem cap. 4. inimicitiæ autem & iræ nascuntur, cùm in aliqua re dissentimus, vt scribit Plato lib. 8. in Eutyphrone vel de Sanctitate:

ſed de his hactenus Nam lib.40. Syntaxeon cap.21.& 22. in vitiis & virtutibus plura de ira & odio dicta à nobis inuenies, & hæc etiam ſufficient ad demonſtrandum amorem libidinemque eſſe appetitus: verum interdum bonum, interdum malum, hunc autem ſemper malum, & his odium aduerſum & iram.

Audacia, appetitum continet agendi quæ aggreditur, ſed interdum rationalem, vt dum fortes qui artem bellandi norunt audacter pugnant: item vrinatores qui artem nandi habent, audacter ſe aquis immergunt, & voluntariè. Interdum ſine ratione, vt cùm furioſus audet aliquid, vel ignarus temerè periculum aliquod aggreditur, vel ſi vana ſpe aliquis, vel ira percitus, concitatur, vt ſcribit Plato lib.17. in Protag. vel Sophiſta. Audaciam & animoſitatem conſtituunt Phyſici in calore ſanguinis, dum feruet: ſicut metũ, in eius refrigeratione, vt ſcribit Ariſtot Problema. ſect. 10. quæſt. 59. & ſect. 35. q.1. atque ſectione 2. quæſt. 34. ait fieri metum refrigeratione partium ſuperiorum. Plato audaciæ metum opponit lib.21. in Lache vel de fortitudine, arbitramur, inquit, terribilia eſſe quæ metum incutiunt: audenda, quæ metum nullum adjiciunt, metum verò inferunt non præterita mala, non præſentia, ſed quæ expectantur. metum ſiquidem, futuri mali expectationem vocamus: ſic audenda futura bona vel certè non mala. De hac finitione mali & reliquis Ariſtoteles 3. Ethic ad Nicom. cap. 6. & Cic. 4. Tuſcular. quæſt. vbi & ab ægritudine diſtinguit, quòd ægritudo ſit mali præſentis, metus futuri. Metus, timor appetitum & voluntatem cohibent, quamobrem dicimus audaciæ aduerſarium. Ioan. Damaſcenus diuidit timorem in ſex ſpecies libr. 2. de Orthod. fide cap. 15. εἰς ὄκνον, εἰς αἰδῶ, εἰς αἰσχύνην, εἰς κατάπληξιν, εἰς ἔκπληξιν, εἰς ἀγωνίαν, id eſt, in cunctationem, verecundiam, erubeſcentiam, ſtuporem, terrorem, agoniã, ὄκνος, cunctatio eſt, timor futuræ operationis, αἰδὼς, verecundia, eſt timor ex expectatione conuitii, affectus optimus hic.

αἰσχύνη, erubeſcentia, eſt timor ex re turpi perpetrata, habet & hic affectus ſpem ſalutis, κατάπληξις, ſtupor, timor ex magna imaginatione.

ἔκπληξις, terror, eſt timor ex imaginatione inconſueti mali.

ἀγωνία,

ἀγωνία, agonia, est timor casus (qui venire debet) & infortunii: timentes enim in operatione infortunari agonizamus. Hæc etiam omnia transscripsit Nemesius in lib. de natura homi. cap 20.

Sequitur timorem tristitia, quia accidente malo quod verebamur, aduenit tristitia. Tristitia autem propriè dicitur afflictio quædam voluntatis, Cicero 4. Tusculan. pigritiam ait esse metum consequentis laboris: terrorem metum concutientem, ex quo fiat vt pudorem rubor, sic terrorem pallor & tremor, & dentium stridor consequatur. Timorem metum mali appropinquantis, pauorem metum de loco mouentem, exanimationē metum subsequentem, & quasi comitem laboris. Conturbationem, metum excutientem cogitata formidinem, metum permanentem.

Beneuolentiam esse voluntatis speciem constat ex Aristotele lib 9. Ethic. ad Nicom cap. 5. cuius verba hæc, *Beneuolentia autem amicitiæ quidē est similis, non tamen est amicitia: fit enim beneuolentia & ad ignotos, & latens: amicitia verò non fit. At nec etiam est amatio, non enim habet extensionem & appetitionem. Amationem autem hæc sequuntur. Et amatio quidem fit cum consuetudine, beneuolentia verò fit & repentè, vt fit & ergà certantes. Spectantes enim beneuoli fiunt ipsis & volunt bona. Sic beneuolentia principium amicitiæ videtur, sicut & adamandi voluptas ea quæ per aspectum efficitur, &c.* Cic. in Lælio tamen videtur confundere amicitiam, amorem, & beneuolentiam, dum ait libro secundo in Lyside vel de Amicitia *Amor, ex quo est amicitia denominata, princeps est ad beneuolentiam conciliandam.* Et ita ibi amorem facit initium beneuolentiæ, non contrà: vt Aristoteles, beneuolentiam amoris. Plato autem consentire cum Aristotele videtur, cùm concludit, ex mutua beneuolentia amicitiam generari. Et certè etiam Cicero si bene perpendatur hic, in Lælio, subscribit sententiæ, & beneuolentiam fundamentum amicitiæ ponit. Veruntamen considerare oportet amorem imperfectum, esse beneuolentiam, & ideo beneuolentiam fundamentum perfecti amoris, & amicitiæ veræ esse. Concupiscentia. Cassiodorus in commentariis suis super Psalmos 118. dum interpretatur versiculum illum, *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas*, appetitum & esse concupiscentiam docet, *hoc est*, inquit, *concupiscere, quod desiderare. Nemo enim desiderat nisi qui concupiscit, nec*

*iterum concupiscet nisi qui desiderat.* D. autem Dionysius Areopagita libro primo de cœlesti Hierar. cap. 2. *Concupiscentiam quidem esse dicimus in irrationabilibus inconsultam quandam & materialem siue corporalem ex naturali motu aut consuetudine, in mutabilibus incontinenter (id est, sine continentia) ingenitam, id est, ortam in sensualitate ex motu naturali, & apprehensione obiecti passibilitatem, & irrationabilem voluptatis corporalis continuitatem simul omne animal compellentis, ad sensum concupiscibile.* Porrò Cassiodorus super d. Psalm. 118. scribit concupiscentiam in bono & malo poni: in malo, vt, *Non concupisces rem proximi tui.* Exod. 20. id est, non desiderabis nec appetes aliena. Et D. Iacobus 4. c. *Concupiscitis & non habetis, quia malè concupiscitis.* Et Eccles. 25. d. ver. 27. *Ne concupiscas mulierem in specie,* & Deuteron. 5. d. *Non concupisces vxorem proximi,* vt & D. Matthæus 5. cap & Eccles. 23. a. vers. 5. *Auser à me Deus sentu concupiscentiæ, & concubitus concupiscentia ne apprehendant me.* Et alibi D. Paulus ad Colossen. 3. concupiscentiæ meminit malæ. Græci hanc vocant ἐπιθυμίαν. Moses autem cap. 8. Genes. יצר לב *ietzer leb* figmentum & propensionem cordis. Cui consentire videtur Dauid Psal. 37. *Tota die contristatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.* In quem locum Euthymius Zigabonius in comment. annotat, affectum concupiscentiæ illusionem esse, & potiùs consequenter mendacium, quàm veritatem: neq; concupiscentiam esse voluptatem, sed vmbram voluptatis, & ex lumbis potissimùm oriri hominum. In bono ponitur, sicuti in Psal 118. *Concupiuit anima mea, desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Et Dion. Cart. commen. & in c. 2. cæl. Hier. *D.* Dionys. Areopag. facilius concupiscētiæ appetitus distinguit: alia, inquit concupiscentia sensuaks, alia spiritalis, sensualis aliquando inordinata & mala, hoc est, extra ordinem & finem naturæ euagans, aliquando ordinata & bona, aliquando per se indifferens, inordinata, vt dū scribitur ad Galatas cap. 5. c. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Et hæc culpabilis est, bona sensitiua & ordinata, cùm ad finem legitimū, & ad legitima dirigitur, vt dum Zacharias concupiuit Elizabeth vt prolem ex matrimonio promissam generaret, apud *D.* Lucā c. 1 indifferens autem concupiscentia sensualis est, vt passio purè naturalis, veluti dum esuriens cupit cibū, sitiens potum, &c. Spiritalis autem

autem & bona concupiscentia, quæ desiderat bonum benè, sicuti in psalm. 118. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas*, & Psalm. 83. *Concupiscit & deficit anima mea in atria domini.* & Sapient. 6. initium sapientiæ verissimum discipliuæ concupiscentia, & hæc Eccles. 1. d cum similibus vltima ex ratione indifferens natura: prima mala, contra rationem, vt scribit Arist. 1. Rhetor. ad Theod. cap. 11. & Chrysost. tomo 3. homil 55. in 14. Ioann. Sed hac in parte maxima se offert quæstio, num concupiscentia per se sit peccatum. Cuius difficultatis dubium oritur ex eo quod vere dictum est à D. Augustino lib. de baptismo paruulorum, & ab aliis Theologis, peccatum originale esse, & fomitem peccati concupiscentiam, & concupiscibilitatem, quæ lex membrorũ, languor naturæ, tyrannus in membris nostris, lex carnis, idque non secundum animam, sed secundum carnem: omnes enim in Adamo peccauimus in carne, & quia anima, etsi pura à Deo creetur, inficitur quodã modo contagione carnis, in vtrumque & corpus & animã se peccatum ostendit. Cæterum baptismo peccatum originale deletur, remanet tamen concupiscentia, sed illa non est damnabilis in quantum appetitum mouet, nisi illam sequamur, vt latè tractatur lib. 2. sententiarum, distinct. 30. & 31 & 32. & quamuis quis tentetur à cõcupiscentia sua, nõ tamen illa tentatio peccatum in nobis est, sed si assentiamur occasio & generatrix, peccati. Sic enim scribit D. Iacobus c. 1. in epist. *Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua, cum autem conceperit parit peccatum: peccatum autem generat mortem.* Et quia ante baptismum, singulis nascentibus, propter peccatum primi hominis, hæret propter pœnam, ideo lux peccati dicitur, vel quia debilitatem ægritudinis contractæ ex peccato repræsentat, post sanationem primi peccati per baptismum factam, vel quod ad peccatum nos prouocet. Quamobrem D. Paulus ad Roman. c. 7. eam opponit legi Dei. Dei enim lex ad iustificationem, & salutem nos inducit, concupiscentia vero diuersum persuadet, ex quodam naturali propensione, vel à bono defectione, & ad malum & sensualem voluptatem sequendam inclinat. Sic enim scribit, *Condelector legi Dei, secundum interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis.* Nam vt scribit D. Bernardus serm. in cæna Domini de Baptismo. Omnes in pecca-

trice voluptate generamur: propterea licet inuiti, etiam post baptismum, illicitos quosdam & propemodum bestiales motus sentimus, qui assiduam in nobis pugnam generant *Caro namq;*, vt scribit idem D. Paulus, ad Galat. 5. *concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnē.* Quia verò cùm assentimur concupiscentiæ carnali & sensuali, generatur peccatum, ab effectu non immerito, mala concupiscentia approbata ab anima peccatum dicitur à D. Paulo, ad Roman. cap. 7. *Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum.* hoc est, causa sæpissimè peccati Sic D. Ioannes 1. epist. cap 2. c. ver. 15. Peccata sub concupiscentia concludit & ab ea cauendum ait. *Nolite* inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo.* Et inclinationem malam naturalem in malum, & peccatū norunt Philosophi Ethnici. Verum post Baptismum, debilis existit illa concupiscentia Christianis, & quod peccatum in ea erat, sublatum est Baptismo, dataque est lex Dei, & gratia Spiritus sancti, quæ nos contra tentationes illas muniat, & victores dehinc contra impetus concupiscentiæ faciat, indicans nobis quod peccatum est, ut ab eo caueamus, sicuti D. Paulus, ad Rom. cap. 7. b. versic *7. Peccatum non cognoui, nisi per legem, nam concupiscentiam nescisebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Sed expressius in cap. 8. ad Rom. in princip. *Nihil ergo nunc damnationis est in qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberabit me à lege peccati & mortis: Nam quod impossibile erat legi, in qua infirmabatur per carnem, Deus vnigenitum filium suum, mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundùm spiritum, &c.* Quamobrem & norunt Christiani Spiritus sancti gratia, concupiscentiam in bonum datam illis esse, qua flagellare & vincere possunt eam, quæ carnis est, concupiscentiam. Quamobrem enitendum illis perpetua militia mortali est, vt illam radicem totius amaritudinis & iniquitatis concupiscentiam mortificent vel consumant: elaborare que debent continua in Deum fusa

oratione,

oratione, vt spiritus ille in Baptismo collatus integer perseueret vt scribit D. Paulus 1 ad Thessal.5. nimirum vt spiritus sancti gratia nunquam auferatur à nobis, sed in visceribus nostris continuo innouetur. Hæc enim spiritum nostrum innouat, purificat, fouet, & confirmat. Sic precabatur psal.50. Dauid, *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me, & spiritu principali confirma me.* Et tantum abest hodie vt peccatum dicatur concupiscentia carnis, quin & illa ad maius meritum facit, si ei viriliter gratia nobis proposita vtens resistamus, quod scribit D. Chrysost. Hom. 52. in cap. 22. Matth. tom. 2. in opere imperfecto. *Concupiscere*, inquit, *passionis est: velle autem, arbitrii. Frequenter autem concupiscimus, etiam quod nolumus.* Si ergo concupiscentiæ non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat, magis autem & gloriosiorem facit virginitatis coronam. Nam concupiscere quidem naturale est, vt scribit Plato, libr. 10. in Philebo, vel de summo bono & commune parti brutæ, sed malè concupiscere altiori è gradu decidit, est enim voluntatis, vt scribit diuus Chrysostomus, homil. 19. ad popul. Antioch. tomo 5. Et in hoc maxime enitet vis animæ. Nam vt idem Chrysostomus scribit in opere vt dicunt imperfecto, homil. 12. in cap 5. Matthæi. sicut duas in nobis habemus naturas, animæ scilicet & carnis, sic duas habemus voluntates, vnam animæ, alteram carnis: duas iras, vnam animæ alteram carnis: duas concupiscentias, vnam animæ, alteram carnis. Et natura quidem carnis ob omnibus his non potest se separare, nam necesse habet & irasci & concupiscere, & si non velit, quoniam non est in arbitrio suo creata, id est, non est nunc in arbitrio suo sicut creata fuit, sed sub lege peccati, venundata: est enim illa sub peccato. Anima autem in arbitrio suo creata est, & secundum legem iustitiæ Dei: propterea potest & non irasci si vult, & non concupiscere si vult Diuus Ioannes Damascen. libr. 2. de Orthodoxa fide concupiscentiã & iram inter passiones animę annumerat, τὸ πάθος, inquit, ὁμωνύμως λέγεται· λέγεται γὰρ πάθος καὶ τὸ σωματικὸν, ὡς τὰ νοσήματα καὶ τὸ ἕλκη· λέγεται πάλιν πάθος καὶ τὸ ψυχικὸν ἤτε θυμία καὶ ὁ θυμὸς, ἔστι δὲ κοινῶς μὲν καὶ γενικῶς πάθος ζῴου, ὡς ἔπεται ἡδονὴ ἢ λύπη, ἕπεται δὲ τῷ πάθει, λύπη καὶ ὀργὴ αὐτὸ πάθος ἐστὶ λύπη· τὰ δὲ αἰσθητῶς πάσχοντα ὀργὴ καὶ ἄλγη. ὀργὴ

ἄρεξις

ἔστι τὸ πάθος ἐξὶ ἄλογημα, ἀλλ' ἡ τῦ πάθους αἴσθησις, id est, *Passio homonymus dicitur: Nam passio dicitur corporis, vt agritudines, & vulnera: dicitur rursus passio & anima, vt concupiscentia & ira. Est autem communiter & generaliter anima passio, quæ & affectus animalis quam voluptas comitatur aut tristitia. Sequitur etiam passionem tristitia, at non est tristitia ipsa passio, nam cum insensibilia patiuntur, non dolent: non est igitur passio dolor, sed passionis sensus.* Carnis infirmitatem esse concupiscentiam ibi dicitur, sicuti infirmitatem animi ignorantiam, in canone 1. 15. q. 1.

Cupiditas, proximus huic concupiscentiæ locus cupiditati est, de qua promiscuè tractare cum Theologica concupiscentia nolumus, ne quis confunderetur prolixitate sermonis in his quæ fidei sunt. Cupiditas itaque, intuitu eorum quæ cupit, à ratione animum distrahens, diuersa sibi asciscit nomina, vt scribit Aristoteles libr. 3. Ethicorum ad Nomachum, cap 11. cum ad voluptates trahit, libido dicitur: demum pro varietate earum varia. Nam si ad ciborum voluptatem, ingurgitatio: si ad potum, ebrietas: ab ea enim parte qua rationem superat, nomen accipit, & inde etiam nomen accepit apud Græcos, quibus dicitur, ἵεμος, amor, ἀπὸ τῆς αὐτῆς ῥώμης, id est, *à robore & ipsa vehementia*, vt scribit Plato lib. 26. in Philebo vel de pulchro Quæ nominis interpretatio intelligenda est de amore qui ab irrationali cupiditate procedit: nam de alio amore idem Plato, lib. 23. in Cratyl. ἵεμος dicitur, quia ἐσρεῖ, id est, influit extrinsecus, neque propria est habenti ροὴ, id est. fluxio ista, sed infusa per oculos. quapropter ab ἱεσθαι, id est, influere ἵεσις, id est, influxio, amor ab antiquis nostris appellabatur. Nam o, pro ω, vtebantur. Nunc autem ἵεμος dicitur, ω, pro o, interposito, hæc Plato, sed ad rem. Cupiditas etiam lucri auida, & appetitus ille tenax, auaritiæ in nomen transit vt apud Platonem Dialog. 1. in Hippocr vel de lucri cupidit. Cupiditas in animãtibus edendi. bibendi. & eiusmodi, passiones dicuntur naturæ, apud Platonem Dial. 10 in Philebo vel de summo bono. & Aristot. libro primo Rhetor. ad Theodect. capite vndecimo, & per se bonæ sunt, in excessu vero malæ, vt scribit Aristoteles lib. 3. Ethic. ad Nicomach. in cap. 11.

Videtur autem differre cupiditas & cupido, à concupiscen-

scētia, quia concupiscentia & in bonam & in malam partem accipiatur, & possit esse mala, bona, cupiditas in malam tantum partem. Quanquam & interdum pro bono appetitu & naturali antiqui ferè semper cupiditatis nomen in malam vsurparunt partem, & pro inordinato & absque ratione appetitu, siue ad diuitias siue ad alia. Sic Cicero. 1. de Finibus *Cupiditates*, inquit, *sunt insatiabiles, quæ non modo singulos homines, sed vniuersas familias euertunt, totam etiam labefactant sæpe Rempub.* Ex cupiditatibus odia, dissidia, seditiones, bella nascūtur. Et D. Paulus 1. ad Timoth. 6. b. ver. 10. dicit cupiditatem, radicem omnium malorum, *Eo quod*, inquit, *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, ad interitum ducentia.* Et Iuuenalis Satyr. 14. versicul. 172.

*Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto,*
*Inde ferè scelerum causa, nec plura venena*
*Miscuit, aut ferro grassatur sæpius vllum*
*Humana ventis vitium, quam sæua cupido*
*Indomiti sensus. Nam diues qui fieri vult*
*Et cito vult fieri sed qua reuerentia legum?*
*Quis metus aut pudor est vnquam properanti auari?*

Quamobrem & Salomon Prouerb cap. 20 c. vers. 22. scribit, *hæreditatem ab initio properatam, in fine carituram benedictione.* Hoc autem subsidium ex ratione firmissimum accidit, ex eo quod omnes fere cupiditates sint appetitus cōtra rationem, vt scribit Aristot. Problem. sect. 28. q. 3. Sed causam adfert horum clare Cicero lib. 3. Tuscul. cuius verba, quia ad perturbationes alias rationis pertinent, subscribam. *Perturbationum*, inquit, *genera quatuor sunt partibus plures. Nam cum omnis perturbatio sit animi motus vel rationi expers, vel rationem aspernans vel rationi non obediens, usque motus aut boni aut mali opinione citetur, bifariam quatuor perturbationes æqualiter distributa sunt. Nam duæ sunt ex opinione boni, quarum altera voluptas gestiens*, id est, *præter modum elata lætitia, opinione præsentis magni alicuius boni: Altera cupiditas, quæ rectè vel libido dici potest, quæ est immoderata appetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans, quæ vel cupiditas recte vel cupido dici potest. Ergo hæc duo genera, voluptas gestiens, & libido, bonorum opinione turbantur, vt duo reliqua metus & ægritudo malorum. Nam & metus opinio magni mali impendentis, & ægritudo est*

opinio

*opinio magni mali præsentis, & quidem recens opinio talis mali, vt in eo rectum esse videatur, angi.* His Cicero malum esse cupiditatem docet, vt etiam Maxim. Tyrius Serm. 14. *Maximum homini*, inquit, *malum, est cupiditas.* Cæterum nec negandum est etiam cupiditates quasdam dici rationales, cum rationi obtemperant, & secundum eam reguntur, vt diximus cū de concupiscētia loqueremur. Quamobrem & communi nomine vtraque dicitur ἐπιθυμία, concupiscentia vel cupiditas. Et Arist. l. 2. Eth. ad Eudemū, cupiditatem in tres partes distribuit, in consultationem, irascentiam, & cupiditatem, voluntatem pro cupiditate cōsultatrice accipiens, vtpote quia consultare sine ratiocinatione nequeamus. Et ca si. eius li. ratione moderandas esse cupiditates temperāti ait, veluti puer à pædagogo regitur: id autē contingere scribit, si cupiat q̄ cupere oportet, & vt oportet, & quādo oportet. De malis cupiditatib. q̄ sine ratione habentur Max. Tyrius serm. Phil. 37. perpulchre ita tradit *nullā metā terminumq; aut diuitiis aut cæteris cupiditatibus hominum constituit Deus, verum infinita harum est via omnium. Quamobrem spectatores ipsarum, quo maiorem earum rerum copiam habent, eo etiam magis augent sitim: minus est enim quod possessionem cæperunt, eo quod spe iam deuorarunt.* Sic dicimus inexplebilem & insatiabilem cupiditatis sitim. Et ita Salomon Eccl. c. 14. b. v. 9. *Insatiabilis oculus cupidi, in parte iniquitatis non satiabitur, donec consumat, arefaciens animam suam.* Et Eccl. c. 5. b versu 9. *Auarus non implebitur pecunia* Causa huius dispositionis, est studium nimium viuendi sed non bene viuendi: cum enim cupiditas acquirendi vel conseruandi, non ad vitam, sed in infinitum extēdatur, illa quoque quæ efficiunt infinita cupiunt vt scribit Aristoteles, Politic. c. 6 & lib. 2. Polit. c. 5. *Improbitas*, inquit, *hominum insatiabilis est, & primo quidem dicunt sufficere pauca atq; minima, mox vero vbi illa sunt consecuti, plura appetunt semper, quousq; in infinitum procedant. Infinita enim est cupiditatis natura, ad cuius expletionem plurimi tendunt.* Sic Iuuenalis Satyr. 14. versu. 138.

*Interea pleno cum turget sacculus ore,*
*Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,*
*Et minus hanc optat qui non habet. Ergo paratur*
*Altera nulla tibi, cum rus non sufficit vnum,*
*Et proferre libet fines, maiorq; videtur,*

Et

*Et melior vicina seges: mercaris & hanc, &*
*Arbusta & densa montem qui canet oliua.*

Contra quos Deus per Esaiam, cap. 5. b. vers. 8. *Va qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos soli in medio terra.*

Consuetudo, est voluntatis, nam secundum Iulianum Iurisconsultum ideo recipitur consuetudo, quod tacita vtentium voluntate recepta in l. de quibus, l. 32. de Legibus libro primo, ff. titul. 3. fit. Quod & de lege scribit, quæ & voluntate & suffragio populi authoritatem accipiebat. Nam in comitiis mos antiquus erat per trinundinum, populum, si is non iuberet per magistratum rogare, de his quæ legibus sancienda erant, vt scribit Cicero Philip 5. & alibi 3. de Legibus & consultationem vocat populi. De his scribit & Gellius lib. 10. Noct. cap. 20. Alexander ab Alexandro libro sexto Genial. dier. cap. 23. Dion. lib. 39. histor. Liuius, Halycarnas. & alij, & Iustinianus in §. lex est, de Iur. Nat. gen & ciui. lib. 1. Instit. titul 2. Quæ tamen postea voluntas legis approbandæ vel improbandæ sublata est priuatis & adempta populo, idque paulatim, nam principio omnis legum condendarum authoritas delata est ad pauciores, quam populus esset, nempe ad magistratus, vt scribit Pomponius Iurisconsul. in l 2. §. deinde cum essent in ciuitate, & §§. seq. de vete. iur enucl. libr. 1. ff. tit. 2. Postea omnino, lege regia lata, à populo in principem solum hæc facultas translata est, vt scribit Iustinian. in §. sed & quod principi placuit, de Iur natur. gen. & ciuil. libr. 1. Instit. tit. 2. Vlpianus in l. 1. de const. princip. libr. 1. ff. titul. 4. sic Iustinianus in l. fin. de legibus libr. 1. C. tit. 17. ad solum principem pertinere, legem condere & interpretari, scribit & ex eius voluntate pendere. Quod certe ad authoritatem legum spectat, vt scilicet fulciantur principis prærogatiua & potestate. Cæterum non ideo tamen minus dixerim, pro earum legum obseruantia, & populi consensu à principio vtcunque requiri adhuc, & subditione principes: & placitum etiam nunc accedere debere & consultationem prudentum. Quia caput, quod princeps est, quodammodo subditorum indigere videtur fauore & voluntate, vt minorem eo se Deo agnoscat, qui nullius indigus est, quique errare non potest. Quamobrem Cæsares Theodosius & Valentinia. in l. humanum l. 8. de legib. libr. 1. C. tit. 17. & proegrum

cerum palatij consultationem in legibus noue condendis, & populi consensum desiderant: ideoque publicas leges in consistoriis & dicasteriis legi publicè volunt. Quibus tamen non vim legis tribuūt, sed principali formant authoritate. Et ita seruatur in Gallia in consultationibus generalibus seu edictis perpetuis à lege compositis, quæ non prius in curiis senatuum seruantur, licet à rege emanarint, quam consultæ promulgataque ab his fuerint. Multa enim fugere iudicium principis possunt, quæ aliqua in parte regni militant aduersus constitutiones sancitas noue, & de quibus admonitus princeps poterit legem retractare vel cohibere. Obseruamus etiam sub ditione principis, consuetudines locales, quas sibi voluntas habitantium imposuit, item & vsus qui contrarij non sunt regni legibus, vel qui speciali approbatione principis cōfirmantur. Receptę etiam leges, alicuius priuatæ localis vtilitatis ratione, contra præscripta publicarum legum. Et in omnibus iis voluntas species appetitus consideratur. Desiderium est appetitus vehemens eius quod abest. Et apud Ciceronē 4. Tusculan Desideriū est libido eius, qui nondū abfit videdi. Dilectio, vide amor. ex amore procedit gaudiū & tristitia, liquidē omnis tristitia procedit ex priuatione amati facta, vel dū metuitur ne accidat, vt scribit Lyranus, & quia amor est Dei, & mūdi spiritalium & corporaliū rex, sic ad earum rerum diuersitatē, sequitur gaudij vel tristitiæ diuersitas. Gaudium, est appetitus concupiscentiæ cum ratione, de rebus præsentibus, vel quæ nobis pro præsentibus menti subiicimus vel phantasiæ, cum ratione adiici, esse gaudium: nam sine ratione lætitia est, quia Cic scribit. lib. 4. Tusc. *Cum*, inquit, *ita mouemur, vt in bono simus aliquo, dupliciter id contingit: nam cum ratione animus mouetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur (proprie.) Cum autem immaniter & effuse animus exultat, tum illa lætitia gestiens, vel nimia dici potest, quam ita definiunt sine ratione animi elationem.*

*Quoniamq; vt bona appetimus, sic à malis natura declinamus, qua declinatio fit cum natura fist. cautio appellatur, eaq; intelligitur in solo esse sapiente: quæ autem sine ratione, & cum examinatione humili atque fracta, nominetur metus.* Et iterum, *eademq; lentitate cupiditas est in appetendo, qua lætitia in fruendo. Et vt minus afflicti molestias sic animi elati lætitia, sure iudicantur leues.* Atque vt confidere decet, timere non decet: sic quidem gaudere decet, lætari non

decet.

decet. Maximum autem ad virtutem amoris consequendam momentum est, gaudere iis quibus oportet, & odisse ea quæ oportet, vt Aristoteles scribit libr 10. Ethic. ad Nic. capit. 1. & Seneca: verum gaudium non in leui rerum hilaritate & lætitia, sed in rerum magnarum fruitione, solidum hoc vocans gaudium, reliqua iucunda, inane. libr. 3. epistola epist. 23. & lib 8. epist. 60. Promiscue tamen verbo gaudij vtimur pro omni lætitia, interdum & vulgari more, dixi in finitione etiam, gaudium esse de his quæ præsentia non sunt, quæ nobis in phantasia subiicimus vel menti, quia contingit interdum quod imaginatione vel phantasia cogitatiua pars, prehendat bonum vel malum tanquam præsens, quanquam realiter & vere absens sit. Et tunc appetitus quiescit etiam & delectatur vel tristatur, vt scribit Aristoteles libr. de Memo. & reminiscentia. quod quis experitur sæpe in cogitationibus, quæ nobis dormientibus vltro se offerunt, quibusue dormiendo, vel lætamur, vel tristamur. Et esse gaudium appetitum & motum animæ, docere potest Galenus, tomo 3 lib. 2. de symp. caus. *Ex timore*, inquit, *plures mortui sunt, ratione refrigerationis & suffocationis. animali refrigeratione extinguitur: cum sanguis autem simul confertim ad illum meat, si suffocatur, abit a nemo interit, vtpote nec calore perfrigerato, nec eius robore soluto. Ex gaudio tamen ingenti, nonnulli pusillanimes perierunt, aque atque timore. Non enim una cum robore & feruore mouetur animalis extorsum facultas, sed contra, si quid prius habuit roboris, id nunc remittit ac resoluit. Ergo cum plurimum relaxata resolutaq́, retrorsum fertur, digeritur. Dolor autem cum animum contra cogat mouere, similia maxime timori adfert symptomata.* Nemo autem vt opinor, dubitat, quosdam repentino gaudio periisse, & item repentino timore. Gaudio obiit Diagoras, videns tres filios Olympico certamine victores. Et Philippides comœdiæ author, præter spem victor, vt narrat Gellius libr. 5 cap. 15. Sic Dionysius Siciliæ olim tyrannus, & Sophocles ex lætissimo tragicæ victoriæ nuntio, perierunt teste Plinio libro septimo, cap 53. Chilo ob filium Olympijs coronatum lætitia obijt, vt scribit Diog. Laertius libro primo. Plures etiam alij, sicut & dolore, repentinum ob nuntium repulsæ à consulatu fratris, expirauit Pub. Rutilius, vt author Plinius libro septimo, & Cicero lib. Tusculan. Iulia Cæsaris filia, visa sanguinea Pompeij veste exanimis concidit

Valer. Maxim. libro quarto cap. 6. scribit & Liuius lib. 6. ab vrbe cond. Quintum Fabium interiisse, die illi dicta à tribuno plebis, quod contra ius gentium legatus in Gallos, ad quos missus fuerat, pugnasset. Inter gaudere & voluptatem capere, illud interesse scribit Plato, libro 13. in Protago. vel Sophista, quod gaudio afficitur ille, qui discendo & contemplando ipsa intelligentia delectatur: voluptate autem perfunditur, qui dum comedit, vel alio quodam oblectamento potitur ipso sensu corporis delectatur. Hæc certè propriè dum accipiuntur, vera perpetuò sunt, cæterum vulgò & voluptas pro gaudio, & contra gaudium pro voluptate sumitur, vt docet vtrumque Seneca libro octauo Epistol. epistol. 60. inquit. *Ex epistola tua percepi voluptatem, permitte enim mihi vti verbo publico, nec illa ad significationem Stoicam reuoca: vitium esse voluptatem credimus, sit sanè ponere illam tamen solemnius ad demonstrandam animi hilarem affectionem. Scio inquam & voluptatem, si ad nostram aluum verba dirigantur, rem insanem esse & gaudium nisi sapienti non contingere. Est enim animi elatio, suis bonis viribusq; fidentis: vulgo tamen sic loquimur, vt dicamus magnum gaudium nos ex illius consulatu, vel ex nuptiis, aut ex partu vxoris percepisse, quæ adeò non sunt gaudia, vt sæpe initia futura tristitiæ sint. Gaudio autem iunctum est, non desinere nec in contraria verti.* Et Virgilius, mala mentis gaudia, pro voluptatibus posuit.

Iubilum cordis lætitiam ponit & gaudij speciem D. Gregorius lib. 8. Moral. expositione in Iob, cap. 39. *iubilum*, inquit, *dicemus, cum tantam lætitiam corde concipimus, quantam sermonis efficacia non explemus, & tamen mentis exultatio, hoc quod sermone non explicat, ore sonat.*

Tristitia gaudio opponitur & delectationi, quia est immutatio appetitus concupiscibilis, ob obiectum mali præsentis, vel imaginati, λύπη, vocat D. Ioan. Damascen. lib. 2. de Orthod. fide cap. 14. vbi quatuor eius species enumerat, prima ἀκηδία, acedia, quæ est tristitia, defectionem vocis & taciturnitatem inducens: secunda ἀχθος moleſtia, quæ est tristitia aggrauans pondusque adferens. tertia φθόνος, inuidia est tristitia ex alienis bonis prouenientis: quarta ἔλεος, misericordia est tristitia ex aliorum malis. De his omnibus Gregorius Nicenus, libr. 4. de Decretis hominis.

cap.

cap.12.Plato etiam, libr.10. in Philebo vel summo bono & eadem in suo libro transcripsit de Natura hominis Nemesius. cap. 19. Tristitiam citra inuidiam non malam semper dicimus, quod malos non reddat. Veruntamen dicetur tristitia animi vulnus vt scribit D. Chrysost. tom.5. homil.6. dum disputat. *Quod vtilis sit principum timor.* Et Salomon, Eccl.cap.14 a.vers.2. *Felix qui nō habuit animi sui tristitiam, & non excidit ab spe sua.* Et Eccles cap 30.D vers. 24. *Tristitiam non des animæ tuæ & non affligas temetipsum in consilio tuo. Iucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis.* Et vers.24. *multos occidit tristitia, & non est vtilitas in ea.* Et capit. 26. eius libri c. versicul.22. *Cor prauum dabit tristitiam, & homo peritus resistet illi.*

Nihilominus tamen sciendum est duplex esse gaudium, & duplicem tristitiam Christianorum, qui rerum veritatem per Dei gratiam, per reuelationem vnigeniti Domini nostri Iesu Christi norunt. Vnum gaudium & verum est, in domino gaudere, quod semper apud nos vt sit, admonet D. Paulus ad Philip. cap. 4. Hoc autem gaudium spirituale est, quia Deus spiritus est, & gaudere in domino, est gaudere, quòd Domino obediamus, & voluntatem eius faciamus, vnde nos salutis spes pulcherrima iucundaque intrinsecus foueat. Docet Iesaias, cap.51. D.vers.10. *Gaudens, inquit, gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me.* Et Dauid. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, quia in domum Domini ibimus.* Et lib.2. Esdræ cap.8.c. vers. 11. *Dixit Neemias populo Ite comedite pinguia, & bibite mulsum. & mittite partes his qui non præparauerunt sibi, quia sanctus dies Domini est. Et nolite contristari, gaudium enim Domini est fortitudo nostra.* Hic Matthæi 25. a. dum dicitur, *Intra serue bone, & fidelis in gaudium domini tui:* salus intelligitur. Quod quidē gaudium, hic dum peregrinamur in terra, plenum non est, quia nondum peruenimus quo properamus, & mutationi obnoxia omnis creatura in hoc seculo tenendáue, Apocalyp cap.3 b.corona, ne alius eam accipiat, & qui stat, cauere debet ne cadat, 1.Corinth. 10.D. Gaudia quæ bonorum mixta tribulationibus, tentationibus, & afflictionibus corporeis variis, variis, pro iustitia & fide, vnde bonis gaudiū vt scribit D. Pau-

lus, 2. Corinth. 8 a. vers. 2. & in Actibus cap 5. g & c. 8. g. *Discipuli ibant gaudentes à conspectu concilij, quod digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati.* Sic tristantur pij Homines, sed illa est suauissima lætitia, cuius contristatus est mundi tristitia, nō Dei vt scribit D. Chrysostomus, tom. 3. homil. 75. in D. Ioannem. Sic Christus D. Matthæi capit. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Beati eritis cum maledixerint vobis homines & propter nomen meum. Et beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Et in Euangelio D. Ioan. c. 16. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et Hierem. cap. 31. *Conuertam luctum eorum in gaudium.* Et D. Iacobus epistol. cap. 1. a. vers. 2. *Omne gaudium existimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia opus perfectum.* Erit autem gaudium perfectum hoc & plenum cum Christo, vt ait D. Ioannes Epistol. 1. cap. 1. a. vers. 3. 4. *tunc enim, quando cum illo erimus abstergetur omnis lacryma, & in perpetuum perfecto gaudio fruemur*, vt scribitur Apocal. cap. 7 d & c. 21. Aliud gaudium est huius seculi, quod extra Dei intuitum peregrinatur in voluptatibus, quibus boni tristamur, vocat gaudium terræ Esaias cap. 24. b. versicul. 1. Et quia in rebus mobilibus & vanis fundatur, sic varium hoc & mobile. extrema enim gaudij semper luctus occupat Prouerb. 14. c. & Baruc. 5. g. Nec perpetuum hoc, quia dominum habet mundum mutabilem & Satanam, cum quo nemo vera gaudia diligere potest: nemo enim duobus Dominis seruire potest, Deo & Satanæ. Matthæi 6. D. Luc. 16. e. Hoc gaudium tristitia est bonis bona, destruens peccatum, si de eo doleatur teste Chrysost. tom. 5. homil 5. ad populum Antiochen. mala tristitia dum malum non potest agere: item & inuidia item & desperatio. *Sic spiritus tristis deseccat ossa.* Prouerb. 17. b. quod & de tristitia extra Deum omni, non propter Deum, quæ melior, vtiliorue gaudio mundi.

Interpretatio, ex voluntate pendet: siquidem in dubiis locum habet, & ideo volūtatis nostræ exprimitur in ea appetitus. Et sæpe quisque interpretatur prout desiderat, vt hæretici, qui carnales & sensuales sunt, omnes fere locos sacræ paginæ, in sui falsi dogmatis confirmationem contorquere nituntur.

Libertas, est ex volūtate quod docuimus cū de bonitate age-

ageremus in eius formis in titulo libertatis. Sed breuiter illud per anacephaleosin finitionis docet adhuc Iustinian in §. & libertas quidem de iur. pers. lib. 1. Iustitut. iur. ciuil. tit 3. *libertas est naturalis facultas eius quod cuique facere libet*, & in §. ieruitus autem eodem, *est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alterius subiicitur*, quod omne excerptum est ex Caio Iurisconsul. in l libertas l. 4. de sta. homin. lib. 1. ff. tit. 5. Et hac in parte notandum est, voluntatem liberam coërceri potestate alterius, siue sit Domini, siue patris, siue mariti vel alterius iubentis cum potestate. Sic audiendus Vlpian. in l. velle non creditur. l. 4. de reg. iur. lib. 50. ff. tit. 17. *Velle*, inquit, *non creditur qui obseq. suor. imperio patris vel domini.* Sic apud Imperat. Gordianum in l. si sciens, l. 7. ad S C. Velleia. lib. 4. C. tit. 29. scribitur, mulierem voluntatem & consensum præstantem marito, in alienatione rerum suarum, efficaciter non consentire, sed posse agere pro re sua recuperanda, etiam non restituto pretio. Accipitur eriam libertas à Valentinia. Cæsare in l. lenones. l 6 de spectacu. lib. 11. C. tit. 40. pro voluntate & facultate libera agendi. *non sinimus*, inquit, *lenones filiorum suorum vel ancillarum, tanta libertate peccandi frui.*

Liberum arbitrium, voluntatis liberæ est: cum enim de potentia loqueremur, dicebamus quædam in nostra potestate esse, ea autem ex nostra voluntate libera pendere. Et id docet consultatio, in negotiis quæ aliter atque aliter expediri possunt: sunt & apertè functiones & habitus virtorum, & virturum in nostra potestate, sunt & actus qui ex cohortationibus vel dehortationibus dependent. Nam aliter hæc omnia superuacua. Et in nostra potestate & ex voluntate pendere docent præscriptiones legum, quæ ideo præscribũtur, quod sciant in nostra potestate esse quæ iubent, agere, quæ prohibent, non agere. vt scribit Nemesius episcopus, lib. de natu. hom. cap. 39. & 40. Sic Damascenus lib. 2. de Orthod. fid. c. 22. ἄλογος ἐστὶν ἡ ὄρεξις τῶν ἀλόγων, καὶ ἄγονται, ὑπὸ τῆς φυσικῆς ὀρέξεως διὸ δὲ θέλησις λέγεται ἡ τῶν ἀλόγων ὄρεξις, οὐδὲ βέλησις, θέλησις γαρ ἐστὶ λογικὴ, καὶ αὐτεξούσιος φυσικὴ ὄρεξις, ἐπὶ δὲ τῶν ἀνθρώπων λογικῶν ὄντων ἄγεται μᾶλλον ἡ φυσικὴ ὄρεξις, ἤπερ ἄγει. αὐτεξουσίως γαρ μετὰ λόγου κινεῖται, ἐπειδὴ συνεζευγμένα εἰσὶν αἱ γνωσικαὶ καὶ ζωτικαὶ δυνάμεις ἐν

αὐτῷ, αὐτεξσίως ἔν ὠρέγεται, ἢ αὐτεξσίως βέλεται, καὶ αὐτεξσίως ζητεῖ ἢ σκέπτεται, καὶ αὐτεξσίως βουλεύεται, καὶ αὐτεξσίως κρίνει, ἢ αὐτεξσίως διαπήδᾷ, ἢ αὐτεξσίως προαιρεῖται, ἢ αὐτεξσίως ὁρμᾷ, ἢ αὐτεξσίως πράττει ἐπὶ τῶν κατὰ φύσιν ἄντων. i. *Appetitus irrationalium est irrationalis appetitus, non dicitur voluntas: nec concilium. Nam voluntas est rationalis & liberam habens potestatem naturalis appetitus. In hominibus autem rationis compotibus, ducitur magis naturalis appetitus quam ducat: libera enim potestate & cum ratione movetur. Quoniam autem coniuncta sunt appetitiua & cognoscitiua facultates & virtutes in eodem. Libera igitur potestate cum vult libere inquirit, liberè considerat, libere consultat, libere iudicat, libere amat, libere eligit, libere movetur, & libere agit in his quæ secundum naturam sunt.* Audiamus etiam Iamblichum lib. de myster. Ægyptior. cap. 42. sic loquentem, *Non totum in natura fatis ligatum est sed & aliud præcipium animæ, & natura & generatione præstantius, per quod & Deo possumus copulari, & mundanum ordinem superare, atque supernam vitam, supercælestium Deorum actionē participare. Per hoc igitur nos ipsos à fato eximere possumus. Quando eum præstantiora eorum, quæ nobis insunt, agunt, & ad præstantiora sui ipsius anima revocatur, tunc ab illis quæ eam in generatione detinebant, penitus segregatur, à deterioribusq; descendit, atque altera pro altera vita commutat, seque ipsam in alium interserit ordinem, dum priorem ordinem omnino deserit.* Et D. Hilarius breuiter ita concludit, in psalmum 1. *Vnicuique nostrum libertatem vitæ sensuumque permisit Deus.* Et D. Basilius Magnus, homilia vel sermone quod Deus non sit author mali, *peccati*, inquit, *capax est anima, quia libero facta est arbitrio, quod creaturam rationi participem maxime condemnabit. Soluta enim necessitate & in sua potestate, vitam constitutam accepit à Deo.* Et Bardesanes doctrina Syrius hac de re diuinè propemodum locutus est, cuius sententiam refert Eusebius Pamphyli, lib 6. de præpar. Euang. *Quædam*, inquit, *sunt in nostra potestate, quædam non sunt. Nam quemadmodum libertas nostra cogi non potest: sic corpus nostrum non facile potest pericula effugere. Et certe, si omnia pote-*

*stati*

*datiu essent nostra, nos essemus vniuersa, si verò nihil possemus, aliorum essemus organa, nihil nostra voluntate producentes. Deo autem volente nihil impediri potest, illius enim potestati cuncta subiacentur, qui vnicuique naturæ præcipuum aliquid est largitus: hominis autem illud dedit eximium, vt libertate voluntatis atq; iudicij vteretur.*

Quibus verbis adhuc annotare possumus differentiam inter libertatem Dei & hominis, & inter homines, & alia animantia: quòd Deus, omnia liberè velit & possit, homo liberè quædam non omnia velit & possit: bruta autem libertatem arbitrij non habeant. Sic medium homo altiori gradu à brutis consurgens, quo sublato par illis est, tolli autem ab eo id non potest, qui suæ est naturæ: nam si suæ non esset naturæ, frustra & Deus & natura contra ordinem fecissent, cùm diuersam formam à brutis animalibus siue diuersa natura non constituissent. Sic Cyrillus Alexandrinus lib. 3. eon. Iul. Apost. scribit quod conueniebat, voluntaria operandi facultate, rationalem naturam insigniri, & electionis liberæ declarari fructum, in bonis operibus dexteritatem. Et Porphyrius lib. ad Nemmenium notat voluisse quidem Deum veritatis socios esse homines, vnde & rationales fecit, eò quòd idoneasit illis ratio ad inuestigandum verum: dedisseque liberum arbitrium ideò vnicuique, vt in ipsis esset bonum voluntarium. Siquidem & superflua, mea sententia esset in homine ratio, si ea veluti facultas bruta, impulsa & coacta aliunde manaret. Suffragatur Alexander qui libro de prouident. *viderit*, inquit, *quòd, & in ipsis diuina natura benignitatem erga nos, quoniam non possibile erat in nobis esse virtutes, natura dante facultatem cuius ipsa sit domina possessionem eius non in alius quibusdam, sed in nobis ipsis fieri, vt id quod ab illa impossibile erat habere, hoc per ipsam accipere, quasi per illam possimus.* Quocirca quia naturæ rationali illa arbitrij libertas data est, notandum est ex sententia Diui Bernardi, in libro vel tracta. de gratia & liber. arbitr. libertatem hanc à necessitate æquè & indifferenter Deo vniuersæque tam bonæ quam malæ creaturæ rationali conuenire, nec peccato nec miseria amitti vel minui, nec maiorem in iusto, quàm in peccatore: nec plenioremin angelo quàm in homine, nam in bono & liberè agit, & in malo liberè agit quis.

*Cum autem*, inquit, *non valemus quod volumus, sentimus quidem ipsam quodammodo libertatem esse captiuam, & miseram: non tamen amissam. Velle siquidem haret nobis ex libero arbitrio, non autem posse quod volumus*, vt dicebat Diuus Paulus, ad Galatas quinto. ideo vt velle proficiat solum gratia Dei facit: cum deficit, ad malum seipsum deijcit, ideoque liberum arbitrium, nos reddit volentes, sed gratia benevolos. Nam liberum arbitrium solum velle pronuntiat liberum, sed velle bonum ex gratia inter quæ interest, sicuti & amare & timere simpliciter aliquid enuntiant, sed amare & timere Deum, aliud amare namque simpliciter, & timere, affectiones demonstrant, sed timere & amare Deum virtutes: simplices namque affectiones insunt naturaliter nobis, non tanquam ex nobis sed additamenta ex gratia. Ea enim illa ordinat, vt nihil aliud sint virtutes, quam ordinatæ naturæ affectiones. Et paulò pòst idē Bernardus, *Primus homo Adam amisit superiorem partem consilij, & non posse peccare: corruit enim de non posse si voluisset peccare, in non posse non peccare, amissa in totum consilij libertate, per propriam quippe libertatem seruus peccati factus, merito perdidit libertatem consilij. Quamobrem cum homo in honore esset non intellexit. & comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, vt scribitur Psal. 48 *Hunc honorē seruauit quandiu nō peccauit, hūc amisit, quia non seruauit, peccauit, quia liberum et fuit. Datum autem liberum arbitrium peccandi non vt peccaret, sed vt glorioſior appareret, si nō peccaret cum peccare posset. Nec fuit ideo culpa dantis Dei, sed abutentis. vnde non Deo vitium hoc adscribitur, sed vitio voluntatis lapſum tamen ex voluntate, non perinde atque ex voluntate resurgere tam liberum habet: quia etsi voluntati datum fuerit posse stare ne caderet, non tamen resurgere datum si caderet. Sola voluntate cecidit homo in foueam peccati, sed non sufficit ex voluntate vt possit resurgere, quod tam & si velit non possit non peccare. Neque tamen perdidit liberum arbitrium, sed liberum consilium.* Manet itaque post peccatum etiam liberum arbitrium, & si miserum, tamen integrum: liberum enim arbitrium non potentem, non sapientem facit creaturam, sed volentem. Quamobrem in operatione bona ex libero arbitrio duobus egemus.

¶ Prouocamur namq; à voluntate & libero arbitrio, ad bo-

ni ope-

ni operationem, sed egemus diuino auxilio, quia vt scribitur Sapient. ca.16 b. vers.14. *Homo occidit per malitiam quidem animam suam: & cùm exierit spiritus, non reuertetur: nec reuocauit animam quæ recepta est*: ostendens hominem quidem per se labi posse, sed non per se resurgere occidendo per peccatum animam suam, non corpus, & ita intelligi quod in Psalmis dictum debet, Psal.77 *Spiritus vadens & non rediens*: vadens, per se à gratia decidens per peccatum: non rediens, ad gratiam per se sine Dei ope. Quod tamen aliqui insulsè crediderunt de spiritibus à corpore solutis, quos non posse redire psalmographi authoritate concludunt. Nemo itaque propria sola voluntate saluari potest, neque tamen sine ea saluatur inuitus. Et quanquam scriptum sit D.Ioan. cap. 6. *Nemo venit ad me, nisi pater traxerit illum.* Et D. Luc. cap.14. *Compelle eos intrare*: Velleque Deum omnes homines saluos fieri, 1.ad Timoth. 2. Nullum tamen existimat Deus dignum salute, quem antè non probauerit voluntarium. Et hic illius est scopus dum terret, dum percutit & flagellat: id enim facit, vt reddat voluntarios quos non vult saluare inuitos, vt ex malo in bonum mutet voluntatem, sic enim transfert, non mutat libertatem. Notandumque semper, tractionem illam non esse inuitorum. Nec enim cæcus Paulus dum trahebatur ad manus, contristabatur, vel erat ideo afflictus, neque inuitus tractus Damascum, sed volens Actuum 14. sic nec inuitus designatur animus, dum dictum in Canticis sacris Cant.1. *Trahe me post te, illud enim quod sequitur, ind cat, in odorem unguentorum tuorum curremus.* Trahimur etiam à propriis concupiscentiis, sed quomodo? non inuiti, sed illecti, Iacob. 1. Sic *D.* Paulus 1.ad Rom.7. Inuenio aliam legem repugnantem, &c docent & nos scripturæ sacræ, Deũ trahere nos voluntarios & semper nostram voluntatem exposcere, ad salutem nostram conciliandam. *Fili mi*, inquit, *præbe mihi cor tuum*, Prou. c.23. c. *Deus ab initio constituit hominem liberum, & reliquit eum in manu consilii sui: adiecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te: apposuit tibi aquam & ignem &c.* Eccl.15. & alibi, Luc. 13. *Quoties volui congregare filios tuos Hierusalem, & noluisti. Si audieritis me & volueritis me, bona terræ comedetis: quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum est.* Esaiæ 1. c.vers. 18. Rursum: *Ego sto, ait Dominus, ad ostium*

*& pulso, si quis aperuerit mihi ianuam, & audierit me, intrabo & cœnabo cum illo.* Apoc 3. Suntque alia his plura similia consultò omissa. Duo igitur observa in resolutione liberi arbitrii, quatenus per ipsum operamur: nempe gratiam Dei & voluntatem nostram ad bonorum actionem, alterum enim sine alio non operatur, in quo plures lapsi sunt: alii, quòd soli arbitrio sine gratia, omnia tribuunt: alii, quòd nihil voluntati hominis, sed omnia gratiæ, & cuidam veluti fato, assignauerint. In primo errauit Pelagius, vt scribit *D.* Augustinus contra eum, & Faustus Episcopus, & alii nostri poriissimùm Caluiniani lib. de liber. arbit. c. 1. Nam in libero arbitrio, si tollatur voluntas, vbi quæso ipsa est veritatis origo virtutum? Si gratia tollitur, vbi constituemus bonorum ipsam causam meritorum? vt ait D. Ambr. libr. 1. de vocat. gent. c. 1. & rursum lib. 2. de vocat. gent. cap. 2. libero arbitrio possumus acceptare bona, sed tamen ideo boni non sumus, nisi fecerimus: & aliud est habilem esse ad bonum, aliud esse bonum: sicuti non omnis sanabilis sanatur, nec reparabilis reparatur: quia reparabilem & sanabilem esse de natura est, sanatum autem & reparatum esse, ex gratia. Audiendus iterum *D.* Bernardus, *Tolle*, inquit, *liberum arbitrium, non erit quod saluetur, tolle gratiam, non erit vnde saluetur: opus hoc saluti sine duobus effici non potest, vna à quo fit altero cui & in quo fit, Deus auctor est, salutis: liberum arbitrium tantum capax. Nec dare illam nisi Deus, nec capere eam nisi liberum arbitrium potest.* Quod ergo à solo Deo, & soli libero arbitrio datur, neque absque consensu accipientis esse potest, nsque absque gratia dantis. Et ita gratiæ operanti salutem, cooperari dicitur liberum arbitrium dum consentit, hoc est, dum saluatur: ideo nec pecora saluari possunt, quia non habent naturalem consensum, quanquam habeant naturalem appetitum, vnde *D.* Augustinus lib 1. ad Simplic. quæst. 1. *Hoc enim restat*, inquit, *libero arbitrio, in ista mortali vita: non vt impleat homo iustitiam cùm voluerit, sed vt se simplici pietate conuertat ad Deum, cuius dono, id est gratia, eam possit implere.* Succurrit etiam hac de re D. Chrysostomi adferre testimonium, tomo 1. homil. 58. in Genes. *Persuademus*, inquit, *nobis, quod licèt infinitè egeamus, nihil tamen prorsus rectè agere possumus, nisi superna gratia adiuti: sed sicuti nisi eam habeamus, nihil agere possumus rectè, ita nisi id quod nostrum est, attulerimus, non poterimus superum acquirere fauorem.* Attamen illud sciendum est ve-

est, verissimum esse quod ait Mercurius Trimegistus ad Tatium, in Pimandro sermo.4. *diuina officia præcedere, & humana sequi debere.* Demus igitur operam vt & nostra adferamus, & supernum fauorem alliciamus, vt ex nostro studio, & *Dei* misericordia virtutes nostræ quotidie crescãt, multaq; superna fruamur gratia. Sic intelligenda sunt verba illa, *sine me*, inquit Deus, *nihil potestis facere.* D. Ioan. Euangelist. cap. 15. Et illud Psal. 126 *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilant qui custodiunt eã*, & illud. *Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei.* Propriis enim viribus, nihil posse nos exequi satis patet & quisq; fatetur. Cæterùm nunquam ob deficientem *Dei* opem defectus noster accidit, ipse enim semper ad nos iuuandos se paratum exhibet, cùm omni ferè momento, vt illum recipiamus, aures nostras & conscientias interpellet & conuersionem à peccatis desideret. Sed nos insensati, & tardi corde, semper vel plerunque resistimus Spiritui sancto, & bona Dei monita & opem etiam non quærentibus exhibitam, procul, ingratissimi & scelesti amandamus. Vnde iure nobis exprobrat per Iesaiam *Deus* beneficia assidua, c. 5. a. ver. 3. & 4. *nunc ergo habitatores Hierusalem & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam: quid est quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? &c.* Labimur itaq; per nos ipsos facilè, &, facilis descensus auerni, sed reuocare gradum, hoc opus, hic labor est, vt aiebat Virgilius. Porrò quidam curiosè conqueruntur, cur Deus qui omnia præuidet, quique omnia potest, hominem creauit liberum arbitrio, postquam sciuit illum sua libertate casurũ? Cui respondere sufficeret, quia ità placuit. Cæterùm quia diuina & perfectissima opera Dei, néve ob ignorantiam prætextu pietatis calumnientur, recipiant eiusmodi solutionem *Deum* ad imaginem suam & similitudinẽ creasse hominem, vt scribitur Genes. 2. oportebat itaque, vel rationi bonitatique congruebat, opus ad imaginem & similitudinem *Dei*, liberi arbitrii & suæ potestatis institui: in hoc enim similitudo Dei, in arbitrii scilicet libertate & potestate. & insufflatio illa *Dei*, vnde animatus homo, vtique liberè & suæ potestatis. Quin & non conueniebat vt homo qui totius orbis creatus esset Dominus, sui esset famulus. Et quia bonus tantorum Dominus per se esse debebat, nulla necessitas ad bonũ vel malum illi indita, sed libertas boni sponte agendi, & mali repudiandi cõcessa, & libertas illa bona ob maius meritum: nec potuit esse

respe-

respectu authoris mala, verùm respectu motus libertatis, quo malè vsus homo ad malum est, mala: non à Deo ita habens originem, sed ab homine, qui transgressus est voluntariè & nulla necessitate, nec causa mali ad Deum reuolui potest, quòd is arbitriũ concesserit liberum: a quum enim sint, vt qui iustè concessit vt aliquo, pro arbitrio eius cui concessit, vti permitteret. Nec oportuit illum prohibere lapsum. nam eo ipso donum arbitrii & libertatis, reciderat & mutasset voluntatem Deus, & temerè, quod abiit loqui & proferre, quæ prudenter præscripserat, subuertisset. Et quanquam seductus fuerit Adam ab angelo Sathanæ, tamen non causa peccati Deus. Dederat namque arma illi Deus ad propellendas insidias, libertatem arbitrium, & præcepti præscriptionem, cum prædictione mortis, quibus resistere poterat: cùm opus Dei & ad imaginem Dei factum fortius esset angelo. Et hæc omnia eruditè docuit Tertullianus libr 2. aduers. Marci. & D. Irenæus libr. 4. ant. hær. cap 72.

Docet & pluribus Damascenus lib. 2. de Orthod fid. cap. 25. & cap. 27. quare liberæ potestatis & arbitrii facti sumus. Et D. Cyrillus Archiepisc. Hierosolym. catechesi illuminatorum 7. ostendit fortius esse arbitrium dæmone. *Liberum*, inquit, *arbitrium habet anima, & potest quidem Diabolus incitare, id cogere autem non potest præter voluntatem omnino. Subijcit tibi fortationis cogitationes, si eis probas: si nolis improbas. Si enim ex necessitate fortareris, cuius gratia Deus gehennam parasset? & si natura, & non voluntate ista ageres, cur Deus coronas pararet? Mansuetum namque est animal ouis, neque tamen illa propter mansuetudinem coronatur: quoniam illa mansuetudo non à voluntate, sed à natura illi inest.* Et rursum idem catech. 7 illuminat. *non ex necessitate, sed ex voluntate in sanctam Dei adoptionem deuenimus, qua Dei gratia egit, dum ad opus bonum transgreditur.* Concludamus itaque cum D Hilario in Psal. 118. Quòd seruitus nostra, vt in fide seruitutis maneat, misericordia Domini indiget. Imbecilla enim per se aliquid obtinendi, naturæ infirmitas. Et hoc tantùm naturæ suæ officium est, vt aggregare se in familiam Dei velit & cœperit: diuinæ verò misericordiæ est, vt volentes adiuuet, incipientes confirmet, adeuntes recipiat. Ex nobis autem initium est, vt ille perficiat. Et hæc hactenus de libero arbitrio, loco compendii, voluntatis humanæ, dicta sint.

Obser-

Obseruandum adhuc tamen liberum arbitrium aliter accipi, cùm Deo tribuitur, aliter cùm Angelis, & Sanctis, aliter cùm tribuitur hominibus. In *Deo* liberum arbitrium dicitur eius sapientissima & omnipotens voluntas, quæ nō necessitate, sed omnia prout vult, facit. Solusque *Deus* est, in quem peccatum non cadit, nec cadere potest. Liberum arbitrium sanctorum beatorum, & Angelorum bonorum est, vt ad malum flecti non possint, nec velint, confirmati in gratia & gratias non natura tales. Liberum arbitrium hominum in hoc seculo viuentium, in voluntatis peccandi & non peccandi. De quibus omnibus tractat Magister Sententiarum, & ibi commentatores libr. 2 tota dist. 25.

Coactio necessitásve pugnant libero arbitrio. Quæ enim necessitati subiacent, non contingit aliter aut aliter se habere, prout necessaria sunt, sed simpliciter talia dicuntur, vt scribit Aristoteles lib. 4. Metaph. cap. 5. Et ita contrarium voluntario necessarium posuit idem Aristoteles 5. Metamorph. cap. 5. & ineuitabile. Quamobrem & lib. de mundo scribit immobilem statum mundi, dici necessitatem, & ἀνάρμενην, i. fatum. eadem scribit Nemesius lib. de natur. hominum, c 39. quod maximè de necessitatibus à Deo determinatis intelligendum. de quibus & vulgare prouerbiū fuit, nec *Deum* vnquam cum necessitate pugnare: quod de diuinis necessitatibus intelligendum ducit Plato, stultissimam illam arbitratus sententiam, in necessitatibus humanis, quia supra eas est Deus. In his autem quæ determinat, minimè sibi contrarius, vt ille Plato scribit lib. 34. dialog. 7. de legib. Nam & lib. 3. in Critia vel de Athlantico bello, in *Deo* necessitatem omnino dicit esse voluntariam. Item in voluntarium pugnat arbitrio, veluti omne violentū, quod & per consequens acerbum est, vt scribit Aristoteles libr. 2. Eth. ad Eudem. per violentiam autem aliquid fit, quando principium actiuum, id est, causa extra est, vt scribit *D.* Ioan. Damasce lib. 2. de orthod. fid. c. 24. Et Nemes. lib. de nat. homi. c. 30. Et quia voluntatem diximus esse ex natura animalis rationalis, non mirum est, si dicamus, contrarium illi violentum, cùm violentum sit contra naturam, vt scribit Aristot. lib. proble. sect. 1. q. 6.

Licentia ex voluntate pendet agendi quod velis. quare quia illa sub libero continetur arbitrio, de illa non amplius: item etiam quia de illa sub potentia in facultate. Sic Vlpia. l. 1. de

l. 1. de hæred. institu. lib. 28. π. tit. 5. *Qui testamentum*, inquit, *condit, plerumq; initium facit ab hæredis institutione, licet tamen ab exhæredatione incipere.* licet. hoc est, in voluntate disponentis situm est. Et Constantinus Cæsar licentiam disponendi, interpretatur facultatem, prout voluerit testator, disponendi. in l. 1. de sacrof. Eccl. lib. 1. C. titul. 5. Notandum tamen est aliter licentiam vsurpatam vt malam, cùm quis putat sibi iure licere, quod iure prohibetur, & hęc plectitur. in can. placuit. 21. q. 2. in 2 par decre. Gratia. Et sic non omnia expediunt, nec honesta sunt quæ licent, hoc est, quæ exequi facultate & actione corporali possumus, quæ iure prohibentur, vt scribit Paulus Iurisc. l. non omne, l. 186. de reg. iur. lib. 50. π. tit. 17. hoc enim voluntas mala corrumpit negotium, quod secundùm iustam voluntatem non sit. Alia verò licentia, bona & iusta. Permissio etiam ad arbitrium liberum refertur. Sicuti ex lege Scueri & Antonini constat. l. 1. titulo de ædifi. priua lib 8. C tit. 10. *potes*, inquit, *ædificare balneum forma permissa, vt desideras*, & ibi desiderium ad permissionem refertur. Et qui ex permissione prætoris ire potest, liberè ire potest, & prohibitionem tollere eius remedio. vt scribit Vlpianus in l. 1. ne vis fiat ei qui in possess. ire iussus est lib. 43. π. tit. 1. Quod autem permissio voluntatis sit, & ad hucillud probat, quòd is cui aliquid permittitur facere non teneatur, si nolit facere, nec permissio inducat necessitatem, vt scribit Papin. Iurisc. in l. non quicquid, l. 40 de iud lib. 5. π. tit. 1. hæc permissio de futuro videtur esse, sicut & quæ opponitur, prohibitio, quæ est de eo quod fieri debeat, vt scribit Constanti. Cæsar in l. fin. de pact. pigno lib. 8. C. tit 35. Vtraque prohibitio nempe & permissio, verbo & facto fit; verbo, dum fieri vetat vel lex vel homo, testamento, vel contractu, vel mandato: vel permittit facto, dum vi quid fieri prohibetur, vel vis agenti opponitur. Et hæc in iure pertractando passim se offerunt.

Passiones animæ sunt cõcupiscibiles appetitus, & irascibiles, de quibus seorsim dictum est, & videbis eas in diuisione appetitus. Galenus tomo 3. circa princ. lib. de symptomat. differen. de passionibus ita loquitur, *In summa*, inquit, *ipsum affici idem quodammodo quod pati est, differtq; ab effectu. affectione, & motu quippe cessante eo quod alterabat, alterato quæ in potestate manent, affectum eius est, ita scilicet, vt in ipso verti & mutari & alterari, & moueri passio ge-*

*sit generationem habeat, in eo verò quod manet, & in subiecto corpore reservatur affectus constat. iam ipsum quoq; permanentem affectum Græci passionem nominant, velut etiam quod iam fecit, vel etiamnum facit, causam.* Et paulò pòst eod. lib. Galen. *passionem ab actione discreuimus, tanquam quod fit ab eo quod facit sicut morbum à sanitate, velut id quod præter naturam est, ab eo quod secundùm naturam.* Spes à Viguerio definitur, in institutio. Theolog. c. 1. §. 10. vers. 1. vbi de spe agit, vt sit immutatio appetitus rationalis in bonum sensibile, arduum quod potest adipisci. Qua finitione, inquit, declaratur obiectum habere, quatuor conditiones, per quas actus spei differt ab aliis passionibus ad Roman. 8. quod obiectum sit bonum, quia spes non est nisi de bono. Mala enim non speramus nisi sub ratione boni, id est, nisi quatenus mala bona ducimus, sed ea timemus. Secunda, Quòd illud bonum sit arduum, & cum difficultate possit adipisci: nemo enim dicitur sperare id quod potest, dum voluerit consequi statim: in quo differt à desiderio. Tertia, quòd illud bonum sit futurum, quia de præsenti non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? vt ait D. Paulus ad Roma. 8. Et in hoc differt à gaudio, quod est de bono præsenti. 4. quòd illud bonum sit possibile adipisci, non enim speramus impossibilia, in quo differt à desperatione: est enim desperatio, impossibilium imaginatio, ad quam peruenientes homines, cessant à boni persecutione. spes autem persequitur, cessatque desperatio. Et Aristoteles sectio. 30. Probl. q. 6. scribit nos boni futuri spe delectari, non autem rei tristis. Et lib. 2. Rhetor. ad Theod. c. 5. spem esse rerum salutarium. De spe plura proprio tractatu in virtutib. dicta in Syntaxi nostra videre potes. lib. 39. c. 22. 23. 24.

## *De Regulis appetitus.*

## CAP. XLV.

APpetitus legem & interpretationem potestatis & effectus accipiunt, secundùm naturam rerum propriam, de quibus appetitus dicitur. Alius enim & minor appetitus solùm naturalis. Maior plantæ, hoc maior animalis & fortior, quia melioribus organis ducitur, nempe sensibus. Sed excellentior in hominibus, quia voluntas libera. Constantior in Angelis. Sed sine comparatione & omni-

no excellens, voluntas Dei, cuius sit nomen benedictum in æternitate æternitatis, amen.

Quò magis voluntas accedit ad maius bonum, eò præstantior: Quantò magis ad malum, eò peior.

Operum quæ motu voluntario fiunt, alia libera sunt, alia affectibus corporum seruiunt: priora, à nobis absque impedimento fiunt: posteriora verò non perpetuò, sed in tempore & cum mensura. Nam ire ad aliquem, alium que alloqui, & capere aliquid & recipere, absolutè libera sunt. Egerere verò & mingere corporis affectuum sunt remedia. Atqui nonnulli tacuerunt annum integrum, eoque amplius, idque sponte sua, egestionem verò vel vrinam retinere, non modò annis, sed nec mensibus quidem paucis nemo potuit, quod & de respiratione quoque dicendum, vt scribit Galenus lib. 2. de motu musculor.

Quod est per se concupiscibile vel desiderabile, vel voluntate appetibile propter se, quia bonum: in eo, voluntas melior perfectior, & præstantior, eoquòd desideratur propter aliud.

Motus omnis corporis animalis, per se est voluntarius in homine, cùm ille per eam sedari & instigari possit, vt eundo, sedendo, ambulando, &c. Galenus libr. 2. de mot. musculo.

Deus, imò & iudices, magis ad cogitationes & spontaneas voluntates, & quo animo quid fiat respiciunt, quam adactas simpliciter, vel ex necessitate contingentes. can. si quandoque, 15 q. 6. in 1. par. decre. Quia ad causam priùs seu ad voluntatem, quàm ad factum ipsum recurritur. In can. occidit, 23. q. 8. in 2. par. decre & can. aut facta de pœnit. dist. 1. Ea namque voluntas, tanquam actuum fundamentum, distinguit maleficia & actus, veluti si quis fores meretricis, libidinis causa fregerit, & res illius subtractæ sunt, non furti actio, sed alterius delicti est, & si furtum videatur, vt scribit Pap. in l verum. l. 40. de furt. lib 47. ff. tit. 2. de quibus in delictis plura Deo fauente videbis in lib. 30. Syntagmatis iuris vniuersi, cap. 2. Duo autem in summa sunt, quæ actus humanos perficiunt, voluntas & potestas.

l. nullum interest, si quis alte. vel sibi c.

Boet. in Topic.

Deui-

*De virtute.*

## CAP. XLVI.

THEAGES Pythagoricus libr. de virtutibus dixit de virtute, ὅτι ὅλα καὶ ἅπαντος ἀρετὴ συνέχει τὴν κοινωνίαν, καὶ τὰν ἐν θεοῖς, καὶ τὰν ἐν ἀνθρώποις, i. *quod virtus continet vniuersa, & communionem quæ inter Deum & inter homines est.* Et D. Gregorius Nyssenus lib. 5. de creat. hom. siue de voluntario, c 5. *omnino*, inquit, *eius quod facimus, virtutem habemus, quorum virtutem non habemus, horum nec operationes.* Cùm itaque nihil sit in rerum natura, quod vim atque virtutem non habeat, operæpretium est, quoddam generale principium constituere, ad quod virtutes rerũ, tanquam ad genus referantur. Quomodo autem in singulis propriæ vires & virtutes insint, illud ex sequentibus patebit. Quamobrem dicamus, quid significet virtutis nomen, & quæ sit eius substantia. Cicero virtutem à viro dictam esse vult 2. Tusc. ul. Item Varro 4. de ling. Lat. *virtus, vt viri*, inquit, *vis à virilitate.* Et Seuerinus Boetius lib. 4. de consolat. prosa 7. *virtus*, inquit, *vocatur, quod suis viribus nitens non superetur aduersis.* Ego & virtutem & virum à viriditate, quia dum quædam res viret, est in maiori efficacia suæ naturæ: ante namque virorem, crescit, post virorem, aliquid efficaciæ amittit, & concoquit quæ viriditate acceperat. Consentit Cassiodorus, qui enarratione in Psalmum 139. *virtus*, inquit, *à viriditate dicta est, quæ nescit aliquo labore marcescere.* Euthymius autem Zigabonius Græcus author, enarratio. in Psal 83. *virtutem ideo dictam esse existimat*, quia viribus potentiorem hominem illum reddit, qui eam amplectitur: vel vtrumque à vi. Sic enim scribit Lactantius lib de opifi. Dei, c. 12 *Plus roboris moribus attributum est, quò facilius ad patientiam iugi maritalis, fœmina cogerentur. Virtus itaque nominatus est quod maior in eo vis est, quàm in fœmina. & hinc virtus nomen accepit.*

Vitium Græci dicunt κακίαν, ἐλάττωμα, virium, detrimentum, diminutionem. Plato libr. 23. in Cratylo. κακίαν opponit ἀρετῇ, aitque se ignorare vnde dicta ἀρετὴ, κακίαν autem dictã quasi κακῶς, ιον, malè vadens. hinc & Hebræis חסר choser & מחסור macheser, defectus dicitur vitium, quia à perfectione est defectio, dicunt & חסד chesed &

חרפה, cherpah, opprobrium, crimen, & vitium, & גדופה, dophi, calumniam, & vituperium, item פדופה pedephah, idem.

Portò quid ea sit virtus, prout generaliter accipitur nomen; hoc à nobis, tam ad corporalia, quàm spiritualia extendentes, possumus variis authorum antiquorum determinationibus ostendere: quædam tamen, non omnia, nè opus immensum sit, adferemus. In primis illam Hyppodami Pythagorei finitionem, qui lib. de fœlicita. sic virtutem in vniuersum definit. doricè, ἀρετὰ τᾶς ἑκαστᾶ φύσιος καὶ ἀκρότας καὶ τελειότας ἐστί. *Virtus*, inquit, *vniuscuiusque natura & excellentia & perfectionis est.* Et Cicero 1. de legibus: *Virtus mihi aliud est, quàm in se perfecta & ad summum perducta natura.* Sic contrà, vitium, quod perfectam inducit corruptionem, vt scribit Philo Iudæus libr. de deterius perfectiori insidietur. Suidas in verbo ἀρετὴ, ait virtutem esse habitum optimum per quem id in quo ea est optimum fit, & suum munus rectissimè præstat: & quòd virtus, secundùm naturam est, vitium contrà. Probè certè videntur hæ finitiones, sed magis naturam exprimere mihi videtur illa Aristotelis 1. Rhetoric. c. dum ait, virtutem esse δύναμιν περιστικὴν ἀγαθῶν, καὶ φυλακτικήν, δύναμιν ἐνεργετικὴν πολλῶν, καὶ μεγάλων, καὶ πάντων περὶ πάντα, hoc est, *facultatem bonarum rerum conservatricem & conservatricem, facultatem beneficam bonarum & magnarum rerum, atq; adeò omnium per omnia.* Dicemus & rursum virtutem omnem, esse vim naturalem quandam, rebus inditam à Deo, quæ aliquid certum terminum perfectionis præscriptum habet. Nam, vt ait Virgilius lib. 6. Æneid. vers. 726. *omnia*

*Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus,*
*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Et

*Inde hominum pecudumq; genus, vitaq; volantum*
*Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus, &c.*

Constituit enim Deus rebus omnibus propriam vim & speciem communem, terminos imposuit homini, quos præterire non potest, Iob cap. 14. a. versicul. 5. constituit & terminos violentis maris, in quos confringat fluctus suos; ostenditque auroræ locum & cubiculum suum. Iob c. 38. a. vers.

vers.11. 12. & 13. Et Actuum c.17.f. vers.26. Deum fecisse vniuersam terram ait *D.* Paulus, & definisse tempora certa, & tempus habitationum hominum. Describit idipsum in reliquis rebus per singula Dauid Psal. 103. qui postquam sigillatim scrutatus est Dei admirabilem in singulis sapientiam, subdit *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur benedictione aut bonitate: auertente autē te faciem, turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & reuertentur in puluerem suum. Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Sit gloria Domini in seculum, lætabitur Dominus in omnibus operibus suis. Qui respicit terram & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant.* Ex quibus verbis constat res omnes corporales nihil præter terram esse & puluerem, vim autem eorum & virtutem à Spiritu Domini promanare. Sic alibi Sap. c.1, scribitur, *quod Spiritus Domini replenit orbem terrarum* Et Psal. 32. b. *verbo Domini cœlos firmatos & Spiritu oris eius, omnē virtutem eorum:* Et in mundi Genesi, Gen.1 illa erat Spiritus Domini, qui מרחפת על-פני המים merachephet gnal pene hamaim, id. *qui incubabat vel fouebat illam informem materiam primam*, hoc est, qui dabat seorsum cuique rei propriam vim, cùm tamen omnia simul, ipsius *Dei* respectu facta, & intuitu Spiritus sancti, qui omnia cum Patre & Filio simul creauit, vimq; propriam cuiq; creando infudit, & vitam: quamque cùm voluit præscindere *Deus*, ob scelera quæ ante cataclysmum increuerant, rectè subtractione Spiritus sui, expressit, dum Gen. c.6. a. vers.3. dixit *Deus, Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntq; dies illius centum viginti annorum.*

Cùm itaque perfectiones omnes rerum à Deo sint proculdubio, dicemus virtutem omnem ab eo emanare. Nam & Galeno lib.7. de Hippocr. & Plat. decret. virtus, est vniuscuiusque naturæ perfectio, quò fit, inquit, vt cùm in vnaquaque re vnum sit optimum & vnum perfectum, consequenter & vna virtus erit. Et vbiq; quæq; res esse habet, ibi & virtus est. Sic etiā Aristoteles inquit, talem in homine ponit vnicam virtutem, eò quòd habeat vnam perfectionem, rationem scilicet; hanc autem dicit scientiā: vt vnū vitium, scilicet ignorantiam vel inscientiam. Chrysippus autem plures, quorum & componit lites, dum ait, *Cùm in homine tres diuersa partes putantur, scilicet pars rationalis, ira-*

*scibilis, & concupiscibilis, diuersa quadam virtutes inesse videntur vt in rationali prudentia, sapientia, vel scientia: in irascibili, fortitudo: in concupiscibili, temperantia. Aristonis probatur sententia, vt vnica existente facultate in homine, qua ratiocinamur, vnica sit virtus malorum scitucet & bonorum scientia. Qua quidem scientia cùm bona sunt eligenda, & fugienda mala, temperantia: cùm agenda sunt bona, mala non agenda, prudentia cùm alia fidenter suscipit alia detrectat fortitudo: & cùm vnicuique, prout conuenit, distribuit, iustitia nominatur. Sic virtutes reliquarum partium separata sunt, tantùm habitu & potentia.* His subscribit Seneca lib. 9. Epistol. epist. 67. *Ratione*, inquit, *par est ratio, sicut rectum recto, ergo virtus: ergo & virtus, non aliud quam recta ratio.* Magna autem inter se habent discrimina virtutes, variante materia, quæ modò latior est modò angustior, modò illustris, modò ignobilis, modò ad multos pertinens, modò ad paucos, in omnibus autem his, id quod optimum est, par est, tanquam viri boni partes. Non aliter quàm ætates homini diuersæ, vnius hominis partes sunt. Sic virtutem dicemus sermonis & orationis perfectionem, ad quam peruenire debet. Et vitium, declinationem ab illa, & corruptionem illius, veluti Galenus lib. de Sophisma. in verbo contingentibus. *Dictio*, inquit, *habet vim in significando, quæ si corrumpatur, perdit vim suam.* Orationis autem virtutem vnicam ego existimo, nempe aptè dicere: sicut vitium, ineptè dicere: atque partes illius virtutis, dixerim non virtutes: quas vocat virtutes tamen in oratione M Fabius Quintilian. lib. 1. cap. 9. nempe quòd dilucida, emendata, & ornata sit oratio per eas, hæc enim ad vnum referuntur, nempe aptè dicere. Sic Plato etiam in Gorgia dixit virtutem, vim cuiusque instrumenti, siue corporis, siue animæ, & eorum quæ ordine, rectitudine & arte cuique tradita sunt. Quia virtus, vnum quoddam à materia semotum & nuper mixtum. Qua ratione Menedemus Erithrensis multitudinem ac differentias sustulit, vt & Zeno, vt scribit Plutar. lib De virtut. Moral. Rursùm Plato dial. 4. de Repub. vel de iusto *Vna species mihi virtutis occurrit: prauitatu verò, innumera.* Quod existimo dictum, quia vnicus est terminus, vna via qua res perficiuntur: plures autem viæ quibus à perfectione aberratur. Non secus ac vna via, scopus potest à sagitta percuti, cùm pateant plures vndique modi aberrandi. Et Origenes parte 2. homil. 9.

mil. 9. c. 16. in Ezechielem, scribit etiam, quòd vbi peccata sunt, ibi multitudo: vbi virtus, ibi vnio & singularitas. Notandum tamen esse admoneo, virtutem non in omnibus elucere, quanquam virtutis sint capacia. Nam omnia quidem disposita sunt potentia ad vim illam & gradum propriè perfectionis, generi vel speciei concessum attingendum & recipiendum, veruntamen non omnibus, nec semper contigit eousque peruenire: vel quia ante tempus pereunt, vel quia robur quod exigitur naturale deficit, vel extrinseco vel intrinseco aliquo accidente prohibentur. Sic seges ad propriam virtutem & maturitatem non semper peruenit: quia vel herba depasta est, vel radices vermibus exesæ, vel grandine, vel calamitate alia cœli vel soli perculsæ: vel deficit humor, & huiusmodi ob causas similes, ignis vim etiam perpetuò non exerit, ob humectum nimiũ vel aquosum lignum. Non petit altum leue, vel igneum, reflexum in medio itinere. Nec graue petit deorsum, sursum violenter adactum. Sic non semper, nec omnes pariter homines virtutem exerunt: vel mollitie, vel negligentia, vel alio quouis prauo impedimento, aliò declinantes & aberrantes. Excedunt etiam ab ea in pluribus. Quamobrem & si potentia ad virtutem nati sunt, virtuosi tamen non nascuntur. Sed ex frequentibus habitibus, talis paratur habitus virtutibus. Vt verè omnino dictum sit, omnis virtutis laudem in actione consistere. Quod tractat Aristoteles pluribus in locis, sed potissimùm lib. 5. Magno. mor. c. fin. & Cicer. 1. Offi. dum agit de prudentia. Qua in re differt à potentia virtus, quæ actu consideratur non simpliciter potentia. Nam cùm fuga & persecutio in actu sint, & actione, meritò & virtus & vitium, huiusmodi erunt. Nam, vt scribit Lactantius libr. 6 *Virtus nihil aliud est, quàm vitium fugere*, quod & Horatius scribit lib. 1. Epist.

*Virtus est vitium fugere, & sapientia prima*
*Stultitia caruisse.*

Et Hyppodamus apud Stobęum, συμπεραίνει τὰς πράξεις, ἀρετὴ καὶ τύχα, 1. *concludit actiones virtute & fortuna.* Quamobrem dicuntur virtutes hominum, viæ ad fœlicitatem apud D. Greg. Nazian. oratione de pauperibus amandis, viæ inquam, qua proficimus per eas eundo. actionem signantes, non potentiam, quæ extra actum. Et ita etiam Aristoteles 1. Ethic. c. fin. interpretatur fœlicitatem animæ operationem per virtutem D. Augustinus

lib. 4. de ciuit. *Dei*, c. 12. in homine virtutem tradit esse artem bene viuendi. Et Plutarchus libr. *De* liber. educan. nomine philosophiæ scribit contineri virtutem siue philosophiam veram, quid honestum, quid turpe, quid iustū, quídve iniustum: quid sequendum, quídve vitandum: quæ parentibus, grandioribus natu, peregrinis, vxoribus, liberis, amicis, seruis, magistratibus debeamus.

*Explicatio summaria diuisionis virtutis.*

## CAP. XLVII.

DIuisionem virtutis tradidimus libr. 4. Syntaxeon, c. 7. quam breuiter nunc interpretabor. Virtus superintellectualis dicitur, quæ excedit captum & mentis comprehensionem. Nemo enim nouit mysteria abscondita æternæ virtutis, veluti, quæ sit illa virtus, & quanta, quæ iussu, verbo, voluntate omnia perficiat, quæ velit. Et tamen fieri ita negare non possumus. Et hanc maximè mirati sunt in Christi miraculis homines, cùm ad eius imperium, omnia etiam bruta obedirent, & huic virtuti cederent, veluti quando excitatus à somno in nauicula, ab hominibus ibi ventorum ingentibus flatibus vexatis, surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, dixerunt, *Qualis est hic? quia mare & venti obediunt illi* Matth. c. 8. d. vers. 26. & Luc. 8 d. & Marci 4 d. Et apud *D.* Marcum, Marci c. 1. c. vers. 27. postquam Dominus *Deus*, vt verus homo IESVS CHRISTVS, obsessum à dæmoniorum legionibus, solo iussu sanauit, & cohibuit dæmonia ne loquerentur, permittens eos in gregem porcorum ingredi, mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se, dicentes, *Quidnam est hoc? quanam doctrina hac noua? quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* Sic dixit Deus solum fiat, & facta omnia sunt. mandauit, & creata sunt. Psal. 32. d Fiat lux arida, stellæ, &c. & facta sunt Genes 1. *Et verbo Domini, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Psal. 32. *Et fecit omnia verbo Deus.* Sap. 9. a. Verbum enim illius tantæ virtutis est, in effectu quantum significat, fiat. Quod nouerat Centurio ille Lucæ 7. *dic tantùm*, inquit, *verbum, Domine, & sanabitur puer meus.* Et hoc maximum signum potestatis diuinæ, ostensum incredulis, quòd propria auctoritate, verbo solo, siue alio modo, tam egregia & stupenda opera fecerit: vt verè discipulus ille Cleophas dixe-

dixerit, *potentem enim esse in opere & sermone.* Luc. 22. 6. & ipsemet Christus in Euangelio D. Ioan. c. 10. E. & 5. testatur. *Opera*, inquit, *quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me: si mihi non vultis credere, operibus credite.* Quod alibi repetitur. D. Ioannes Euang. c. 5 c. 14. & c. 15. & Dauid testatur etiam Psal. 71. *Benedictus Dominus qui facit mirabilia magna solus.* Sed dicet aliquis, quomodo existimas illam virtutem esse miraculorum superintellectualem, nónne fato, vel cœlesti virtuti occultæ, tribuere eam possimus, num & angelis prauis & malis hominibus, qui in hoc cum Deo pares essent, si miraculorum vis à Deo tantùm proficisceretur? Respondebo, multum inter genera miraculorũ, & modum operandi creaturarum & Dei interesse. Nam Deus facit mirabilia magna solus, nullo alterius egens adiutorio: Angeli autem boni vel mali, & homines, Dei adiutorio indigent, vt scribit Cassiodorus in enarratio. Psalmo. in Psal. 71. Et miracula quidem facere, Deum esse non demonstrat facientem, sed nomine & propria auctoritate facere. Quod Lystris explicatum ab Apostolis, cùm ille populus vellet sacrificare D D. Paulo & Barnabæ, quòd D. Paulus claudum sanasset habentem fidem Iesu, cui dixerunt, iam iam illis victimas mactare properanti, *Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis, homines annunciantes vobis conuerti ab his vanis, ad Deum viuum, &c.* vt legitur in historia Apostolorum Act. 14. c. 15. Sic *Dæmonum* ministerio interdum prædigia & interdum contra consuetum ordinem quædam naturæ Deus concitat, vt tentet, vt probet, vt puniat. Sic mulier Pythonissa dicitur suscitasse Samuelem 1. Reg. 28 Sic magi coram Pharaone, prodigia & signa æqualia ferè fecerunt signis Mosis *Exodi* 7. Et mali etiã signa non in suã vtilitatem, sed in ingratitudinis suæ exprobrationẽ, vel aliorum vtilitatem faciunt, quib. tam miracula facta in nomine Dei, Deo recensentibus dicitur, non noui vos, ite operarii iniquitatis. Matth. 7. Quãquam D. Augustinus lib. 10 de ciu. Dei. c. 16. & Isidorus li 8. Etymolog. c. 9. quæ magorum præstigiis fiunt non vera, sed phantastica & falsa asserant. & scribitur in can. nec mirum. 26. q 5. in decret. Gratia. *Docet* & idem *D.* Augustin lib. *De* diuinat dæm. c. 3. quot modis futura prægnoscere possunt dæmones, & refertur à Gratiano in canon. sciendũ est 26 q. 4. Nec ignorandum est, quædam mirabilia, & ideo miracula nobis videri, quia incognita: & tamen non esse

præter ordinem naturæ. Et ideo nec miracula vera in se, sicuti vires occultæ rebus pluribus insunt, vel ratione substantiæ solius, vel ratione compositionis, vel ratione obiecti: quæ scientibus naturalia sunt: rudibus autem miracula & prodigia. Nam & D. Augustinus lib. de vtilita. credendi ad Honora. c. 16. miraculum vocat, quicquid arduum, aut insolitum supra spem & facultatem mirantis apparet, vt deliquium solis miraculo & terrori quampluribus & barbaricæ ruditati. Sic Nicias Athenienſium Imperator, pauore deliquii territus, gnarus causæ, veritus classem portu educere, opes Athenienſium afflixit, vt scribit Plinius lib. 2. c. 12. & Plutarchus in vita Niciæ. Quintil. in 1. & alii. faces stellæ decidentes è cœlo vt putantur, maximo terrori sunt vulgo, cùm id tamen vi quadam naturali fieri constet ex Meteorologicis. Quamobrem dæmones, eiusmodi nobis incognita, illis autem notissima ob subtilitatem & acumen ingenii nobis pro miraculis inculcant, & ita decipiunt, vt olim deceperunt populum idololatram. Concitant & pluuias & tempestates in aëre. & ventos. Cogunt enim in vnũ angulum terræ, materiam per aërem alibi dispersam & ea ex quibus generantur: nihil enim illi gignunt, cùm hoc Dei sit, sed collecta generata, quæ à causis naturalibus sunt, propellunt ac prouoluunt: & collisis inter se nubibus fragores edunt terribiles, & inde componunt & eiaculantur, σύνεφίας, τυφῶνας, πρηστῆρας, tonitrua, fulmina, & huiusmodi φάσματα, εἴδωλα, spectra, acies in aëre, & alia prodigia, in quorum compositione sunt miri & leues artifices, ex præiacente materia. Numquã enim aër, qui operculum est semper fumantis terræ, & sudantis maris proximũ, sine halitibus est, vel calidis, & siccis, quos ἀναθυμιάσεις vocant, seu calidis & humidis, quibus τῶν ἀτμίδων, nomẽ tribuerunt, etiã cùm purissimus apparet. Nunquã etiam nubibus vbique totus caret aër, quanquã alicubi cœlum conspiciatur serenum. Et hęc quidem sine dęmonis opificio fiunt naturæ aliquib. temporibus: & per dæmones quoque concitantur præter tempus, non contra naturam, non virtute sola dęmonis, sed materia dispositia in actionem ab illis coacta Dei permissione. Interdum etiã decipiunt illusionibus, & falsis ostentis, quæ nihil nisi vana simulachra sunt, dum præstringunt aciem oculorum, vel intus cogitationẽ peccatis obnoxiã sursum deorsum ire confundunt. Virtus

itaq;

itaq; Dei superintellectualis est, & ideo fortior reliquis & incircunscripta, siue procedat à Deo directè, siue indirectè, in nomine eius mediante hominum vel Angelorum ministerio. Sic in nomine Dei vel eius expressione, vel signis ex eius familia & gratia illius vtatur, superantur virtutes cœlestes dæmonum & naturales. Sic virga Mósis in nomine Dei deuorabat virgas magorum Pharaonis, Exodi 7. sic Num. 22. g. & 23. Balaam magus vocatus à Balac rege Moabitarum, vt malediceret populo Israeli, respondit, *Nunquid potero loqui aliud nisi illud quod Deus posuerit in ore meo.* Nec etiam Laban pater Lię & Rachelis vxorum Iacobi, maximus Orientalium magus, potuit nocere Iacobo, quem persequebatur, quia prohibitus est à Deo, vt ipse testatur Gen. 31. D. vers. 29. ad Iacobum dicens, *Valet manus mea reddere malum tibi, sed Deus patris tui, heri dixit mihi, caue ne loquaris contra Iacobum quicquam durius.* Labanum autem fuisse magum Orientalium, potissimum annotat Zober, & colligitur aperte ex verbis Hebraicis c. 31. Genes. Nam versu 19, vbi in versione vulgari legitur, *& Rachel furata est idola patris sui*, scribitur hæbraicè, ותגנב רחל את התר פים אשר לאבוה vetigenob Rachel & hateraphim aschet leabiah. *Et furata est Rachel Theraphim patris sui.* Haberi namque vocant, התרפים hateraphim, vt scribit Aben Ezra, imagines factas ad similitudinem corporis humani, sub certis horis & constellationibus fabricatas, quæ voces aliquas edebant, & secreta prædicabant. Ex quorum consultatione, futura præscrutari tentabant. Sic etiam Simon Magus Samaritanus Christianus factus, quod admiraretur D. Philippum prædicantem in nomine Dei, videnſque maxima signa & virtutes maximas ab eo Act. 8. cap. vers. 13. Demum ad vomitum reuersus & præstigia dæmonum à D. Petro superatus est in nomine Dei, vt scribit D. Clemens primus, libris Recognitionum. Sic D. Paulus in eodem nomine magum illum Bar-ieu vel Elymam excæcauit, veritati resistentem. Sic Apostoli *D.* Simon & Iudas, Iaroen & Arphexat, signo crucis & Iesu nomine, magos sceleſtissimos in Babilone vicerunt, vt scribit Abdias Episcopus Babilonię li. 6. historię apostol. Cedũt & illo nomine Christi *Dei*, dæmones serpentes & alia noxia, secundum potestatem concessam à Deo Christianis, qui fidem habent. Marci 16. Atque proculdubio, fide omnibus istius seculi rebus imperare possumus si piè potissimum & secundum

Deum viuamus. Marci c. 11. c. Quia dum gratia Dei restituti sumus in eius familiam, & filij facti Dei, cohæredes autem Christi, vt scribitur à Paulo, ad Rom. 8. tanquam filij, & quasi Domini in familia hac vniuersa Dei, in seruos & elementa, & mundum omnem imperium habemus: omnia enim nobis cum filio Deus donauit. ad Rom. 8. f. Quamobrem & cum Iosue audacter dicere possumus, quia & ille eandem fidem Christi quem expectabant patres, habebat, *Sol contra Gabaon ne moueatis, & Luna contra vallem Aialon*, quod egit postquam fudisset orationē domino, cuius virtute id iubebat, vt scribitur in eius libr. Iosue c. 10. c. vers 12. Dicamus porrò generali nomine virtutem Dei, superintellectualem; quia propriè virtute Dei, nominis est expers, quippè quòd eiusmodi sit supra hominem, tanquam heroica quædam & diuina: virtus nominis expers, quod Dei virtus, non est eo modo quo apud nos considerātur nostra. Præstantior siquidem omni virtute Deus, ac non virtute probus, nam tū virtus esset melior Deo. Quæ verba Aristotelis sunt lib. 2. Moral. c. 5. sed quæ Christianum dogma subolent. Nam & D. Dionys. Areopa. lib. de mystica Theol. c. 5. scribit illud τὸ ὄν quo Deum vocat, non intellectum, nec habere intelligentiam, neq; virtutem habere, neq; virtutem esse &c *quoniam*, inquit, *super omnem positionem est perfecta & singularis omnium causa, & super omnem ablationē excellentia omnium simpliciter perfectione, & summitas omnium*. Ideò dicimus non esse virtutem vniuocè, cùm rebus creatis communicata appellatione: & esse virtutem, modo alio quàm competat creaturis D. etiam Thomas in summa con. Gentil. c. 92. libri 1. scribit, virtutem diuinam, omnes virtutes complecti, vnde nec aliqua illarum in Deo secundum habitum dicitur, sicut in nobis, sed virtus sua est sua essentia. Deo enim non conuenit esse bonum, vt fit ex virtute per aliquid aliud superadditum ei, sed per essentiā suam, cum sit omnino simplex. Item vt ait Speusippus, li. De definitio. Platoni. quia virtus est dispositio & habitus optimus mortalis animalis, per se laudabilis, habitus inquam, secundum quem quod habet, bonū vocatur, & quia habitus est actus medius quasi imperfectus, nempe inter actus & potentias, authore Arist. 1. Magn. moral. c. 7. Et Horatius epist. 4.

*Virtus est medium vitiorum, & utrinque reductum.*

Deus autē habitus non potest hos medios habere, cùm sit per-

sit perfectissimus, aliter enim si imperfectus esset, non esset Deus, & illud magis Dei nomen mereretur, à quo is perficeretur. Et rursum, de genere accidentium habitus est: in Deo autem, nullum potest esse accidens. Postremò in parte sensitiua & ob passiones, virtus: passio autem, nec sensus, in Deo non cadit: est enim immutabilis, & semper idem, passiones autem mutationes, imo quædam quodammodo vitia sunt, quæ omnia procul à Deo relegantur sempiterno.

Probamusque rursum in Deo omnes virtutes esse creaturarum & creandorum. Quicquid enim potest virtus inferior, potest superior, id est, modo excellentiori sicut probat Seuerinus Boetius, lib. 5. de consolatio. & D. Thomas, quæst. de verit. 2. art. 6. quartum, &c. & quæst. 10. art. 5. & 1. par. quæst. 8. art. 1. & lib 1. contra gentil. c. 65. arg. 5. additque lib. 3. cont. gent. c. 79. ideo substantias intellectuales, inferiores regi per superiores. Nullus autem dubitat, excellentiorem & altiorē naturam Dei & essentiam, quam sit in creaturis omnibus: vel si dubitet stolide, necesse est fateatur vnum esse Deum, vt alibi probamus: si plures autem essent æquè excellentes & magni, essent & plures Dei, fieri autem illud non potest esse plures, ergo vnus omnium excellentiæ, præcipuus, & virtute supereminens. Ergo & omnium virtutum cumulo in se perfectus, non aliunde: quia si vna deesset, esset imperfectus, & sic neque Deus. De virtute Dei plures loci sacræ paginæ meminerunt, qualia, *Deus præcinxit se virtute.* Psalm 17. c. *Exaltare Domine in virtute tua.* Psalm. 20. *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Psal. 23. b. Et Luc. 1. d. *Virtus altissimi obumbrauit tibi.* Et Act. 19. vers. 16. *Virtutes non modicas faciebat Deus per manum Pauli.* Et 2. d. Petr. c. 1. c. *Notam fecimus vobis Dominum nostrum* IESV CHRISTI *virtutem.* Et Psalm. 63. *manda Deus virtuti tuæ &c.*

Cæterum, reliquas virtutes ratione spiritus vel animæ diuidit Aristoteles, in intellectuales & morales, lib. 1 Ethic. ad Nicom. ca. fin. Intellectiuas, sapientiam, prudentiam, & sagacitatem dicit. Morales, liberalitatem & temperantiam. Et idem lib. de virtutibus eadem diuidit secundum partes animæ, in rationalem, concupiscibilem, & irascibilem, vel animosam. Plato etiam, & apud Diogenem Laertium libro 7. de vit. Philosoph. Zeno dicebat, aliam esse quidem communiter omnibus, perfectionem, veluti statuæ; aliā in-

uisi-

uisibilem, veluti sanitatem: aliam speculatiuam, vt sapientiam. Citatq; hac de re subscriptionem Heccatonis, 1 de virtutibus. Nos omnes diuisiones præcedenti diuisione ordinauimus. Intellectualis virtus, quia & angeli intelligentiæ sunt, ad illos etiam porrigitur. Et ita in singulis Angelis D. Dionys Areopagita lib. de cœl. Hierar. c. 11. tria considerat, nempe essentiam, virtutem, & operationem. Est demum, vt dicitur in eius loci commentariis, duplex virtus in quolibet angelo, intellectus videlicet & voluntas: & operatio multiplex, vtpote multi actus intelligendi & volendi, & motio actiua, & productiones diuersorum effectuum: nec differunt in Angelis realiter intellectus agens & possibilis, intellectúsue speculatiuus & practicus, sed essentia & virtus seu potentia, in Angelis realiter distinguuntur, ideo multũ à diuina simplicitate ac vnitate deficit illorum virtus. hæc Dion. Cartusianus in Areopagitam. Est & inter ordines cęlestis hierarchiæ inferioris, sacer Angelorum ordo virtutũ nominatorum, quia ordinarias per ministerium istius ordinis virtutes Deus operatur inter nos, vt scribit Isidorus De virtutibus Theologalib. moralibus, intellectualibus, proprio tractatu de virtutibus lib. Syntax. 39 & 40 disputauimus De animali vtcunq; diximus in principio virtutis, sed latius cum de animalibus & de homine locuti sumus. De vegetali & elemẽtali in Physica, de cælesti itẽ in Astrologia.

De virtute quæ ex robore & fortitudine mentis vel corporis procedit, fit mentio in sacra pagina. Iudith. cap. 5. c. 8 dit eis virtutem resistendi Et iterum c. 9. d. *Non in multitudine est virtus tua domine.* Et in Psalm. 70. b. *cum defecerit virtus mea Deus ne derelinquas me. Et non spondeas supra virtutem*, Eccles c. 8. c. Quod etiam pro efficacia actiua naturali accipiatur virtus, extant testimonia quoq;, Sap, 16. b. vers. 17 *Vt quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat ẽndique.* Et Salomon, Sap. 7. b. ver. 17 *ipse*, scilicet Deus, *dedit mihi horum quæ sunt veram scientiam, vt sciam dispositiones orbis terrarum, & virtutes elemẽtorum*, &c. Pro actione cælesti & occulta assumi virtutem, constat etiam ex oratione Manasses orantis, 2, Paralip. c. 36. *Te, Domine, laudat omnis virtus calorum.* Et Matth. 24. c. *virtutes calorum mouebuntur.* Marci 13. vbi quidam interpretantur de angelis, vtrumq; probabile tamen. Et Psal. 32. b. *verbo domini, cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Neque

Neque sine ratione diuisimus virtutem cælestem ab elementari. Nam vt scribit Mesue, in canonib. medicinal. c 1. cui adstipulantur & philosophi *Omne quod est duplici virtute insignitur, communi & propria: communis, elementaris est: propria autem cælestis. Communes namque qualitates res habent, vt à frigido, calido, humido, sicco infrigidantur calefacientia, humectantia, siccantia. Sed non omne solutiuum tale solutiuum est, quia frigidum calidum humidumq; & c. sed quia tali cælesti virtute donatum sit propria ipsius mixtione regulante: & ideo solutiuum hoc, illud vero prouocatiuum. Cælesti enim virtute supra complexionem fertur.* Sic ex sex speciebus magnetis, alter ferrum, alter carnem tantum trahit, cœlesti & propria virtute. Alia virtus leonis, alia ouis, alia hominis, alia aliorum animalium propria, vt quod gallus cantu leonem terreat, vt scribit Proclus lib. de magia. Quod Polypum piscem in tantum paueat locusta piscis, vt si iuxta viderit, omnino moriatur, vt scribit Plinius lib. 9. cap. 62. Quod hyenæ Pantheris terrori sint, vt nec conentur quidem resistere, mirumque dictu, vt pellibus è contrario suspensis vtriusque animalis, decidant pili omnes pantheræ, vt scribit Orus Apollo, lib. de liter hierogly. Plinius libr. 28. cap. 8. Sunt his infinita similia, quæ sapientissimus artifex, vel proprio dono elargitur immediate creaturis, vel quam occulta quadam vi media cœlesti, extra communem naturam res particulariter assequuntur. Vim cœli magnam esse vel virtutem in inferiora corpora, omnes antiqui consentiunt. Et Plato totius generationis causam esse cœlum dixit, quod boni sit benefacere, porro generationis authorem summè bonum atque excellentissimum, vt & scribit Diogenes Laert. libr. 3. in Platone.

DE

# DE ABACO EORVM, QVÆ VIRTVTEM REFERunt, & de regulis.

## CAP. XLVIII.

*Synopsis eorum quæ sub virtute continentur vltra diuisiones.*

| | |
|---|---|
| Actiuum. | His repugnant. |
| Agere, quod agit. | Deficiens in actu: |
| Fortitudo. | Non valens agere. |
| Generatio. | Debilitas, imbecillitas. |
| Potentia omnis. | Corruptio. |
| Regulatio. | Impotentia. |
| Robur. | Irregulare. |
| Virilitas. | Infirmum. |
| Vis. | Mollities, ætas immatura. |
| Virtus. | Defectus animi. |
| | Vitia. |

Huic abaco synopsíve virtutis, cum is ex superioribus plane probetur, nihil vltra addemus, nec de regulis, præterquam quod admonemus, primam regulam probare Aristotelem. 1. de Cælo ca. 11. circa finem: secundam, & quartam per se patere: tertiam tradere Paulum Ricum Israelitam, dialogo in symbolum Apostolicum.

*De Veritate.*

## CAP. XLIX.

DIxerunt aliqui, vt & Dion Prusieus scribit, libr περὶ ἀπιστίας siue non credendum temere, quod οὐδὲν ἐστι παρ' αὐτοῖς αὐθρώποις βέβαιον οὐδὲν, οὐτε ἀληθὲς, *quod nihil sit inter homines certum & verum.* Quod certe relatum ad opinionem hominum variam & mutabilem, verũ est cæterum in rerum natura falsum, & inter eos, qui ratione examinãt vim & virtutem rerum. Nam cum res omnes creatæ, finitam & limitatam habeant determinationem, oportuit necessario quendam esse finem cognitionis humanæ, in quam perueniens quiescat ab inquisitione, nec

vltra

vtra in vno & singulari, perpetuo vagetur. His autem finis est veritas. Sic enim scribit Philo Iudæus lib. Legis allegoriarum *finis*. inquit, *rationis Veritas est, qua longius quam vllum lumen splendorem suum emittit, in quam ratio conatur ingredi*. Et Vlpianus iurisc. veritatem esse quærendam admonet, in lib. 1. §. sed si, de iureiurand. lib 12. ff. tit. 2. & lib. de rest in integ. minor. C. Et ita, principium hoc dignum homine, cuius proprium est, veritatem indagare, vt scribit Cicero 1. Offic. Et Arist. 1. Rhet. ad Theod. c. 1. Satis homines ad veritatem natos esse, & vt plurimum verum conseq. sicut & Lact. Firm lib 3. vel de fal. Sap. c. 1. scribit Deum fecisse naturam adipiscendi veri cupientissimam. Quo factū, vt potiores iudices Agyptiorum qui & simul sacerdotes erant, vt admonerentur eius, gererent perpetuo in collo appensam ex Saphyro imaginem, quam nominabant veritatem, authore Aeliano, libr. 14. de var hist c. 34. Admonentur & iudices, vt eam omnibus modis inquirant, à Seuero vel Vero, & Antonino, in l. 2. de eden libr. 2. C. tit. 1. Et Ietro, de iudicibus cōstituendis consilium dans Mosi. Exodi 18. 6. ait *Proinde de cūcta plebe viros, in quibus sit veritas qui oderint auaritiam, &c.* Et in Exodo c. 28. e. vers. 30. iubet ita Deus, *Pones in rationali iudicii, doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram domino*. Et Dauid Dominum deprecabatur, Psal. 118. f. *Ne auferas de ore meo Verbum Veritatis*. Et quia homines scire desiderant naturaliter, vt scribit Aristot. Metaphys. c. 1. oportuit veritatem esse per consequens: quia nihil sciri dicitur, nisi verum sit illud. Excitatur autem ad veritatem tanquam ad proprium alimentum, anima: ad eam inueniendam, oculi: ad discendam, aures maximè conferunt, vt tradit Marcilius Ficinus. eominenta. in conuiuium Plato. orat. 5. c. 2. Et ideo D. Cyprianus, sermo. 5. de lapsis. semper habendam rationem veritatis admonet. Dehinc notum est ex veritatis inuentione, sequi bonorum omnium adeptionem, cum corpori tum animæ vtilium: atq; nisi veritas quædam esset, omnia nobis incerta, nunc casu nunc fortuitò, contingerent bona: nec electio fieri vlla posset. Nam ad falsitatis & mendacij positionē, omniū malorū chorus turbaue cōsequitur, nēpe, dum mala pro bonis sequimur, & impio duci vicio credētes, pernicioseè labimur, vt scribit Plato li. 13. dialo. 6. de repub. vel de iusto. Et rursum, li 34. dialo. 5. de legib. *Qui seipsum amat, cùm seipsum magis quàm Veritatem honoran-*

*dum*

lib. 4. de ciuit. *Dei*, c. 12. in homine virtutem tradit esse artem bene viuendi. Et Plutarchus libr. *De* liber. educan. nomine philosophiæ scribit contineri virtutem siue philosophiam veram, quid honestum, quid turpe, quid iustũ, quídve iniustum: quid sequendum, quídve vitandum: quæ parentibus, grandioribus natu, peregrinis, vxoribus, liberis, amicis, seruis, magistratibus debeamus.

*Explicatio summaria diuisionis virtutis.*

## CAP. XLVII.

DIuisionem virtutis tradidimus libr. 4. Syntaxeon, c. 7. quam breuiter nunc interpretabor. Virtus superintellectualis dicitur, quæ excedit captum & mentis comprehensionem. Nemo enim nouit mysteria abscondita æternæ virtutis, veluti, quæ sit illa virtus, & quanta, quæ iussu, verbo, voluntate omnia perficiat, quæ velit Et tamen fieri ita negare non possumus. Et hanc maximè mirati sunt in Christi miraculis homines, cùm ad eius imperium, omnia etiam bruta obedirent, & huic virtuti cederent, veluti quando excitatus à somno in nauicula, ab hominibus ibi ventorum ingentibus flatibus vexatis, surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, dixerunt, *Qualis est hic? quia mare & venti obediunt illi* Matth. c. 8. d. vers. 26. & Luc. 8 d. & Marci 4 d. Et apud *D.* Marcum, Marci c. 1. c. vers. 27. postquam Dominus *Deus*, vt verus homo IESVS CHRISTVS, obsessum à dæmoniorum legionibus, solo iussu sanauit, & cohibuit dæmonia ne loquerentur, permittens eos in gregem porcorum ingredi, mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se, dicentes, *Quidnam est hoc? quanam doctrina hac noua? quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* Sic dixit Deus solum fiat, & facta omnia sunt. mandauit, & creata sunt. Psal. 32. d Fiat lux arida, stellæ, &c. & facta sunt Genes 1. *Et verbo Domini, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Psal. 32. *Et fecit omnia verbo Deus.* Sap. 9. a. Verbum enim illius tantæ virtutis est, in effectu quantum significat. fiat. Quod nouerat Centurio ille Lucæ 7. *dic tantùm*, inquit, *verbum, Domine, & sanabitur puer meus.* Et hoc maximum signum potestatis diuinæ, ostensum incredulis, quòd propria auctoritate, verbo solo, siue alio modo. tam egregia & stupenda opera fecerit: vt verè discipulus ille Cleophas dixe-

dixerit, *potentem enim esse in opere & sermone.* Luc. 22. 6. & ipsemet Christus in Euangelio D. Ioan. c. 10. E. & g. testatur. *Opera*, inquit, *quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me: si mihi non vultis credere, operibus credite.* Quod alibi repetitur. D. Ioannes Euang. c. 5 c. 14. & c. 15. & Dauid testatur etiam Psal. 71. *Benedictus Dominus qui facit mirabilia magna solus.* Sed dicet aliquis, quomodo existimas illam virtutem esse miraculorum superintellectualem, nónne fato, vel cœlesti virtuti occultæ, tribuere eam possimus, num & angelis prauis & malis hominibus, qui in hoc cum Deo pares essent, si miraculorum vis à Deo tantùm proficisceretur? Respondebo, multum inter genera miraculorũ, & modum operandi creaturarum & Dei interesse. Nam Deus facit mirabilia magna solus, nullo alterius egens adiutorio: Angeli autem boni vel mali, & homines, Dei adiutorio indigent, vt scribit Cassiodorus in enarratio. Psalmo. in Psal. 71. Et miracula quidem facere, Deum esse non demonstrat facientem, sed nomine & propria auctoritate facere. Quod Lystris explicatum ab Apostolis, cùm ille populus vellet sacrificare D D. Paulo & Barnabæ, quòd D. Paulus claudum sanasset habentem fidem Iesu, cui dixerunt, iam iam illis victimas mactare properanti, *Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis, homines annunciantes vobis conuerti ab his vanis, ad Deum viuum, &c.* vt legitur in historia Apostolorum Act. 14. c. 15. Sic Dæmonum ministerio interdum prætigia & interdum contra consuetum ordinem quædam naturæ Deus concitat, vt tentet, vt probet, vt puniat. Sic mulier Pythonissa dicitur suscitasse Samuelem 1. Reg. 28 Sic magi coram Pharaone, prodigia & signa æqualia ferè fecerunt signis Mosis Exodi 7. Et mali etiã signa non in suã vtilitatem, sed in ingratitudinis suæ exprobrationẽ, vel aliorum vtilitatem faciunt, quib. tam miracula facta in nomine Dei, Deo recentientibus dicitur, non noui vos, ite operarii iniquitatis. Matth. 7. Quãquam D. Augustinus lib. 10. de ciu. Dei. c. 16. & Isidorus li 8. Etymolog. c. 9. quæ magorum prætigiis fiunt non vera, sed phantastica & falsa asserant. & scribitur in can. nec mirum. 26. q 5. in decret. Gratia. *Docet* & idem *D.* Augustin lib. *De* diuinat dæm. c. 2. quot modis futura præcognoscere possunt dæmones, & refertur à Gratiano in canon. sciendũ est 26 q. 4. Nec ignorandum est quædam mirabilia, & ideo miracula nobis videri, quia incognita: & tamen non esse

præter ordinem naturæ. Et ideo nec miracula vera in se, sicuti vires occultæ rebus pluribus insunt, vel ratione substantiæ solius, vel ratione compositionis, vel ratione obiecti: quæ scientibus naturalia sunt: rudibus autem miracula & prodigia Nam & D. Augustinus lib. de vtilita. creden. ad Honora. c. 16. miraculum vocat, quicquid arduum, aut insolitum supra spem & facultatem mirantis apparet, vt deliquium solis miraculo & terrori quampluribus & barbaricæ ruditati. Sic Niciæ Athenienſium Imperator, pauore deliquii territus, gnarus causæ, veritus classem portu educere, opes Athenienſium afflixit, vt scribit Plinius lib. 2. c. 12. & Plutarchus in vita Niciæ. Quintil. in 1. & alii. faces stellæ decidentes è cœlo vt putantur, maximo terrori sunt vulgo, cùm id tamen vi quadam naturali fieri constet ex Meteorologicis. Quamobrem dæmones, eiusmodi nobis incognita, illis autem notissima ob subtilitatem & acumen ingenii nobis pro miraculis inculcant, & ita decipiunt, vt olim deceperunt populum idololatram. Concitant & pluuias & tempestates in aëre. & ventos. Cogunt enim in vnũ angulum terræ, materiam per aërem alibi dispersam & ea ex quibus generantur: nihil enim illi gignunt, cùm hoc Dei sit, sed collecta generata, quæ à causis naturalibus sunt, propellunt ac prouoluunt: & collisis inter se nubibus fragores edunt terribiles, & inde componunt & eiaculantur, σὺν εφίας, τυφῶνας, πρηστῆρας, tonitrua, fulmina, & huiusmodi φάσματα, εἴδωλα, spectra, acies in aëre, & alia prodigia, in quorum compositione sunt miri & leues artifices, ex præiacente materia. Numquã enim aër, qui operculum est semper fumantis terræ, & sudantis maris proximũ, sine halitibus est, vel calidis, & siccis, quos ἀναθυμιάσεις vocant, seu calidis & humidis, quibus τῶν ἀτμίδων, nomẽ tribuerunt, etiã cùm purissimus apparet. Nunquã etiam nubibus vbique totus caret aër, quanquã alicubi cœlum conspiciatur serenum. Et hęc quidem sine dęmonis opificio fiunt natura aliquib. temporibus: & per dæmones quoque concitantur præter tempus, non contra naturam, non virtute sola dęmonis. sed materia dispositа in actionem ab illis coacta Dei permissione. Interdum etiã decipiunt illusionibus, & falsis ostentis, quæ nihil nisi vana simulachra sunt, dum præstringunt aciem oculorum, vel intus cogitationẽ peccatis obnoxiã sursum deorsum ire confundunt. Virtus

itaq;

itaq; Dei superintellectualis est, & ideo fortior reliquis & incircunscripta, siue procedat à Deo directè, siue indirectè, in nomine eius mediante hominum vel Angelorum ministerio. Sic in nomine Dei vel eius expressione, vel signis ex eius familia & gratia illius vtatur, superantur virtutes cœlestes dæmonum & naturales. Sic virga Mósis in nomine Dei deuorabat virgas magorum Pharaonis, Exodi 7. sic Num. 22. g. & 23. Balaam magus vocatus à Balac rege Moabitarum, vt malediceret populo Israeli, respondit, *Nunquid potero loqui aliud nisi illud quod Deus posuerit in ore meo.* Nec etiam Laban pater Lię & Rachelis vxorum Iacobi, maximus Orientalium magus, potuit nocere Iacobo, quem persequebatur, quia prohibitus est à Deo, vt ipse testatur Gen. 31. D. vers. 29. ad Iacobum dicens, *Valet manus mea reddere malum tibi, sed Deus patris tui, heri dixit mihi. cave ne loquaris contra Iacobum quicquam durius.* Labanum autem fuisse magum Orientalium, potissimum annotat Zober, & colligitur aperte ex verbis Hebraicis c. 31. Genes. Nam versu 19. vbi in versione vulgari legitur, *& Rachel furata est idola patris sui*, scribitur hæbraicè, ותגנב רחל את התר פים אשר לאבוה vetigenob Rachel & hateraphim aschet leabiah. *Et furata est Rachel Theraphim patris sui.* Haberi namque vocant, התרפים hateraphim, vt scribit Aben Ezra, imagines factas ad similitudinem corporis humani, sub certis horis & constellationibus fabricatas, quæ voces aliquas edebant, & secreta prædicabant. Ex quorum consultatione, futura præscrutari tentabant. Sic etiam Simon Magus Samaritanus Christianus factus, quod admiraretur D. Philippum prædicantem in nomine Dei, videnſque maxima signa & virtutes maximas ab eo Act. 8. cap. vers. 13. Demum ad vomitum reuersus & præstigia dæmonum à D. Petro superatus est in nomine Dei, vt scribit D. Clemens primus, libris Recognitionum. Sic D. Paulus in eodem nomine magum illum Bar-ieu vel Elymam excæcauit, veritati resistentem. Sic Apostoli *D.* Simon & Iudas, Iaroen & Arphexat, signo crucis & Iesu nomine, magos sceleſtissimos in Babilone vicerunt, vt scribit Abdias Episcopus Babilonię li. 6. historię apostol. Cedūt & illo nomine Christi *Dei*, dæmones serpentes & alia noxia, secundum potestatem concessam à Deo Christianis, qui fidem habent. Marci 16. Atque proculdubio, fide omnibus istius seculi rebus imperare possumus si piè potissimum & secundum

Deum viuamus. Marci c. 11. c. Quia dum gratia Dei restituti sumus in eius familiam, & filij facti Dei, cohæredes autem Christi, vt scribitur à Paulo, ad Rom. 8. tanquam filij, & quasi Domini in familia hac vniuersa Dei, in seruos & elementa, & mundum omnem imperium habemus: omnia enim nobis cum filio Deus donauit. ad Rom. 8. f. Quamobrem & cum Iosue audacter dicere possumus, quia & ille eandem fidem Christi quem expectabant patres, habebat, *Sol contra Gabaon ne moueatis, & Luna contra vallem Aialon*, quod egit postquam fudisset orationē domino, cuius virtute id iubebat, vt scribitur in eius libr. Iosue c. 10. c. vers 12. Dicamus porrò generali nomine virtutem Dei, superintellectualem; quia propriè virtute Dei, nominis est expers, quippè quòd eiusmodi sit supra hominem, tanquam heroica quædam & diuina: virtus nominis expers, quod Dei virtus, non est eo modo quo apud nos considerātur nostra. Præstantior siquidem omni virtute Deus, ac non virtute probus, nam tū virtus esset melior Deo. Quæ verba Aristotelis sunt lib. 2. Moral. c. 5. sed quæ Christianum dogma subolent. Nam & D. Dionys. Areopa. lib. de mystica Theol. c. 5. scribit illud τὸ ὄν quo Deum vocat, non intellectum, nec habere intelligentiam, neq; virtutem habere, neq; virtutem esse &c. *quoniam*, inquit, *super omnem positionem est perfecta & singularis omnium causa, & super omnem ablationē excellentia omnium simpliciter perfectione, & summitas omnium*. Ideò dicimus non esse virtutem vniuocè, cùm rebus creatis communicata appellatione: & esse virtutem, modo alio quàm competat creaturis D. etiam Thomas in summa con. Gentil. c. 92. libri 1. scribit, virtutem diuinam, omnes virtutes complecti, vnde nec aliqua illarum in Deo secundum habitum dicitur, sicut in nobis, sed virtus sua est sua essentia. Deo enim non conuenit esse bonum, vt fit ex virtute per aliquid aliud superadditum ei, sed per essentiā suam, cum sit omnino simplex. Item vt ait Speusippus, li. De definitio. Platoni. quia virtus est dispositio & habitus optimus mortalis animalis, per se laudabilis, habitus inquam, secundum quem quod habet, bonū vocatur, & quia habitus est actus medius quasi imperfectus, nempe inter actus & potentias, authore Arist. 1. Magn. moral. c. 7. Et Horatius epist. 4.

*Virtus est medium vitiorum, & vtrinque reductum.*

Deus autē habitus non potest hos medios habere, cùm sit per-

sit perfectissimus, aliter enim si imperfectus esset, non esset Deus, & illud magis Dei nomen mereretur, à quo is perficeretur. Et rursum, de genere accidentium habitus est: in Deo autem, nullum potest esse accidens. Postremò in parte sensitiua & ob passiones, virtus: passio autem, nec sensus, in Deo non cadit: est enim immutabilis, & semper idem, passiones autem mutationes, imo quædam quodammodo vitia sunt, quæ omnia procul à *Deo* relegantur sempiterno.

Probamusque rursum in *Deo* omnes virtutes esse creaturarum & creandorum. Quicquid enim potest virtus inferior, potest superior, id est, modo excellentiori sicut probat Seuerinus Boetius, lib. 5. de consolatio. & *D.* Thomas, quæst. de verit. 2. art. 6. quartum, &c. & quæst. *10.* art. 5. & 1. par. quæst. *8.* art. *1.* & lib. *1.* contra gentil. c. *65.* arg. *5.* additque lib. *3.* cont. gent. c. *79.* ideo substantias intellectuales, inferiores regi per superiores. Nullus autem dubitat, excellentiorem & altiorē naturam *Dei* & essentiam, quam sit in creaturis omnibus: vel si dubitet stolide, necesse est fateatur vnum esse *Deum*, vt alibi probamus: si plures autem essent æquè excellentes & magni, essent & plures *Dei*, fieri autem illud non potest esse plures, ergo vnus omnium excellentiæ præcipuus, & virtute supereminens. Ergo & omnium virtutum cumulo in se perfectus, non aliunde: quia si vna deesset, esset imperfectus, & sic neque *Deus*. *De* virtute *Dei* plures loci sacræ paginæ meminerunt, qualia, *Deus præcinuit se virtute.* Psalm *17.* c. *Exaltare Domine in virtute tua.* Psalm. 20. *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Psal. *23.* b. Et Luc. *1.* d. *Virtus altissimi obumbrauit tibi.* Et Act. *19.* vers. *16. Virtutes non modicas faciebat Deus per manum Pauli.* Et *2.* d. Petr. c. *1.* c. *Notam fecimus vobis Domini nostri* IESV CHRISTI *virtutem.* Et Psalm. 63. *manda Deus virtuti tuæ &c.*

Cæterum, reliquas virtutes ratione spiritus vel animæ diuidit Aristoteles, in intellectuales & morales, lib. *1.* Ethic. ad Nicom. ca. fin. Intellectiuas, sapientiam, prudentiam. & sagacitatem dicit. Morales, liberalitatem & temperantiam. Et idem lib. de virtutibus eadem diuidit secundum partes animæ, in rationalem, concupiscibilem, & irascibilem, vel animosam. Plato etiam, & apud *Diogenem* Laertium libro 7. de vit. Philosoph. Zeno dicebat, aliam esse quidem communiter omnibus, perfectionem, veluti statuæ, aliā in-

uisi,

uisibilem, veluti sanitatem: aliam speculatiuam, vt sapientiam. Citatq; hac de re subscriptionem Heccatonis, 1 de virtutibus. Nos omnes diuisiones præcedenti diuisione ordinauimus. Intellectualis virtus, quia & angeli intelligentiæ sunt, ad illos etiam porrigitur. Et ita in singulis Angelis D. Dionys. Areopagita lib. de cœl. Hierar. c. 11. tria considerat, nempe essentiam, virtutem, & operationem. Est demum, vt dicitur in eius loci commentariis, duplex virtus in quolibet angelo, intellectus videlicet & voluntas: & operatio multiplex, vtpote multi actus intelligendi & volendi, & motio actiua, & productiones diuersorum effectuum: nec differunt in Angelis realiter intellectus agens & possibilis, intellectúsue speculatiuus & practicus, sed essentia & virtus seu potentia, in Angelis realiter distinguuntur, ideo multũ à diuina simplicitate ac vnitate deficit illorum virtus. hæc Dion. Cartusianus in Areopagitam. Est & inter ordines cęlestis hierarchiæ inferioris, sacer Angelorum ordo virtutũ nominatorum, quia ordinarias per ministerium istius ordinis virtutes Deus operatur inter nos, vt scribit Isidorus De virtutibus Theologalib. moralibus, intellectualibus, proprio tractatu de virtutibus lib. Syntax. 39 & 40 disputauimus De animali vtcunq; diximus in principio virtutis, sed latius cum de animalibus & de homine locuti sumus. De vegetali & elemẽtali in Physica, de cælesti itẽ in Astrologia.

De virtute quæ ex robore & fortitudine mentis vel corporis procedit, fit mentio in sacra pagina. Iudith. cap. 5. c. 2 dit eis virtutem resistendi Et iterum c. 9, d. *Non in multitudine est virtus tua domine.* Et in Psalm. 70. b. *cum defecerit virtus mea Deus ne derelinquas me. Et non spondeas supra virtutem*, Eccles c. 8. c. Quod etiam pro efficacia actiua naturali accipiatur virtus, extant testimonia quoq;, Sap. 16. b. vers. 17 *Vt quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat undique.* Et Salomon, Sap. 7. b. ver. 17 *ipse*, scilicet Deus, *dedit mihi horum quæ sunt veram scientiam, vt sciam dispositiones orbis terrarum, & virtutes elementorum*, &c. Pro actione cælesti & occulta assumi virtutem, constat etiam ex oratione Manasses orantis, 2, Paralip. c. 36. *Te, Domine, laudat omnis virtus cælorum.* Et Matth. 24. c. *virtutes cælorum mouebuntur.* Marci 13. vbi quidam interpretantur de angelis, vtrumq; probabile tamen. Et Psal. 32. b. *verbo domini, cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Neque

Neque sine ratione diuisimus virtutem cælestem ab elementari. Nam vt scribit Mesue, in canonib. medicinal. c 1. cui adstipulantur & philosophi *Omne quod est duplici virtute insignitur, communi & propria: communis, elementaris est: propria autem cælestis. Communes namque qualitates res habent, vt à frigido, calido, humido, sicco infrigidantur calefacientia, humectantia, siccantia. Sed non omne solutiuum tale solutiuum est, quia frigidum calidum humidum, & c. sed quia tale cælesti virtute donatum sit propria ipsius mixtione regulante: & ideo solutiuum hoc, illud vero prouocatiuum. Cælesti enim virtute supra complexionem fertur.* Sic ex sex speciebus magnetis, alter ferrum, alter carnem tantum trahit, cœlesti & propria virtute. Alia virtus leonis, alia ouis, alia hominis, alia aliorum animalium propria, vt quod gallus cantu leonem terreat, vt scribit Proclus lib. de magia. Quod Polypum piscem in tantum paueat locusta piscis, vt si iuxta viderit, omnino moriatur, vt scribit Plinius lib. 9. cap. 62. Quod hyenæ Pantheris terrori sint, vt nec conentur quidem resistere, mirumque dictu, vt pellibus è contrario suspensis vtriusque animalis, decidant pili omnes pantheræ, vt scribit Orus Apollo, lib. de liter hierogly. Plinius libr. 28. cap. 8. Sunt his infinita similia, quæ sapientissimus artifex, vel proprio dono elargitur immediate creaturis, vel quam occulta quadam vi media cœlesti, extra communem naturam res particulariter assequuntur. Vim cœli magnam esse vel virtutem in inferiora corpora, omnes antiqui consentiunt. Et Plato totius generationis causam esse cœlum dixit, quod boni sit benefacere, porro generationis authorem summè bonum atque excellentissimum, vt & scribit Diogenes Laert. libr. 3. in Platone.

DE

# DE ABACO EORVM, QVÆ VIRTVTEM REFERunt, & de regulis.

## CAP. XLVIII.

*Synopsis eorum quæ sub virtute continentur vltra diuisiones.*

| | His repugnant. |
|---|---|
| Actiuum. | Deficiens in actu: |
| Agere, quod agit. | Non valens agere. |
| Fortitudo. | Debilitas, imbecillitas. |
| Generatio. | Corruptio. |
| Potentia omnis. | Impotentia. |
| Regulatio. | Irregulare. |
| Robur. | Infirmum. |
| Virilitas. | Mollities, ætas immatura. |
| Vis. | Defectus animi. |
| Virtus. | Vitia. |

Huic abaco synopsíve virtutis, cum is ex superioribus plane probetur, nihil vltra addemus, nec de regulis, præterquam quod admonemus, primam regulam probare Aristotelem. 1. de Cælo ca. 11. circa finem: secundam, & quartam per se patere: tertiam tradere Paulum Ricum Israelitam, dialogo in symbolum Apostolicum.

*De Veritate.*

## CAP. XLIX.

DIxerunt aliqui, vt & Dion Prusieus scribit, libr περὶ ἀπιστίας siue non credendum temere, quod οὐδὲν ἐστι παρ' αὐτοῖς ἀνθρώποις βέβαιον οὐδὲν, οὐκ ἀληθὲς, *quod nihil sit inter homines certum & verum.* Quod certe relatum ad opinionem hominum variam & mutabilem, verũ est cæterum in rerum natura falsum, & inter eos, qui ratione examinãt vim & virtutem rerum. Nam cum res omnes creatæ, finitam & limitatam habeant determinationem, oportuit necessario quendam esse finem cognitionis humanæ, in quam perueniens quiescat ab inquisitione, nec

vltra

Vltra in vno & singulari, perpetuo vagetur. His autem finis est veritas. Sic enim scribit Philo Iudæus lib. Legis allegoriarum *finis*, inquit, *rationis Veritas est, qua longius quam vllum lumen splendorem suum emittit, in quam ratio conatur ingredi.* Et Vlpianus iurisc. veritatem esse quærendam admonet, in lib. 1. §. sed si, de iureiurand. lib 12. ff. tit. 2. & lib. de rest. in integ. minor. C. Et ita, principium hoc dignum homine, cuius proprium est, veritatem indagare, vt scribit Cicero 1. Offic. Et Arist. 1 Rhet. ad Theod. c. 1. Satis homines ad veritatem natos esse, & vt plurimum verum conseq. sicut & Lact. Firm lib 3. vel de fal. Sap. c. 1. scribit Deum fecisse naturam adipiscendi veri cupientissimam. Quo factū, vt potiores iudices Agyptiorum qui & simul sacerdotes erant, vt admonerentur eius, gererent perpetuo in collo appensam ex Saphyro imaginem, quam nominabant veritatem, authore Æliano, libr. 14. de var hist c. 34. Admonentur & iudices, vt eam omnibus modis inquirant, à Seuero vel Vero, & Antonino, in l. 2. de eden libr. 2. C. tit. 1. Et Ietro de iudicibus cōstituendis consilium dans Mosi. Exodi 18. 6. ait *Proinde de omni plebe Viros, in quibus sit veritas qui oderint auaritiam, &c.* Et in Exodo c. 28. e. vers. 30. iubet ita Deus, *Pones in rationali iudicii, doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram domino.* Et Dauid Dominum deprecabatur, Psal. 118. f. *Ne auferas de ore meo Verbum Veritatis.* Et quia homines scire desiderant naturaliter. vt scribit Arist. Metaphys. c. 1. oportuit veritatem esse per consequens: quia nihil sciri dicitur, nisi verum sit illud. Excitatur autem ad veritatem tanquam ad proprium alimentum, anima: ad eam inueniendam, oculi: ad discendam, aures maximè conferunt, vt tradit Marcilius Ficinus. eominenta. in conuiuium Plato. orat. 5. c. 2. Et ideo D. Cyprianus, sermo. 5. de lapsis. semper habendam rationem veritatis admonet. Dehinc notum est ex veritatis inuentione, sequi bonorum omnium adeptionem, cum corpori tum animæ vtilium: atq; nisi veritas quædam esset, omnia nobis incerta, nunc casu nunc fortuitò, contingerent bona: nec electio fieri vlla posset. Nam ad falsitatis & mendacij positionē, omniū malorū chorus turbaue cōsequitur, nēpe, dum mala pro bonis sequimur, & impio duci vicio credētes, perniciosè labimur, vt scribit Plato li. 13. dialo. 6. de repub. vel de iusto. Et rursum, li 34. dialo. 5. de legib. *Qui seipsum amat, cùm seipsum magis quàm Veritatem honoran-*

*dum*

*dum putet, quod iustum, bonum, pulchrumue sit male iudicat.* Et iterum libro 34. dialo. 5. de legibus. idem Plato, *Veritas*, inquit, *profectò tum Dijs, tum hominibus dux omnium est bonorum. Cuius qui particeps beatusq; futurus est, statim ab initio particeps esse debet: vt in veritate plurimum vitam tempus agat. Fidus hic certè est: infidus autem qui sponte mentitur: qui vero non sponte amens.* Et alibi, lib. 31 dialo. 9. de Repub. *Veritatis imperitos homines*, scribit, *tum de multis alijs non rectè sentire, tum nec circa suum dolorem vel voluptatē verè iudicare.* Aristoteles etiam 1. Rethorici. ad Thed. c. 1. 6. vtilem à vero probans Rhetoricam, ita scribit, *Vtilis autem rhetorica est, quoniam vera & iusta melioria secundū naturam sunt quam contraria: Ita vt nisi decenter iudicia fiant, necesse sit iuxta: quod in eius vituperatione dignum est. Tum quia ne si certissimam habeamus scientiam, facile est nonnullis per eam persuadere, impossibile namque id est* &c. Et Maximus Tyrius, Serm. 6. philosoph Fundamentum omnium bonorum, veritatem esse, munitissimis conclusionibus probat. *Optimas*, inquit, *leges custodit Sientium virtus: Sientium virtus à ratione exoritur: ratio exercitatione consalescit, exercitationem perficit Veritas, Veritas non nisi per otium quod in ea assequenda ponatur, haberi potest: haud enim aliud instrumentum apparet, quo Virtutem comprehendere possimus, praterquam Verissima ratio à qua exacuitur animus, & accenditur.* Dehinc Aristoteles, 1. Ethic. ad Eudem. necessariam videtur dicere veritatem, & eius cognitionem, quia per eam etiam inter barbaros & penitus rudes. educi possit certissima & irrefragabilis probatio. *Potentissimum* inquit, *est, in omni probatione confessum omnibus testimonio proposito confirmare posse. Sed neque omnino, vel aliquam Verisimilitudinem auferre: residet enim penes omnes aliqua Veritatis confessio, qua nostris confirmandis queant adduci.* Galenus in Isagogicis veritatem in medicina requiri, & in præceptis eius & aliarum artium docet, lib. de optima secta ad Thrasibulum in princ. *singula*, inquit, *medica precepta, atq; vniuersim omnia precepta in primis Vera esse debent. secundo Vtilia: tertio, tactus principio consentientia. ex his tribus enim legitimum præceptum deducies, nam si unum ex dictis præceptis desit statim nec id dici præceptum merebitur.* Philo Iudæus lib de Iudice, nihil aque in vita preciosum, ac veritatem dicit. Et Plato lib. 31. dial. 5. de Repub. in fin. veritati irasci nefas esse dixit. Quia tamen

tamen difficilis est veritatis inuentio, fuerunt plures, sed qui tamen nihil se scire professi sunt, qui nec quicquam vere scire posse dixerunt: vt merito dixerim, quod scribit Ptolomæus, 1. parte Quadrip. oper. cap. 1. *Sunt quidam, qui quod pra difficultate vimia scire nequeunt, alios nequaquam scire posse existimant. Vel qui licet scire valerent, repudiant eo quod a memoria leuiter defluat.* Sed & alia ratio, quod multi se curiosè vanis & ambiguis disputationibus & quæstiunculis pertinaciter inuoluentes, deflectunt à via media quæ est veritatis, non discentes à quibus oportet, & modo quo oportet. Et vt scribit D. Paulus, 2. ad Tim. c. 3. b. ver. 7. *semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.*

*Quemadmodum autem Ioannes & Mambre restiterunt Mosi, ita & hi resistunt veritati. homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed vltra non proficient: insipientia enim eorum nota erit omnibus.* Sic decepti in fide idololatræ Philosophi, quæstiunculis & opinionibus magistrorum addicti, & propria mente obtenebrata caligine vanæ philosophiæ, dum propriis inhærebant opinionibus, neque ad ea quæ præcipua videbant, conscendere poterant, onerati peccatis impiis, quibus insitum lumen veritatis extinguebant, vnde D. Paulus ad Colossens. 2. 6 vers. 8. Colossenses admonet. *Videte ne quis vos seducat per philosophiam, per inanem fallaciam, secundum traditionem hominũ, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Nec tamen horum caliginis causa Deus fuit, sed malitia eorum, quod optimè exprimit idem diuus Paulus, Romanorum cap. 1. c. vers. 19. & sequentibus, *quia*, inquit, *quod notum est Dei manifestum est in illis, Deus enim illis reuelauit. Inuisibilia enim ipsius, a creatura mundi*, id est, homine, qui creatura excellentior dicitur, vt Marci 16. d. ite, prædicate Euangelium omni creaturæ *per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.* Hæc de eorum peccato, cui statim subditur pœna peccati & priuatio lucis, qua abusi erant, *propter quod*, inquit, *tradidit illos*

*Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam vt contumelijs efficiant corpora sua in semetipsis: Quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt potius creaturæ quam creatori, qui est benedictus in secula.* Salomon autem illorum nænias refert, quas acturi post mortem huiusmodi erant, in ca tuarum, c. 11. de priuileg. lib. 5. Decretal. Gregor. tit. 33. *Ergo*, inquit, *dicent erravimus à via veritatis, & lumen iustitiæ non illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Iustaq; fuit in eos sententia, vt plecterentur in eo in quo peccarant, & vt abutentes priuilegio lucis intelligentiæ intelligentia priuarentur, vt sanxit Innocentius 3. in c. tuarum, c. 11. de priu. lib. 5. Decr. Greg. tit. 33. Sic plectitur tabellio iure ciuili manus ablatione, qua falsum commisit, vt sanxit Fridericus Cæsar in §. callidis, de prohib. feu. alien. per Feder. tit. 55. libr. 2. Feud. Item contra prohibitionem belli certamen cõmittens singulare & duellum, manu qua vsus est abscissione priuatur, vt scribit idē Fridericus, in §. si quis alium, de pact. tenen. & eius violat. lib. 2. feud. tit. 27. Et Constantinus Imperator. fugitiuos seruos pedis amputatione plecti iubebat, in l. 3. de seruis fugit. lib 6. C. tit. 1. Et parabola Dominus noster IESVS CHRISTVS, cum dominus iussit auferri Matth. 25. c. talentum ab eo, qui nihil ex eo lucratus fuerat, vel non fuisset operatus. Sic & Ethnici Philosophi, quia propria malitia absconderunt talentum lucis & intelligentiæ, & nudati sunt, vt non immerito postea dicere potuerint idem quod Democritus, veritatem quod ad illos pertinebat, demersam in profundo puteo, & nihil sciri posse, vt refert Cicero, 3. 4. Acad. & alibi alij: in nocte enim erant, vbi nulla veritas, quæ lucis est, si credamus, vt & verum est Euripidi, qui in Iphigenia, in Tauris, act. 4 ait.

κλεπτῶν γὰρ ἡ νύξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς, id est.

*Latronum est nox, veritatis autem lux.*

Misertus tamen Gentilium Deus & cæcitatis nostræ, misit filium suum vnigenitum, qui illuminat hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. & visitauit nos Oriens ex alto, vt illuminaret eos, qui in tenebris & vmbra mortis sedebant, vt Zacharias prædixit, Lucæ 1. g. & hic illuminauit abscondita tenebrarū 1. Cor. 4. a. Sic eramus aliquando tenebræ, nunc sub luce, vt ait D. Paul ad Eph. 5. b. verum nihilomi-

hilominus & adhuc est, nos verè omnia non posse plenè cognoscere, quia id Dei solius est, vnde & quantò plura apprehendimus, tantò Deo assimilamur. Nã vt legitur apud Strobæum Πυθαγόρας ἐρωτηθεὶς, τίπτε ἴσοι ἄνθρωποι θεῷ ἔμοιον, ἔφη, εἰ ἀληθεύσουσιν, *Interrogatus Pythagoras, quid faciunt similes Deo homines, respondit, si veritatem sectentur.* Quærentibus autem & intelligentibus, ad veritatem facilis accessus, vt scribit D. Cyprian. tract. 1. contra Demetrium.

*De definitione Veritatis.*

CAP. L.

VEritas Græcis dicitur, ἀλήθεια, vocant & ἔτυμον verum. Chaldeis קושטא kosseſca, קשט kosset & אמת emeth Hebræis. Veritatem vel verum refert Amb. Cale. dici quosdam existimasse à particula, Ve, quasi vehemens & res quasi veritas non sit verbo tenus sonus, sed quædam solida res. Huic veritati opponitur mendaciũ, Græcis ψεῦδος, ψεύδημα, ψεύδομαι, ψεύδης. Hebræis שכר תרמית. Scecer tharmit. Chaldeis מרמה, דנלותא פלסתר בומיתא כוב דנלא casab, mirmah, ragalotha, pelatter, casamiha, digla, apud magos כיזוב cisoub.

Variæ porrò sunt authorum finitiones veritatis. Cæterum nulla earum mihi absolutè placet, quamobrem generalem quandam finitionem, vt ferè in omnibus principiis superioribus necessarium fuit inquirere. Ea autem est, veritas est cuius ſq; rei sicuti est existẽtia. Cicero huic finitioni opem fert, lib. 2. de Inuentio. *Veritas*, inquit, *est, per quam immutata ea quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.* Verum quia non veritas omnis vel vix apparet, illud verbum, *dicuntur*, prohibuit ne nos finitionem eius probaremus. Reliqua mihi probantur, quod veritas quia essentia sit, sit immutabilis, in eo quod est pro tempore quo esse fertur, quanuis antea vel post mutari possit. Neque quid verum est ideo quod putatur verum esse, sed ideo quia tale est, nos verum dicimus, vt scribit Aristoteles, libro 9. Metaphysic. cap. fin. *Et ita*, inquit, *verum est intelligere, & falsum ignorantia.* Et ex nostra finitione quis potest intelligere quid sibi voluerit Aristoteles, dum, veritatem dicit esse mediocritatem quod alias confusum est, sed collatum ad nostram finitionẽ intelligimus mediocritatẽ

dici eo quod si quid addatur vel in intellectu vel reipsa supra id quod res est, sit mendacium. Et pari modo si quid minuatur in intellectu, vel re ipsa, ex essentia rei, est mendacium, quod vero intelligitur vti est, quodque manifestatur vti est, est veritas: & per consequens medium & mediocritas inter excessum & defectum. Et Cassiodorus in Psalm. 14. *Veritas*, inquit, *est, res qua nullatenus aliter quam confirmauerimus aut sit aut facta sit, aut faciendam esse demonstrat.* Quo factum est, vt omnes fere antiquorum sapientiores dixerint, veritatem esse, & veritatis sermonem: simplicem: id est, nec defectum, nec excessum, nec fucum habere extraneum, nec aliud quam rei essentiam repræsentatum. Sic Æschilus,

ἁπλᾶ γὰρ ἐστι τῆς ἀληθείας ἔπη.
δράσω, τὸ γὰρ δίκαιον, οὐκ ἐγὰ λόγον
ἁμοῖν ἐρίζειν, ἀλλὰ δρᾶσαι δίδει τὸ δρᾶν, I,

*Sunt veritatis verba simplicissima, faciam*
*Iustum non vltro citroq; rationibus contendere solet*
*Mutuis, sed factum accelerat.*

Et Polynices apud Euripidem, in Phœnissis. act. 2. versicul. 195.

ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
οὐκ ποικίλων δεῖτ' αὖθις ἑρμηνευμάτων,
ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρὸν, ὁ δ' ἄδικος λόγος
νοσῶν ἐν αὐτῷ, φαρμάκων θεῖπερ σοφῶν I,

*Simplex veritatis est oratio, nec eget variis*
*Vndecunq; conquisitis interpretationibus.*
*Habet namque suam occasionem paratam:*
*At sermo iniquus putris & laborans in se,*
*Eget pharmacis exquisitis.*

Sic Amianus Marcellinus, li. 14. hist. Rom. *Veritatis*, inquit, *simplex est amica oratio.* Et Epiphanius, tom. 3. contra hæreses lib. 1. hæresi 35. *Per pauca, & simplicia verba, veritas filios suos deducere solet ad rectam viam. Et multa & fastuosa verba per multam artem fucata dispergit, euertitq; ac delet. Placide incedens curiosis pratermissis indagationibus.* Quo forsan respicit illud, Prouerb. cap. 10. c. versicul. 19. *In multiloquio non deest peccatum.* Sed longiori & clariori

riori sermone explicat hæc D. Chrysostomus, tomo 1. homil in Psalm 124. *Rectos*, inquit, *vocat Dauid simplices, non fictos, qui nihil habeant simulatum vel adumbratum: tale enim est, quod rectum est, quod Deus ubique requirit maximè. Talis etiam est virtus, nempe plana & expedita: quemadmodum improbitas est, quod peruersum, varium, & quod non habet exitum. Et id potest videri ex rebus ipsis, nam qui vult mentiri & fraudes consarcinare, cogita apud se quot & quanta aggrediatur, quanta opus habet varietate, & quibusdam fictu orationibus, quanto artificio, & quanta dicendi facultate. Qui autem dicit veritatem non labore non difficultate, non simulatione, non arte aut machinatione, aut vllo alio huiusmodi indiget, cum ea ipsa per se luceat.* Quamobrem Bertramus presbyter, lib. de corpore & sanguine Domini ad Carolum Mag. veritatem definit esse rei manifestæ demonstrationem, nullius vmbrarum imaginibus obuelatam, sed puris & apertis, & vt clarius loquamur, naturalibus significationibus insinuatam. Addamus & Tertullianum, libr qui aduersus Valentinianum. *Veritas*, inquit, *docendo persuadet, non suadendo docet, & simplex est.* Et rursum, *nihil veritas erubescit nisi abscondi solummodo.* Et D. Cyrillus Archiep. Alexandrinus, lib. 2. Dial. de sanctissima Trinitate. *Simplex veritatis sermo, in simplicibus cordibus præcipuam & optimam habet sedem.* Subscribit Irenæus, lib 2. contra hæreses c. 15. *Suasorius & verisimilis est exquirens fucos error: sine fuco est veritas.* Et Lactantius libro 2 de fal. sap. c. 1. *Sed quoniam*, inquit, *Deus hanc voluit rei esse naturam, vt simplex & nuda veritas esset luculentior, quia satis ornata per se est, ideoque ornamentis extrinsecus fucata corrumpitur. Mendacium vero specie placet aliena, quia per se corruptum vanescit ac defluit, nisi aliunde ornatu quæsito circunlitum fuerit ac politum: æquo animo fero ingenium mihi mediocre fuisse concessum.*

Et Hippocrates epistola quæ ad Philepæmonem, insomnium quod sibi obtigerat, explicat, veritatis imaginem, quam Deam vocat, mortalium & immortalium communem depingit, fœminam pulchram, magnam, negligenter & simpliciter indutã, palliatam & pellucentem. Philostratus etiam, lib 1. Iconum in Amph. puram & simplicem nitidamque & splendentem ostendere volens veritatem, pictam fuisse antiquitus scribit virginem niueis vestibus, & per se apparere, neque veritatem egere miraculorum osten-

tatione, vel arte violenta, tradit & Philostratus lib. 6 de vita Apollo. cap. 5. Quomobrem & dum vera effari & veridicum dicimus, qui neque plura, neq; pauciora, quam sciat, dicit, vt etiam scribit Aristoteles, lib. 1. Magno. Moral ca. 33. & addit cap. 7. & 8. eius libri plura sibi arrogare, iactantiæ esse: minus vero, dissimulationis: inter hæc esse veritatem.

Diximus in finitione, *sicuti est*, quia nulla immutatio fieri potest veritatis, falsitatis autem & mendacij plures species sunt. Atque modus venandi veritatem, ille potissimus est, vt consideremus ea quæ semper, similiter, & vbique se habent sine mutatione, vt scribit Aristoteles libro vndeimo cap. 5. Et Plato libr. in Minoe siue de lege, quod similiter semper est, verum esse dicit. Fas enim non est sibiipsi dissentire veritatem ac repugnare, neque duobus inter se maximè contrariis datis, eandem vtriusq; causam esse, vt scribit Eusebius, in Hieroclem, dum confutat, lib. 8. Philostrati de vita Apollonij. atq; D. Cirylius Archiepiscop. Hierosolymit. Cathec. 18. illuminat. multiplicem contradictionem, sed simplicem veritatem esse notat. Et Theodoretus Cyrensis Episcopus lib. 1. contra infide. de curatio Græca affectio. siue de natu. hom *fa sitas*. inquit, *non solum ipsi veritati, sed sibiipsi quoque contrarium est: Veritas autem, & sibi est concors, & vnam solum falsitatem infestã habet.* Cicero etiam, 2. de Oratore, *plus vno*. inquit, *Verum esse non potest*. Theodoretus rursum, lib. 2. de curat. Græca. affectio. *quia antiqui*, inquit, *à vero aberrarunt, multas & diuersas doctrinas sibi fecerunt. Multifida namq; sunt mendacij via*. Et Plato & Pythagoras iubent fugere multitudinem, vt veritatem simplicissimam consequamur. Multitudo in primis est exterior vulgi opinionum, item interior varia affectuum, sensuum, imaginationum: opinionum inde pendentium multitudo, vt scribit Proclus, in cõment. in Alcibiad. primum Platonis.

Et quia veritas nullo alio indiget, per se perspicua & vincit omnia, quæ illam obnubilant interdum, non statim quidem semper, sed tandem & in fine: nam veritas regi potest, sed quia quæ tegunt accidentia sunt, fragilia, diuq; obsistere nequeunt, & tempore abolentur, tolli illa non potest. Sic multis argumentis disputatur & concluditur fortiorem esse veritatem 3. Esdræ c. 4. Et apud Iosephum Historiographum libr. Antiquit. 11. c. 3. Reuelat namque omnia

mnia tempus, qualiacunq; sint & reuelatione, falsum quod non est, cum detegitur, quod est, interit. Sic Aulus Gellius, lib. 12. noct. Attic. c. 11. postquam citauit hos duos versus Sophoclis,

πρὸς τοῦ κρύπτε μηδὲν, ὃς ἃ πανθ' ὁρῶν
καὶ πάντ' ἀκούων καὶ πάντ' ἀναπύστει χρόνος, I,

*Nihil occulta, quia omnia videns,*
*Et omnia audiens & omnia reuelat tempus.*

Concludit filiam esse temporis veritatem, quia eo gignatur, vel melius apparet. Cicero pro Marco Cælio dicebat etiam, ideo magnam esse veritatis vim, quod esset immutabilis, Et Epictetus, ἡ ἀλήθεια παρ' αὑτῆ νικᾷ, ἡ δὲ δόξα παρὰ τοῖς ἔξω, *veritas apud se vincit, opinio autem apud exteros.* Et Demosthenes, orat. de fal. legat. τἀληθές, inquit, ἰσχυρόν ἐστι. καὶ τεναντίον ἀσθενές I, *veritas potens est, & contrarium infirmum.* Et Cicero orat 25. pro M. Cælio exclamat, *ô magna vis veritatis, quæ cuncta hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contra, q; fictas hominum insidias facile ipsa sua sponte perfundat.* Et D. Augustinus, explicans Psalm. 61. *occultari potest veritas, vincí non potest, florere ad tempus potest iniquitas, permanere non potest. Nolite igitur sperare in iniquitate.* Et Iurisconsulti dicunt etiam prævalere veritatem consuetudini, & eam consuetudinem quæ pugnat aduersus veritatem, potius esse antiquitatem erroris. in can. consuetudo 8. dist. in 1. part Decret Et Dominus dixit, *Ego sum veritas*, non, ego sum cõsuetudo. Quamobrẽ inuenta ratione & veritate, cedat consuetudo contraria oportet, vt ait D. August. lib. 4. de Baptismo c. 5. & 6. & lib. de baptis. pueros. Et refertur in canon. si consuetudinem, & cano. qui contempta. 8. dist. in decret. Grat. 1. par. & in cano. vsus 11. dist. Et Isodorus in dialog. vel de synoni. hom. & ratio. Hinc fit, vt maximi etiam Oratores falsum dicentes à causidicis mediocribus sæpè vincantur, quod tanta est potentia veritatis, vt seipsam quamuis in rebus exiguis, sua claritate & luce defendat, vt scribit Lactantius lib. 3. de fal. Sapien. c. 1. Sic etiam rudes Apostoli, Philosophorũ errores valide subuerterũt, & ora leonũ eloquentũ obstruxerũt. Et D. Paulus 2. Epist ad Cor. c. 13. b. v. 8. *Non enim possumus aduersus veritatem, sed pro veritate.* Quare autẽ veritas remanet, & quæ aduersus eã molimur

defluunt, ea ratio est, quia cùm mendacium malum sit, non potest in eadem sede permanere, sed semper mutatur in pœnis, donec bono medeatur, & ita variabile est: Sic & Sophocles scribit.

ἔπτι φιλεῖ τὰ μοχθηρὰ μένειν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς, ἀλλὰ ἀεὶ κίνειται,

*res improbæ non possunt in eodem statu manere, sed subinde mutantur.*

Et Thucidides in *2. opinionem rerum, Veritas delet.* Et D. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, lib. 1. Epist. epist. 3. *Hæc est frater, verè dementia, non cogitare, nec scire, quod mendacia non diu fallant: noctem, tandiu esse quandiu illucescat dies: clarificato autem die & Sole orto, luci tenebras & caliginem cedere, & qua grassabantur per noctem latrocinia, cessare.*

Multum differt à vero veritas, ut ait D. Chrysosto. tomo 3. homi. 79. in c. 17. D. Ioan. Et inter verum & veritatẽ interesse, scribit Galenus, tomo 8. lib. de historia Philosophica. Cuius verba hæc sunt, vbi agit de vero. *Verum est quod alicui oppositum, cum re conuenit. Differt autem verum à veritate, substantia, constitutione, potentia: substantia, quoniam verum incorporeum est, cum dignitas sit quæ ab omnibus proloqui solet: Veritas autem corpus. Nam omnium rerum, scientia est. Scientia principalis animi facultas: principalis autem facultas spiritus esse videtur, qui merito corpus esse existimatur. Constitutione, quia verum euidens est, vt ego disputo: veritas autem à nobis inquiratur oportet, cum bona vniuersa comprehendat. Potentia, quoniam verum malis & ineruditis hominibus, nam vera interdum & ipsi dicunt: veritas autem non nisi probis & eruditis inesse potest.*

Veritas ergo qualiscumque sit à Deo & Dei gratia habetur. Deus namque cùm vera essentia sit, seque ipsum, vt est, cognoscat, & se cognoscendo reliqua perfectè etiam in substantia agnoscat ipse veritas vera est. Et quia omnia ab ipso essentiam acceperunt & substantiam, ideoque omnes res veluti in artifice perfectiùs in Deo sint, quàm nunc in seipsis, ipse verò lux & veritatis erit manifestator & doctor.

Et D. Thomas, lib. 1. contra Gentil. cap. 1 *primus*, inquit, *author & motor vniuersi est intellectus. Oportet ergo vltimũ finem vniuersi esse bonum intellectus, hic autem est veritas.*

*Oportet*

*Oportet itaque Veritatem esse Vltimum finem Vniuersi totius, & circa eius considerationem principaliter sapientiam consistere. Et ideo ad veritatis manifestationem diuina sapientia carne induta, in hunc mundum se venisse testatur. Dum ait in Euangelio D.* Ioan. cap. 18 g. versic. 37 *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui ex veritate est, audit vocem meam.* Sed & primam philosophiam determinat Philosophus esse scientiam veritatis, non cuiuslibet, sed eius veritatis quæ est origo omnis veritatis, scilicet quæ pertinet ad primum principium essendi omnibus, vnde & sua veritas est principiū essendi omnibus Forsan eò spectabat Olympias, dū ait, ἀλήθεια θεῶν ὁμόπολις, *Veritas, cœli ciuis, μόνη θεοῖς συνδιαιτωμένη. sola fruitur conuictu cœlestium.* Et Trimegistus in Pymandro, τὴν πρώτην ἀλήθειαν vocat ἕνα καὶ μόνον τόπον, τὸν μὴ ἐξ ὕλης, τὸν μὴ ἐν σώματι, τὸν ἀχρώματον, τὸν ἀσχημάτιστον, τὸν ἀτρεπῆ, τὸν μὴ ἀλλοιούμενον, τὸν ἀεὶ ὄντα. *Primam Veritatem, Vnum & solum illum qui non est ex materia qui corpore non continetur sine colore, sine figura, inalterabilem, semper existentem.* Et Philo Iudæus libr 3. de vita Mosis veritatem a Deo non seiungi scribit Pindarus etiam Olympio. ode 10. ἀλήθειαν θυγατέρα διὸς, *veritatem filiam Iouis.* & Pythagoras, beneficium Deorum veritatem complecti, vt scribit Ælianus lib. 12. de var. histor. cap. 59. Alcinous lib. de doctr. Plat. cap. 10. veritatem dixit Deum: Et Galenus tomo 8. lib. de histor. philosophi. Veritatem omnia bona vniuersa cōprehendere. Id autem quod bona vniuersa complectitur, aliud quàm *Deum* esse non posse, in bonitate docuimus. Quamobrem ipse vera erit veritas, & veritatis omnis lux. Quæcunque etiam ab eo procedunt vera. Ideo & Calistus summus Pontifex scribit in can. ponder. 50. distinct. in 1. par. decr. Grat. *Hæc sententia quodcunque solueris in terrâ, erit solutum in cœlis, &c.* Matth. 16. *aut Domini non est, aut vera est.* D. Thomas lib. 1. contra Gentiles cap. 61. docet & probat, *Deum* esse purissimam veritatem. Et cap. 62. quòd diuina veritas sit summa & prima veritas. D. Aurel. Augustin. lib. 2. de fide Christian. cap 18. ibi Deum esse nos intelligere debere ait, vbi est veritas. Quia vt idem scribit epist. 28. ad D. Hieronymum, à quocunque verum dicitur, illo donante dicitur, qui est veritas. Et rursum sup. Psal. 189. *Beata vita,*

*gaudium est de Veritate quod est Deus.* Et ideo D. Bernardus de interio. domo cap 68 *quando* inquit, *veritatem intelligis, vel intelligere facis, Christum gignis* Tertullianus in enarrat. Psal. 118. dum interpretatur illud, *Principium verborum tuorum, Deus, Veritas* principium ad Deum refert, cumque veritatem increatam interpretatur, à quo, veluti à capite procedunt mandata & iussiones Dei. Dicitur & Deus in scripturis sanctis verus, vt apud Hierem. 10. D. *Dominus autem ipse Verus est.* Et Apoc. 3. b. 7. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, &c* Sic Psal. 50 b ad Deum clamat Dauid, *Ecce veritatem dilexisti, &c.* Et, Psalm. 118. l *Omnia mandata tua veritas, &c.* Quamobrem & Sap 3. b. scribitur, quòd, *Qui confidunt in Domino, intelligent Veritatem, tanquam à Veritate*, inquam, *fonte haurientes.* Et Deus filius, cùm incarnatus est, visus est plenus gratiæ & veritatis, vt scribit D. Ioan. Euang. cap. 1. b. Et ca. 14. à se viam esse & veritatem dixit. Idemq; Dominus noster IESVS CHRISTVS, patrem Deum rogans in Euangelio D. Ioan. c. 17. c. versic. 17. *Sanctifica*, inquit *pater discipulos in Veritate. Sermo tuus Veritas est* Qua ratione accidit, vt qui à Deo elongantur, veluti à pura veritate præcipites, in infinitos errores, Deo auerso labantur etiam inuiti: non secus ac qui decreuit ex feneſtra se præcipitem agere tantum palmum, nihilominùs vsque ad imum profundi, domum egressus delabitur: qui domum Dei relinquunt, veluti hæretici, etiam in minima aduersa ecclesiæ opinione, præcipites statim ad infimum erroris decidunt. Et abyssus abyssum inuocat. Et modica à veritate cum præsumptione recessio, in initio magnos parat ad infinitos errores aditus. non secus ac qui semel viam ignotam ingreditur, & aberrantes quantò plus incedunt, tantò longiùs à vero itinere aberrant. Sic Tertullianus ait lib. de cultu fœminarum. Nihil verum in his qui nesciunt Deum præsidem & magistrum veritatis.

### *De partitione veritatis.*

### CAP. LI.

CLemens Alexandrinus lib. 6. Stromatòn. *Veritatis*, inquit, *alia quidem est pars quæ versatur in cognitione, alia verò in actione, profluxit autem à contemplatione.* Et hac diuisione vel partitione non contentus, aliam postea adfert, hoc modo: *Duæ sunt ideæ veritatis, nempe nomina & res:*

*& res: nomina in ornatu & elegantia versantur: res apud barbaros.* Nam vt idem scribit lib. 1. Stroma. aliter quis dicit de veritate, aliter veritas seipsam interpretatur: & aliud est veritatis coniectura, aliud veritas. aliud similitudo, aliud id ipsum quod est. Et altera quidem accedit disciplina, altera verò potestate & fide. Est enim Domini doctrina pietatis, gratia vero fides. Veritas Deus dicitur, quoniam omnis veritatis principium est. vt Sol vniuersi quoque luminis est pater: quia omnium causa cœlique totius mentem, & mundi animam ad sui ipsius exemplar ornat, vt scribit Alcinous libr. de doctr. Plato. c. 10. Nos iam tradidimus libr. 4. Syntax. c. 8. veritatis diuisionem, cuius partes aliquas nunc explico. De omnibus autem scribit Rabi Aben. Tybbo lib. Rouach achem, lib. spiritus gratiæ cap 5. *Vera*, inquit, *res naturaq; extra animum reperiuntur, in intelligentia quoq; insunt, atque in oratione: quæ tria cùm inter se consentiunt, tum vera sunt omnia & oratio intelligentiam imitatur. & intelligentia rei cum & intellectum* Et Clemens Alexandrinus in oratio. adhortatoria ad Gentes. Veritas in summa, inquit, tribus completur, consilio, actione, verbo.

Veritas rei, est proprietas, esse vniuscuiusque rei quod stabilitum est ei, in quantum nata est facere de se talem æstimationem. Et in quantum sui rationem quæ est in mente diuina, imitatur. Et hæc est finitio Auicennæ in li. 2 &. 11. 2. siue Metaphys. c. 4. Hinc nihil detrahit nostra assertio vel negatio. Falsitas autem vel mendacium dicitur, cùm res apparet aliter quàm se habeat, vel cùm confusa est, vel dum apertè quid sit, non dicitur, vt scribit Aristoteles lib. 1. Ethic. ad Eudemum Sic non omne quod apparet, verum est, vt idem scribit Aristoteles lib. 4. Metaphys. c. 4. Sed quod similiter semper apparet, vt scribit Plato lib. 7. in Minoe, vel de lege. Sic semen verum dicitur, Hier. 2. c res omnis sua essentia perfecta, nullis vitiis extraneis obnubilata, & deturpata. Et apud Paulum Iurisc. substantia rei ponitur pro veritate: cui opponitur falsa opinio. in l. 2. pro empto lib. 41. ff. tit. 5. Et apud eundem Paulum in l. quoties. l. 14 de iureiu. lib. 12. ff. tit. 2. & apud Martianum in l. 1. § qui in rationibus, ad l. Cpr. de falsi. li. 48. ff. tit. 10. res accipitur pro veritate, vt illud, propter rem iurare: & rem amouere, & falsum in re cõmittere, pro veritate, rẽ iis locis vsurpãtes. Refertur & id qđ fieri oportet ad veritatẽ, vt scribitur à Paulo Iurisc. in l. verbũ

opor-

oportere, l. 37. de reg. iur. lib. 50. ff. tit. 17. Dicitur & mendacium rei, vt hypocrisis, fucatio.

Veritas intellectus. est adæquatio rei intellectæ ad intellectum: est figmentio, quam ferè omnes tradunt finientes veritatem in genere: ego tamen existimo propriam intellectus veritatis: eo quòd veritas rei non pendeat ex nostro intellectu, vt hæc. Hanc autem tradit Rabi Isaac, & *D.* Thomas in 1. q. 16. & in q. de verit. quæst. 1. & Chrysostom. Canapitius Iauellus tracta. de transc. cap. 5. Siquidem mens humana (quæ est donum diuinum) in homine comitatur intellectum lumine suo, vt ait commentator arboris Sephirot, vel numerationum, עך השכל והמשכל נאמו שדל אהך gnad hasecel ve hamascil vehamoscecel echad. id est, donec intellectus, intelligens, & intellectum simul vniantur, hoc est, idem sentiant & sint in apprehensione, vt aliàs docuimus. Quare & Plato lib 10. in Philebo vel de summo bono mentè ait aut idem esse quod veritatem, aut omniũ certè simillimam & verissimam. Et communis philosophorum fuit tractatio, eorum quæ sunt in dissentendo & ratione, vt quanquam ea orirentur à sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus; mentem volebant esse rerum iudicem, solamq; censebant idoneam cui crederetur: quia sola cerneret id quod semper esset simplex & vniusmodi, & tale quale esset, vt scribit Cicero lib 1. Academ. quæst.

Falsum verò intellectus & mendacium dicitur, cùm quis intelligit aliter, quàm res se habeat, non enim res vera dicitur, quòd eam talem existimamus, sed verum dicimus, quia res talis sit. Sicuti albus quis non est, eò quòd talis existimatur, vel dicitur, sed quia albus est, verè talis existimatur vel dicitur, vt scribit Aristoteles libr. 9. Metaphysic. cap. fin. *D.* Th. etiam dixit, veritatem intellectus esse intellectualem perfectionem operationis, lib. 1. contra Gentil. c. 60. Clarior tamen illa, quæ adæquationem rei intellectæ ad intellectum exprimit. Cæterùm adæquatio illa, fit non ratione actus, sed ratione formæ, quæ est similitudo rei intellectæ, secundum quod per ipsum, intellectus rei adæquatur, ita quòd similitudo non est formaliter veritas, nisi ratione illius adæquationis.

Quamobrem hinc notandum est quòd quemadmodũ similitudo & imago concipitur, interdum perfectè, interdum imperfectè: nempe imperfectè sicut quando informatur specie intelligibili, sed actualiter non considerat,

Perfe-

Perfectè quando actualiter intelligit & format conceptum rei conformem: Ita inuenitur veritas in intellectu, & imperfectè ratione speciei intelligibilis præcisè sumptæ, & perfectè, ratione conceptus formati de re. Qua in causa adhuc notandum, quod dum dicitur apud D. Thomam, illa quæstio. de veritate, tum alibi, cognitionem esse veritatis effectum, illud intelligitur de veritate imperfectè sumpta: cùm autem dicitur, veritatem pertinere ad id quod dicitur, intelligitur de perfecta & completa veritate, vt annotauit Franciscus de Syluestris ad cap. 59. lib. 1 D. Thomæ contra Gent Sic falsum & mendacium intellectus, dicitur omne peccatum siue id ignorantia siue malitia committatur. Ignorantia enim culpabilis est, in his quæ facienda non sunt, in non committendis curam non adhibere, vt alias diximus. Malitia dolum, & mendacium decipiens habet. Quamobrem omne peccatum mendacium est, veluti cùm ignorantia id dicimus bonum esse quod non est, sic falsum dicentes & sentientes, sicuti antiquorum alii in voluptate, alii in aliis fœlicitatem ponentes, falsi sunt & erârunt. Sic quamdiu peccatum quis committit, id malum esse forsan non existimat, veruntamen mendacium ille admittit si in eo decipiatur.

Orationis veritas, vel solius eius quod cogitamus, vel rerum quas exprimere volumus. Sic Galenus in Isagogicis lib de optima secta circa princ. *Verum* inquit, *sanè ex orationis cum rebus concordia æstimabitur* Hoc modo forsan Speusippus lib. de definitio. Plato. videtur definisse veritatem, dum ait, esse habitum in affirmando vel negando rectum, & scientiam veri. Et D. Augustinus serm. 25. de verbis Apost. Et scribitur in can. cùm humilitatis, 22. q 2. *Veritas ipsa est, vt quod est, dicas: non quomodo est veritas, vbi est falsitas.*

## *De veritate assequenda.*

## CAP. LII.

GAlenus lib de medi. art. constitut. in Isagogi. ad verum intelligendum septem requirit, quæ ante omnia principio accuratè contemplanda Primum est acre ingenium, vt quodcunque edoceatur præceptum, impigrè assequatur. 2. educatio à puerili ætate atque exercitatio, vt in primis versatus sit disciplinis, potissimùm in Geometria & Arithmetica. 3. Oportet autes omnibus qui optimi sua tem-

tempestate viderentur esse, accommodasse. 4. Nullis ipsum laboribus parcere, vt præter disciplinas aliud nihil die noctuq; meditetur 5. Veritatis amore capiatur, eiq; vni in tota vita spretis cæteris omnibus, quæ vulgò studiosè expetita sunt, sedulam operam nauare. Et alibi de cuiusq; animi peccator. notitia, natum ad veritatem veritatis indagatorem expostulat. Deinde optima atq; liberali indagatione natum esse. *Nam*, inquit, *qui in veritatem explorandam minimè natura feratur, & in flagitiosis inhonestisq; studiis altus fuerit, nequaquam iste aut sponte commotus, aut ab alio concitatus, veritatem vnquam appetere valebit.* 6. ab iis methodum quandam perdiscere, qua verum & falsum discernitur, necessarium ducit. 7 præter hæc exercere methodum, quò nō ipsam solùm cognoscere, sed vti quoq; liceat.

Deinceps considerandæ sunt impedimenta quæ impediunt, veritatis notionem, quæ quatuor ponuntur à Rabi Mosce Ægyptio in lib. ductoris dubitationum c. 30 & rursum lib. 2. c 23. cuius verba hæc sunt Latinè conuersa. *Dicit Alexander, tria sunt quæ impediunt apprehendere veritatem rei, amor multitudinis seu magnitudinis, & extremitatis vel excellentiæ. 2. est subtilitas in apprehendendo, & profunditas rei inuestigandæ. 3 ignorantia inquisitoris, & breuitas potentiæ siue facultatis eius in apprehendendo. adde 4. quòd est consuetudo nutricationis, siue populariū siue præceptoris, quoniam id fermè natura sequitur hominis amor quidam, qui alliciat ad sequendum eum cum quo quis nutritur:* vt facilè conjiciet quilibet ex rusticorum more, qui eiusdem pagi & oppidi, quibus iidem mores & verba. Imò vt Calixtus Papa scribit Epist 2 ad episcopos Galliæ. & refert Gratia. in canone consanguinei, 3. quæst 5. propinquitatis, familiaritatis ac damnationis affectio veritatem impedire solent. amorque corporeus & timor atque auaritia plerunque sensus hebetant humanos, & peruertunt opiniones, vt quæstum pietatem putent, & pecuniam quasi mercedem prudentiæ.

Aliam viam cognoscendi veritatem tradit Galenus tomo 3. lib. de cuiusque animi peccato notitia atque medela. *Si quis*, inquit, *veritatem exploraturus, priùs arrogantem iactantiam, nimium sui amorem, honorum & bonorum immoderatam libidinem, falsam persuasionem Sapientiæ, atq; auaritiam ex animo suo extirpauerit, iste planè ad ipsam peruenit non mensibus modò, sed annis multis postea, cùm*

*ante*

*ante se exercuerit, atq; placita ad beatitudinem & ad calamitates discere valentia indagauerit.*

Vt sensibilium multa, multis de causis mentem effugiunt, sic rationem quoque rationabilium multa præterreunt. Quod cùm ita sit, quisquis sincerus amator veritatis extiterit, nec ab euidenter cognitis, ob ea quæ nondum comperta habet, recedet, nec ob euidenter cognita, his quæ adhuc sibi incomperta sunt, accedet, vt ait quoque Galenus tomo 1. lib. an sanguis in arter. natu. conti.

Alia Galeni regula tomo 3. libr. de symptom. differen. *Veritatis*, inquit, *studiosum agere debet, nempe res ipsas, quæ inter se natura sint similes, eoq; minus aduertuntur ostendere. Deinde nomina huiusmodi imponere, potissimum quidem si potis est, quæ maximè sint in vsu: sin hac non nouit apta fingere. Ante omnia verò singulas rebus singulas, ne quæ in sermone vel obscuritas ex homonymia nascatur, indeq; sophismata oriantur, vel res vlla omittatur. Illud verò rectène an non rectè, & propriè an impropriè nomen sit impositum, per longum vsum æstimare, cùm res ipsas tam intellexerimus, quippe in harum rerum cognitione, successus operis consistit, non in nominibus. Ac nos quidem sicuti dixi, tum consueta vulgò nomina rebus imposuimus, tum res quæ inter se sunt vicinæ, distinguimus. Cæteris nominare quidem sicuti libet, permittimus, rem aliquam indefinitam relinquere non permittimus.* Atque *D.* Chrysostom. tomo 2. Homilia 23. in Matthæum in opere vt vocant imperfecto, per collationem rerum & indagationem à sapientibus & doctoribus parari veritatem, etiam ignorantissimo scribit: sicut qui vestimenta velit emere etiam bonitatis impos, tamen distinctionem bonitatis intelligit, dum apud plures mercatores diuerterit: & is qui iter ignotum ingreditur, non propterea resilit, sed quos inuenerit, de itinere in itinere scisciatur.

Alia regula Galeni, in Isagogi. lib. de opti secta ad Thrasibulum. *Oportet*, inquit, *semper sermonem & præceptum ad speciem propositæ rei, de qua sermo est atq; præceptum, referre: ac si de re aliqua sensui euidenti sit, ad illam accommodare: si verò de re sensui occulta considerandum, num alicui occultarum rerum sit consentiens.* Iudicia autem de rebus sensui euidentibus atque occultis, differunt. Quæcunque enim sensui euidentium rerum, per se de seipsis

notitiam pariunt, sensu dijudicantur, vt album & atrum. Sed euidentium quidem sensui, non per se autem cognitorum, iudex est obseruatio eorum, dico quæ per signa percipiuntur. Iterum, sensui abstrusarum rerum, sicut plures sunt differentiæ, ita & diuersa iudicandi instrumenta. Ex abstrusis autem sensui, aliqua intellectui perspicua sunt, vt hoc natura corporea fieri non posse, vt idem homo Athenis simul atque in Ægypto sit: aliqua per ostensionem cognoscunt, per consensum cum his quæ ab omnibus conceduntur, dijudicatur rursum concessi dijudicatio in plura diuiditur: Aut enim ex consensu cum sensui apparentibus, aut cum perspicuis intellectui, aut cum demonstratis concessum discernitur.

Alia eiusdem Galeni norma ex sententia Hippocratis, quam refert tomo 1. lib. 9. de decret. Hippocr & Plato. *Quo igitur modo*, inquit Hippocrates, *rerum natura inuenire potest? Si à maximis facilimisq; exordiamur. Maximus inquam usus: facillimus autem quantum ad nostram cognitionem spectat. Natura siquidem vtraque hæc nobis largita est. & ipsa iudicia & fidem, quam sine vlla disciplina iudiciis adhibemus.* Iudicia sunt instrumenta ipsa sensuum, quæque instrumentis vtuntur, facultates fides & persuasio, quæ sine vlla doctrina, natura duce non tam in hominibus, quàm in aliis omnibus animalibus, ineſt. Nam cùm accedentem aliquem viderint aut ſtrepitum vocemque audiuerint, confestim si maius est id animal, quod accedere conspexerunt, aufugiunt: quieta verò permanent, si minus imbecillius que aduentare senserint.

Potest etiam veritas elici ex redargutione falsitatis: nam contrario summoto, quod verum est, remanet, sic tradit Marsil. Ficinus in argumento in Menone Platonis. Redargutione autem non aliter accidit veritatem detegi, quàm chalybis splendorem, dum à rubigine perpolitur. Ita enim sublato quod veritatis candorem subtrahebat oculis, quod non videbatur, apparet. Et in hac parte imitandi sunt metalli inquisitores, qui antequam ad venam metalli perueniant, maximis laboribus antè proscindunt moles montiũ, dein cuniculis pluribus, non sine vitæ discrimine actis, metallorum venas inueniunt, & effossa, magna postmodum ignium vi à fæcibus perpurgant. Neque enim absq; ingenti negotio lucidum aurum vel metallum, in vsum monetæ vel aliorum operum traducunt. Hanc nos veritatem etiam maxi-

maximis laboribus inquirentes, fodere in altum ibi iubemur, vbi putamus tam lucidum aurum inueniri, cuius venas postea inuenientes, à fæcibus, hoc est, dubiis & inuolutionibus opinionum, maximo & feruentissimo igne mentis continuoq; studio, perpurgare debemus, vt postmodum in monetam optimam idoneamq; vsibus & negotiis hominum moderandis, transferamus.

Quo in loco annotandum est, tria genera hominum in veritatis disquisitione esse, sicuti in metalli effossione: sunt enim qui perquirunt in fodinis & fæcibus intermixtum inueniunt, qui plerumque aurum fæcibus informe, purgare nō norunt. Secundò sunt qui excipientes illas fæces, igne aurum separant. Deinde tertiò sunt alii, qui vsum & formam & vim auro dant, vt principes qui nummos certa forma & materia purgata, percuti obsignatos iubent, quos non licet alio modo mutare vel adulterare. Similiter sunt aliqui q rudi Minerua veritatē inueniunt, verum confusè & quid dicant, non intelligunt, vt metalli rudes effossores. Secundò sunt alii qui separant quidem veritatem à falsis: veluti philosophi disputatores, & quisque in sua arte peritus, theoricè. Sed sunt alii qui ad vsum perpurgatam veritatem & praxim transferunt, quam obsignant forma certissima, quáue obsignata indubiè quisque vtitur, quam qui mutare conatur, non minùs puniendus venit, quàm adulterans publicum numum, nisi pari authoritate & labore factus expertior, cum ratione se iustè id tentare & immutare, demonstret.

Ex quibus colligimus primum, nos maioribus ferè omnem acceptum ferre debere splendorem, per quos factum est, vt inuenta, explicitaq; per successores ad nos peruenerint: ii enim fuerunt qui maximis cum laboribus, ingenio acri non longè à primæua creatione & veritatis cognitione abeuntes, in ætatis diurnæ inuenta, determinata, & probata reliquerunt, quæ postmodum cum tempore exculta interdum fœlicius interdum obscurata malitia hominum fuerunt. Qua ratione prouidus & sapientissimus omnium rerum creator *Deus*, in prima ætate seculi, diutiùs homines viuere permisit, vt satis laboribus posteris necessaria, inuenta probarent & traderent. Nec enim est aliquid dictum, q& non dictum sit prius, *Nec Aliquid sub Sole nouum, nec valet aliquis dicere, ecce hoc recens est: iam enim præcessit in seculis quæ fuerunt ante nos.* Ecclesiast. c. 1. c. vers. 10. Sic Galenus

tomo 4. lib. de dignosc. pulsib: *vobis*, inquit *senioribus, qui hac magna cura inuestigastis, referimus acceptum. Si quod uos inuenimus boni, non inuenturi certè nisi quia ad uestra scripta, qui glaciem secuistis & uiam nobis ad ea aperuistis, meditati sumus.*

Sequitur, difficile esse, neq; dormientibus obuiam inuentionem veritatis, atq; circa eius inuentionem laborandum. *Non enim*, vt ait *D.* Augustinus in princ. lib. 1. quæstionum super Genesin *disputatio veritate, sed veritas disputatione acquiritur.* Sic Arcadius Iurisc. in l. numerum, l. 16. §. mixta munera, de muner. & honor. lib. 50. v. tit. 4. scribit, *Herennium Modestinum inuenisse veritatem notando & disputando, quod mixtorum numerum non ine venirent.* Neque enim vt decipitur Protagoras, verum id omne est, quod cuique videatur, neq; quod Cyrenaicorum statuebat secta, qui præter prænotiones intimas, nihil putabant esse iudicii. Neq; quod putarunt Epicurei, qui omne iudiciũ sensibus, & in rerum notitiis & in voluptate cõstituebant: sed quod Plato dicebat, omne iudiciũ veritatis: & ipsam veritatem abductã ab opinionibus, & à sensibus cogitationis ipsius & mentis, vt refert Cicero lib. 4. Academ. quæst. Huc accedat longa & continua disquisitio: sicuti animalib. mundis illud propriũ dicebatur, quod ruminarent. Leuit. 11. & Deute. 14. Nobis etiam quæ didicimus remandenda, id est, quodammodo examinanda sunt, antequam pro veris recipiamus. Sic & D. Paulus 1 ad Thessal. 5 c. vers. 21. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Et D. Ioan Epist. 1. c. 4. vers. 1. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Sic in cano. graue, 25. q. 8. in 2. par. Decre. dicitur, veritatem sæpiùs recensitam splendere.

Tertiò hinc colligimus, cognitam veritatem nullo modo esse immutandam, non abscondendam, non minuendam, vel fucandam. Nisi possumus apertè demõstrare, quæ pro veritate habentur, falsa esse. Se obiciunt inquisitioni veritatis, veluti lapidosi montes metalla perquirentibus, ira, quæ impedit animum ne possit cernere verum: pertinacia, munera, consuetudo praua, malitia, nimius amor sui seu philautia, & id genus alia. Sic pertinacia obduratum est cor Pharaonis, ne cognosceret veritatem annunciatam à Mose. Sic & in peccatis callum obducentes, veritatis nuntium & salutis rejiciunt. Fit autem illa obduratio ex fallacia peccati, oùm mala pro bonis quis malitiosè sequitur, vt colligitur

ex epi-

ex epistola ad Hebræos cap. 3. c. Cuius autem aures clausæ veritati sunt, vt nec ab amico verum aud re nequeat, huius salus desperanda est, vt scribit Cicero in Lælio, vel de Amicitia. Munera etiam excęcant cor sapientum, ne cum veritate & pro ea sentiant, Exodi 23. a. non accipies munera, quæ excæcant prudentiam, & Deuter. 16. d & Eccles. 20. d.

Non parui momenti etiam est assuescere verum dicere: nam qui ab anniculis mendaciis lactantur, vix eius pernicici obliuiscuntur. & contra veritatem loqui consueti, eam vnquam tegere nequeunt. Quod & exemplo apparet Aristidis, qui propter virtutes in Rempub. collatas, iusti cognomen meruit; is enim constantiam, modestiam, æquitatem à vero coluit, neq; mendacium, nec in Deos intemperantius dictum, nec fraudem vel ioco probare potuit, vt scribit Plutarchus in vita Aristidis. Et malitia etiam obcęcat cor Sapien. 2. d. potissimum, & malitia vel nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcauit vultum suum, tanquã vrsus, Eccl. cap. 25. c. vers 23. Et Sapien. 4. b. de iusto dicitur. raptus est, ne malitia mutaret intellectum. Philautia, videlicet amor sui, multos decipit, vt suprà docuimus, dum quis plura se scire, quàm nesciat, existimat, propriis erroribus hæret. Sic in fine seculi quando omnis error & falsitas Antichristo viam parabit, erunt homines seipsos amantes 2. ad Tim. 3. a.

Iouianus Ponranus libr. 2. de Sermone c. 2. veracis viri proprium esse ait, *non simulatè aut dissimulatè de seipso loqui: non obscurè aut insinuanter minimeq; obliquè, verùm apertè, palàm, directè, liberaliter: quod etiam est magnanimi, nihilq; quod sibi non insit, aut rebus suis adiungere: aut quod ex parte desit, per simulationem effingere: Eritq; oratio eius, aut ab omni tactatione vacua, sic nullo pacto nimia quasue satietatem audienti afferat: (si careat supercilio sit tamen seuera & grauis & vt grauitati suo loco sit adiuncta grauitas si fiet dispositio ordine commodus sine fuco. si amplificatio temperata qua dicentem non extollat, vt praco, &c.*

# ABACVS VERITATIS SYNOPSIS EORVM QVÆ veritatem referunt.

| | | His repugnant. |
|---|---|---|
| 1 | *Adæquatio.* | *Adulatio.* |
| 2 | *Approbatio.* | *Ambitio.* |
| 3 | *Authoritas.* | *Arrogantia.* |
| 4 | *Confirmatio.* | *Calumnia.* |
| 5 | *Essentia.* | *Contingens.* |
| 6 | *Fides.* | *Deceptio.* |
| 7 | *Lex.* | *Dolus.* |
| 8 | *Praedestinatio.* | *Error.* |
| 9 | *Probationes omnes, vt testes, instrumenta, &c.* | *Fabulæ.* |
| | | *Falsum.* |
| 10 | *Quidditas.* | *Fallacia.* |
| 11 | *Ratificatio, seu ratihabitio.* | *Fictio.* |
| 12 | *Regestum.* | *Futurum.* |
| 13 | *Verum.* | *Hypocrisis.* |
| | | *Iactantia.* |
| | | *Ironia.* |
| | | *Mendacium.* |
| | | *Ostentatio.* |
| | | *Periurium.* |
| | | *Proditio.* |
| | | *Subsurratio.* |
| | | *Simulatio.* |

Quæ omnia ferè seipsa manifestant, vel referre veritatem, vel repugnare eidem. Atque superioribus capitibus quoque, quæ, qualiáue sunt, explicauimus. vt non sit necessarium diutiùs in illis immorari, & eandem cantilenam, vt est in prouerbio canere. Pauca tamen de istis adjicere non pigebit, in gratiam tyronum. Idq; in summa.

Adæquatio, cùm referat existentiæ similitudinem, & existentia omnis vera sit, erit & illa vera.

Quod approbatum est etsi in se verum interdum non sit, tamen in quantum approbatum, pro vero habetur, saltem approbanti. Neque quod quis semel probauit, ex eadem causa reprobare potest. Si approbata non sit contra ius, & sine errore seu scienter probata sit, & alteri non nocetur,

catur, reg. iur. qd semel placuit, c.21 lib.5.Sex.tit.5.l. Pomponius, 10. de negot. gest, π. Quò fit, vt communis opinio dicatur ius facere, & pro veritate haberi, l.1.de testam.lib.6. C.tit.21.l.ad S.C.Macedo π.cum similib.à glo.nota.

Authorisatio cum approbatione consentit, eaq; pendet vel à potestate publica, vel priuata. Sic negotia rata dicuntur approbata ab eo qui potestatem habet probandi vel reprobandi, pura à summo Pontifice, rege, magistratu, prælato, vt in c. causam, de iudic. c.1. de procurat, ap. Greg. tutore, curatore, tit. de author. tut de author. præst. & c.à maioribus, c. dudum, de electio. à bonis probis & peritis authoribus seu scriptoribus, nomothetis seu eorum legibus, vt §. cogitatio, vt iudic. fine quo. suffr. in Authen. c. septimo mense, de statuhomi. Vnde & probatio vt veritati consona, authoritate sæpe ducitur.

Confirmatio quoque addit verum: nam si firmum verũ sit: confirmatio quoque quæ refert firmum, vera erit. Callistratus l.3. §. eiusdem, de testibus π. respondit, testimonium veracis confirmare fidem rei. Et confirmationem pro approbatione, quam verum habere diximus, accipi nemo ambigit, regul. iur. non firmatur, lib.6. Sex. tit.13.

De essentia, in principio bonitatis & veritatis dictum est.

De fide dictum est in cognitione.

De prædestinatione quoque ibidem, & cùm Deus sit verax, necesse est eius prædestinationem esse veram.

Probationem veram habere causam constat, per naturam probationum sufficientium ad fidem faciendam, vel per testes, vel per instrumenta, vel aliis receptis modis, l. in exercendis, 15. de fide instr. C.l.2. ad leg Cor. de falsc Extant in iure Pontificio & ciuili tit. de testib. & probat. de fide instrum.

Lex pro veritate, quia authoritatem habet, & seruanda est, l. leges vt generales, & l. leges sacratissimæ, C. de legib. eum simil.

Quidditas idem quod essentia, quæ veritatem habet.

Ratificatio vel ratihabitio approbationem, & ideo verũ habet. Sed hæc probatio ad tempus præteritum trahitur, siue ad id quod in tempore præterito dictum, gestum, factúmue fuit, l. fin ad SC. Maced. C. cum simil.

Regestum, quod vocant registrum, ex nomine veritatem ostendit. Sic enim liber dicitur, quòd in eo quæ re ipsa gesta sunt, conscribuntur: vel authoritate publica, veluti per

tabelliones, l. contractus, de fide instrumen C. Guil. Pap. decis. 19. & conf. 84. argentarius, l. quędam sunt personæ, 9. §. fin. & l. argentarius, 10. vers. 1. de eden. π. & iudiciũ amanuenses, c. quoniam contra, de probatio. apud Gregor. vel priuatorum consuetudine, velati per mercatores calendaria, libri rationũ, qui à mercatoribus integræ fidei habiti conscripti, fidem iam olim faciebant. Guido Pap. decis. 441. Interpr. ad l. instrumenta domestica, & l. rationes defuncti, de probat. π. Steph. Aufre. in decis. capell. Tholos. 496.

De vero iam dictum. Sequitur vt pauca latiùs de mendacio, & eius quibusdam speciebus paulò latiùs agamus.

## *De veritate assequenda.*

## CAP. LIII.

MEndacium, ex diametro orationis, veritati oppositum est. Nam vt D. Chrysost scribit tomo 1. homil. in Psal. 14. *Si occultatur Veritas, tyrannidem obtinet mendacium, & tanquam ex agris qui carent domino, ex animo prædas agit: Sin autem veritas ducat exercitum, mortuum tacet quod falsum est. Quemadmodum enim tenebræ à luce deuorantur: ita etiam mendacium à Veritate sepelitur.* Et *D* Ioan Epist. 1. ca. 3 c. vers. 21. *Omne mendacium ex Veritate non est.* Et Salomon Eccles 34 2 vers 4. *A mendace quid verum dicetur?* Et Prouerb. c. 26. d. vers 28. *Lingua fallax non amat Veritatem.* Et Philo Iudæus li. quis rer. diuinar. hæres. *Maximum*, inquit, *bonum à natura datum, sermonem plurimi Veritati auersum acceptum, ingratè perfideq; hoc Veritati contra largitricem. Hi sunt adulatores præstigiatores, inuentores Sophismatum persuasibilium impostores fallaciarum peritissimi, de mendacio vitando haud solliciti, & insuper affectatores obscuritatis. Est autem obscuritas, res profunda in sermone, res commodissima furibus. Quamobrem Moses summum Pontificem ornat claritate, & Veritate: volens perspicuam simul & veracem esse viri boni orationem.* Hæc Philo.

Et quemadmodum Deus est pater veritatis, sic Sathan dicitur pater mendacii Euang. *D.* Ioan. c 8. f. & cano. cauete 22. q. 5. in decre. Gratia. Et can. cito turpem, 1. q 1. Et de Spiritu *D*ei dicitur à Sibylla lib. 3. Oraculorum. ἄψευδον γὰρ πνεῦμα θεοῦ, πέλεται κατὰ κόσμον, *non mendax est Spiritus Dei mundo. Nec est Deus quasi homo, vt mentia-*

*mentiatur*. Numero 23. c. Mentiri Sathanam quis calumniatorem authorem habet, quia is submiſtrat mentiendi ſtimulos, quibus aſſentimur maximo cum noſtro malo, Actuum c. 5. a. Conſtat & ex verbis *D.* Petri ad Ananiam. *Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto* Agnoſce Spiritum illum magnum, qui dixit coram domino, *Ego decipiam Achab, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius*, 3. Reg. c. 22. d. verſ 22. Et 2. Paralip. c. 18 verſ. 21. Inde homo factus eſt mendax, quia peccato & mendacio primo credidit, dum ille impoſtor dicebat, *Eritis ſicut Dij*, Geneſ 3. Quamobrem ſcribitur, *Omnis homo mendax*, Pſal 115. a 1. Vt D. Chryſoſtomo placet, *Vanitati & mendacio obnoxius*. Et rurſum Pſal. 61. *Mendaces filij hominum*. Qui autem *Deo* adhæret, quantò ferentius ei amore iungitur, tantò à peccatis mendacii ſeiungitur. Sic enim & ferunt Anub Monachum Aegypti, poſt confeſſionem pro Chriſto in perſecutione factam, nunquam poſtea mendacium dixiſſe, & nihil terreni concupiſſe, tanquam Deo acceptum ideo, vt quæcunque ab eo expetiſſet, obtineret, vt ſcribit Nicepho. Caliſt libr. 9. Hiſt. cap. 14.

Quamobrem & *Deus* omnibus modis & omni tempore admonet, vt caueamus à mendacio, Exod. c. 23. a. verſ. 1. *Non ſuſcipies verba mendacij, nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falſum teſtimonium*. Et poſtea verſ. 7. *mendacium fuge*. Et per D. Paulum ad Epheſ. 4. f. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem*. Huic præcepto obaudiens Iob c. 27. a. verſ. 3. & 4 ait, *donec ſuperest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium*. Et in *Deut.* cap. 20. *Non loqueris contra proximum tuum falſum*. Eſt & finis malus, ob quæ mentitur communiter. Nam voluntas mentiendi vel fingendi eorũ maximè eſt, qui opes appetunt, vel lucra deſiderant, vt ſcribit Lactantius lib. 1. de fal. relig. cap. 4. Et quia contra naturam eſſe mihi videtur mentiri, cùm natura eſſentiã exhibeat, vt opera *Dei* prout ſunt. Mendaciũ autem taceat, & tollere deſiderat. Hocque viſum eſt execrabile omnibus gentibus naturaliter, & ſacris literis & profanis deteſtatum. Sic Ariſtoteles 4. Ethicor. ad Nicom. cap. 7. mendacium per ſe improbum eſſe, & vituperabile dixit Philo Iudæus lib. de Iudice 1. peccatorum præcipuã cauſam, aſſuetudinem, mendacii ſcribit, quo ab incũ-

nabulis nutrices matresque, & alia tum seruorum, tum ingenuorum turba alumnum suum imbuunt, dictis factisq; astruentes, id animo quasi agnatum naturaliter, cùm potiùs extirpari debuerit per honesta studia, etiam si à natura fuisset inditum. Et libr. 2. de Monarchia dum de veritate cum claritate in rationali pontificis agit, *scribit textus alter Veritas, per hanc subindicatur non esse fas Vlli mendacio cœlum ascendere, quòd totum inde ad terrestria loca relegatum sit, & demigrârit in animos scelestorum hominum.*

Plato libr. 34 Dialog. 3. de legib. *mentiri*, inquit, *non licet vnquam, nisi forsan principibus reipublicæ causa, id est, alicuius grauissimi mali euitandi gratia.* Nam & conuenit interdum etiam bonum virum mendacium dicere, & quidem nonnunquam leuioribus causis, vt in pueris ægrotantibus vtilitatis eorum causa, multa fingimus multa non facturi promittimus, nedum si ab homine occidendo grassator auertendus sit, aut hostis pro salute patriæ fallendus, vt scribit Quintilian. libr. 12. Instit. Orator. cap. 1. Quanquam hoc ego potiùs simulationem & solertiam, quam mendacium dixerim. Adhuc & ipse Plato ait, 2 de legib. Mendacium & Deo, & hominibus odiosum, & ciuitatis calamitatem adfert, ideo tollendum ex hominum commerciis, vt consentit Cicero 3. Officio. Facilis enim via ad periuria ex mendacio sequitur, vt idem Cicero scribit orat. pro Roscio Comœdo. in quo & Deus grauius duplici modo, & contemptu & mendacio offenditur. Plutarchus, mentiri, tanquam seruile maximum opus abominatur, libr. de liber. educan. vt Plato libr. 13. in Theæteto vel de scientia. Mentiri ait esse turpe. Nec Persæ turpius quicquam mendacio ducunt, vt scribit Herodotus in 1. Apud Indos magistratus, qui Indorum cuiusque vitam post obitum statim scribit, si in mendacio est deprehensus, aut deceptus ipse vnquam fuerit, hac mulctatur pœna, vt nullo ampliùs magistratu, aut dignitate fungi possit, quia communem hominum societatem mentiendo fraudauerit, vt scribit Philostratus libr. 1. de vita Apollo. c. 12. Scribit & Plutarchus in vita Alex. Mag. Antigonum Monoculum mendacii conuictum ab Alexandro aula eiectum, & præfectura priuatum. Tollendum itaque ex omnibus contractibus mendacium putat Cicero 3. Officio. & Alexander ab Alexan. lib. 6. genial. dier. c. 10. refert Artaxerxem ita mendacium aversatum, vt mendacis hominis linguam tripli-

triplici clauo affici iusserit. Et hoc lucratur solum mendax ex consuetudine mentiendi, vt cum postea verum dixerit, non ei credatur. Quamobrem & sordidi putantur, qui mercantur à mercatoribus, quod statim vendant. Nihil enim proficiunt nisi admodum mentiantur, vt scribit Cicero 1. Officio. Sic idem Cicero, pro C. Rabio Posthumo. *Vbi quis semel peierarit, ei credi postea, etiam si per plures Deos iuret, non conuenit*, Legimus & Zenonem Eleatum tormentis à Dionysio tyranno, mendacium dicere interrogatum, linguam dentibus amputasse, & in Tyrannum proiecisse, ne cogeretur falsum proloqui, vt scribit Eusebius, li. 10. de præparat. Euangel. & D. Gregor. Nissenus, lib. de voluntatio. cap. 1. & Amianus Marcellinus lib. 14. histor. eadem refert: idemq; fecisse ob eandem causam, Eusebium quendam calumniis impetitum, atque tortum, vt falso alios accusaret, tempore Galli & Constantij Cæsarum. Mendacium etiam iure Ciuili prohibetur, & plectitur. Nam & qui negat se iure pignoris quicquam possidere, à tertio creditore conuentus, amittit priuilegium iuris retentionis, pro hypotheca, & tenetur possessionem rei mendacij conuictus, transferre: priusquam in iure suo audiatur. vt scribitur Auth. item possessor, qui potior. in pigno. habean. lib. 8. C. tit. 18. Item qui contrahendo mentitur se patremfamilias eũ filiusfam. esset, priuatur beneficio Macedoniani Senatusconsulti, & potest legitime conueniri eo non obstante, vt scribit Marcel. Iurisc. in l. qui cum se, l. 10. de re iud. li. 42. ff. tit. 2. Vlpia. & expressius, in l. eũ qui l. 6. ℭ cum eo qui in alie. pot. li. 14. ff. ti. 5. & expressius Pertinax Cæsar in l. 1. ad Senatusc. Macedon. lib. 4. tit. 28. Sic ob mendacium, quo quis minor se maiorem dixerit, restitutione in integrum priuatur. Alexand. Cæsar in l. 1. & Dioclet. & Maximia. in l. 2. si minor se maior. dixer. lib. 2. C. tit. 43. Sic de similibus. Et breuiter, mendax in iure priuatur beneficio, in quo mentitus est: & si improbitas cum mendatio detegatur, etiam iudicis sententiæ subiicitur, vt scribunt Theod. & Valen. in l. & si legibus l. 5. si cont. ius vel vtili. publ. lib. 1. C. tit. 25. Et Zeno in l. fin. de diuers. rescrip. lib. 1. C. tit 26. cum similib. ibi nota. Iure Canonico, nunquam mentiri etiam pro sua vel alterius vita conceditur. Semper enim imminet peccatum. Verum autem tacere, cum sit aliud à mendacio, & falsi expressione, licet interdum & cum ioco, vel pro amici salute mendacium admittitur, sed non sine peccato veniali, vt expresse

docetur ex Augustino, in Psalm. 5 in cano. ne quis arbitretur, 22. q. 2. in dec. Grat. & ab Alexan. 3. pontif. in can. super eo, c. 4. de vsur. lib. 5. Decr. Greg. tit. 19. Minus mentiri licet, imo & puniuntur mendacia iure diuino. Scriptum quippe, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Psalm. 5. 6. Et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardentis ignis & sulphuris, quod est mors secunda. Apocalypsis c. 21. c. ver. 8. Opprobrium itaque nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit. Potior est fur, quam assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore & confusio illorum cum ipsis sine intermissione. Eccles. c. 20. d. vers. 26. seq. Rursum, *Tum diligentissimè perscrutantes iudices inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, redderent illi sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui, vt audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia facere audeant: Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Deuter. c. 19. d. Iterum, *testis mendax peribit.* Prouerb. 21. d. versicul. 28. Testis autem falsus iure ciuili etiam pœna talionis punitur, id est, simili pœna, vt scribitur in l. 1 §. 1. & ibi Bartolus, ad leg. Corneliam de falsis in π. Panormitanus in cap. 1. de crimin. falsi. Baldus, in l. Presbyterum, Cod. de Episc. & clericis, qua pœnâ & iudex tenetur, vt cod. Bald. inquit, qui testem ad testimonium illud falsum ferendum induxit. Quod de laicis dicitur. In clericis namque statutum, vt si falsum testimonium ferant, deponantur, & in monasterium detrudantur. in cano. si Episcopus, 50. dist. In reliquis quam in criminalibus negotiis aduersus testes falsum deponentes iure ciuili datur actio duplex, ciuilis & criminalis: ciuiliter agitur actione in factum, & ad id quod interest testimonium non esse ratum. Sicuti & in eum qui prætoris supposito nomine falsas literas exhibuit, vel edictum proposuit, vt scribit Vlpian in l. qui nomine, l. 25. ad l. Cornel. de sicar. lib. 48. π tit. 10. Et de vtraque accusatione & ciuili, & criminali tractant Gratia. & Valens in l. penul. & à glo. in l. querelam, ad l. Cornel. de fal. libr. 9. C. tit. 22. Tenetur & de falso, non tantum qui falsum committit, sed & qui falsis vtitur, vt scribit Valens & Galen. Hodie ex constitutione Regia Franciſci primi lata anno 1539. in Gallia, cum falsi testes, tum qui hos ad falsum

sum committendum persuasent, capitali pœna plectuntur, & laqueo suspendi enduntur. Sic Plato etiam libr. 34. Dialo. 12. de legibus pœnam mortis falso testi, si ter falsum testimonium dixisse conuincatur, imponit. Offendit enim tres personas falsidicus testis: Deum, cuius iudicij præsentiam contemnit, cuiusque nomine veritatem dicere adiuratur: item iudicem, quem mentiendo fallit, postremo innocentem quem mentiendo lædit. in c. 1. de fal. lib 5. Decret. Gregor. tit. 20. Et quia hi omnes læsi à falso teste indubiè iis satisfieri omnibus debet ab eodem: parti in damno & honore: iudicis authoritati & Deo per pœnam, quia læsus omni iure satisfacere debet nocens, antequam absoluatur, vt in simili scribitur ab Alexandro 3. pontif. in cap. parochianos, c. 9. de sentent. excommun. lib. 5 Decret. tit. 30. Sed de falsis criminibus, copiosè alibi per nos cum Iurisconsultis abunde disputatur, lib 36. Syntagmatis iuris vniuersi, per prima quinque capita.

*De finitione & diuisione mendacii.*

## CAP. LIV.

EX superioribus generaliter colligimus, mendacium rei & sermonis, prout opponitur veritati, esse representationem seu exhibitionem vel rei vel orationis factam aliter quam se habeat. Sic enim est excessus vel defectus in repræsentatione. Et Dioclet. & Maximian. Cæsar. in tacendi fraude pro tenore veritatis, & in iuris falsa narratione, & in facto, mendacium poni posse dixerunt. in l. 2. si com. ius vel vtilit. publ. lib. 1. C. tit. 25. & ibi latè per glo. & interpret.

Sic hypocrisis rei mendacium erit, fucus quoque. Nam hypocritæ alias facies exhibent, quam habeant, exterminant enim facies suas vt videantur ab hominibus: Matth. 6. b. imitantur, & videri volunt esse. quod non sunt, hoc enim nomen explicat. Mulieres, facies suas minio, cerusa, & aliis pingunt, vt pulchritudinem, quam non habent, mentiantur. Et in falsis & simulatis operibus, mendacium scribit esse D. Ambrosius, & in can. cauete. 22. quæst 5. vt si quis Christianum se dicens, opera Christianas non faciat. Et D. Augustinus, libr. de vera religio. mentitur ille qui vult videri quod non est. Mentitur sermone is qui aliud, quàm in mente sentiat, fallendi animo dicit, quanquã & idipsum quod dicit, falsum sit, vt ait idem D. August. lib. de menda. ad Consentium, c. 4. can B. Paul. § Est enim 22. q. 2.

Plato,

Plato in Theæteto, vel de scientia & Magister libr. 3. 38. dist. sententiarum. Dicitur fallendi animo, vt differat à simulatione, & iocosa abnegatione, quę quamuis culpa non careant propter veritatem tacitam, tamen peccato mendacij non æquantur, vt idem D. Augustinus docet lib. de mendacio, c. 5. & lib. contra mendacium, c. 10. Atque etiam non omnem tacitam veritatem esse mendacium, ex scripturis sacris. Quamobrem ex substantia mentiendi, scholastici theologi omnes notant, illud esse, vt quod dicitur sit falsum saltem ex intentione dicentis. Astesa in summa, parte 1. lib. 1. tit. 4. 36. art. 1. D. Thomas 2. 1. q. 110. art. Alexand. de Alex. in 3. par. sum. tractatu de mendac. art. 1 S. Bonauen. & Richar. in 3. sentent dist. 36. art. 1. q. 1. Quò fit, vt concludatur, respectu illius prauæ intentionis fallendi, si quis iuret quod putet esse falsum & tamen sit verum, pro mendacio ei imputari, vt scribit D. August. serm. 28. de verb. Apost. & in can homines. 22. q. 2. & Hugo de sancto Victo. libr 1. de sacram. par. 12. cap 12. *Mendacium*, inquit, *est falsa significatio vocis, cum voluntate fallendi*. Differunt autem mentiri, & falsum dicere, quia qui mentitur ipse non fallitur, sed alium nititur fallere: qui vero mendacium dicit, & fallit & fallitur. vt scribit Aulus Gellius libr. 11. Noct. Attic. cap. 11. can. is autem, 22. q. 2.

Diuidunt mendacium Magister sentent. lib. 3. distin 36. & ibi cæteri scholastici, in id quod commodum alteri est, quod iocosum, quod ex malitia est. D. August. lib. de Menda. cap. 14. & in can primum est, 22. q. 2. gl. interp in d. cap. primum octo genera ponit.

1 Mendacium in doctrina religionis, capitale, nullo modo sequendum.

2 Lædens alium, & nulli vtilitatem afferens.

3 Iuuans vnum, nocens alteri.

4 Sola mentiendi fallendiue libido, mirum mendacium.

5 Ex placendi cupiditate prodiens.

6 Quod nulli obest, prodest alicui: ad vitandum periculum damni.

7 Quod nulli obest, prodest alicui, ad vitandum periculum personæ vel vitæ.

8 Quod nulli obest, & alicui prodest, ad conseruandam pudicitiam.

In nulla autem specie, nec aliqua occasione, licet mentiri, vt

ſi: vt ibidem dantur rationes. Attamen in his tantùm quis minus peccat, quanto à primo genere recedit, quod eſt gratiuus genus mendacij. Chriſtiano igitur nũquam vlli mentiendum decipiendi potiſſimum aut nocendi cauſa. Eſt enim nefas eum qui veritati ſtudeat, in aliqua re eſſe fallacem, atque ab ipſa quam ſequitur, veritate discedere. In hac iuſtitiæ virtutumque omnium via nullus mendacio locus eſt, &c. vt admonet Lactantius, lib. 6. vel de vero cultu, cap. 18. Et rurſum, in epitome diuina. Inſtit. cap. 5. *Eiuſdem*, inquit, *legis Dei eſt, falſum teſtimonium non dicere, quod & ipſum latius patet ſi mendacium nocet ei contra quem dicitur, & fallit eum apud quem dicitur.* Nunquam igitur mentiendum eſt, quia mendacium ſemper aut fallit aut fallitur. Nec adulari licet, quia pernitioſa & deceptrix adulatio. Et Eccleſ. c. 7. b dicitur, *noli velle mentiri omne mendacium, aſſiduitas illius non eſt bona.* & in cano. mihi. 22. q. 2.

## *De Hypocriſi, ſimulatione, & dolo.*

## CAP. LV.

HYpocriſis, ſimulatio doloſa, doluſue ipſe ſub prima & ſecunda ſpecie diuiſionis mendacij D. Auguſtini contineri poſſunt, vt ex dicturis apparebit. ὑπόκρισις vocatur apud Græcos, imitatio & aſſimulatio alterius perſonæ, vel negotij, vel facti: & breuiter, dum quis quæ non habet ſe habere ſimulat, aliámve perſonam induit. Vocat itaque hypocritam D. Chryſoſtomus, in poſterioribus homiliis in Matth. homil. 18. in cap. 7. doctorem, qui antea quam faciat bona, ea docet. Sic vocauit Deus Chriſtus IESVS hypocritas, ſimulatores iuſtitiæ Phariſæos, cum nihil magis ab eis vere abeſſet, quam iuſtitia. Matth. cap. 6. & c. 23. & Luc. c. 6. & c. 12. Et rurſum Lucæ 12. vocat hypocriſin Phariſęorum fermentum. Imitabantur enim piorum hominum mores, cum longè ab iis abeſſent, non minus quàm hi, qui, vt ieiunantes videantur, exterminant & fucant facies ſuas, vt tales, quales non ſunt, exiſtimentur.

Quod facilè quidam impoſtores faciunt, qui è fabarum polline tenuiſſimum in modum contritarum mane ſibi vultum afflatim inſpergunt, quo ſubflaui & laborantes videantur, vt ille faciebat puer, qui Grammaticam, & literarum ſtudia exoſus, patri vultum exhibuit morbidum, vt extraheretur à ludo, quod & contigit, vt ſcribit Iouianus Pontanus, li. 2. de ſerm. c. 23. Sunt & alij qui ſulphuris excepta

pta euaporatione & suffitu palorem mentiuntur, & faciem tetricam reddunt, vt scribit D. Matthæus, c. 6.

Quo in ordine ponendi sunt, qui laruis personatis vtuntur dicti, Malquç, à nomine מסכה masèca, id est, velamen, à radice נסך nasàc vel מסך masàc. Velant enim, qui laruati sunt, vultum, ne agnoscantur, quod commune illis est cum his qui mali quippiam agunt qui agnosci nolunt, qui enim malè agit, odit lucem D. Ioan. c. 3. Et *vt iugulent homines surgunt de nocte latrones.* Sic & vultum abscondit Tamar, dum pro meretrice in biuio cum Iacob concubuit, mutata veste etiam, vt scribitur Genes. cap. 38 d. versicul. 15. Quam imitantur illi equi hinnientes, vel passeres salaces, qui limina pudicarum familiarum laruati tentant, seducunt, polluunt, & diruunt, sæpè induti vestibus muliebribus, participes maledictionis abominationis, quæ fertur à Deo in eos. qui veste fœminea induuntur. Hi enim iniuriam hypocrisi illa Dei beneficio irrogant: quod pulchra facie, quam tegunt, ditati fuerint, quæ ad imaginem Dei facta nullo opprobrio inficienda est, vt scribit Constantinus Imperator in l. si quis l. 17. de pœnis libr. 9. C. titul. 47. Taceo quod sexus diuisiones confundant, & naturam quodammodo incusent, quod tales quales imitantur non sint.

Hypocritæ sunt etiam mulieres, quæ fucis innumeris faciem à Deo creatam, dealbant, & incrustant, vt parietes sepulchrorum, abutentes rebus necessariis in victum, non voluptatem à Deo creatis, & in honorem Dei, non ad eius operis deformationem, nempe lacte caprino, medulla panis, limonibus, ouis, liliis, gummi Arabico, amylo, farina tritici, aqua, oleo rosaceo, cerussa, argento viuo, pinguedinibus gallinæ vel hædorum, adentes tartarum album vel fœcem vilem, vinum ipsum, rosmarinum, serpentariæ radicem, crystallum, corallum, limaces, fabarum flores, camphoram, succinum, pullos Ciconiæ implumes distillatos, caseum lactitium, medullam pedum arietum, ceram albam, inficientes labia, & genas minio, & aliis Pharmacis, quibus se opplent, vt videantur velle arte perdita, vultum naturalem, opus Dei, ipsum Deum arguendo, reformare, diaboli opus imitantes, qui Dei operibus inuidet, damnandæ etiam cum diabolo eorum fucorum artifice, vt præuaricantes veritatē vultus mendacio, vt scribit D. Cyprianus, tract. 2. de habitu virginali, & D. Aug. li. 4 doctr. Christ. c. 2.

Non

*Non enim noscet Deus vultum suum, quem ars quadam contaminauit & transformauit: sedulo cum diabolo comburendus tradetur.* Et ideo etsi exsufflato habitu, croco præmanso, laruæ hæ non deteguntur, remanent tamen in senectute notæ, fuci, turpes cuticulæ inquam arridæ pergaminæ, luidæ, tetræ, exaratæ, rugosissimæ, in modū mammarum veteris bouis depilis: in anima modestiæ vacuitas & pudicitiæ, erga virum & cunctos meretricium stercus, zelotypiæ flamma, prostitutæ, insignis turpitudinis naturalis nota, mariti fastidium ex vnguentis, & alia, quæ scribit D. Chrysostomus homilia 31. in c. 9. Matth. tomo 2. D. Paulus hypocrisim vocat. hæreticorum mendacium cōtra religionem, dum 1 Timot. c. 4. a. scribit, *Spiritus quidē manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus, discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorū, in hypocrisi loquentium mendacium, &c.* Et rursum 2. ad Tim. 3. a. vers. 5. tradit habere eos speciem quidem pietatis, virtutem autē eius abnegare. Et ita eos delineauit Dominus noster, Matth. 7. c. *Veniunt ad vos in vestibus ouium, intus autem sunt lupi rapaces.* Exprimit id D. Paulus ad Romanos, c. 16. c. vers. 18. dum de his loquens, *per dulces*, inquit *sermones & benedictiones seducunt corda innocentium:* D. etiam Ignatius, epistol. ad Trallia. morem hæreticorum esse ait, *vt cauponantes Verbum Euangelii, venenum erroris commisceant, dulci blandimento, sicuti puro melle virus: vt qui biberit illius poculi sensuales illecebras, impronide morti addicatur.* Annotat & id in illis D. Irenæus, lib 3. con. hæres. cap. 11. & 12. & cap. 19. D. Chrisost. tomo 2. in posterioribus homi. in Matth. hom. 51. scribit hæreticos & Iudæos hypocritas: Nam cum Iudæi se Iudæos dicant, non tamen sunt: & hæretici, cum antichristi sint, se Christianos pariter dicunt Hæretici namque ne pellantur deprehensi, fraudes & laqueos paulatim facie Christiana subseminant, & pelliculam veterem retinent, sed fronte politi, astutam rapido seruant sub pectore vulpem. Et ita dolosè seminantes, in peccatum permaximum mendacij incidunt. Nocentior enim est nullus hostis, capitalior, & deterior eo, qui domesticum se simulat. can. nemo 83. dist. Vnde de his Cantic. c. 2 dictū. *Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas.* Nemo quippe dubitat, vineæ appellatione, in sacris literis intelligi Ecclesiam Dei. Sic enim scribit Iesaias, cap. 5. b. *Vinea Domini exercituum, domus Israel*, (id est, viri videntes

Deum)

Deum) Et alibi, psal. 79. b. *Vineam de Aegypto transtulisti, & plantasti eam.* Sic Matth. 20. *Deus conduxit operarios, & misit in vineam suam.* Et Matth. 21. *Erat paterfamilias* Deus, *qui plantauit vineam*, in qua filius Dominus Iesus Christus, occisus est à vinitoribus, qui eam conduxerant, sicuti prophetatum erat Noe, Gene. 9. qui plantauit vineam, & bibit, & inebriatus ex ea, irrisus est à propriis filiis, & in 2. Reg. cap. 21. Nabotho, qui occisus ob vineam suam.

Deteguntur autem secundum D. Chrysostomum super Matthæum hæretici qui veniunt in vestibus ouium, actu voce, pastu. Actu: ouis, vt Christianus pastor, neminem mordet, non percutit, nec lacerat: lupus & hæreticus rapit, sibique quæ alijs inutilia dicit, iungit, dispergit, lacerat, mactat, & occidit. Euang. Ioan. c. 10. Sic à fructibus malis cognoscetis eos Matth. 7. c. vers. 16. 2. Vox ouis, balatus humilis dilectionis plena. *In hoc cognoscent quia discipuli mei estis*, inquit Christus, *si dilexeritis inuicem*, D. Ioan c. 8. & 13. *& discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Matt 11. Hosque tantum Deus beatos, mites inquam, dicit, Matth. 5. a. Sic enim prædictum per prophetam, psal. 24. b *Docebit mites vias suas: quoniã* vt scriptum, psal. 85. a. *Tu Domine, suauis & mitis.* Præterea vox ouium vnica est, & vnum sentit ecclesia & fideles, & vnum sunt. ad Galat. 3. d. ad Ephes. 4. a. & ad Roma. 15. b. Ioan. 10. & Zachar. 14 d. Quod ædificantibus turrim, antequam superbia intumesceret, datum erat, Gen. 10. cum terra esset labij vnius. Porrò diuersum in lupis hæreticis, nam in illorum vocibus, superbia prima, contemptus sacrorum, doctorum, regum, principum, voces iniuriis fœdatæ: sic *superbia eorum qui te oderunt, Domine ascendit semper*, vt scribit Dauid, psal. 73. d. Et, psal. 16. *Os eorum locutum est superbia.* Et rursum. psal. 72. a. *Tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua: prodiit ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectũ cordis. Cogitauerunt & loquuti sunt nequitiam, iniquitatem, in excelso loquuti sunt: posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Deinde quàm diuersas voces emittant, nemo est qui non videat, sibiipsis enim contrarij sunt, nec secta illorum per annum remanet immutabilis, sed modo huc, modo illuc, quolibet vento falsæ doctrinæ circumferuntur. Dum enim in iudicio proprio fidunt, & in doctrina hærent noua & hominum, non in firma ecclesiastica,

fiastica, ideo cum iudiciis & cum hominibus perpetuò obnoxiis mutationi, vt vnda superuenit vndam, necesse est mutentur. Sic probi argentarij, qui suspectam benè coloratam & percussam habent numorum materiam, secundo loco ex colore ad tinnitus & sonitus argumentū numi, se conferunt. Tertiò pastu dignoscuntur. Nam oues & Christiani virtutes animi omni studio consectari properāt, & carnis mortificationem, ieiunia, virginitatem, orationes, vota & huiusmodi, hæretici, voluptatibus, pollutionibus, ingluuie omnino, veluti equi in sterquilinio, computrescunt, animi curam abiiciunt. Detegunt & aliis modis se ipsos cū curriculo temporis: Siquidem quod fucatum & simulatum est, fucum cum tempore amittit: sic auri colorem aliquandiu chymica & adulterina metalla referunt, sed tandem euanescit tinctura fictitia: & gēmæ adulterinæ pro veris suppositæ, si vndequaq; probè inspiciantur, mutabilē vitri, vel crystalli, vel alterius materiæ qua adulterantur, variabilem & inæqualem, referunt colorē, cum tamen veræ æqualem retineant. Et nos nostro infelici seculo scimus, hæreticos, qui hypocrisis simulatione decipiebant mētes leues, euomuisse tandē venenum, quod latere sub adulterino colore diu non potuit Dei gratia, vt stantes adhuc, ex fructibus eos cognoscentes, & ne caderent. Hic est lapis ille Lydius, & ignis probatio vltima qua numus qui materiā & formam pub[illegible] a astutè &. [illegible] imitatur: exploratur tempore & fine.

Simulationem autem malā & dolum paucis nunc percurramus. Latius patet hypocrisi simulatio: Nā non omnis simulatio, hypocrisis est, quanquam omnis hypocrisis, sit simulatio. ideo D. Gregorius, libro quinto, moral. in Iob. c. 16. Tygridis nomine, significari hypocritā scribit, quia sicut illa est aspersa maculis, sic ille simulatione plenus fœdatur: & sicut illa prædā sibi raptu parat, sic omnis hypocrita, qui vitā iustitię sibi simulando, iustorum sibi laudē vsurpat, alienū rapere & tollere dicitur. Deinde, non omnis simulatio ita mala est, sicuti hypocrisis apud sacros authores & dolus. Est namq; triplex species simulationis. 1. quæ fit ad cautelā, & hæc in tempore exercenda ad cautionem in exēplo Iehu, qui iussit congregari sacerdotes Baal, vt eos occideret, simulans velle se idolum adorare. Reg. 20. ad Exēplo Dauid, qui faciem mutauit coram Abimelech, ne occideretur. 1. Reg. 21. b. Et aliis exemplis, de quibus ex D. Hieron. tractatur in decreto Gratiani. in can. vtilem, 22. quæst 2. in

Decret. Grat. 2. par. Et hæc mihi non vera simulatio, sed cautio, quia finis non est veritatis occultatio, sed alicuius conseruatio, & occultatio per accidés. Extant & exempla & admonitiones celeberrimæ, pulcherrimæ, salutiferæque apud Senecam, lib. 2. de ira, vbi agit de dissimulanda iniuria.

Aliam speciem dicunt institutionis, neque reprobam: vt dum Deus Christus, volens discipulos erudire, finxit se longius ire, Lucæ c. 24. Et quædam alia eruditionis causa, finguntur in parabolis sæpius, vt per faciliora ficta ad vera perueniatur: sed neque hanc dico propriè simulationem, sed modum docendi. Tertia est simulatio fallax, quæ vltra simulationem habet actum quo quis simulationem nititur tegere, & consulto fucare veritatem. Et vt ait Gallus Aquilius Iurisc. *Dum aliud est simulatum, aliud actum, & cum animo decipiendi*, vt scribit Cic. 3. Offic & Vlpianus, l. iurisgentium. l. 7. §. pactorum autem, de pact, li. 2. π. tit. 14. qui cum Labeone consentit Iurisconsulto. Nam & Labeo etiam definit. *Dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam: machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.* Quæ definitio Labeonis Vlpiano probatur, in l. 1. §. dolum malum, de dol. mal. lib. 4 π. tit. 3 qua. in d. l. 1. §. non fuit, dolus bonus à malo dolo distinguitur, *quod* bonus dolus pro solertia apud veteres acciperetur Sicut & apud D. Paulũ, 2 ad Corinth c. 12. e v. 16. ἐγὼ ὑπάρχων πανοῦργος δόλῳ ὑμᾶς ἔλαβον, *cum essem*, inquit, *astutus, vos dolo cepi.* Postea tamen id non factum fuisse per circumuentionem & fraudem docet: dissimulatio enim illa non est mendacium. Nam quanuis dicatur aliquid alienum ab eo quod fit, tamen verum est pertinere ex mente facientis ad id quod fit, dum, aliter se facturum, non expressit. Et hic dolus licitus, in can. 2. 22. q. 2. vbi plura exempla sacræ scripturę adferuntur. De malo dolo illud intelligitur, Iob, cap 36. b. *Simulatores & callidi, prouocant iram Dei, & mortetur in tempestate anima eorum.* Et Prouerb. 11. *Simulator ore* decipit *amicum suum* Atq; in vniuersum illa est regula generalis, omnem simulationem dolosam & decipiẽtem improbam & iniquam esse. Et Vlpia. dolum delictum vocat, in lib. 1. §. plane, ibi, proprij delicti, nempe doli interim pœnam subiit, de tutel. & ratio. distrahendis libro vigesimo septimo π. tit 2. Et Maximus Tyrius Sermone philosoph. 2. *Bonorum*, inquit, *iustitia est, improborum dolus. Et iustitia quidem comprobata res est, adulterium*

*nisi penitus dolus illa calida, hic debilis, illa utilitate prædita, hic utilitatis inanis.* Sic & dolosa statera, dicta iniqua, qua fraus committitur, dicitur, quæ abominabilis coram Deo. Prouerb. 11.a.vers.1.

Philo Iudæus libro de sacrificio Abel & Caini, de dolo Caini loquens, sic scribit: *ignorantia leue malum, quod inuitus obrepsit, facile habet remedium, disciplinam videlicet. Calliditas autem, morbus animæ voluntarius, ægrè vel potius nunquam sanatur, vel repellitur.* Callidos vocat Cicero, 3. de natura deorum, quorum, tanquam manus opere, sic animus vsu concaluit. Et versutos eos, quorum celeriter mens versatur. Sic Salomon c. 12. c. vers. 16. *qui dissimulat iniuriã, callidus est.* Et postea eodem. *Dolus in corde cogitantium mala.* In quatuor actibus, iurisprudentes, ex tacitis actibus dolum colligunt: Primo si quod palam fieri solet, clam fiat.

Nam qui palam delinquunt in actu illegitimo, errantes videntur: alij dolosi, vt Paul. in l. fin. de rit. nupt. libr. 23. ff. tit. 2. & Calliſtr. in l. non intelligitur, l. 3. §. si quis palam de iure fisc. lib. 49. ff. tit. 14. Secundo cum quis non facit, quod facere tenetur, dolo notatur, si facere potuerit, nec facere vellit. Vlpian. in l. si procuratorem dedero, l. 8 §. dolo facit, & in l. dolus. l. 44. mand. lib. 17. ff. tit. 1. Tertio fraus reipsa & dolus præsumitur, cum negotium gestum malum est, vt homicidium, nisi cõtrarium doceatur, vt scribit Imperat. Antonin. in 1. ad l. Corn. de sica. libr. 9. C. tit. 16. & c. 1. de præsumptio, lib. 2. Decret. tit. 24. Fit & re ipsa dolus, cum est in contractibus emptionum deceptio vel inæqualitas, vltra dimidiam iusti pretij partem, vt apud Diocl. & Maxi. Cæsa. in l. 2 de rescin vendit. lib. 4. C. tit. 41. Arguit vltimo dolum, qualitas personæ, veluti qui multos habent creditores videntur in illorum fraudem dolo alienare. Vlp. in l. omnes, l. 17. qua in frau. cred. lib. 42. ff. tit. 9. in reliquis regula est, dolum non præsumi, nisi probetur. Vlpian l. quoties, l. 8. §. qui dolo, de probat. lib 22. ff. tit. 3. Dioclet. & Maxi. Cæsa. l. dolum, l. 6 de dol mal. lib. 2. C. tit. 21.

Dauid psal. 33. admonet dolum fugiendum, *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Atqui prædictum huiusmodi dolosos non ingressuros regnum cœlorum, psal. 14. a. Et Deus dicitur iudicaturus in ira eos qui lingua sua concinnant dolos, psalm. 49. d & eos destructurus psal. 51. Nã & psal, 71. c. deiicit dolosos, dũ alleuãtur.

Precatur Dauid muta fieri labia à doloso. Psalm 30. Et virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus, Psalm.5. & Salomon, Prouerb.c.14 b. vers.15. Filio doloso nihil erit boni. Et rursum, Eccles.c.1 a.vers.8. *regnum transfertur de gente in gentem propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.*

*De Iactantia.*

## CAP. LVI.

IActantia, est mendacium oppositum veritati, cum quis de se aut suis, amplius quam insit, aut quam appareat, eloquitur: teste D. Thoma, 2. 2. q. 112 Et secundum Cicero.4. Tusculan. *Iactatio est voluptas gestiens, & se offerens insolentius* Aristotel.lib.2.Ethic.ad Eude.assentatorem esse dicit, qui plura quam deceat, laudet, odio prosequentem, pauciora. Iactabundum vel assentatorem, ineptum, qui se pluribus dignum arbitratur quam deceat. Et libr.3. Ethic. ad Eudē. circa finem. verus inquit, & simplex, quem ridigum vocant, inter dissimulatorem & iactabūdum medius: nam qui sua deteriora mentitur, quam sunt, idq; non ignorans, dissimulator: qui vero maiora prędicat, iactabundus est: verum qui vt habeat, exponit, vetus, & iuxta Homerum sapiens appellatur. In hac peccatur quadrupliciter. 1. mendacio, 2. laude inordinata. 3. arrogantia. quæ istius causa efficiens. 4. inani gloria, ob quam quis se iactat. Iactantiæ nomen, ab eo quo quis sæpe extollit, plus quam par est, & sæpius quā oportet, tractum videtur, & ita à iacere inclinat Macrobius, lib.6. Satur. cap 7. cum tamen secundum Senecam, libr.2. de benef. retrahenda sit inanis iactatio, expectandum que vt res loquantur nobis tacentibus. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est sed quem Deus commendat*, vt scribit D. Paulus. 2. Cor. cap. 10 & Salomon. Prouerb. ca 26. nos admonet, *Laudet te alius, non os tuum, aliena labia, & non lingua tua.* Exemplum præbuit ille Phœnix & absque peccato natura, solus Deus noster, *Iesus Christus*, dum ait, D. Ioan. cap. 5. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Et neminem iactare se debere docet D. Ambr exemplo D. Petri protapostoli, & Dauidis, cuius verba habentur in decretorum lib. Gratiani, in decret. lib. Grat. in can. imitare Petrum, 6 q. 1. Et Cic. 1 de Offic. *Deforme est de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium, imitari militem gloriosum.* Et alibi, actio-

bi, actione in Verrem arrogantiam molestam esse omnem, sed molestissimam, quæ ingenij & facultatis est. Aristoteles, libello de virtuti comites iniustitiæ addit, calumniam, iactantiam, hæ manitatis assimulationem. Et C. Plinius li. 1. epist. Pompeio Saturnino scribens, quid de hac sentiat exprimit, *Sequi*, inquit *gloriam, non appeti debet, nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus probrum est ij vero qui bene facta sua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint, sed vt prædicarent fecisse credũt.* Si quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui fecerat recensente, vanescit. Homines enim cum rem destruere non possunt iactationem eius incessunt. Vetat hanc iactãtiam Horatius, lib 1. epist. 18. ad Lollium ver. 39. *Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.*

*De Falso.*

## CAP. LVII.

FAlsum generaliter dicitur, omne quod immutat, & aliquo modo & quacunque intentione, veritatem. Et breuiter falsum est immutatio veritatis, iustum, § 1 de instr. fid. & cau. coll. 6. tit. 3. in Auth. & Aristo. lib 5. Metap. c. 29. *res falsa*, inquit, *sic dicuntur, aut eo quod non sunt, aut eo quod phantasia ab ea facta, nõ entis est ratio vero falsa, prout falsa est, quæ non ens tum est* Hic itaq; opus est, iudicio in eorum discretione, cum maximè sint falsa affinia veris, vt scribit Cicero 4. Tusculan.

Accipitur minus generaliter secundum quosdam falsitas, pro mendacio, in quo inest deceptio, cum prior esse sine deceptione possit: quanquam secundum quid vt dicũt, omne falsum, vel non verum, deceptionem concomitantem habere dicatur, nempe quod mendacium, vel eum qui dicit decipiat, vel eum cui dicitur. Et ita Plato lib. 11. in Phil. vel de summo bono falsum decipere dixit, quod & in anima, rasa tabula à falsa figura, imprimatur. Nam vt ait Aristoteles, Elencho libr. 1. c 14 occultatio fallendi gratia est, fallere autem deceptio est Cæterum alia est ab ista falsitas quæ dolo malo in alterius perniciem & malum vel bonorum, vel famæ, vel personæ iniuriam committitur, cuius tantum participes committendo vel vtendo lege Cornelia de falsis puniuntur, vt scribunt Dioclet & Max. Cæsar. ad l. nec exemplum, l. 20. ad l. Corn. de falsi. lib. 9. C. tit. 22. Atque vt falsitas, vindicanda illa lege commissa dicatur,

secundum Hostiensem, Azonem, & Tancredum in summis, Panormitanum, & alios, tria requiruntur: mutatio veritatis, dolus, & quod falsitas sit alij nocitura quod colligitur ex d.l. nec exemplum, & Galien. & Valenti. in l. pen. ad l. Corn. de falsi. lib. 9. C. tit. 22. & Paulo iurisc. in l quid sit falsum, l. 23. ad l Cor. de falsi lib. 48. π. tit. 10. Falsum autem hoc & dicto & facto & re committitur. Dicto, veluti dum testis contra veritatem deponit, vel contraria sibi apud Modesti. Iurisconsi. in l. eos qui, l. 27. ad l. Cornel. de falsi. in π. & Paulum, l. qui falso vel varie, l. 16 de testibus, lib. 22. π. tit. 5. cum similibus. Quod & in occultanda veritate locum habet, & in mendacio dicendo, in c. 1. de falsi. apud Grego. titul. 20. Dioclet. & Maxim. in l. 2. si cont. ius vel vtilit. publ. libr. 1. C. titul. 25. Et diximus suprà, de falsis testibus, & pœna eorum, dum tractabamus omni iure mendacium prohiberi. facto falsum committitur, & re, veluti dum falsa moneta fit, cui crimini mortis pœna, si perfectum crimen est, imponitur à Constantino Cæsare, in l. 1. de fal. mone. lib. 9. C. tit. 24. Vlpiano, in l. quicunque numos. l. 8. ad l. Cor. de falsi. vt Paulo in l. qui falsam, eo titul ad l. Cor. de fal. titul. 48 π. titul. 10. Quod crimen ibi extenditur ad eos non solum qui formam & materiam mutauerunt, sed & qui numos tinxerint. raserint, finxerintve iniussu principis: item qui exposuerint & miscuerint adulterinam monetam & qui cum prohibere id fieri possent, non prohibuerint, vt addit Vlpia. in l. lege Cornelia l. 9. eod. tit. Item facto, si quis mutauerit, raserit, simulauerit, &c. vel aliis ex duodecim modis falsificauerit scripturam: diploma. vel rescriptum, vel aliud: de quibus & de pœna eorum falsariorum apud Innocentium 3. in cap licet, c. 5. & c. quicunque, c. 6. & c. ad falsariorum, c. 7. de falsi. lib. 5. Decreto. tit. 20. & Paulum iurisc. in l. quid sic falsum, l. 23. ad l. Cor. de falsi. in π.

### *De Calumnia, tergiuersatione, & præuaricatione.*

### CAP. LVIII.

SEd & dicamus pauca de Calumnia', tergiuersatione, & præuaricatione. Marcellus Iurisc. in l. 1 ad S. C. Turpilia. lib. 48. π. tit. 16 scribit, tripliciter delinquere accusatores: aut enim calumniantur, aut præuaricantur, aut tergiuersantur. Calumniari, est falsa crimina intendere. Præuaricari, vera

vera crimina abscondere, & de hoc etiam Vlpia. alibi in l.1. & 2 de præuaricat. libr. 47. π. tit. 15. Tergiuersari in vniuersum, ab accusatione desistere. Qui non probat quod intendit, calumniari videtur: num autem probauerit, numue errore iusto excusandus venia sit, ad iudicis cognitionem pertinet, idq; verbis solet declarare sententiæ. Nam si dicat, nō probasti, absoluit à calumnia accusatorem: si autem dicat, calumniatus es, pœnæ eum subiicit calumniantium, vtique si ex defectu probationum quis plenè & sufficienter non probet, debet se purgare, non animo calumniandi crimen instituisse alioquin reus calumniæ est, vt scribit Innocen. 3. in c. 2. de calumniat. lib. 5. Decreta. c. 2. Porro excusat à calumniæ reatu, imo à suspicione alienum reddit: quod notandum est, super vnum testem intentio probata, quanuis illius solius testimonium non sit sufficiens ad accusati condemnationem, vt scribunt interpre. in c. 2. de calumniator. & Panormit. in c. 2 cum dilecti, num. 7. & 8. de electio. in volum Grego. decretal. Huc pertinet Ciceronis locus orat. pro Sexto Roscio. *Accusatores*, inquit, *multos in ciuitate esse, vtile est, & metu contineatur audacia: verum tamen hoc ita vtile est, vt plane non illudamur ab accusatoribus. Et innocens est quidam, verumtamen suspicione non caret, tametsi miserum est, tamen ei qui hunc accuset, possum aliquo modo ignoscere. Cum enim habeat aliquid quod possit crimino se dicere, aperte ludificari & calumniari non videatur. Vtilius est innocentem absolui, quam nocentem causam non dicere.* vt & in l. absentem, de pœn. l. absentem, de accusatio. Calumniantem lex punit æqualitate supplicij, quo afficiendus erat, si nocens fuisset accusatus in can. quisquis, & ca. qui crimē, 2. q. 8. in decre. Grat. Seueri. & Antoni. in l. fin. de accusator li. 9. C. tit. 2. cum similibus ibi nota. à glo. vbi & de pœna tergiuersantis & præuaricantis. Hæc autem punitio à lege Rhemmina introducta est, vt scribit Marcel. in d. l. 1. §. calumniatoris ad S. C. Turpilia. lib. 48. π. tit. 16. Et idem statutum in Deutero. cap. 19. d. Ob calumniam Ioseph vir castus in carcerem detrusus, Genes. c. 39. Susanna cecidit in discrimen mortis. Daniel. 12. Delationis autem opus, vt scribit Basilius Magnus Epistol. 75. ad Neocesarienses, Manifestum habet magistrum & doctorem, nempe diabolum, qui cum ex multis male factis sit notus, ab ista tamē deferēdi malitia designatur. ita vt ex hoc peccato

nomen inuenerit. Grauia genera iniquitatum ex calumnia orta, quam Græci διαβολὴν dicunt, docuit ex eius pictura, falsò delatus Apelles Ptolomæo ab æmulo Antiphilo: is enim pro ea pinxit mulierem quidem pulchram & ornatam, sed aspectu in iram & rabiem concitato, cui assidebat vir magnis & asininis auribus: circum eam, duas mulieres, ignorantiam, & suspitionem, præcedebat vir pallidus, impurus, acutè intuens, nempe inuidia, eam duæ aliæ ponè dirigebant mulieres, insidiæ, & fallacia: à tergo sequebatur, pœnitentia lugens, pullata, quæ pudore affecta excipere venientem veritatem videbatur, vt scribit Lucianus orat. non temere credèdum calumniæ. Scribit & plura Erasmus in oratione responsoria, quam Lucianicam fecit. Et Isocrates orat. 15. de permutatione. *Non demiror*, inquit, *eos qui maiore tempore in impostorum accusationibus morantur, quam in sui ipsorum defensionibus, neq; eos qui calumniam maximum esse malum asserunt. Quid enim ea potius reperietur? quæ mendaces gratos esse efficit: eos qui nihil iniuriæ intulerunt, & iniurii videantur, & litigantes pejerent, ac funditus obscurat veritatem. falsam audientibus opinionem exhibens, quæ quemcunq; cæcum apprehenderit, iniquè perdit.* Et Demosthenes, oratio. de Corona. πονηρὸν ὦ ἄνδρες αἰθιναῖοι, πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεὶ, καὶ παντα χόθεν βάσκανον, καὶ φιλαίτιον, i, *mala res est Athenienses, malum perpetuo calumniator, & undique res inuidiosa.* Cuius quidem rationem reddit idem Demosthenes, oratio. con. Bubulidem. τὸ μὲν ἐστι ὁ συκοφάντης, αἰτιάσεσθαι μὲν πάντα, ἐξελέγξαι δὲ μηδὲν, i, *ea est calumniatoris natura, omnia inquam criminari, nihil autem probare.*

Quamobrem tam sacri quàm profani authores huic obuiandum censent, & illam anteuertendam. Sic Basil. Magnus, epistol. 63. *ad calumnias tacendum non est, non vt contradicendo nos vlciscamur, sed ne mendacio nostro offensum progressum permittamus, aut eos, qui seduli sunt damno inhærere sinamus.* Et D. Athanasius Patriarcha Alexãdrinus, Apologia prima ad Imperatorem Constant. *Qui lapide*, inquit, *telum est, quæris medicum: telum autem calumniæ grauius quam lapides ferunt. Est enim calumnia, clauus, & gladius, & iaculum inturabile, vt ait Salomon. Sed hic veritas mederi potest: quæ vbi negligitur, vulnera acerbiora*

*biora fiunt*. Admonet & Menander δεῖ διαβολῆς καταφρονεῖν, δὲ ἀνοσφόδρ' ἦ ψεύδης, id est, *non oportet contemnere calumniam, etiam si valde fuerit falsa*. Clamabat itaque Dauid Psal. 118.

*Redime me Deus à calumnijs hominum*. Commeruit certè calumnia acerbissimè puniri, quia trux, & communis, & multorum malorum est causa, multique iniustè per calumniam perierunt, vt scribit Aristoteles in Rhetorica ad Alexand. vbi agit de exordiis Narrat & Eutropius l. b. 10. & Nicephorus Calist. lib 7. Constantinum Magnum in Faustinam vxorem capitis pœna animaduertisse, quod ei credens, delatum Crispum priuignum, quod sibi vim inferre voluisset, cùm ille libidini eius sæpe ab illa prouocatus non consensisset, necari fecisset. Et Constantius II. Eusebium quendam magnum virum, qui Syluanum grauem virum & ducem peditum & alios calumniatus erat suspendio affecit, vt scribit Ammianus Marcel lib. 15 histor. Refert etiam Nicephorus Calist. lib 4. histor. Eccles. cap. 26. delatorem, qui Apollonium Christianum accusauerat, quia non legitimè actionem intendisset, Perennio, sententiam ferente, cruribus eius fractis, legitimas luisse pœnas, ex consuetudine quadam quæ contra eos Romæ inualuit, qui res tales ad iudices referrent. Et Demosthenes oratio. 1. cont. Aristogitonem, criminatorem, antequam mordeat, vt viperam suadet occidendum. Titus Vespasianus Delatores & mandatores, qui erant ex licentia veteri assiduè in foro, virgis & fustibus cæsos, ac nouissimè traductos per Amphiteatri arenam, partim subjici in seruos, ac venire imperauit, partim in asperrimas insulas euehi, vt scribit Suetonius in Tito Vespas. cap. 9. idemque tradit in Domitia. c. 9. Domitianũ dixisse, principes qui delatores non castigant, irritare: ideo fiscales calumnias, magna calumniantium pœna repressit. Prohibet Deus calumniam Leuiti 19. b. Non facies calumniam proximo tuo. Et ad milites de salute consulentibus, D. Ioannes Baptista respondit Lucæ c 3. c. versic 14. Neminem concutiatis, nemini calumniam feceritis, contenti estote stipendijs vestris.

## *De Periurio.*

## CAP. LIX.

PEriurium autem nunc summariam consequatur notationem. Mendacij speciem nemo dubitat esse periurium,

quem contentionis filium scribit Hesiodus in Theogonia hominibusq; pernicioſiſsimum.

Ὅρκον θ', ὃς δὴ πλεῖστον ἀπιχθονίοις ἀνθρώποις
πημαίνει, ὅτε μὲν κε ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ. I.

*Contentio genuit ſcilicet iuramentum, quod plurimum terreſtres homines ladit, quando quiſpiam volens peierat.*

Atque deceptionem inesſe periurio palam est: & proinde aliquando eo vſos plures ad decipiendos hoſtes, vt tradit Dion Pruſieus Sophiſta, lib. περὶ ἀπιστίας de infidelitate, vel non temerè credendum, his verbis: ὁ Πάνδαρος ὤμοσε τῷ Μενελάῳ ὥσπερ καὶ οἱ λοιποὶ τρῶες, ἀλλὰ ἔδει ἧττον ἑτέροις αὐτόν. ποσαχόθεν οὖν ὤμοσε μὲν τοῖς περὶ Κλεάρχον, τίδὲ ὁ βασιλεὺς ἐχρῆτο καὶ τοῖς βασιλείοις θεοῖς καὶ τῇ δεξιᾷ ἀπέσιλε: Φιλίππου ἦ δὲ Μακεδόνων διετέλει καθάπερ ἄλλο τι τῶν εἰς τὸν πόλεμον ἀναγκαίων καὶ τὴν ἐπιορκίαν παρεσκευασμένου: καὶ δυσὶ τούτοις τὰς πόλεις αἱρῶν, τῷ παρασπονδεῖν, τῷ τοὺς πεφοβῶσθαι παρασκευάζει. τῷ παντὶ πρὸς ἐκεῖνον τὸν τρόπον οἰκείως ἔχειν τοῖς μὲν γὰρ πεφοβῶσθαι ἀργύριον ἐστὶν ἀνάγκη διδόναι, τοῖς θεοῖς ἦ περὶ ὅρκον ἐδὲν ἐτέλει, τὸν Λυσάνδρου τοῦ λακεδαιμόνιον γνώμην ἐπιφήναντος λέγουσιν, ὅτι τοὺς μὲν παῖδας ἀστραγάλοις καὶ σφαίραις ἐξαπατᾶν δεῖ, τοὺς δὲ ἄνδρας ὅρκοις καὶ χρήμασιν. ἡ κερδαλέη γὰρ ἀλώπηξ ἑτέρου τινὸς ἦν πρὸς ἀρχιλόχου, τὸν γὰρ γλαῦκα χρισμὸν, οὐκ ὅτι πρότερον ὀλεδόχθαι τοῖς πλείστοις τῶν ἀνθρώπων ὀμνυεῖν. ἐπεὶ θάνατός γε καὶ ὅρκον μέμιγε ἄνδρα. id est, *Iurauerat cum reliquis Troianis Pandarus, ſed non ideo minus ſanciuit Menelaum. Iuſiurandum dederat Clearcho & ceteris ducibus Tiſſaphernes, ipſeq; adeò rex diis regiis teſtibus ſactum & dextris per interpretem tunctis. Quid Philippus Rex Macedonum, nunquid inter alia bello gerendo neceſſaria habebat & periurium paratũ duabusq; his rebus vrbes capiebat, violandis fœderibus, & comparandis proditoribus, vt ista quidem & illo vteretur familiarium. Num proditoribus merces ſoluenda, iuris vel ò peierati nomine nihil pendendum erat Diis falſis. Non diſſimilem ſententiam fuiſſe ferunt Lyſandri*

Euro-

*Lacedæmonij, qui solitus erat dicere, sicut pueri talis & pilis circumueniuntur: ita viros falli oportere iureiurando, & largitionibus. Illa et ipsa astuta vulpecula apud Archilochū nunquid aliud significat? Glauco verò datū oraculum non arbitraris probasse etiā plurimos antequā daretur, & peierare tamen voluisse, quandoquidem fides seruans homo condatur orco.* Sed de iuramento & periurio in iuris tractatione plura vide lib. 50. Syntagmatis iuris vniuersi.

*De ambitione, arrogantia, ironia, & ostentatione.*

## CAP. LX.

MEndacium in arrogantia & iactatione illa reali superba inesse, docet Diogenes, dum ait, τῆς ἀλαζονείας καθάπερ τῶν κεχρυσωμένων ὅπλων οὐχ ὅμοια ἐστι τὰ ἐντὸς τοῖς ἔκτος. I, *quod arrogantiæ est simile est inauratis armis: nam externa interius similia non sunt.* Et Aristot. 2. Rhetor. ad Theodec. cap. 6. de se multa dicere & polliceri, & aliena sua esse prædicare arrogantiæ esse scribit. Et Plato lib 9. dial 6. de repub à philosophia, quia ea veritatis studium est, rejicit ambitiosos, arrogantes, & amantes, tanquam huic inhabiles.

Differre putat Iouianus Pontanus lib. 2. de Serm. c. 3. arrogantes à mendacibus, quòd quædam vis videtur inesse in arrogātibus, cùm supra partes suas merita, natales, actiones, ac vitæ genus vsurpant, nec captus sui rationē habent, & tales reipsa sibi vsurpant. Porrò mendaces simplices, qui in dicendo de se eloquuntur, suisque de rebus, ampliùs quàm re vera insit tribuentes, atque supra meritum: Et hi mendaces, leues, futiles, impudentes, non autem violenti. Modus & species arrogantiæ videtur mihi ambitus vel ambitio, quæ omnino vacet honoris appetitione. Ita enim vocat ambitiosum Aristoteles lib. 2 Ethicor. ad Nicoma. c 7. sicuti libr. 7. Ethico ad Eudemum, ambitiosum, quem natura nasci interdum ait velle amari & in admiratione esse, scribit. Itaque cùm quis non recta atque quali oportet via, sed veluti obliqua, & per indirectum, quod nō potest, vel non meretur assequi, consectatur: eius enim rei gratia, oportet hunc alio medio quàm veritate vti, nempe vel fauore & falsa persuasione existimationis apud populum vel principem, vel pecunia, vel aliis mediis, quibus decipi potest, vt det is, cuius est potestas dare. Sed de ambitu latiùs

latiùs proprio titulo in iuris explicatione agitur à nobis lib. 36. Syntagmatis vniuersi iuris c. 29.

Nemo non scit, εἰρωνείαν, figuram locutionis, quæ ex pronunciationis modo vim assumit, atque quod dicit mentitur, vel dissimulatione vel irrisione, vt scribit Quintilianus lib. 9. Institutio. cap. 2. diuersum enim ostendimus, quam voce exprimamus, & ita Cicero lib. 4. Academ. quæstio, εἰρωνείαν interpretatur dissimulationem.

Possumus etiam simulationem dicere. nisi hoc inter simulationem & dissimulationem interesset, quod simulamus, quæ nullo modo vera sunt, quæque ipsi nec fecerimus nec dixerimus, quæue nec seruare in animo habeamus: Contrà dissimulamus ea quæ dicta aut facta sunt, perinde ac si nec dicta fuerint vel facta, aut non exprimimus, quemadmodum concipimus animo, consilioue, nec eo modo quo fecerimus, aut dixerimus. Simulatores ostentatoribus & iactantibus affines sunt: dissimulatores ironicis; ostentatores ironiæ modum omnes ferè norunt, dum malum significamus, dicimus tamen, ô vanum virum, & id populus curat scilicet, &c.

De ostentatione dictum est in iactatione. Est autem ostentatio, propriè, ad vanitatem potiùs, & inanem quandam rerum suarum siue persuasionem, siue vanam vsurpationem referenda. Ostentator enim iactat, vt videatur & appareat: hoc vitium commune pueris & mulieribus, & his qui maiori sapientia non vtuntur, & seipsos non norunt, vel qui tales sunt, nolunt agnosci.

*De Proditione.*

## CAP. LXI.

PEssimum genus mendacii, proditio. In ea enim est simulatio & dissimulatio, & ex proposito malitia dolosa, perniciosa, & abominanda: verbum enim proditionis præcogitatam longè, & antea quam exeratur fraus malitiam demonstrat. ex pro & do, compositum, quasi datio & traditio rei antè factæ, & determinatæ, diuersa ab actu qui simulatur. Quamobrem proditoribus vt perniciosissimis mendacibus, nullo modo credendum est.

Nam vt Cicero tradit oratio. 6. actio. 3. in Verrem. Nemo vnquam sapiens credendum esse proditori putauit. Hesiodus autem in Theogon. vers. 772 mores & patrem proditorum expressit, sub descriptione Cerberi, sic scribens,

δεινὸς

δεινὸς ἢ κύων προπάροιθε φυλάσσει,
Νηλειὴς, τέχνην ἢ κακὴν ἔχει, ἐσμὸν ἰόντας
σαίνει ὁμῶς κρῆ τε καὶ ἄσσον ἀμφοτεροισία,
ἐξελτεῖν ἢ σὸκ ἄντις ἐᾶ πάλιν, ἀλλὰ δοκεύων,
ἐσθίει ὃν κελάδῃσι πυλέων ἔκποθεν ἰόντα
ἰφθίμᾳ τ' αἴδαο καὶ ἐπαινῆς περσεφονείης,

*Asper autem canis pro foribus inferûm*
*Custodit sauus, artem autem malam habet:*
*Ad introeuntes enim adulatur quidem pariter,*
*Caudaq; & auribus ambabus: exire verò non*
*Iterum permittit denuò, sed obseruans deuorat*
*Quemcunq; prehenderit portas extra existentem*
*Fortis Plutonis, & grauis Proserpinæ.*

Et propriè existimauerim, proditionem esse, eius qui se amicum simulat dolum, fraudem & malitiam: tantò peiorem, quantò magis teterrimus inimicus est latens, omni momento incautum & minimè sibi prouidentem ladens. Vt non immeritò Dion Prusieus Sophista libro περὶ ἀπιστίας, dixerit, *Inuento animo*, euersas vrbes munerans, *multò plures illarum proditione captas, quàm vi expugnatas fuisse: & crebriores rebus aduersis querelas amicorum ac necessariorum, quam accusationes inimicorum. Sunt obiecta aduersum hostes in vrbibus mœnia, fossa, & horum tantùm alignando Cosum: sed quotidie amicorum, & eiusdem tori & consuetudinis & sanguinis oriuntur quotidiana ex amicitiis acres inimicitiæ.* Scribit & Gemistius Phleton. lib. 1. de gestis Græcorum, post pugnam Mantineam Philippum post inuentas aurifodinas auro abundantes, numos quos vocari iussit Philippeos, cudisse: quibus stipendiares multos coegit, & muneribus multis ad ciuitatum præfectos missis, eos ad proditionem celeriter induxit.

Quemadmodum Ioab occidit proditoriè minimeque prospicientem sibi Amasam, 2. Regum cap. 20 versiculo 9. & 10 dicens que Ioab ad Amasam, salue mi frater, & tenens manu dextera mentum, quasi osculaturus eum alia manu eundem interfecit, & occidit. Et idem Ioab, dolo Abner filium Ner, 2. Reg. cap. 3. c. Falsos nuncios nomine Dauidis ei mittens, & reductum ab itinere, seorsum ducens à via. ad medium portæ vt loqueretur, percussit in inguine, & mortuus est Sicut & Iudas Iscarioth prodidit Dominum nostrum Iesum Christum osculo Iudæis, Matth. 26. c. Eius fa-

rinæ

rinæ Domitianus Imperator, qui quos maximè interfectos cupiebat, magis se semper diligere simulabat, vt scribit Xiphilynus ex Dione in *Domitiano*. de Eutrapalo quodam scribit & Horatius lib. 1 epist. 18 ad Lolium vers. 31.

*- - Eutrapalus cuicunq; nocere volebat:*
*Vestimenta dabat pretiosa. beatus enim iam*
*Cum pulchrùs tunicis sumet nouа consilia, & spes:*
*Dormiet in lucem: scorto postponet honestum*
*Officium, &c.*

Et quia fit vt naturalis quidam amor nobis innatus sit erga patriam, parentes, liberos, principes, rempublicam, & nobis commissos & clientes: dicimus proditores eos, qui aduersus hæc moliuntur consultant, agunt, deteguntq; tacenda. Sic Arrianus Iurisconsultus in l. omne delictum, l. 6. de re milit. lib. 49. ff. tit. 16. exploratores, qui secreta nuntiant patriæ vel exercitus hostibus, puniendos capite censet, vt proditores. Et Paulus Iurisconsul. in l. postliminium. l. 19. §. transfugæ de capti. & postl. reuer. libr. 49. ff. tit 15. inter proditores enumerat, qui malo animo patriam relinquit, & alibi in can. si peccauerit, 2. q. 1. in 2. par. Decr. Grat. Proditor dicitur, qui fratris & proximi cuiusuis peccatum quem tacitè corrigere debet, manifestauerit, alioquin sibi tantum cognitum. Similiter proditor dicetur veritatis, in can. nolite, vndecima, quæstione 3. non solùm qui transgrediens veritatem, palàm pro veritate, quam amare debet, mendacium loquitur, sed etiam qui liberè veritatem non pronunciat, quam liberè pronunciare oportet: non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere debet. In iuris nostra tractatione de proditionis crimine plura tractantur à nobis libro 35. Syntagmatis iuris vniuersi, cap. 5.

Dicam tantùm quæ aliquando obseruaui, omnes proditores miserè periisse, sicuti miserè aliis insidiati sunt: vel grauissima pœna, quæ mortis interdum vulgare suppliciũ excedit, vindicatos. Nam & scribitur de Ioabo, quem proditorem suprà fuisse dixi, etiam à cornu altaris, vbi asylum, auulsum, occisumque iustè fuisse iussu Salomonis 3. Reg. cap. 2. e. vers. 31 Dixitque Salomon ad Banaiam de eo supplice ad cornu altaris, *Interfice eum, & sepeli eum, & amouebis sanguinem innocentem quem effudit à Ioabo, à me, & à domo patris mei. & reddet Dominus sanguinem eius super caput eius, quia interfecit duos viros iustos, meliores, & se. Et occidit eos gladio Abner & Amasan*: Iudas laqueo se suspendit,

dit, etiamque per intestina infœlicem & miseram animam, non per os, quo osculatus erat filium Dei, Matth. cap. 27. a. vers. 5. & Actuum 1. cap. vers. 18. Flauius Domitianus Cæsar, qui proditoria arte valebat, ipse viliter & miserè à suis trucidatus est, & cadauer eius populari Sandipilâ, per vespillones exportatum, vt scribit Tranquillus in eius vita ca. 17. qui etiam c. fin. tradit senatum, eius memoriam aboleuisse, scalas ei inferri iussisse, clypeos & imagines eius iussisse detrahi, & eradi vbique eius titulos, quæ & Eutropius lib 7. atque Orosius lib. 7. c. 7. testantur. Nemo, vt opinor, quoque ignorat, quot qualésve vindictas immiserit Deus Dauidi & posteris eius in perpetuum, quòd per proditionem Vriam Hetæum occidi curasset, vt potiretur liberè Bethsabea eius vxore 2. Regum cap. 11. & cap. 12. Legimus proditricem Tarpeiam, quæ Sabinis capitolium & arcem hostibus tradidit, & patriam prodidit, clypeis de monte occisam, deturbatam, in præmium scelerati beneficii, vt scribunt Plutarchus cà 31. Parallelorum, Valer. Maxi. lib. 9. cap. 6. Meminit & Ouidius 1. Fastorum vers. 261. incipiens, *Vtq; leuis custos armillis capta Sabinæ, &c* Item & 14. Metamor. ibi, *Proximus Ausonias, &c.* & Propertius. Sic Brennus dux vel rex Gallorum plebeiam virginem, quæ Ephesum ciuitatem prodidit eo pacto, vt milites Brenni manuum ornamenta aurea præstarent, eam ciuitate accepta vi auri opprimi viuam & enecari iussit, vt author Clitophon libr. 1. rerum Gallica. & Plutarchus libr. 1. Parallel. cap. 30. Scribit & Parthenius Pysiridem Metymneam puellam regis filiam prodidisse ciuitatem Achilli, quem in virum ea proditione habere futurum erat, dum ille aliter expugnare Metymneam non posset. Cæterùm Achillem, potitum per proditionem Metymnea, exhortatũ esse milites, vt puellã quæ patriam & parentes prodidisset, lapidibus obruerent, quod & factum est.

Sunt & alia similis vindictæ, tam nefarii sceleris exempla, quæ prætermitto, cùm superiora sufficiant, vt doceant proditiones nulli esse probatas, neque etiam eis quorum gratia fiunt. Probant enim vtile illis, scelus: cæterum, proditores vel tollunt, vel à se omnino abiciunt: eò quòd qui proditioni animũ semel intenderit, vix etiam si recipiatur, continere se potest, quin & recipientem tandem prodat. Et certè ego lubenter dico, quod chorus ad Mercurium dicit apud Aeschylum in Prometheo ligato circa finem.

τὰς προδότας γὰρ μίσεν ἔμαθον
κοὐκ ἔστι νόσῳ, τῆς δ', ἣν τιν' ἀπέπνυσε μᾶλλον,
id est,
*Didici enim odisse proditores,*
*Nec est vitium quod magis hoc respuam.*

## *De susurronibus & adulatoribus.*
## CAP. LXII.

SVsurrones & adulatores vtrique mendaces sunt: sed susurro in detrahendo tacitè & inuolutè: adulator, in fingendo astutè, & applaudendo rei quæ non est, versatur. Rabi Kimi super cap. 29. Iesaiæ מַרְגֵּן virgam & רָגַן rogen, bilinguem, & susurronem, exponit pro eo, qui aliud verbis ostendit, quàm in corde gerat. Susurrones esse mendaces colligitur ex Salomone cap. 26. *Susurronis*, inquit, *verba quasi simplicia, & ipsa perueniunt in intima cordis.* Et alibi Eccl. ca. 5. d. *non appelleris susurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris & confundaris. Super furem, est confusio & pœnitentia: & denotatio pessima super bilinguem: Susurratori autem odium & contumelia* Sed clarius in libro Sapientiæ, Sapient. cap. 1. vers. 11. *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest & à detractione parcite linguæ: quoniam sermo obscurus* (ecce susurrationem) *in vacuum non ibit Os autem quod mentitur* (ecce detractionem & vtrumque) *occidit animam suam.* Rursum Eccles. 28 b. sociatur bilinguis susurroni, & maledicto, dum scribitur, *susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbant pacem habentes.*

Rursum apud Græcos, ψιθυρισμα, vt eidyllio primo vers. 1. apud Theocritum, stridor ille qui ex arboribus à ventis impulsis, editur: deducta vox, ὅτε δ' ψίειν ἐν ταῖς ὕραις, id est quod leuem & tenuem sonum ad aures referat, vt annotat post reliquos Græcos Fridericus Iamotius in annotation. in illud 1. eidyllion. Nam & eo frequenter vtuntur Græci, vt Aristophanes in Nebulis pro collisione arborum. Hinc dicitur ψίθυρος & ψιθυρισὴς, susurro, quia non planè qui susurrat & murmurat, dicit nec exponit quæ vult, sed veluti frustratim occulit mentem, & mentitur quæ decreuit. Et Sophocles in Aiace, λόγος ψιθύρος πλάσων, pro calumniosis verbis accipit.

Dicimus

Dicimus itaque susurronem & detractorem in materia & forma, vel in modo loquendi, conuenire. vterque enim malum in proximum occultè dicit. Et ideo promiscuè hęc ponuntur nomina, vt scribit glossa ordinaria prima in c 5. Eccles. in illa verba, *Non appellaberis susurro*. Differunt autem in fine quòd detractoris finis sit, obliterare vel notare famam bonam proximi: Susurronis autem finis, amicitiam proximi soluere. Detractorem propriè dicimus maledicum. Quamobrem vterq; damnatur in Leuit. cap. 19. c. *non eris criminator, nec susurro in populis*. Vtraque certè nobis chara, fama & amicitia: & inter hæc pluris facit amicitiam diuus Thomas in secunda secundæ quæst. 64. art. 1. & ideo peiorem susurronem detractore, quod maius bonum impugnet. Et scriptum quoque Eccles. 6. *quòd amico fideli, nulla est comparatio* Sed mihi etiam detractio maximum videtur peccatum: quia scribitur Prou. c. 24 a. vers. 9. *abominatio hominum detractor*. Et rursum eod. cap. c. vers. 21. *cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum*. vtrumque iungunt & literæ sanctæ vnica maledictione. Et prima ad Corinth. 12 g *susurrones & detractores sunt Deo odibiles*. Et Dauid Psal. 100. *detrahentes secreto proximo suo, hos persequebar*. Puniuit detractionem Mosi illatam ab Aarone & Maria, Deus. Num. cap 12. b. Et detractor similis, Eccles. cap. 10 c. serpenti, qui in silentio mordet. vnde & pernicioſum genus delicti, vt proditorium, quod tamen diu latere non potest, & proinde facer Eccleſiastes d. cap. 10. vetat etiam in silentio & solitudine detrahere, quia tantæ id sit abominationis, vt etiam aues referant verba maledicta in publicum, vt qui authoritatem habet, maledicum indicet. Admonet & idem diuus Iacobus Epistol. cap. 4 & ius pontificum, grauissimum hoc scelus demonstrat in can. deteriores, & can. ex merito, 6 quæst. 1. can. homicidio, in 1. de pœnit dist. 1. can. hoc ipsum, 33. quæst. 2. Puniuntur & maledici & detrahentes pontifici apud Clementem tertium in cap. 1. de maledict. lib. 5. Decret. tit 26. Item blasphemi in Deum apud Gregorium 9. in cap. 2. eod. tit. de maledict. Quanquam Cæsares Archad. Theo. & Honorius in l. 1. si quis imperatori maledixerit, lib. 9. C. tit. 7. detractionem de se factam, ad suum reuocent arbitrium, & plerunque maledictum ex leuitate procedentem contemnendum dicant ex insania, miseratione dignum existiment: ex iniuria, dignum indulgen-

tia. Quod tamen cæteri principes vix patiuntur, cùm nec inulta sit detractio contra priuatum facta: siue ea verbis, siue scripto, veluti libellis famosis fiat: vtroque enim modo detrahitur & vindicatur Detractio, nec solùm eos qui libellos factitârunt, sed & qui inuentos legerint & non combusserint, vel qui lectos retulerint, obligat ad pœnam, can. ex merito, 6. quæst. 1. can. 1. & can. si qui, 5. quæst. 1. quam capitalem imponunt Valentinianus & Valens Cæsares in l. vni. de famo. libel. lib. 9. C. tit. 36. quæ transscribitur alibi, in can. fin. 5. quæst. 1. Videndus etiam textus, qui de hac latiùs materia tractat Vlpiani, in l. lex Cornelia. libr. 5. §. fin. & Paulus Iurisconsul. in l. quod Senatusconsul. lib. 6. de iniur. lib. 47. π. tit. 10. vt cum similib. testib. ibi nota. latè à glossis.

Adulator dicitur Græcis κόλαξ à κόλλω, ὁ ἐξὶ παπλνὸς, καὶ μὴ ὁλόκληρος, vel πρὸς τὸ κολλᾶσθαι, vt scribit Cœlius Rhodiginus lib. 11 c. 33. 1. ita dictus, quod sit *mutilus*, id est, *humilis, nec integra fortis*, vel ab eo quod se iungat, & consentiat, & applaudat omnibus. Et ita mentiatur cũ mentientibus, & mentientes laudet, extollat, & approbet; & verè quidam ideo adulatores, ob viles mores & seruiles à ὑλὴ Græco, deriuârũt, quasi seruilis, sit assentatio. Videndus hac de re & Iouia. Pon. libr. 1. de serm. cap. 24. Aristoteles etiam lib. 2. Rhetor. ad Theod. cap. 6. præsentem laudare, adulationis esse dicit. Item si bona nimium laudas, & probè delinias, & si vehementiùs dolenti condoles.

Parasitus idem fermè facit, sed eur hæc faciat, cibus est, cuius ratione adulatur in morem muscarum: quare & dicitur παράσιτος, quod παρὰ τῦ σιτίυ, id est, à cibo omnino dependeat. Sicuti & olim parasiti honesto nomine, dicebãtur comites sodales q; Pontificum & magistratuum, quibus etiam ius dicendi sententiam erat, absoluebantque sacra menstrua vnà cum sacerdotibus, vt scribit Athenæus lib. 6. Dipnosoph. cap. 5. Et qui in Prytanneo Athenis, ob honorem aliti, parasiti dicti, vt scribit Plutarch. Nunc pro iis qui mensas consectantur, mentiunturque audacter & liberè, vt ventrem & intestina repleant. Et Poëtæ antiqui parasitos adulatores vocabant. Scribit autem Caristius Pergamenus lib. de Doctrinis. Parasitum huiusmodi ab Alexide de vtroque Athen. libr. 6. cap. 5. & 6. primum repertum. Quod indicat ille eximius parasitus Artotrogus apud Plautum, in Milite glorios. act. 3. scena 3. vers. 22. is enim cùm multum laudas-

laudasset vanum militem mendaciisque pauisset, rursum ait,

*-- Nihil hercle hoc quidem,*
*Præ vt alia dicam, tu qua nunquam feceris*
*Periurior em hoc nomine: si quis videris*
*Aut gloriolum plenior em, quàm illic est.*
*Me sibi habeto, & ego me illi mancipi dabo,*
*Si vnum Epistyrum edam apud illum insanè.*

Et paulò pòst,

*Venter creat omnes has arumnas, auribus*
*Peraudienda sunt ne dentes dentiant:*
*Et assentandum est quicquid hic mentibitur.*

Sed melius alius parasitus Ergasilus exprimit horum naturam apud Plautum in Capti. act. 1. scen. 1. vers. 7. sic de se loquens,

*Verum hercle, verum vos parasiti planius*
*Quos nunquam quisquam neque vocat neque invocat*
*Quasi mures semper edimus alienum cibum, &c.*

Et circa finem narrat, quomodo assentatione cibos consequatur, laudans & flens simul cum rege Ætoliæ. Eadem de se ferè refert parasitus alius Curculio, apud eundem Plautum in Curculio. act. 2. scena 3. Omitto alium Peniculum inquam Menedemi, alium Saturionem in Persa. Charundem in Audente, Gelasinum in Sticho, facetè enim, sed longiùs explicant ii parasiti apud Plautum officium, vt & Gnato, qui in Eunucho Terentii act. 2. scena 2. vers. 17. inter cætera.

*Est*, inquit, *genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,*
*Nec sunt: hoc confiteor, hisce ego non paro me vt rideant.*
*Sed hîc vbi ubi arrideo, & eorum ingenia admiror simul:*
*Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque,*
*Negat quis, nego: ait, aio. Postremò imperavi egomet mihi*
*Omnia assentari, is quæstus nunc est multò uberrimus.*

Et Plutarchus loquens de versibus quibusdam cancro dicatis, libro de discrimine adulatoris & amici, scribit, vsque adeò non nouerat parasiti ingenium, qui credidit hos versus Iambicos magis cancro, quàm assentatori. Est venter omne corpus, vndique intuens oculus, suisque bestia reptat dentibus. Nam huiusmodi quidem est imago parasiti,

& amicorum qui patellam sequuntur, & ad prandia præstò sunt, quemadmodum inquit Eupolis. Et Athenæus lib. 6. Dipnosophi. c. 5. parasitum ita describit, introducto parasito sic loquente: *Quam vivendi rationem servant adulatores, vobis explanabimus, sed vos animadvertite quaso. quam nos viri versuti simus. Hos primum puer alienus persæpe sequitur. Duo mihi adsunt vestimenta elegantia admodum, quorum alterum semper assumens in forum exeo ibiq; cum fatuum virum aliquem, aut opulentum observo plurimum circa hunc versor: si quid dixerit hic dives, hoc laudo, admirorq; ac etiam verbis gaudere videor. Postea alio alius nostrum profisciscitur* Scribit & ex variis authoribus, hos ad omnes iniurias ferendas dummodò edant paratissimos, & omnibus quibuscunque rebus eius rei gratia se accommodare. *Quo*, inquit Antiphanes in Gemellis *si accidat,*

*Vt hunc cauilleris cachinnatur simul,*
*Amator, & ridiculus, & moribus*
*Iucundus, & miles, bonusq; & strenuus*
*Illi parata cœna si sit splendidè.*

Et Aristophon in Pythagorista, de Phylli pede parasito loquens,

*Nullum magis putato quàm Phillipidem*
*Idoneum fami Tithymalon affore,*
*Aquis bibendis, Rana: vescier, Thynus:*
*Olereq;, campe est. non lauando, scallidus:*
*Dormire sub dio, vt merula per frigora.*
*Æstus pati, meridies: multum loqui,*
*Cicada: oluum nec videre, nec Lari,*
*Pulmo videtur. Ambulare grus pede*
*Nudo, strepusculum per ipsum, Noctua:*
*Dormire mi.*

Ita optimè certè exprimit mores instar Polypi vel Protlei, in aliorum voluntatem efformatos ob ventris necessitatem, vt non immeritò scribat Persius, *Magister artis, ingeniiq; largitor, venter, negatas artifex sequi voces* Sed adhuc audiamus alium parasitum apud Antiphanem, in Progenitoribus ita ex Athenæo, loquentem, nihil pati, nihil non amoliri, & mentiri eius gratia recusantem, in Prologo suorum carminum.

*Morem meum nosti superbum non fore,*
*Amicus ast hujusmodi sum: ad verba,*
*Sum massa ferri, qua potest pati nihil.*

*Ad ver-*

*Ad verberandum, fulmen: ac ad quemptam*
*Cacum faciendum, fulgur: auferendoq;*
*Procella: suffocando quemlibet, laqueus:*
*Frangendo vectes ianua, quassatio*
*Telluris: insiliendo, locusta ego:*
*Canuq; aduocatus, vt musca aduolo:*
*Non exeundo, sumptuum certe statim:*
*Cadendo & imperando, testimonia*
*Dicendo, quaq; consequi nullus queat*
*Verbis gerendo cuncta, quam cissimus:*
*Omnes vocant me fulmen hinc viri: mihi*
*Sed nulla cura admittitur dicterij,*
*Sum quando amicus haud ego sermonibus*
*Solis amicus, ac magis rebus, bonus.*

Hæc Athenæus, qui cateruam magnam insignium parasitorum enumerat. Inter alios Ischomachum, Phillipidem, Archephontem, & Sostratũ regis Antiochi parasitum, Tithymmalum, Corydum vel Eucratem, Philoxenum, Moschionem, Cherephontem, Euagoram Gibbum Demetrii Poliorcetæ, Phormionem Seleuci, & alios eius farinæ.

Erant & ex parasitis quidam dicti adulatores, similes iis quos plerique principes tenent & alunt in deliciis, certè in maximam & sui & Reipublicæ Christianæ, imò contemptum Dei, contumeliam, dicimus Gallicè *Plat-fanteurs, faulsages*, ii simias imitantur, vt placeant quibus addicti sunt, nihil omittentes. Itaque mendaces ex composita opera. Refert quamplurimos huius perniciei perditos Athenæus lib 6. c. 6. memoratq; inter alia de Clisopho adulatore Philippi regis. Nam vt scribit Satyrus in Philippi vita, cùm oculus percussus fuisset Philippi, accedebat ad eum Clisophus, eundem ligatus oculum: at rursus vbi vulnerata fuisset Philippi tibia, cũ rege claudicans incedebat. Item de Hegesio Niceſia adulatore Alexandri refert, quòd cùm muscas Alexander abigeret à se studiosè, dicens se ab his morderi, dicebat multò certè aliis erunt fortiores, quæ tuũ sanguinem gustauerunt. Fuit & alius Crysophus Dionysij Tyranni adulator, & alii duo colaces, qui & se non videre cibos in mensa simularent, & palpabant, quod ita Dionysio placerent, vt scribit Plutar. lib. De discrimine adulatoris & amici. Et cùm sæpiùs solitus fuisset spuere Dionysius in faciem, si vt conspuerentur, porrigebant, sputumq; ac vomitum eius lambentes, multò suauius melle dicebant. De

reliquis qui ab eo Athenæo referuntur, taceo. cùm & illud vitium adulationis ad philosophos transisse scribat, & populare vitium factum & principum: vnde tot mala orta sunt, virtute, per adulationem quæ ampliùs quàm insit, tribuit, veluti mandragoræ malis, sopita: vt etiam hodie dicere possimus, quod olim Anaxandrides in Samia. Nunc comitas vocatur ipsa adulatio Cùm tamen comitas sit proxima virtuti, vt quæ vtatur verbis quidem iucundis, sed comptis, & doctrinam aliquam vel vtilitatem afferentibus, vt accidit in Fabularum narrationibus: & vt breuiter absoluam, cùm is qui vt oportet iucundus est, amicus dicatur, vt mediocritas, amicitia, is autem qui exuperat, si nullius gratia rei, placidus: sin sui emolumenti gratia, adulator sit appellandus, vt scribit Aristoteles lib. 2 Ethic. ad Nicom. cap. 7. & Cicero in Lælio vtrumque & comitatem & assentationem distinguit his verbis, *In obsequio amici comitas adsit, assentatio autem vitiorum adiutrix, procul amoueatur, quæ non modò amico, sed ne libero quidem digna est.* Nata certè ab ambitione adulatoris authoratio. Nam propter illam inanem ambitionem plerique amari magis, quàm amare volunt, quò fit vt ament adulatores. adulator enim inferior est amicus, aut fingit se talem, & magis amare quàm amari, vt scribit Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 8. & lib. 1. Rhetor. ad Theod. cap. 11. Et quia ferè ambitio in omnibus & popularis est, adulatio etiam ferè omnibus placet, & noxia est, vnde Plato in Phædro. adulatorem dicit feram omnibus pestilentem, & similem impuro dæmoni, incautos animos sub noxiæ voluptatis esca continuè corporis sordibus inquinanti. Et rursum lib. 30. in Menedemo, vel Epitaphio, adulatorem, cùm priuatum, tum publicum dicit esse persimilem præstigiatoribus, beneficiisque, fure & homicida deteriorem: quia ii extranea tollunt: at & adulator tollit intrinseca, mentem & iudicium, & in manifestissimis atrocissimè fallit, vt si quis deformis sit, formosum eum esse persuadet: si malus, bonum, & sic de reliquis. Neque etiam morbus alius quisquam hoc vulgarior est, quia in primis nosipsos eo nos decipimus, dum adulamur nobis, & nos alios esse, & meliores quàm simus, persuademus. Quò fit, vt cùm alii de nobis falsò dicant quæ nobis persuasimus, falsò etiam id esse nostris erroribus confirmationem addentes, magis eos diligamus & amplectamur. Sic cocos, qui magis nostro palato seruiunt, ampliùs diligimus, item mangones,

gones, sophistas, & verbosam Rhetoricam, & fucatorias artes, quæ partes sunt adulationis, vt scribit Plato libr. 24. in Gorgia vel de Rhetorica. Quantum autem mali hinc nobis, bone Deus, dum in vulneribus morbidis, dulci sed mortali vnguento foti insensibiles perimus, & vt Iuuenalis ait Saty 3. vers. 6 8.

*Quid quòd adulandi gens prudentissima? laudat*
*Sermonem indocti, faciem deformis amici:*
*Et longum inualidi collum cerucibus æquat*
*Herculis, Antæum procul à tellure tenentis,*
*Miratur vocem angustam, qua deterius nec*
*Illa sonat, quæ mordetur gallina marito,*
*&c.* quæ sequuntur huic loco accommoda.

Scribit Plutarchus adulatorum pestes maximè obnoxias, de discrimine adulatoris & amici, quòd per eos vitia virtutum nomine falsò & mendaciter laudentur. Sic Siculos euersos, quòd adulatores Dionysii Phallaridisve crudelitatem, iustitiam, & sceleratorum odium vocarent: & Ægyptum perditam, quod Ptolomæi muliebritatem afflatus, eiulatus, liliorum ac tympanorum sculpturas, religionem Deorumque cultum appellarent. hæc addit ornatum tragicum, & Imperatori abominandum Neroni, tibiasque Ptolomæo.

Hinc tot scurræ formantur, & ingentia mala: dum voce dulci & aucupio loquentium quis se irretiri laudibus patitur, & suauibus venenis, dulcibus sermonibus, quos ego vel ea sola ratione, quod suauiter proferantur semper suspectos habeo, & ita dicentium loquentiumque suauiter mentes præcaueo, memor eius quod Moschus Siculus scribit de Cupidine idolo amoris,

κακαὶ φρένες ἁδὺ λάλημα·
ἁ γὰρ ἴσον νοέει τᾷ φθέγγεται ὡς μελόφωνα, τ.
*Mala mens, eloquium suaue,*
*Non enim eadem sentit & loquitur vox mellea.*

Et D. Chrysostomus tomo 2. homilia 88. in cap 2. Matth. *si auersari nonnullos*, inquit, *decet, adulatores magis quàm contumeliarum odisse oportet. Maior enim non attendentibus ex adulatione pestis, quàm ex vituperatione oriri solet, & facilius est hanc quàm illam passionem superare.* Quare in summa constitue hanc regulam veritatis, Quæ

mendacio accedunt, omnino esse vt suspecta à veritatis amatore condemnanda. Item generalem aliam.

Non esse relinquendam veritatem propter argumentorum difficultatem, neque considerare oportet argumentationes, quando alicuius rei habemus notitiam meliorem ea quæ est per argumentationem. Aristoteles 8. Physic. c. 3. & 8. Topic. Quod etiam intelligendum est de iis quorum notitiam habemus, per argumentationem scilicet non esse relinquendam eius veritatem, propter argumentationes, quando eam cognoscimus per meliores ac certiores rationes. Veritas enim omnia vincit.

## *De gloria & quòd omnia quandam gloriam desiderent.*

### CAP. LXIII.

NVnquam mihi quicquam licuit contemplari animatorum aut inanimatorum, quod aliquo modo aliquando in conspectum hominum, atque in oculos prodire non conetur. Sunt enim omnia ad quendam vsum & vtilitatem creata, *Cùm nihil*, vt ait etiam Aristoteles, *Deus & natura faciant frustrà*. Cuius impulsu naturali omnia, quæ à Deo sapienter facta sunt, in vsum suum pergunt, atque prodire desiderant. Ideo aqua & aer in specubus latentes, non possunt contineri, quin claustra violent, vt appareant & sui vsum animantibus & cæteris communicent. Semina terræ condita, quamuis putrida, propria natura extra matris magnæ gremium, prodeunt, glebas perforant subactas, vt caput & fructum exerant. Plantæ & arbores, capita promentes extollunt, & producunt quotidie altius. Metalla insuper & lapides, politione nitidiores & præstantiores sese declarant. Nec pusillum quodpiam est animal, quin statim vt natum est, ad functiones perfectius suæ naturæ exercendas, non properet.

Conuertamus ad homines mentem, nullus adeò vilis, sordidæve conditionis, non vnus inter ipsos mendicantes, vllus non inter pueros, quin apparere, & excellere, vel præesse vel præstare desideret. Inter crepundia fingunt Reges pueri, magistratus, sacerdotia, & alias huiusmodi magnatum personas: mendicantes inter se, quandam prærogatiuam & imperium exercere videntur: imò sciunt mendicantes studioso & feliciori ingenio, & arte fingere personas, quas agunt, vt crumenas mulgeant, & pauperiores & mi-

& miseri videri volunt magis quam sint. Quid de peritis, de doctis, de magistratibus, de his qui in gradu altiori sedent, dicam? non ne inter hos simultates, vt alij & maiores quam sint, videantur: nonne gradu inferiores, superiores adipisci omni studio inhiant, nonne & qui pari, & a cogitationibus huius seculi euulsi, contemnunt hæc omnia, nempe terrestria, vt superiora, cælestia, quæ multò faciunt, vt par est, consequantur? Nonne & Tyranni contendunt & carnifices crudelitate præstare: num artifices alijs eius artis æmulis liberè cedunt? idque accidit ob persuasionem laborum, ex quibus quisque præmium quoddam desiderat: hoc autem non possumus dicere aliud, quam gloriam. *Siquidem* vt ait Cicero 1. Officior. *vix inuenitur, qui periculis susceptis, laboribusq; aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.* Et cum quisque circa sua opera cæcutiat, & facilè decipiatur: sic accidit interdum vanè gloriam, interdum benè aliquem aucupari. Nam vt legimus in fragmentis Crispi Salustij, oratio. de repub. ordinanda, *vbi bonus detestorem diutius clarum magis, magisq; acceptum videt, primò æstuat, multaq; in pectore voluit: Sed vbi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit, animus a voluntate a vero deficit. Quippe gloria industria alitur: vbi eam dempseris, ipsa virtus per se amara, atq; aspera est. &c.* Et cùm gloria seu honor sit præmium virtutis, vt scribit Cicer. pro Milone & pro Archia poëta sub finem. sequaturque semper gloria virtutem, vt vmbra corpus, etiam nolentes, vt ait Seneca lib. 11. Epistol. epist. 80. Et quia virtus arduapertentat, in arduis tantum gloria fortior inuidia, & quasi immortalis. Sic scribit Demosthenes, olyth. 2. μόνοι ἀνθρώπων κρείττω τὴν ἐπὶ τοῖς ἔργοις δόξαν τῶν φθονερῶν λοιπὸν, *soli homines melioribus rebus gestis reliquerunt superantem inuidiam gloriam.* Et in paruis non esse gloriam scribit idem, oratio. contra Androtio. ἐὰν ἐπὶ μικροῖς τις σεμνύνηται, τοσοῦτ' ἀπέχει τοῦ τιμῆς τινὸς διὰ ταῦτα τυχεῖν ὥστε ἀπειρήκαλος φανεῖται δοκεῖν εἶναι, i. *si in paruis quis glorietur, tantum abest vt honorem propterea consequatur, vt ineptus propterea videatur.* Multi sunt qui præmium sibi vendicant, qui tamen id, vnde præmium debetur, non habent, falsò tamen se habere putant: vnde inanis, id est, vacua fundamento sequitur gloria. Interdum etiam homines præmia, nempe gloriam adimunt

virtutum, & labitur statim virtutis profectus. Docet C. Valer. Flaccus lib. 1. Argonaut.

*Tu sola animos mentesq; perurit*
*Gloria, te cupidem videt, immunemq; senectæ,*
*Phasidis in ripa stantem, iuuenesq; vocantem.*

Et Syllius Italicus, lib. 6. vers. 333. trahere homines ad virtutem scribit,

*Abripuit, inquit, traxitq; virum fax mentis honestæ,*
*Gloria, & incerti fallax fiducia Martis.*

Et ad res arduas animum fouere & parare gloriam innuit Propertius, lib. 4. ad Cyntiam scribens,

*Magnum iter ascendo, inquit. sed dat mihi gloria vires,*
*Non iuuat ex facili lecta corona iugo.*

Et quamplurimos ob gloriam egregios conatus oriri scribunt Angelus Politianus præfatione in Salustium, & Cælius secundus Curio oratione de Gloria. Scribit & Demosthenes, Orat. cõtra Timocratem põpulum nunquam valide de pecunia coaceruanda laborasse, sed ob gloriam pecuniam coaceruatam profugasse, & profudisse. Atq; nec periculum vllum detrectasse, vt honorem sibi pararet immortalem. Scribit & Valer. Maximus, lib. 8. c. 15. in Scipione, Nullam, tantam esse humilitatem, quę non dulcedine quadam gloriæ tangatur. Illam vero, interdum & à claris, ex humilibus rebus petitam.

## *De Definitione & diuisione gloria.*

## CAP. LXIV.

GLoria est bonorum multorum ore concelebrata laudatio, vt scribit Cassiodorus, in commentar. super psal. 23. & 28. & 70. & 148. & Aristoteli gloria est, cum virtuosus à multis æstimatur, aut id habere putatur quod omnes, vel plures, vel probi, vel prudentes expetunt ad Theod. c. 5. 1. Rheto. Et secundum Ciceron. 1. de Inuentio. est frequens de aliquo fama cum laude. Et 3. Tusculan. quæstio. est illi gloria quædam res solida & expressa, non adumbrata. Consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium se excellenti virtute. Forsan melius & generalius mihi gloria dicitur, claritas & splendor vel lux cum laude, ratione cuius id quod non antea conspiciebatur, vel non cognoscebatur, apparet.

Libro

Libro autem 4 artis Mirabilis c 9 post finitionem gloriæ, summariam tradidimus eiusdem diuisionem, quam paucis explicare nunc oportet. Primumq; agamus de vera gloria. Certe Macrobius, lib. 2. in Somnium Scipionis c. 6. & 10. in hoc seculo nec gloriam aucupandam, nec eam perpetuam esse, docet: *licet apud nos*, inquit, *Athlanticum mare magnum vocetur, de cælo tamen despicientibus, non potest magnum videri, cum ad cælum terra signum sit & punctum, quod diuidi non possit in partes: ideo autem terra breuitas, tam diligenter asseritur, vt parui pendendum ambitum famæ vir fortis intelligat, qua in tam paruo magna esse non poterit, vt contentus potius conscientia præmio, gloriam non requirat.* Et posteà, *Quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum, desinceps laudes eius cuiusq; nostrum acceptas à patribus, posteris prodere, tamen propter diuisiones, exustionesq; terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. Virtutis fructum sapiens in conscientia ponit: minus perfectus in gloria.* Repetit idipsum alibi c. 12. eius libri 2. Et Menander ob casus fortuitos, & volubiles rerum seculi, neminem gloriari viuum posse dicebat, vt narrat Plutarchus lib. de tranquillit. animi. Atque cum omnes tum ethnici, tum sacri interpretes definiant, bonorum esse gloriam, optime constituemus vllam perfectam non esse hominum viuentium laudem: quia nullus est, qui perfecte bonus sit, nullus qui aliquo peccato maculatus & sordidus non sit: *Si enim dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Epistola 1. Diui Ioan. c. 1. c. Dehinc nemo est, nescio an aliquis sit pro momento ita bonus, cui non immineat de gradu præcipitium: nam scribitur, *Qui stat, videat ne cadat.* ad Corinth. 10. d. Et, *Tene coronam tuam ne alius accipiat:* Apocal. 3 6. Et *Castigo corpus meum, &c.* 1. Corinth. 9. c. Et placuit fundamentum istius gloriæ in hoc seculo esse virtutem; itaque cum tolli ea & extingui possit, sequitur ad eius subductionem lapsus gloriæ, nam

*Collapsa ruunt subductis tecta columnis.*

Et vbi fundamentum deest, superædificari nequit, cano. cum Paulus, 1. q. 1. Adiungere licet virtutes per se gloriam veram non moliri inter Christianos: sed ad gloriam veram, quæ Dei voluntatem & honorem pro scopo habet, viam

viam sternere & dirigere. Nullus enim ex virtute fructus post mortem sine Dei scopo: & sine Deo virtus illa, vmbra virtutis & fluxa: cum Deus immortalis, & gloria similiter eius, vt disputat Lactantius lib. 5. vel de falsa sapientia, c. 27. & lib. 6. de vero cultu c. 17. & 18. Adde, nihil in nobis boni esse, tanquam ex nobis, sed à patre illo bonitatis profluere, & à bonitate ipsa, Deo inquam, *Omne bonum optimum & perfectum de sursum descendens à patre luminum*, Iacob. 1. Quamobrem laus quæ bonum consequitur, nobis verè non competit, sed ei qui largitus est Sic Diuus Paulus 1. Corinth. 4. 6. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* in psal. 21. Et ibi. *Tu autem in cælo habitas Deus, laus Israel.* Deus dicitur laus Israel, quia propter Deum quem colebat, esset gloriosus & laudatus is populus. Et apud D. Lucam, c. 2. 6. *Gloria in altissimis Deo.* Et, *ei gloria in secula seculorum.* ad Galat. 1. e. Vocatur & Psal. 23 rex gloriæ. Sic Mercurius Trimegistus, in Pimandro, Sermone 3. *Deum gloriam omnium dicit, & principium vniuersorum.* Et quia Deus per Isaiam c. 42. b. & c. 48. testatur, se gloriam suam alteri non daturum, sciendum est gloriam quandam à Deo hominibus & rebus communicatam: aliam propriam sibi & suam reseruasse. Nam rebus dedit singulis proprietatem, quibus laus illarum inter homines crescit, & decantatur. In qua splendor quidam diuinæ maiestatis & potentiæ, in illis repræsentatur. Et ideò illæ gloriam & laudem à Deo acceptam, in Deum referunt. Prædicant de Deo omnes res, ostentantes supranaturales potentias, admirandas pulchritudines, effectus, & artificium naturale, quod scribitur, *quia ipse Deus fecit nos, & non ipsi nos* Psal. 9. quodque D. Ioannes ait. c. 1. Euangel. *Omnia per ipsum facta sunt*, & Apoc. 3. c. 13. *ipse est principium creaturæ Dei.* Et quod Salomon, ca. 36. 17. *à principio, creatura tua sunt.* Et Psalmista postquam locutus est de creatione, *tui sunt dies, tuus est Sol, tua luna, tu dominaris potestati maris & c.* addit, *quoniã virtus eorum tu es & c.* Atque si quisquam ethnicus suspecta tam sanctissima & inuictissima habeat virtutis testimonia, ad res ipsas animum transferat, & paulum consideret, quis tam exiguis animalibus, quod aliàs admiratus sum, vt visus etiam Lyncis effugiant, initio intuitus, tam celebri artificio ordinauerit, tum pedes, tum oculos, alas, colores, symetriam, firmitatẽ, organa bibendi, vorandi, coquendi, expellendi, sentien-

sentiendi? quis acari posset membra distinguere, qui tam valenter tamen manus exarat? quis tineæ dentes exiguos & fere inuisibiles non miretur vestes depopulari, & pannos & chartas? Quis nō miretur in magnis tineis cariem & mortem ab vno vermicello inuisibili penè, qui *xis* Græcis dicitur, adferri? Omitto miracula piscium & auium, herbarum, lapidum, stellarum, quadrupedum. Quæ etiam minima nos admonent sua vi, gloriam suam non in illis remanere, sed in artificem & creatorem transferendam: sed adhuc manifestius gloriam suam in Deum creaturas irrationales & inanimatas referre, nec sibi eam vsurpare testantur, dum verbo Dei & seruorum eius obaudiant, propriæ laudi & naturæ cedentes vt agnoscant gloriam vnius Dei & opificis, reipsa. Ignis tres pueros in camino non attigit, & in se contra naturam in auræ vim lætam conuertit. Daniel. 3. Mare in murum consurgens, contra naturam iussu Mosis verbo Dei constitit Exodi. 14. b. Iordanis verbo Eliæ, 4. Reg. 2. & verbo Iosuæ, Iosuæ c. 3. & 4. Sol contra Gabaon stetit. Iosuæ 10. & 4. Reg. 20. tempore Ezechiælis retrogressus venti, mare, terra obedierunt Christo, & postea discipulis. Vrsi obedierunt Elisæo, deuorantes pueros qui eum irridebant 4. Reg c. 2 Ignis descendit de cœlo in quinquagenarios, iuxta Eliæ verbum, 4. Reg. 1. Cœlum clausum, & apertum verbo Eliæ 3 Reg. c. 17. Sic ficus maledicta à Deo exaruit. Sic Paulus à colubro inuiolatus permansit. Sic Apostoli & sancti obturauerunt ora leonum, ad Hebre. 11. Et Daniel illæsus à famelicorum leonum lacu sluatus. Daniel. c. 14. & 6. Et generaliter omnes creaturæ Deo deseruiunt. Iudith. 16. c. & Sapien. 16. d. Itaque & laudantur & gloria tribuitur & creaturis ipsis, atque ita gloria altius, ad Deum refertur. Sic ornamenta & quod præstat in rebus laudatum, gloria dici possunt. Sic Deus Dominus noster Iesus Christus Matth. 6 & Luc. 12. Gloriam dixit Salomonis, quod facilè ex eius verbis colligitur, *Videte*, inquit, *lilia agri quomodo crescant: amen dico vobis Salomon in omni gloria sua non fuit ita ornatus, vt vnum ex eis.* Et in historia Hester, c. 1. Ponitur gloria pro excellentia & maiestate regni, dum scribitur Assuerum fecisse conuiuiū, vt ostentaret diuitias gloriæ regni sui. Sic Ester c. 5 b. Ester tertio die accepit vestimenta ornatus sui, & circundata est gloria sua. Et Iob, pro honore quo affectus erat & reuerentia, vsurpat, Iob, c, 19. b. vers. 9. *Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam*

*tam de capite meo* Et alibi c.4. Accipitur pro dignitate. Et in psalm.48.ibi. *Cum multiplicata fuerit gloria domus eius, &c.* accipitur pro maiestate & claritate Dei, per quæ elucet diuinitas, & radios suæ omnipotentiæ internos manifestat, vt Iesaiæ 60.a. *Gloria domini super te orta est.* Et in Exodo, c.16.c. & c.40.d. Ezechiel. 3. f. 3. Reg. 8.6. Et vt vno verbo concludamus, gloria est laus omnis cuiuscunque rei diuulgata, & multis nota. Et ita dicimus gloriam diuitiarum, scientiæ, doctrinæ, religionis, & similium. Et sicut Deus animalibus brutis & inanimatis propria quædam dedit, ex quibus possent dici gloriosa: sic & hominibus quædam dat præstantiora, quibus gloria ab illis parari possit, veluti mentem, animum, rationem, religionem, corpus supra omnia animalia perfectius, faciem non pronam, sed sursum erectam, virtutes cautiones, vitam si velit æternam. Nam Deus *Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Paralipo. 5.d. cum similibus. Et rursum, 1. Machab. 2 *Dilatauit Deus gloriam populo suo.* Et D. Paulus ad Roma. c.2.b. vers. 10. *Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco.* Porro hæc Gloria nostra, cum ex Deo dependeat, velut à causa, ad illum referri à nobis debet, non autem à nobis propria vsurpari. Sic scribitur apud Hieremiam c. 9. g. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec diues in diuitiis suis, &c.* Sed *in hoc glorietur nosse me.* Et quia gloria, etiam laus, & honos seruorum in dominos reuoluitur & reflectitur: sicuti & seruorum honos ex magnitudine & sapientia Domini, omnino pendet, ob quem seruis honos impartitur. Sicuti dixit Regina Saba, quæ inuisit Salomonem, 3. Reg 10. & 2. Paralip. c.9. Sic & nos qui serui Dei sumus, nihil nobis sed Domino Deo gloriæ, adscribere debemus. Et 1. Corint. 1. D q gloriatur, in Domino glorietur. Et alibi 1. Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* In Domino autem gloriari, est omnes actus, & nostra, ad Dei honorem & laudem dirigere: & ita in actibus virtutis gloriari, quæ eo diriguntur, & in bonis operibus, licet: Sed non apud homines, quia gloriari ita non expedit, 2. Corinth. 12.a. Sed coram Deo & à Deo laudem expectantes, in eo placētes & in humilitate obsequij nec inflatione inani. Lapsi namq; sunt antiqui & multi labuntur, qui dilexerunt magis gloriam hominum quam gloriam Dei, vt scribit D. Ioannes Euang. c.12. f. vers. 43. & alij vt scribit D. Paulus ad Roma. c.1. c.v 23.

Com-

*Commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & serpentium.* Et Hierem. cap. 2 c. versicul. 11. Nam & multi ex his & inanioribus rebus, gloriam sibi parare student. Quærentes gloriam ex rebus terrestribus, vbi esse non potest. Quia per se non subsistunt, & non sunt causæ veræ gloriæ. Quia omnis creatura vanitati subiecta est ad Roma. c. 8. Et omnia vanitas. Eccles. c. 1. a. & c. 12. c. Temporales istę res concessæ nobis tantum fruendæ, quia antequam essemus, creatæ, & bonis & malis patent, & sæpissimè à pessimis possidentur. Quamobrem qui in illis fundamentum laudis humanæ & gloriæ causam ponit, valde admodum, si probe ipsas consideret, fallitur, & tandem quantum inaniter, id est, absque causa gloriatur, videbit & animaduertet. Nubes & fontes sine aqua, vt scriptum est, 2. Petri 2. c. vers. 17. & Iudæ 1. vers. 11. hinc fermentum sumitur Thrasonum, militum timidorum, stultorum, garrulorum, supercilioſorum, inflatorum, ampullatorum, iactabundorum, & similium sordium hominum, qui gloriosi etiam dicuntur, quive plura quam insit, sibi arrogant, aut scire se fingunt quæ non nouerunt, vt scribit Aristoteles, lib. 3. magno. Moral. c. 34. Et Pindarus hanc kenodoxiã valde opera bona remorantem docet, sicut veram gloriam ea adiuuare dum ait.

——ἀπὸ βροτῶν,
τὸν μὴ κενὸν φρένες ἄνχει
ἔξ αἰσθῶν ἔβαλον.
τὸν δ' αὖ, κατὰ μὲν φθόνος ἄγαν
ἰαχὺ δικείων παρέσφαλεν καλῶν,
χειρὸς ἕλκων ὀπίσω, θυμὸς ἀτάλμων ἐών, 1,

*Sed enim mortalium, alium quidem vana cogitantes gloriationes, à praclaris expellunt: alium autem contra animum mendax existens inane trahens retro, à propriis honestis aberrare facit, conquestum timidum de viribus.* Et sunt qui ita honoris studio vano, & gloriæ inanis cupiditate aluntur, vt dum sua omnia pulcherrima facta videri volunt, succenseant melius agentibus, & infæliciter agentibus applaudant. Sicuti exprobrat Philippo eius vanitatis participi Demosthenes, Epistо. ad Philipp. Scribit & Cicero 3. de Finibus, etiam in bonam famam, quam εὐδοξίαν dicunt Græci, nec digitum, vt censuit Chrysippus & Diogenes, & assen-

& assentitur Cicero, in eam esse porrigendum detracta vtilitate: quanquam qui Carneadem sequuti sunt, voluerint eam sequendam, vt bene audiamus à parentibus, propinquis: & famæ etiam propter liberos, esse confidendum etiam si posthumi sint, hinc infinita mala inter homines, dum quisq; quis sit, non vult cognoscere, & amplius alius quam sit, velit apparere. Scire enim debemus nos esse vile & fœtidum semen, stercorum saccum, vermium seminarium, terræ idolum, pulueris recrementum, filo quodam tenuissimo in vita pendentes, homines peccato obnoxios, temporis exuuias, vapores decidentes, quod ad carnem illam pertinet quam tam cupide & delitiose miseri fouemus. Sed quod ad animum, animal diuinum, immortalis animæ, filij & cohæredes, & ad imaginem Dei, peregrini in terra expectantes terram in æternũ viuentium. Quãobrem & ibi gloriam parare debemus, vbi nostra futura habitatio, perpetua quies, ineffabile gaudium, lachrymarum, & malorum liberatio, verorum agnitio, perpetuum gloriæ fundamentum. Et nunc peregrini omnia quæ in itinere sese interponunt, contemnentes, in Domino gloriari oportet, vt scribit D. Paul. 1. ad Corin. & 2. Corint. 10. d. Amare, quæ eo nos perducant: quæ nos auertant, effugere. Spiritalia perpetua carnalibus fluxis præponere. Quanuis enim corpus nostrum resurrecturum sit, tamen tunc non suis, sed animi voluptatibus & gloria fruetur, hic enim dũ viuimus anima in ergastulo corporis, corpore afficitur, & eget, vt domus, in qua habitat, conseruetur. Sic homo cibo, potu, somno, & aliis corporalibus indiget, quæ animam recreant, & in hoc corpore tuentur. Postea verò vbi pars illa corporalis, functa fuerit officio naturali, corpori iterum sociata anima, & in perpetuum victura cum eo, sicut simul & semel & corpus perfectum, & anima creata iuncta fuit in homine: anima vires suas, libera inter spiritualia locum nacta, in corpus exercebit, si digna fuerit diuina gloria, & si ad eam in corpore viuens mortali, eo iter suum direxerit: sicut contra si voluptate & gloria corporis delectata fuerit, ea gloria cum rebus corporeis pereunte, illa post resurrectionem veræ gloriæ inanis reperta, in perpetuum barathrum gloriæ aduersum, cum corpore mittetur, perpetuo desiderio malo crucianda, quod gloriam, quam elegerat veram non possideat, ea nempe deficiente, atq; perpetua poena excarnificata, quod veram gloriam, Deum inquam,

contempserit vel reliquerit. Et D. Marcus heremita, libro περὶ νόμου πνευματικοῦ: ἡ αἰτία πάσης κακίας κενοδοξία καὶ ἡδονή. ὁ δὲ μὴ μισήσας αὐτὰ ἐ μὴ πεπάρη πάθος. id est. *Omnis malæ causa est vana gloria & voluptas, qui autẽ odio non habuerit illam, nunquam exonerabitur affectibus.* Et Thalassius Monachus, hecatont. 1. de Charitate. *Vt carnales virtutes humanam sta spiritales Dei gloriam contrahunt.* De hoc cum Christianis agens Q. Septitius Tertullianus lib de cultu fœminar. *Nobis*, inquit, *nullum gloriæ studium: quia gloria exaltationis ingenium est. Porrò exaltatio non congruit professoribus humilitatis ex præceptis Dei. Deum, si omnis gloria scilicet mundi, vana & superata quanto magis qua in carne? nobis duntaxat. Nam si gloriandum est in spiritu bono, non in carne placere velle debemus: Quæ spiritualium sectatores sumus. In quibus operamur, in illis & gaudemus. De his gloriam capimus, de quibus salutem speramus.* Et D. Paulus, 2. ad Corinth. c. 1 c. versicul. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo* Itaque ab hac gloria inani omni studio cauendum est, néve eã inuoluamur: nam in eam facile & minima occasione incidimus, & vix ad eã fallu, etiam enitentes elabimur: non minus ac vterus vento semel tumefactus, vix potest omnino à vento, & si pressus, euacuari. Quamobrem & prisci patres, dum huius inanis gloriæ naturam describerent, eam similem cæpis & bulbis esse dixerunt, quibus multiplici veste contectis, cum vnam exueris, alia rursum quæ pone illam sequens latebat, quasi rediuiuo ordine pullulans reperitur. Et hæc vbi in humanas mentes irrepsit, vt ait Climactius, iniectis, quasi harpagonibus infigitur, infixaque viuacem alit flammam, vt non facile à quoquam euelli, aut amoueri possit, quam qui enixus extirpare decreuerit, id quod de hydria serpente fictum est, accidere experietur, vt pro vno capite truncato, septem audaciora insurgere videat. Quod & annotauit Maphæus Veggius lib 2. de Perseuerant. religio. cap. 3. Vt consultius ego eius medelam existimem, omnem sementem inanis gloriæ ante ex mente & opinione nostra auerruncandam, priusquam vel modicas radices agat: quod continget, si ei in tempore præcurramus, & iter obuertamus, secreto non palam, vt videamur opera facien-

do vaniloquentiam & iactantiam vitantes, propriæ virtutis opinionem procul à nobis deportantes: si nostras infirmitates & animi & corporis memores percurramus: si aliorum præstantiorum efficaciam etiam latentem consideremus, si piorum hominum exempla obseruemus, si vanitatem seculi, stultitiam, falsam opinionem, stolidum iudicium vulgi, variationem æstimationis cuius que expendamus: si in cælum, vt arbores, si in pedes, vt pauo, perpetuò spectemus. Et, vt cum Seneca loquar, lib. 1. de Tranquillit. vitæ c. de vana gloria. si assuescamus cænare posse sine populo, paucioribus seruis vti, vestes parare in quod inuentæ sint, habitare contractius, si habeamus studiorum rationem & modum. Sed & compendiosa alia via, si contemnamus nos ipsos, res que seculi. Dehinc, vt scribit Boetius li. 2. de consolat. metro. 7.

*Quicunq; solam mentem præcipiti petit,*
*Summamq; credit gloriam,*
*Late patentes ætheris cernat plagas,*
*Arctumq; terrarum situm,*
*Breuem replere non valentis ambitum,*
*Pudebit aucti nominis, &c.*

Et interdum tamen gloriari licebit de virtute, sed exigente tempore, quando nimirum, non ad ostentationem gloriamur, sed ad audientium commodum, hoc est, quando, illi huiusmodi gloriatione ad virtutum imitationem inuitantur, vt scribit Euthymius super Psalm. 130. Quia hæc gloriatio ad laudem Dei refertur, qui iussit diligi proximum, & vnicuiq; mandauit de proximo. Ita Paulus dicit se gloriari, de gaudio Titi. 2. Corinth. c. 7. 9. vers. 14. Sic gloriatur in cruce domini. ad Galat. 6. d. & alibi. Sic Ioseph fratribus dicebat, c. 45. Genes. Nuntiate patri meo gloriã meã. Et in Ecclesiastico c. 9. d. vers. 22. 1. permittitur illa gloriatio & bonis & humilibus promittitur gloria. Iob 22. c. & c. 36. b. reddit rationem vtcunq; Euripides, in Rheso actu 1. v. 75. πονοῦντα δ' ἄξιον μισθὸν φέρεσθαι. παντὶ δὲ προσκείμενον, κέρδος πρὸς ἔργῳ, τῷ χάριν πικρὸν διπλῆν, 1. *Sed laborantem decet præmia ferre, omnis enim res quæ habet præmium propositum voluptatem parit.* Et Plato lib. Dialo. 12. de legibus. *maximum sane atque rectissimum est, vt cum sis probus, ita gloriam quæras aliter minime, si modo perfectum vir futurum es.* Crudelis est qui famam contemnit,

mnit, & misericors qui eam complectitur: duo enim habes, conscientiam quod ad te pertinet, & famam quod ad proximos, quam ne in scandalum labatur, tutari debes, cano. noli. 12. q. 1. cano non sunt audiendi, 11. q. 3. cano. quatuor 1. q. 2. &, *Cura habe de bono nomine*, vt ait Salomon in Ecclesiast. 41. c. & in Prouerbijs 20. *Prouidere enim debemus bona, non tantum coram Deo, sed & coram hominibus, ne aliquis de nobis mutuetur malis vsuendi occasionem*, vt ait D. Paulus ad Rom. 11. 6 d. & 2. Corinth. 2. d. *Fama bona impinguat ossa*. Eccle. 3. c. id est, inquit Nicolaus de Lyra augmentat virtutes & vires, quia & per ossa corporis ostenduntur. Cæterum, alia est gloria Dei propria, nam Deus cum habeat substantiam ineffabilem & virtutum virtutem, & ipse sit super virtutem, omnia quæ ad eius substantiam pertinent sibi soli propria, & sine vlla communicatione habet. Alia illi, eius manifestatio apud homines, & ita gloria & laus eius tanquam Dei propria, nulli communicatur creaturæ. Quare Dominus noster Iesus Christus, cum Patrem orabat, Ioan. Euan. 17. rogabat vt Filium glorificaret gloria illa, quam prius habebat, antequam mundus esset, non de diuinitate loquens tantum, sed de hominum opinione: quoniam homo factus, homo tantum hominibus esse videbatur, rogabatq; vt talem fidem largiretur hominibus de se, vt Deum illum agnoscerent, & crederent, vt scribit D. Cyrillus lib. 10. Thesauri contra hæretrios. Atque de gloria propria scribitur Isaiæ. 42. 6. *Gloriam meam alteri non dabo*. Et illam recusauit Angelus, quæ ad Deum solum dirigitur, cum D. Ioannes eum tanquam Deum venerari vellet, talem eum existimans sibi in forma angeli apparere: cui angelus, *Cane ne feceris. conseruus enim tuus sum. Et omnium fratrum tuorum, & eorum qui obseruant verba prophetiæ huius*. Apocal. c. 22. b. vers. 8. & 9. facit textus cum glo in c. venerabilis, de consecrat. dist. 3. Et Rabi Mosche lib. 1. ductoris Dubitatio c. 63. de gloria Domini in hæc verba loquitur. *Gloria Domini, hoc est, lux creata, qua ostenditur in aliquo loco, ratione sanctitatis & sublimitatis, in modum miraculi*. Sicut dicitur, *Habitauit gloria Domini super montem Synai*. Et rursum *Gloria Domini implenit tabernaculum*. Quandoque dicitur de substantia & veritate creatoris, sicut dixit Moses *Ostende mihi gloriam tuam*. Et responsum est. *Non videbit me homo & viuet*. Quandoque etiam ponitur pro laude, qua homines & aliæ creaturæ dant

creatori. Quia laus ea, vera est apprehensio illius, & omnis qui apprehendit maiestatem ipsius & perfectionem, honorat ipsum secundum suam apprehensionem. Homo tantum honorat dictis suis, ad ostendendum quod apprehendit intellectu suo, & reuelat alij extra se. Et si recurramus ad nostram gloriæ finitionem facilè intelligemus collatione facta luminis Solis, & claritatis Dei. Nam Sol aliam habet apud se claritatem, nempè puram, defæcatam, non mixtam elementis. Aliam autem quam nostris exhibet oculis, quæ quidem interdum purior, interdum opacior, interdum nubilosior. Sic Deus in se pura claritate fruitur, quæ nullis contaminatur tenebris: sed quod pertinet ad nos, interdum ab aliquibus clarius quàm ab aliis cognoscitur, secundùm mentis capacitatem. Sicuti nec omnium oculi æquali vi, solem hunc intuentur. Nam nicticoraces veluti vmbram, lusci non plenè, lippi solis radios non patiuntur: alij longius, alij vt aquila propius intuentur. Sic & variè, intellectus ad Dei claritatem & gloriam feruntur, nũquam tamen purè, vt in sua gloria est, intuetur. Nulla enim, ad illud diuinum, increatum & immensum est proportio oculi vel mentis creaturæ limitatæ. Deus autem vera lux hominum, & lux in tenebris lucet. Euang. D. Ioan. c. 1. De utraque claritate & gloria loquitur Dominus, D. Ioan. Euang. c. 17. *Pater*, inquit, *clarifica me apud temetipsum claritate, quam habui prius quam mundus fieret apud te.* vide ibi Dei claritatem immensam, audi claritatem apud homines: *Pater clarificani nomen tuum super terram, manifestaui nomen tuum hominibus.* Existimarem etiã ego in Deo gloriam posse quoque accipi pro causa vnde laus & gloria nobis potius quam illi, qui nostra laude non eget, & est tamen nostræ perfectionis causa, dum eius gloria, id est, eum laudando & honorando, glorificamur & laudamur, item pro præmio nostro. Nam vt ait Origenes, tomo 3. li. 7. in cap. 8. epist. ad Roma. *est & hæc gloria, quam iustificati, quique in hac vita acceperunt: Est & illa quæ speratur in futuro, cum corpus istud humilitatis reformatum surget in gloria.* Verissimum tamen est, splendorem, lumenque diuinæ maiestatis, quæ veluti testibus fide dignis, & omni exceptione maioribus testatur, Deum bonum, maximum, optimumque gloriam Dei proprie dici, quasi laudationem suæ diuinitatis. Et miracula Dei, gloria Dei sunt: quia testantur Dei virtutem, & de honore illi præstando homines admonet.

admonet. Sic D. Ioan. Euang. c. 2. b. vers. 11. Post miraculum conuersionis aquæ in vinum, scribit, *hoc fecit initium signorum suorum Iesus, & manifestauit gloriam suam*, & Lazarus infirmatus ad gloriam Dei. Ioan. 11. à Gloria ita & Dei est, vt homines Deum cognoscant, tãquam creatorem, & rebus omnibus prouidentem, & alia eius opera, vt scribit Theophilactus Episcopus Bulgariæ super c. 1. epistol. ad Hebraos *Et hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, D. Ioan. c. 17. Proinde quia ij qui in fœlicitate æterna erunt, perfectiorem notitiam rerum & Dei habebunt, cum nunc eum videamus in ænigmate, tunc autem visuri simus facie ad faciem, vt ait Paulus. Et quia laudem maiorẽ expectare nemo potest, quàm fruitionis Dei, eos qui id beneficium assequuntur, dicimus gloriam excellenter adeptos. quia in ea fœlicitate, omnis eaq; firma gloria est. Quod & Pindarus scribit. Nemeor. 1. antistro. ἐπὶ τὰ εὐτυχία, *1. est autem in fœlicitate*

——— πᾶν δοξίας ἄκρον,

*Omnis gloriæ summum*

Et nos cum de fœlicitate loquuti sumus, docuimus cumulum omnium in ea esse bonorum. Et ideo illa gloria, præmium vitæ nostræ, secundùm Dei mandata transactæ erit, quæ ita cæteris præstat, tamque præmium admirabile, vt nec omnes labores seculi, nec tormenta & aliæ passiones eius gratia à nobis perpessæ, dignæ sunt, vt tali mercede remunerentur per se, vt scribit D. Paulus ad Roma c. 8. e. Neque per nostra etiam merita eam gloriam, quæ reuelabitur in nobis consequi meremur, sed ex liberalitate Dei, qui eam proposuit, per mandatorum suorum obseruationem cuique obtemperanti. & in can. saluator 1. q. 5. quibus impellimur à contemptu gloriæ humanæ, vt gloriam meliorem, quamque intercipi potest à blanditijs & insidijs humanis assequamur. habent enim humana & sua præmia, quæ passim se opponunt cælestia petentibus, vt in modum Circes & Syrenarum, incautos & molles decipiant, & iniectis anchoris detineant & remorentur. Quod præuidens summus ille nauis Christianæ præfectus, perpetuò nos admonet, vt caueamus, *videte inquit, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini: tales enim recipiunt mercedẽ suam in hoc seculo.* Matthæi c. 6. a. Et rursum, exemplo diuitis anonymi, & Lazari mendici. *Memorare*

*quia recepisti, & Dives, bona in vita tua, hic autem mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Lucæ 16. & seq. Et rursum, *Nolite conformari huic seculo.* ad Roma 12. a. & D. Ioan. Epist. 1. c. *2. nolite diligere mundum, &c.* Et alibi, vt cautiores & tutiores nos redderet, iussit nos omnibus seculi rebus renuntiare, vt eam gloriam immortalem assequeremur. Lucæ 14. g. Merces est gloria Dei, quæ cum illo est, vt scribitur in Apocalyp. c. 22. c. hanc mercedem plenam vocat D. Ioan. Epist. 2. c. 1. c. vers. *8.* & nos gloriam plenam, videte, inquit, vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis, famam quidem perennem parare res ipsæ per se omnes nos admonent, & vt ait Salustius, in proœ. histor. *Is demum vivere, atque animatus qui aliquo negotio intentus præclari facinoris, aut artis bona, famam quærit: Sic homines omnia qua arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parant.* Et duæ feruntur gloriæ illius ad rempubl. viæ: vna pacis & ornamentum artium & doctrinarum: alia, belli, ad societatem hominum tutius conseruandam. Cæterum maximè periculosum est, ne in tam lubrico viuendi genere & gloriæ cupiditate hominum honor nobis delatus acceptus & gratus, nimium euacuet gloriam cælestem, quam speramus, aut eripiat, & ita vacui illa præmium cœleste amittamus. Sic D. Paulus ad Corinth. 1. epist. c. 9. c. vers. 15. cum scriberet se neminem in sumptuum præstationem, dum prædicaret Euangelium oneraſſe, subdit, Non ideo id dicere, vt in posterum sumptus præstarentur, & ita prædicaret: quia accipiendo illam mercedem, alioquin tamen vere debitam, existimaret se mercedem gloriæ cœlestis amissurum, concluditque, *Bonum est enim mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet.* quod ita explicat can. sacerdos, 1. q. *2.* Eo pertinet admonitio ad Galat. 5. d. vers. *26.* ne efficiamur inanis gloriæ cupidi. Modumque tradit, ne κενόδοξοι efficiamur. c. seq. 6. ad Galatas. 2. vers. 3. f. 4. *Nam si quis existimat*, inquit, *se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit: opus autem suum probet vnusquisq; & sic in semetipso tantam gloriam habebit, & non in altero.* Et quod poëta dicebat,

——*tecum habita,*

*Et noris quam sit tibi curta supellex.*

Deinde periculum imminet, ne quum assequuti simus ob res humanas gloriam, ibi sistamus & ad vlteriora Dei, vbi vera gloria, progredi nos pigeat, & vtraque perdamus.

Siqui-

Siquidem priora bona opera, quia in itinere defecimus: Deinde reliqua: quia non proficimus. Et inter Christianos in via non progredi, deficere est. Deficiunt autem à fine opera, quæ verum finem habent gloriam Dei, & Deum, cum sibi quis ea vsurpat, & ad Deum vsque non refert.

*De inani & falsa gloria latius.*

## CAP. LXV.

Gloria vana & falsa dicitur in summa tripliciter, vel
- Ex parte rei,
- Ex parte tribuentis,
- Ex parte recipientis.

Ex parte rei vana quoque tripliciter, dum quæritur ex
- Re quæ non est, vel
- Re quæ modica & paucæ æstimationis est, vel
- Re, quæ digna est ignominia & vituperio.

Ex re quæ non est quærunt sibi gloriam illi ampullati milites, qui, vt scribit Plautus, in principio Militis glorioſi. feriatam tantum gestitant machæram. Vel vt Cicero de Dolabella ait, alligati sunt ensibus, vel eos glutine rubiginis cum vaginis immobiles habent & sine sanguine. Qui nunquam in discrimine vel pugna muscarum gladium eduxerunt, nihilque præter rapinas & stupra in stationibus & hybernationibus admiserunt nobile, tamen titulos sibi fingunt superbè, rapinis ornati, producti ab aratris vel porcis, quorum antea curam gerebant, plane incogniti, tamen laruati & personã aliam, imo nobilitatis maximè, blasphemis, execrationibus & iuramentis sibi induentes, numerantes cõmeatus exercituum, in quibus fuisse se mentiuntur & pugnas commissas, cum interim forsan tempore pugnæ in cauea delituerint, cicatricesq; quasdam aliqui a-

stentant quas forsan p meretrice vaga à similis farinę sociis acceperunt: narrant obsidiones vrbium, quas nec à longe viderunt. Sic statim verbis obtundunt Herculeis, actus Myrmidonum, digni patibulo insigni & altissimo, vt è longiori itinere in throno, quo digni sunt sedeant conspicui cum sua gloria, omnibus coruis & vulturibus in escam. Cum enim maximo cum hominum malo, hominibus famosi satis sunt, inter cælum & terram exaltari, & suspendi merentur. Sunt & huiusmodi inanis gloriæ mancipia, qui se falso nomine familiarum nobilium exornant, vt maiori fauore & cum applausu recipiantur, cuius temeritatis audacia, plures nacti sunt gloriam celebrem: hoc pacto vulgus imo & præstantiores decipientes. Tandem aliqui detecti, sceleris pœnas dederūt. Quorum exempla narrat Valerius Maximus, lib. 9. c. fina, nempe de Equitio, qui Cæsaris familiam vsurpauit, de Erophilo, Equario medico, qui mentitus auum C. Marij pari fauore quo C. Cæsar salutatus est: De alio qui se filium Octauiæ sororis Augusti mētitus est: item de eo qui se Q. Sertorij filium asseruit: vt alius Clodium, alius Cnei Afiidonis filium, vt proprium eius filium hæreditate deturbaret. Et nostris temporibus quidam mentitus vique adeo subtiliter mariti nomen, vt se pro eo ab vxore & proximis viri viuentis & militantis ad huc receptus fuerit, & cum his diu habitauerit, filiosq; genuerit, donec maritus verus, militia solutus, domum repetiit, ab vxore vix agnitus, vt prope videatur fabula, quam refert Plautus, in Amphitrione. Imo non nisi multis exactis temporibus, sub iudicibus, tum inferioribus tum superioribus lite agitata. Donec fraus detecta est, & ipse fictitius maritus capite plexus arresto Tholosano, cuius ego pronuntiato adfui, & hoc arrestum dictum *de Martin Guerre*. Sic enim vocabatur impostor, insertum inter arresta Paponis quod commentario illustrauit Corrasius. Et alij gloriæ causa alia finxerunt, veluti fuit quidam Antonius Picentes, ordinis heremitarum nobilitatus, quod per quadraginta dies & noctes perpetuo ieiunare, ferebatur, quique Italiam, Siciliam, atque Hispanias compleuerat nomine sanctitatis & abstinentiæ, pluribus in locis à custodibus cella inclusus & obseruatus, si ederet, vel biberet, & angelos illum visitare rati. Verum ipsi intus erant candelæ fistulatæ, & in fistulis cannarum concluſa erant tacite farina infarta ex cōtritis Phasianorū & cauponū carnibus, zacharo & aromatibus

bus immixtis. Aiunt & eum cingulum gestasse fistulatum, plenum nectare, quod hypocraticum dicunt, & his epulis clanculum vixisse, vulgi opinione abstinentissimus, hic tandem tamen à vermiculis & à certissimo genere morbi absumptus, animam exhalauit, iactans plurima conuitia in Christum & matrem eius. Mors hypocritæ digna, vt palàm esset vindicatus reatus eius, qui palàm deceperat pios. Narrat hæc accidisse tempore Alphonsi regis Hispaniarum Antonius Panormita. lib. 2. de fact. & dict. Alphon. c 9. Meminit & Iouianus Pontanus lib. 2. de sermo. c. 16. Sunt & tales iactabundi, vaniloqui, simulatores, atque alii huiusmodi, certè similes falsis gemmis, quæ adulteratæ, inter ignaros facilè nitorem & puritatem vnionum verarum mentiuntur, cum tamen in his exercitatos non effugiant oculos, qui probè adulterinum distinguunt colorem. Sunt qui gloriantur ex re quæ nihili est, quiue ex culice, vt dicitur, elephantem mentiuntur. Hi similes mihi videntur puerulis & infantibus, qui vel minima quauis re, zona, vel galero, enficulis, crepitaculis, & aliis crepundiis adeò intumescunt, vt sibi regibus pares videantur: interim tamen puberibus & viris ridiculi. Talis gloria eorum qui gloriantur extra *Deũ* in rebus seculi, sicut vana gloria, visa est Arphaxad regis Medorum qui gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum. hæc gloria certè Ieuis & modici momenti, quanquam & totus orbis illi cederet: breuis enim vita nostra hæc, in qua frui ea gloria nobis non licet, & mortuos in bona & ad finem debitum regulata fuerit, non sequitur. Vt non immeritò Xerxes Persarum rex & Medorum illacrymârit super numerosum exercitum, qui multitudine Scamandrum fluuium siccauerat vnico potu, qui Helespontum & Abidenum nauibus oppleuerat, idque postquam de eo ad Artabanum fuisset loquutus. Sequuta namque gloriationem pœnitentia & tristitia est, ob breuem potentiam & gloriam: vtpote quod ex tam instructo & sapienter ordinato populoso exercitu, nullus ad centesimum annum superfuturus esset, vt narrat Herodotus in Polymnia lib. 7. De reliquis rebus seculi conjicere idem licet, ex quibus nulla vera gloria parari potest: atq; qui illa se præstare putant, mihi similes videntur somnianti Micillo apud Lucianum, in gallo. qui diues sibi videbatur, & abundans per somnum, cùm tamen quotidiano victu ex laboribus procreato, vix satiaretur. Alii qui ex rebus

malis gloriantur, sunt ex genere pessimorum, *Lætantur enim cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*, vt scribitur Prouerbio. c. 2. c. & Prouerbio. 4. c. *non dormiunt nisi cùm malefecerint.* De iis scribitur Psal. 51. *Quid gloriaris in malitia tua, qui potens es in iniquitate.* Et Psalm 93. a. *Vsque peccatores gloriabuntur*, rursum & Psalm. 73 a. *Gloriati sunt qui oderant te Domine, &c.* Et apud Hieremiam c. 48. g. vers. 42. *Et cessabit Moab esse populus, quoniam contra Dominum gloriatus est.* Fuit inter Ethnicos & quidam tanta cupiditas gloriæ sacrilegæ qui Dianæ Ephesiæ incendere voluit, vt opere pulcherrimo consumpto, nomen suum per totum terrarum orbem diffunderetur. Contra cuius tamen gloriam statuerunt decreto iudices, memoriam teterrimi abolendam. Quodque accidisset, nisi Theopompus eius nomē in historiis expressisset, vt narrat Valer. Max. lib. 8. c. 15. Ex parte dantis, quo vana gloria sit, consideratur & dæmon, & homo. Dæmon multis inflat falsis pollicitationibus homines, & quædam parua præstat, vt cœlestia, & vitam nobis adimat, quo genere gloriolæ tentauit Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Matth. c. 4. dum duxit eum in montem excelsum valde, & ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.* Et bone Deus, quot bona quæ non habet, malè agentibus, vt peius agant, pollicetur! Nam magistratibus si conniueant iniqua, iniuria bonos afficiant, pollicetur statim magni alicuius fauorem, qui eos ad altiorem promouebat gradum. Pollicetur remunerationem pecuniarum, & huiusmodi terræ fæces auaris. Si vsuras exerceant, si furentur, & iis qui se nobiles dicunt, si rapiant, si sæuiant, nomen famosum, superbam familiam, posteritatem celebrem: & in reliquis idem conjicere cuique facile est. Dè quibus tamen Dauid loquens Psal. 48. scribit, *Relinquent alienis diuitias suas sepulchra illorum, domus eorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie & progenie, vocauerunt nomina sua in terris suis. Et homo cùm in honore esset, non intellexit & comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est ipsis. Hæc via illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt: sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos: & dominabuntur iusti in matutino & auxilium eorum veterascet in inferno à gloria illorum.* Sic etiā in mundi Genesi, c. 3. decepti primi parentes, gloria ad transgressionem allecti verbis illius, *Eritis sicut Dij*, vtitur namque

Diabo-

Diabolus his fermè dolis, quibus seipsum decepit, dicens, *Ascendam in cœlum, & similis ero Altissimo*, quod tamen nec consequitur, imò & factus omnium creaturarum abiectissima. Esaiæ c. 14. Huic itaque veluti insidianti aduersari debemus, neque quicquam vel boni vel mali ab eo accipere, veriti vt semper suspectus est hostis, ne aliquid mali & veneni latentis insit bono porrecto: est enim malorum subtilissimus ille artifex & transfigurat se, vt fallat, in angelum lucis, vt scribit D Paulus 2. Corinth. c. 11. c. Quamobrem & quia omnia nouit Christus, non sinebat dæmonia loqui, Marci 10. d. quanquam eum confiterentur Christum: sciebat enim morem illorum qui cum vnica vel simplici veritate, multos dolos. & mendacia nocentia fucare soleant. Defert & mundus illam vanam gloriam nobis, vt cùm quis ex diuitiis gloriatur, vt duobus contigit diuitibus. quorum vnus dum vt viueret suauiter, in futurum recondidisset horreis abundantius, nocte vna reliquit insperato, vt scribit D. Lucas Euang. c. 12 c. vers. 16. & sequentibus, & alius purpura, & byssо gloriatus, sepultus in inferno, Lucæ 16. c. Vt Herodes ebrius gloria, vestimento, & admissis vocibus diuinis, vermibus in pœnam subitò correptus. Actuum 12. d. Hanc etiam vanam gloriam seculi expertus Crœsus, qui omnium opulentissimus, & honoratissimus, tandem in captiuitatem incidens, cognouit experientia, in rebus seculi non esse veram gloriam, vt scribit Plutar. in vitam Solonis. Herodotus in 1. Xenophon. 2. Cyripæd. & alii. Corpus quidem bene philosophantiũ in urbe & locis quibusdam habitat, porrò mens hanc vulgarem gloriam, & hæc omnia, parum, imò nullius pretii æstimans, passim volat, vt ait Pindarus, & quæ sub terra & quæ supra terram dimetiens, & arte cœlum transcendens, omnem perscrutatur naturam rerum omnium, quæ ad vniuersum pertinent. His autem quæ propè sunt solis, nullo modo applicans se, vt ait Plato lib. 13. in Theæteto, vel de scientia. Contempserunt & philosophi pecuniam, & bona fortunæ & seculi, etiam Ethnici, paupertatem voluntariam eligentes, & philosophicum esse putantes studium, se paupertati deuouere, vt scribit Seneca libr. 1. Epistol. epist. 17. Aristoteles 1. Politic. c. 8. At Q. Curtius libr. 4. de gest. Alexan. Paupertatem probitatis causam dicit. Multi philosophi, & præstantissimi viri patriam dereliquerunt, domum

domum à se abdicârunt, vt sapientiæ liberius vacarent, ne aliqua laude domestica remorarentur. De Homero, multæ ciuitates adhuc controuertunt, vt scribit Plutar. & Xenophon in eius vita. Vlyssem, propriis relictis peregrinatum per decennium testantur Odysseæ Homeri. Considera scholas antiquorum, & gymnasia, Lyceum, Academiam, Porticum Palladeum, & Odeum, & Peripateticos, omnes alienigenas videbis: è Stagyris, Aristoteles: Theophrastus, ex Epheso: Straton, è Lampsaco: Glycon, è Troade. Ariston, è Cæo. è Phaselis Critolaus. Inter Stoicos Zeno Citieus, Cleãthes Lysius, Solensis Chrysippus, Antipater Tharsensis, Diogenes Babylonius, Athenaensis Archidemus, ad Parthos vsque profectus. Hi sponte quietem sequuti relictis omnibus suis, vt scribit Plutar. lib. de exilio, & Diogenes Laërtius in 1. Anacharsis, regio sanguine Scytico ortus, omniaque seculi contemnens, in Græciam scrutandæ veritatis causa profectus, vt ipse scribit ad Hannonem, & Cicero 5. Tusculã. & Diog. Laertius in 1. eius vitæ. Et Bias Prianeus suis omnibus liberè verbo vno renunciauit, ea sua omnia reputans, quæ secum sine metu prædationis ferre posset, nempe scientiam, dicens omnia sua secum portare, vt scribit Cicero Parad. 1. Et Laërtius 1. in eius vita. Et Diogenes, Cynici omnes, & Zeno, & Crater, reliquique alii Philosophi renunciârunt, veluti impedimentis, diuitiis, vt ait Plutar. libr. de vtilit. capi. ab inimicis Norunt itaque in his inanem gloriam. Cognouit & Dionysius in l. honoribus. l. 9. §. Philosophiam. de vacatio munerum lib. 5. ff. tit. 5. Siciliæ Tyrannus, qui ex Regis deturbatus gloria, coactus est in ludum moderandum literarum descendere Corinthi. vt scribit Trogus Pompeius libr. 31. & Iustinus lib. 21. histor. Hi & alii coacti id experientia nouerunt, & maiorem sectantes forsan laudem terrenam, vel animæ inutile otium. Sed nos Christiani certius nouimus & prædicamus: Et ideo seculi omnia contemnenda, vt gloriam adipiscamur æternam. Præterit enim figura huius mundi, vt ait D. Paulus 1. Corinth. 7. f. vers 31. Et sic hoc mundo vtuntur, tanquam non vtentes. Cùm amicitia huius mundi inimica sit *Dei*, & quicunque voluerit esse amicus seculi huius, inimicus *Dei* constituitur, vt scribit D. Iacobus Epist. c. 4. a. vers. 4. Et quia satius est amicum esse *Dei*, & ei magis obedire, quàm hominibus: mundus, vt Deo inimicus, contemnitur, calcatur, & rejicitur à bonis Christianis, quia ex illius contemptu,

ptu, Dei amor & salus animæ sequitur, vt contrà ex eius amore, omnino indignatio *Dei*. Mundus enim *D*eum non cognouit, hoc est, homines mundo addicti, Ioan. Euang. c.1. & Deus Christus dixit, se non esse de hoc mundo perdito, D.Io. Euang.c 8 d. c.17. b. mundus quę is spiritum veritatis non potest accipere, D. Io. etiam c.14. 1. Hic est mundus, quem *D*. Ioan.1. Epistо c.5.a. totum in maligno positum esse ait: & c.2. iubet ne diligamus eum, & quæ in eo sunt. Quò fit vt quia mundus perpetuò malignus bellum cum Deo gerit, ideo & eum odio habent Sancti *Dei*, quia sancti illum nihili pendunt. *D*.Ioan.Euang.15.c. & 16.d. & c 17. Et ideo *D*. Paulus dicebat factos nos esse, veluti purgamenta mundi 1, Corinh. 4. e. Et alibi etiam, facta tibi omnia esse, veluti stercora, vt Christum lucrifaceret ad Philippen. 3. b. Et rursum ad Galat.6.d. mundum sibi crucifixum, & eum mundo Deus autem Christus, nostrum exemplar, prior odio à mundo habitus, vt c.15.*D*.Ioan. factus opprobrium hominum & abiectio plebis, Psal. 21. b. sequendus, qui non sui causa id fecit, sed nostri: scientes, quia nullam commutationę dabit homo sufficientę pro anima sua, & Quid prodest homini, si vniuersum mundu lucretur, cũ suæ animæ detrimento, Matth. 16.d. Marc.8.d.Lucę 9.b. Ex parte personæ hominum bona gloria quæritur, cùm quis gloriam hominum, quæ pugnat cum gloria vel laude & testimonio Dei præponit. Veluti si quis gloriam capiat, quòd ob cantus lasciuos & impudicos mulieribus fornicariis vel aliis ex grege porcorum, placeat, Quod optimè laudat, quod insigniter maledicat, aut de similibus quæ vetat lex diuina. Vani certè huiusmodi, & gloriæ falsæ alumni & mancipia sunt. Hi enim vt *D*ominus noster Iesus Christus ait Euang. D. Ioan. c. 12. f. vers. 43. *Dilexerunt magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei*. Hanc gloriam maximè obesse sincero iudicio rerum, docuit idem Dominus noster Iesus Christus Euang.*D*.Ioan.c 5 g vers.44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est: non quæritis?* Neque quisquam dubitat hominum iudicia quàm maximè falli & fallere: & ideo cùm hi errare possint & labi, veram gloriam ab iis aucupari tutũ nõ esse, quod animaduertimus in vulgo mutabili, stolido, qui vel laudat vel vituperat, quæ non oportet, vel si iustè laudat, mox ab opinione recedit, quin & odio haberi optimos oportet si optimi, vt omnia scribit Plato li.31.

Diuio.

Dialo. 6. de Repub. Neque vnquam vel vix è millibus vnus reperitur, qui susurro vel aura populari erectus in gloriam, diu, vel vsque ad mortem eam continuatam habuerit. Nam quod vulgus sine ratione probat, eadem leuirate subitò absque ratione improbat, & vt scribit Max. Tyrius sermo. 5. *Adeò hominũ ingenium rem nullam probat perpetuò, semper est querulum, morosum præterea, ac proprijs rebus minimè contentum.* Et Cicero pro Domo sua. *In imperita multitudine est varietas & inconstantia, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio.* Et alibi, pro Murena. *Neq; Euripum, neq; fretum vllum tot mutationibus & agitationibus fluctuum obnoxium esse quot populi mentes habent perturbationes & variationes.* Polybius lib. 11. his adstipulatur dum ait *Talis est plebs qualibet e turba, vt facilè fallatur, & ad quoduis inducatur, vnde illis frequenter idem quod mari accidit. Quemadmodum enim mare sua natura est innoxium rectè vtentibus & firmum: si verò violenti flatus in illud corruerint, tale redditur vtentibus quales sunt venti, à quibus circumquaque impellitur: ita & multitudo talis redditur vtentibus, quales habent duces & consiliarios.* Verùm probos tandẽ fastidit & persequitur nõ alia ratione, quàm qui boni. Testes sunt plures, vt iustus ille Aristides, Phocion, Epaminondas, & alii à populo primum in fastigium potestatis euecti, in mortem vel exilium postea acti: testis ipse Dominus noster Iesus Christus, cui cùm vulgus & vniuersa ciuitas lætabunda occurrens priùs, ei acclamasset cum ramis & summo honore, hosianna filio Dauid, postea sequenti hebdomada ei præposuerunt latronem insignem Barrabã, hunc crucifigi postulantes. Quamobrem apud Senecam, Tragæd. 9. quæ Octauia inscribitur actu 4. Scena 6. chorus Octauiæ optimè sic conqueritur.

*O funestum multũ, populi, dirumq; fauor, qui cum flatu*
*Vela secundo, ratu impleuit, vexitq; procul, languidus idem*
*Deserit alto fauoq; mari, fleuit Gracchos miseranda parens* (scil. Cornelia.)
*Perdidit ingens quos plebũ amor, nimiumq; favor, &c.*

Scribit & Æschilus, Prometheum punitum fuisse & catenis in rupibus religatum asperis, quod nimium cupidus popularis boni & fauoris, Iouem fraudasset. Sic enim ait κράτος καὶ βία ad Vulcanum,

Τοιᾶς

——Τοιᾶς δὲ τοι
ἁμαρτίας σφὲ δεῖ θεοῖς δῶναι δίκην.
ὡς ἂν διδαχθῇ τὼν δίδς τυραννίδα
σέβειν, φιλανθρώπε ἢ παιδεύσῃ τρόπε. I.

——huiusmodi quidem delicti
Oportet ipsum penam dare Deo, vt discat
Iouis imperium magnificare,
Et ab studio humano desistere.

Docetuŕque illa tragœdia, tantum abesse, vt ex λεώργε & φιλανθρώπε, I. δημιαγωγικῦ καὶ ἀνυδρδς atque θερμέργε, sequantur aliqua præmia, quin contra & difficultates & miseriæ, & malæ mortes accidant. Hinc vulgi & populi gloria non aucupanda, & falsa est: quia vt ait Cicero pro Roscio Comœdo. Ex veritate pauca, ex opinione multa existimant. Et pro Planco, non est consilium in vulgo, non discrimen, non diligentia, perpetuóque sapientes ea quæ populus fecisset, ferenda, non laudanda semper duxerunt. Et Persius:

——non si quid turbida Roma
Elevet, accedas: examen vt improbum in illa
Castiges, trutina Nec te quæsiueris extrà.
Mam Romà quis, nouit alsi fas est dicere? hoc
At fas est.

Illud & admonuit Pythagoras symbolo, *Per viam publicam non esse ingrediendum:* quo figuratè subiudicatur, nec dictis nec factis vtendum pro tritis ac vulgaribus, quod præceptum diligenter obseruârunt, quotquot legitimè sunt complexi Philosophiam, vt scribit Philo Iudæus lib. quòd liber sit quisquis virtuti studet. Audiamus & Phallaridis sententiã, is enim ad Hegesippum scribens, epistola græca §8. δῆμος, inquit, ἅπας ἄπιστος, ἄνους, ἄπρακτος, ἐπιμελὴς ἑρότυ τύχοι μετασχόντι, ἄπιστος, ἀβέβαιος, ἐξύς, κεφθονικὸς, ἐφάσμυλος, φώνη μόνον ὠφελὴς, καὶ πρὸς ὀργὴν καὶ πρὸς ἔπαινον ἰσχέρης. 1. *Populus est mordinatus, insipiens, desidiosus, promptissimus in quocunque mutare sententiam, infidelis, non constans, velox, proditor, fraudulentus, voce tantùm vtilis, ad iram & laudem facilis.* Admonet & Xenocrates Platonicus lib. de morte plebis auram vitandam esse, his verbis. *Quin potest*

*esse fœlix, dum ad nutum turba vnius? irridetur, atque explauditur, quasi ludus quidam & fabula vulgi, concussus, exsibilatus, multatus, miserabilis atque perditus. Vbinam ciuilis Miltiades obiit, vbi Themistocles, vbi Ephialtes, vbi reliqui duces? populus, ô amice Socrates, ingratus, irritator, infensus, crudelis, inuidus, rudis, ex confluenta turba atque nugis coacernatus. Et quisquis huic familiariter se accommodat, longè est illo miserior.* Ex parte eius qui accipit, sequitur inanis gloria, ex præsumptione, hypocrisi, iactantia, inobedientia, simulatione. Quidam enim de se præsumunt, & gloriantur, non quemadmodum & quatenus, & quando oportet, vel erga quos, & de quibus oportet. Idque fit vel verbis vel factis. Deinde inanis gloria ex parte accipientis: dum patitur gloriam in se consistere, & sibi eam vsurpat veluti debitam, cùm tamē eam ad Deum rejicere debeat, & agnoscere se vilem puluiſculum, neque quicquam sua virtute mereri, vel dignum minima laude esse.

*De abaco gloriæ.*

## CAP. LXVI.

| *Synopsis eorum qui gloriam veram, vel inanem referunt.* | *Hiis repugnant.* |
|---|---|
| 1 Ambitio. | Infœlicitas. |
| 2 Arrogantia. | Obscuritas. |
| 3 Beatitudo. | Dedecus. |
| 4 Celebritas. | Priuatio vitæ. |
| 5 Decus. | Infamia. |
| 6 Dignitas. | Memoriæ damnatio. |
| 7 Fama. | Obliuio. |
| 8 Fœlicitas. | Damnatio. |
| 9 Festa. | Tristitia. |
| 10 Gaudium. | Inhonoratio. |
| 11 Honor. | Iniuria. |
| 12 Iactantia. | Calumnia. |
| 13 Laus. | Contemptus. |
| 14 Lux, & Lumen. | Vituperium. |
| 15 Maiestas. | Tenebræ. |
| 16 Nobilitas. | Populare. |
| 17 Ornamentum. | Ignobile. |

18 Pul-

| | |
|---|---|
| 18 Pulchritudo omnis. | Inornatum. |
| 19 Remuneratio. | Deforme. |
| 20 Splendor. | Exilium. |
| 21 Superbia. | Pœna. |
| 22 Triumphus. | |

Sed percurramus horum breuiter probatiunculas, vt cũ ratione in sermone addatur authoritas scribentium.

Ambitionem & arrogantiam esse vanam gloriam suprà diximus in falsa gloria & in mendacii tabella.

Beatitudinem esse gloriam veram suprà quoque docuimus, cùm de vera gloria loqueremur. Item in bonitatis synopsi de ea aliqua notata. Ex quibus infœlicitatem damnatorum, esse inglorium quoddam, satis ex oppositorum collatione colligimus. Nam qui damnati in perpetuum erant, exposi ab omni beatitudine, & in seipsis & apud omnes ludibrio erunt & contemptui, iuxta propheticum sermonem, Psalm. 48 *Homo cùm in honore esset, non intellexit, & comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Dicentque cum Iob c. 3. a *Pereat dies in quo natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo.* Et cũ Hieremia c. 20. d. vers. 14. *Maledicta dies in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea non sit benedicta. Maledictus vir qui annunciauit patri meo, dicens, natus est, & quasi gaudio latificauit eum. Sit homo ille vt sunt ciuitates quas subuertit Dominus, & non pœnituit eum, audiat clamorem mane, & vlulatum in tempore Meridiano, qui non me interfecit à vulua vt fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulua eius conceptus æternus. Quare de vulua egressus sum, vt viderem laborem & dolorem, & consummarentur in confusione dies mei?* Et quia qui perpetuis ignibus cruciandi traduntur, à Deo iudicantur & expoliantur omni honore, ideo confusio maxima & nulla gloria illis: Sic enim ait Hieremias c. 17. b. vers. 13. *Expectatio Israel Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te in terra describentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* In terra autem scribere est obliuioni dare, & in albo vili & inglorio nomina illorum ponere. Terra namque est veluti fex omnium elementorum, corruptione omnia deuorans & varians, & noua, sine gloria producens antiqua: vnde & ignobiles filii terræ dicuntur, & quia, vt scribit Euripides, ἄφιλον τὸ δυσυχὲς, qui infœlicitate capitur, priuatur omnibus amicis. id experiuntur

potissimùm damnati apud inferos, qui tortores tantùm, nullos autem vel laudatores vel suffragatores habent. Sicuti nec Dives sepultus in inferno, vel guttulam aquæ, qua linguam refrigeraret incendio pœnæ flagrantem, impetrare potuit: vt scribitur Lucæ 16. Et Plutarchus lib de sera numinis vindicta scribit, animas damnatorum in orco sub terram tristes, à bonis repulsas, nigras, ignobiles, obscuras, & tenebrosas. Atque illud est, *Opprobrium sempiternum*, quod iniquis dedit Deus Psal. 77 g. & quod Daniel scribit c. 12 a vers. 2. *Et multi de his qui dormiunt in terra pulueris, euigilabunt, alij in vitam aternam, alij in opprobrium, vt videant semper.* Sed & Dei est sententia generalis. 1. Reg c. 2. f. vers. 30. *Quicunq;* inquit *honorificauerit me glorificabo eum: qui autem contemnēt me, erunt ignobiles.* Porrò damnati omnino visione & Dei gratia priuabuntur, quæ vera est gloria, ipsique mittentur in tenebras exteriores. Matth. c. 8. 22. 25. Deus autem lux est. Quamobrem sequitur & gloria illos priuandos, quod & Plutarchus docet in fine libelli λάθε βιώσας.

Celebritas est frequentia hominum, & cœtus in honorem alicuius congregatus: item famæ illustratio, de quibus in fama & festis agemus Deo fauente. Obscuritas per contrarium, est occultum quid, de quo nec fama nec honos, & per consequens nec gloria.

Decus 5. & dignitas 6. referuntur ad ea quæ vulgò honorantur. & à multis: quamobrem & gloriam hinc pendere, nemo addubitat. Neque potest dici decens, quod ab vno solo, sed quod à pluribus tale esse iudicetur. Quod autem decet, laudabile est & bonum, vt diximus in Syntagmate bonitatis in verbo accommodum. Quod autem laudabile apud plures est, gloriosum est, vt diximus in finitione gloriæ. Sequitur igitur, decus ad gloriam pertinere. Et Cicero 1. de Officiis vbi agit de temperantia, decori esse ait, quod conueniat hominis excellentiæ, quæ excellentia gloria est hominis: in eo enim nos natura à reliquis animalibus distinguit. Dignitas etiam, honor, & laus & comprobatio populi est, vt diximus in bonitatis synopsi, dum de dignitate ageremus. Porro non omnis dignitatis gloria vbique æqualis est: nam alij alia digniora existimant, & magis gloriola per consequens: nam Democratici libertatem præferunt: Oligarchici, diuitias: Optimates, virtutem, vt scribit Aristoteles libro 4. Ethicor. ad Eudem. Priuata vita, in

gloria

gloria est: quis à frequenti hominum consortio aliena est. Et ideo incognita nunc non laudatur, & si fœlix & gloriosa futura sit in vltimis diebus, in quibus reuelabuntur abscondita tenebrarum, & publicè quisque boni operis accipiet mercedem cum laude. Sic Deus bonos admonet, ne bona quæ agunt, prædicent & iactent, ne dum ea faciunt, tubis canant, vt videantur, néue sciat dextera quid faciat sinistra, Matth. 6. Pollicitus pro bono abscondité facto, publicè nobis redditurum mercedem. Vnde poeta:

*Bene vixit, qui latuit, & intra*
*Fortunam debet quisq; manere suam.*

Erat sententia illa præclara Apollonij Tyanei Philosophi Pythagorici apud Philostratum libro 8 in eius vita, λάθε βιώσας, εἰ δὲ μὴ δήναιο, λάθε δοὺς βιώσας, i. Latè cùm vixeris, sin minùs id potes, latè cùm sis è vita discessurus. Scilicet ne velis videri quod non es, ne te supra modum extollas. Sic enim ita intelligenda sententia illa Epicuri, quam alio tamen sensu improbare nititur Plutarchus proprio libello λάθε βιώσας, Neque enim gloriam nobis aucupandam vel vsurpandā in hoc seculo docui. Fama multorum est hominum circa laudem consensus, vel vituperium: pro vtroque enim & pro malo sumitur, dum illud, multorum ore effertur. Sic enim accipit Virgilius 4. Aen.

*Fama malum, quo non aliud velocius vllum,*
*Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo.*
*Parua metu primo, mox sese attollit in auras,*
*Egreditur q; solo, & caput inter nubila condit.*
*Illam terra parens ira irritata Deorum*
*Extremam, vt perhibent, Coo Enceladoq; sororem*
*Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis.*
*Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore pluma,*
*Tot vigiles oculi, subter, mirabile dictu,*
*Tot lingua totidem ora sonant, tot subrigit aures.*
*Nocte volat, cœli medio terræq; per umbram,*
*Stridens, nec dulci declinat lumina somno.*
*Luce sed & custos aut summi culmine tecti,*
*Turribus aut altis, & magnas territat vrbes:*
*Tam ficti praui q; tenax, quàm nuntia veri.*

Et Ouidius lib. 12. Metamor. scribit locum esse, ad quem omnia confinia mundi concurrunt, & quod,

*Fama tenet, summaq; domum sibi legit in arce,*
*Innumerosq; aditus, ac mille foramina tectis*
*Addidit, & nullis inclusit limina portis.*
*Nocte dieq; patet, tota est ex aere sonanti,*
*Tota fremit, vocesq; refert, iteratq; quod audit, &c.*

Hæc fama, si bona sit, gloria est: quam Græcè ideo vocant εὐδοξίαν, i. bonam gloriam, vt scribit Cicero lib. 3. de Finib. Et hanc facere ad gloriam docet Plato Epist. 2 scrib. ad Dionysium Syracusanum. *Fit natura quadam*, inquit, *vt ignauissimi homines nihil curent, quæ sit de ipsis futura opinio: probatissimi autem viri, cuncta faciant, quo in futuris seculis bene inter homines audiant.* Notandum tamen aliquam differentiam esse inter famam, rumorem, laudem, & gloriam: quamuis promiscuè interdum accipiantur. Quia fama, est communis opinio vel æstimatio de aliquo, ex coniecturis verisimilibus proueniens. Ex qua tria in fama annotamus requiri; primum, credulitatem & opinionem communem. 2. quòd ea sit ex coniecturis probabilibus. 3. quod voce manifestetur. Quibus differt à rumore, qui ab incerto authore, & absque credulitate siue æstimatione, neque à communi opinione, vel maiori parte est. Differt fama à laude, quod laus semper cum bonorum approbatione fit, vel debeat dici: fama autem & in malum fit, & bonum. Quanquam & fama mala, infamia dicatur. Atque gloria est, veluti corona & effectus laudis & honoris, vt diximus. Et ideo contendimus, vt paremus nobis bonam famam. Dicitur enim, *Habe curam de bono nomine*, Eccl. c. 41. & Hesiodus admonet in fine ἔργων.

---δεινὴν δὲ βροτῶν ὑπαλύσθαι Φήμην·
Φήμη γάρ τε κακὴ πέλεται, κούφη μὲν ἀεῖραι
ῥεῖα μάλ', ἀργαλέη δὲ φέρειν, χαλεπὴ δ' ἀποθέσθαι.
Φήμη δ' ὀύτης πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα πολλοὶ
ἀεὶ φημίζωσι, θεὸς νύτις ἐστι καὶ αὐτή. 1.

*Grauem verò mortalium euitato famam:*
*Fama enim & mala est leuis quidem leuatu*
*facilimè, molesta verò portatu, difficilis q; depositu.*

Fama

*Fama verò nulla prorsus perit, quam quidem multi populi*
*Diuulgant: quippe Dea, vt ipse loquitur, quadam est & ipsa.*

Fœlicitatem 8. veram gloriam suprà docuimus, cùm de vera gloria egimus. Quæ autem sit vera fœlicitas, tractatum est in bonitate.

Festa. 9 celebrationem gloriæ, honoris vel laudis, vel alicuius actus memorandi, repræsentare memoriam, nemo est tam nouus qui ambigat. Nam & hic mos, & causa festorum etiam apud Ethnicos fuit, vt non illepida sit antiquorum fictio, qua celebritas dicitur Solis filia, vt scribit Marcianus lib. 2. Nuptiarum quia quæ celebrantur, sub Solis lumine propalantur & innotescunt palàm cunctis. Et festi dies celebritates dicuntur. Quamobrem Romæ receptum erat, vt esset vnus præfectus vrbis, qui feriis celebrandis præesset: quod tamen officium intermissum est eo anno quo ciuile bellum cæpit Cæsaris & Pompeii, & apud prætores fuit, vt scribit Dion Cassius libr. 41. Historiæ Romanæ. Fuerunt ante dies festi dicti, quòd lætitia in his & gaudium contingat, vtpote quiescentibus ab opere corporali hominibus, vt Deo sacrificent, vel animo quippiam venerentur, vt scribit Hesiodus in principio dierum. & Tibullus lib. 1. Elegia eleg 2.

*Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,*
*Et graue suspenso vomere cesset opus.*
*Omnia sint operata Deo, non audeat vlla*
*Lanificam pensis imposuisse manum.*

Abstinuisse & à venatione in festis diebus profanos Ethnicos constat ex Suetonio, in Caligula c. 5. Dum scribit, regem regum Megestanum, in morte Germanici abstinuisse à venandi exercitatione & conuictu, idque esse apud Parthos lustitii instar. Affirmabant sacerdotes pollui ferias, si in dictis opus aliquod fieret: præterea regem sacrorum flamines q; non licebat videre feriis opus fieri. Et ideo per præconem denunciabant, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens multabatur. præter multam verò affirmabant, eum qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere: prudentem expiare non posse Scæuola Pontifex asserebat. Non tenebatur autem hac lege, qui aliquid feciſſet sacrorum causa, vel pertinens ad vrgentem

vitæ necessitatem, vel generaliter responso eius Scuolæ, quod omissum noceret. Sic feriis licitum erat adhibitis operi bouem in specum decisum retrahere, ouem morbidam purgare & sanare, vt omnia scribit Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 16. & Columel. lib 2 c. 22. de re rustica. Verba hæc de re Virg. 1. Georgi. refert.

*Fas & iura sinunt, riuos deducere nulla*
*Religio vetuit segetis præstendere sepem,*
*Insidias auibus moliri incendere vepres.*
*Ballantumq; gregem fluuio mersare salubri.*

— 1. Salutis, non lauandæ lanæ causa.

Permittit etiam feriis far pinsere, faces incidere, candelas sebare, conductas vineas colere, prata sicilire, stercora æquare, fœnum in tabulata componere, mala, pyra, ficos pandere, caseos facere: permittitur veteres fossas purgare, piscinas & lacus. Qua ratione & Macrobius vbi suprà existimauit vxores viduas licere ducere, in feriis, vt veteres fossas purgando, minimè autem virgines, quia feriis vis omnis, & nouum opus vetatur. Scribit quæ agenda & non agenda feriis rustico etiam Cato lib. de re rust. cap 2 Prohibentur & diebus festis iure canonico & ciuili mercaturæ, litigia, opera manualia, nisi ob summam necessitatem, in can 1. in c. licet, c. conquestus de feriis, libr. 2 Decretal. titul. 9. & tota 15. quæst. 4. in 2. par. Decret. Grati. & can. 1 de consecrat. dist. 3 Apud Honorium & Theodosium prohibentur etiam festis litigia, operæ manuales, spectacula tristia: in l. fin. de feriis lib. 3. C tit. 12. opera tamen ruralia & necessaria permittuntur à Constantino, in l. omnes, l. 3. eod. tit. Prohibetur & festis diebus opus seruile: Leuiti. 23. a. & E. & F. Exodi 22. Deuter. 16. permittitur & in his à Deo Christo necessaria & peritura curare. Matth. 12. a. Marci 2. d. Ioan. 7 b.

Qua in re Iudæi nostro tempore, & tempore Domini nostri Iesu Christi decipiebantur, qui Sabbathum & legalia festa vsque adeò superstitiosè obseruant, vt scribitur in eorum מצורת לא תעשה *mitzoth lo tagnasse*, 1, in præceptis negatiuis, potissimùm præcep. 65. 69. 75 vbi prohibent diebus festis vltra iustè vetita, non ambulandum super herbam, non conscendendam arborem, neque equum, non ponendum pomum ad ignem, non sudandum, non lauandas manus, non venandos pulices hinc inde saltantes, secus si pungerent: non legendum ad lucernam, nisi duo

simul

simul legant: nihil eripiendum domo, si incendium sabbatho incidat: non auferendam sellam ab equo, non edendum ouum, quod gallina sabbatho ederit, lectum non esse sternendum: non educendum pecus lapsum manibus à foutea: non eliciendum ignem, non suffiendum solle, non purgandos dentes, & cæteria huiusmodi vana: inter quæ & vtilia & bona quædã, vt prohibitio congressus maritalis, quem & Ethnici prohibuerunt diebus festis, vt scribit Iuuenalis Satyr. 6.

*Ille petit veniam quoties non abstinet uxor*
*Concubitu sacro obseruandisve diebus.*

Et Tibullus, libr. 1. epist. 2.

*Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris*
*Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus:*
*Casta placent superis puraque veste Venus,*
*Et manibus puris sumite fontis aquam.*

Nec poterant manducare panem Deo oblatum in templo Dei, nisi mundi à mulieribus, vt scribitur 1. Reg. c. 2 feriæ autem quædam sunt publicæ, quædam priuatæ. publicæ sunt dies Festi qui ab omnibus, qui regionis, vel imperii, vel religionis sunt, celebrantur, & quibus quiescunt homines à laboribus. Sic enim scribit Macrobius lib. 1. c. 16. festi dies diis (quos vocabant) dicati, sunt professi hominibus ad administrandam rem priuatam publicámue concessi: alii intercisi Deorum hominumq; communes erant. Festis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ. profestis & fastis, comitiales, quibus licebat agere cum populo, comperendini, stati, peculiares, &c. Publicarum feriarum genera sunt quatuor, stativæ, conceptiuæ, imperativæ, aut nundinæ. Stativæ sunt, quæ vniuersis populis communes sunt certis & deputatis diebus celebratæ, ex fastorum annotationibus, quæ in honorem alicuius communiter fiebant: vt Agonalia, Carmentalia Lupercalia, & Græciæ illa præcipua, Isthmia, Pythia, Olimpia, Nemea. Quorum gloriam celebrat Pindarus quatuor libris Et apud Christianos quæ vbique celebrantur terrarum festa, quæ numerantur in c. conquestus de feriis lib. 2. Decretal. tit. 6. vt Natiuitas Domini, S. Stephani, D. Ioan Euangelistæ & alia similia. & apud Valentinianum, Theodosium & Archadium in l. omnes dies, l 7. de feriis lib. 3. C. tit. 12.

Conceptiuæ feriæ erant quæ quotannis à magistratibus & Sacerdotibus concipiebantur in dies vel certos, vel etiam

incertos vt erant Paganalia, Compitalia. 2. Latinæ sementinæ feriæ, his annumerentur feriæ vindemiarum, quas præsides prouinciarum cum feriis messium solebant prouincialibus statuere, vt scribit Paulus Iurisconsultus in l. præsides, l. 4. de feriis lib. 2. ff. tit. 12. quas tamen ferias dicebant tantùm solennes, non in gloriam Dei vel aliquorum determinatas, sed vt possent rei rusticæ vt colligendis fructibus homines vacare.

Imperatiuæ feriæ erant & repentinæ, quas olim prætores vel consules pro arbitrio indicebant extra vsum assuetum. Quarum tamen indictionem postea Constantinus ad principis authoritatisque principalis potestatem restrinxit, vt illis cæterisue iudicibus non liceret indicere: vt scribitur in l à nullo, l. 4. de feriis lib. 3. C. tit 12.

Nundinæ sunt paganorum feriæ, ea ratione destinatæ, vt sibi de necessariis prouideant. Priuatæ aliæ feriæ, vel alicuius pagi, vel familiæ, sicuti & hodie celebrantur martyrum solennitates in quibusdam locis, in quibus vel prædicârunt, vel præfuerunt, vel sacræ reliquiæ extant, quorum tamen alibi generaliter non fit celebratio, & ex voto vel consuetudine aliqui quosdam sanctos speciali cultu prosequuntur, quorum diem & aduenientis annualis celebrationis colunt religiosè & sanctè, sicuti & manes particulares erant familiarum feriæ Claudiæ, Aemiliæ, Iuliæ, Corneliæ, & similes. Honor certè & celebritas similes ferè, sed dispar tamen causa inter festa antiquorum, & nostra. Nam illi ea celebrabant ob mortalium laudem: nos martyrum & sanctorum celebramus gloriam ob Dei & religionis admirandum cultum. admiramur autem illorum virtutem, & acta recensemus heroica, vt illos imitemur, & vt honor *Dei*, qui per tam præclaros seruos innotuit, augeatur in populis, & videatur mirabilis Deus in sanctis suis & gloriosus in maiestate sua. Celebramus & dies alios vt Paschatis, Natalis Domini, Pentecostes, Ascensionis, & huiusmodi, vt beneficia Dei recolamus, recolentes vt gloriæ eius altitudinisque diuinæ participes simus, gratias in his diebus de tot acceptis beneficiis agentes. Sed de feriis, festis, & profestis diebus plura à nobis tractata inuenies libr. 2. Syntagmatis Iuris vniuersi, c. 16. Gaudium 10. constituimus inter ea quæ gloriæ sunt, & quòd gloria illa sit cum gaudio: gaudet enim qui frequenti laudatione se audit honorari, vnde gloriã dicere possumus esse gaudium, lętitiam

quan-

quandam & voluptatem, quam quis ex laude percipit. Diximus, & de gaudio supra dum de appetitu loqueremur cũ ageremus de eius prædicabilibus.

### *De luce & lumine.*

### CAP. LXVII.

QVia constat gloriam esse claritatem, & lucem rerum, non est quod dubitemus, & ad gloriam perspicuitatem omnem pertinere: nam manifestatio rei si probetur, laudabile est. Et glorioſum illud medium, per quod manifestum fit. hinc Plutarchus in libello λαθε βιωσας hominem os apparendi cupiditatem & gloriæ ambitum, Phota, id est, lucem dici tradit, omniaq; lucem ideo appetere & tenebras refugere. Lux est claritas, perspicuitas colorumq; flos quidam, & vigor, quasi vnicolor actu, virtuteq; omnicolor vt definit Marcilius Ficinus lib. de lumine cap. 2. Sed secundum Carollum Bouillum Samarobrillum in Introductorio perspectiuæ, lux est omnium visibilium primum quæ per se cæterorum visibilium species visu profert. Eius oppositum, est simplex, eius priuatio (quæ tenebræ dicuntur) quæ visibilium rerum species à visu intercludit: sicuti vmbra est lucis à corpore opaco interceptio. Vitellio lib. 2. optices in finitionib. diuidit lucem in primam, secundam & minimam, lux autem prima est illa quę efficit secũdam: sicuti lux domum intrans per feneſtram & illuminans domum reſiduam in loco cui incidit, dicitur lux prima, in angulis verò domus, dicitur lux secunda: lux minima dicitur, quæ si diuidi intelligatur, non habet amplius actum lucis. Omitto nunc D. Basilij Magni 6. Homil. examer. & D Augustini super Gen. 5. ad literam finitiones sufficiunt enim priores. A luce luminis fit fluxio: nam & lux ante lumẽ, sicuti & lux creata ante solem & lunam & stellas quæ dicuntur luminaria. Primo namque die creationis, vt scribitur Genes. 1. lux facta est dicta אור *or*: Secundo die factum firmamentum, quod vocant hebræi רקיע *rakiagn*, ac si dicas extensionem: extendit enim cœlum, sicut pellem. Psal. 103. Et hoc diuidit aquas ab aquis, quæ supra & infra sunt ideo vocauit לרקיע שמים *larakiam Schanaim*. Cæterum tertio die fecit luminaria magna solem & lunam, & stellas. luminaria Hebræis dicta מורות *meorot* corpora lucis. Nam

vt idem D Basilius magnus exameron homil. 6. scribit, ante solem & lunam, lux: sed eorum corpora & stellarium facta sunt veluti solis vehicula, & ideo Moses ait in Genesi, facta esse, vt præessent diei & nocti. Idem scribit Iulianus Episcopus Africanus. commentario in Genesi & alij. Lux itaque luminis fons & genus: lumen, lucis species. Splendor autem non lumen, sed defluxus quidam à lucis substantia. Color etiam lux est opaca. Lumen porro variatur, ratione corporum quibus sese lux miscet, & lucis candor. Quamobrem lumen dicetur spiritalis quædam & subita, & latissima à corporibus naturæ eorum sine detrimento proprio emanatio: nitoris scilicet cuiusdam adiaphanis, id est, transpicuis: coloris autem, ab eorum oppositis: quantitatis figuræ motusque ab omnibus, Est & lumen, medium inter visum & colorem, id est, causa quod oculus vidit, quæ vidit: vt scribit Plato libr. 31. dialo. 6. de repub. vel de Iusto. Proprium luminis facere, & demonstrare. Proinde tres species luminis ponimus, vt aliud diuinum, aliud intellectuale, aliud visibile sit lumen. Sic tres luces, lux diuina Deus. causa aliorum intellectualis, angelica visibilis, cœlestis, & fulgor solaris. Quemadmodum autem sol visibilis hic conspicuus, vniuersam mundi machinam suo splendore illustrat: sic & sol ille supercœlestis, quia omnia ei inferiora sunt, suo lumine omnia illustrat. Sic lumen in angelo, diuini luminis actus est imago: ita & lux quæ inest soli, imago est actusq; mentis angelicæ. Sed postrema visibilis, aliæ inuisibiles. Et ideo Iulianus Platonicus Salab lib. de sole descriptioni trium superiorum cœlorũ addit ex Phœnicum theologia, visibile lumen, esse diuinæ angelicæve intelligentiæ actum quendam perennem, per fenestram solarem ad oculos emicantem, atq; inde per materias passim perspicuas, quasi conuenientes sibi, diffusum. Si quis Iulianum non inueniat, legat Marsil. Ficin. in arg ad dialo. 7. Plato de rep. Sed & authoritas diui Dion. Areopagitæ confirmationẽ affert sufficientẽ, is enim scribit lib. de eccl. Hierar. c. 13. *deum cunctis illuminatis esse principium illuminãdi natura & vere & proprie vt luminis essentiã, & ipsum esse, & videndi causalẽ.* Et paulò pòst. *lucet autẽ per singula, secũdũ per prima, & sic oportet dicere, primo ex occulto ad manifestum ducitur per virtutes primas.* Non enim possibile est, vt idem scribit, cap 1. de ecclesiast. Hierarch. lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum

vt per

vt per visibilia, inuisibilis bonitatis gratia transfundatur. Et ita luciformes reddimur participatione primę lucis, quod & alibi repetit li. de diui. nom. c. 1. & c. 1 de eccl. Hierar. Sic Ieremias c 31. f. vers. 35. *hæc dicit Dominus*, inquit, *qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ & stellarum in lumine noctis &c.* Et quia lumen omnia fouet atque delectat sicuti contristãt tenebræ: ita & qui proximiores lumini primo, quod super lumen omne est, scilicet qui Deo propiùs accedunt, illi maiorem consequuntur gloriam, eximius gaudium, & ampliorem candorem. Ideo Ieremias vt desolationem futuram grauem & tristem ostenderet, dixit, Deum perditurum etiam lumen lucernæ. c. 25. c. Et contra Baruc. c. 5. in fine lucem pro iucunditate vsurpat, dum ait, *Adducet Deus Israel cum iucunditate in lumine maiestatis suæ, cum misericordia & iustitia quæ est ex ipso* Tobias dicebat c. 5. b. *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo?* Gloria itaque maior illa est eorum, qui cum Deo iam conregnant. Est enim ille pater luminum, vt D. Iacobus scribit c. 1 c. vers 17. *Et lumen ad reuelationem gentium. & ad gloriam plebis suæ Israel.* Lucæ 2. ver. 32. Et qui sequitur illum, non ambulabat in tenebris, sed habet lumen vitæ D. Ioan. c. 8. versu 12. Quamobrem & D. Petrus 1. epist. cap 2. ver. 10. tradit Deum Christum de tenebris nos vocasse in admirabile lumen suum, quia Deus lux est, & non sunt in eo tenebræ. 1. Io. cap. 1. Sic & beati, quia vt scribitur Apost. 22 6. à domino illuminabuntur, & regnabunt in secula seculorum, fulgebunt, & tanquam scintillæ *in arundineto discurrent, Sapien. c. 3. b. & tanquã stellæ, Daniel. 12. b. & vt Sol.* D. Matth. cap. 13. f. Contra inglorij, quique perpetuò contemnentur, damnati in tenebras mittentur exteriores. *Et impii in tenebris consticscent. 1 Re. 2. b* Exprimit Plato in descriptione inferorum, dum Eri sermonem recensct, lib. 31. in dial 10. de republica & Virgilius, lib. 6. Aeneidos & Plutarchus in orat. consolato. ad Apollonium, dum agit de Solei sermone. Et Cicero, in Somnio Scipio. Etenim ibi loquuntur & de beatorum splendore & inferorum tenebris. & Euripides In Iphigenia in Aulide act. 4. citra medium:

τὸ φῶς τὸ δ' ἀνθρώποισιν ἡδὺν βλέπειν
τὰ νέρθε δ' οὐδείς. μαίνεσθαι δ' ὃς ἔνχεται.

Θανεῖν

Θαρρεῖν. κακῶς ζῆν κρεῖττον, ἢ θανεῖν καλῶς.
*Hæc lux mortalibus aspectu iucundissima est:*
*Sed infera loca nemo cernere cupiat: Infamus autem quis precatur vel optat*
*Mori. Male autem viuere satius est quam bene mori.*

Et Hesiodus in oper. & diebus vocat mortem nigram & atram dum loquens de subactis gigantibus ait,

νώνυμοι. θάνατον δὲ, καὶ ὀκνὺς πάγλυς περ ἐόντας
εἶλε μέλας. λαμπτὸν δ' ἔλιπον φάος ἠελίοιο.
*Ignobiles. mors vero & sistupendos existentes*
*Cepit nigra. splendidum vero liquerunt lumen solis.*

Et Homerus Iliad 8. ver. 13. in oratione Iouis minantis pœnas deiculis, si opem ferrent Troianis, describit etiam inferorum locum nigrum, dicens, tunc iuuantem sauciabo,

ἢ μιν ἐλὼν ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα,
τῆλε μάλ', ἦχι βάθιστον ὑπὸ χθονὸς ἔστι βάραθρον
ἔνθα σιδήρεαι καὶ πύλαι, καὶ χάλκεον οὐδός,
ὅσσον ἔνερθ' ἀΐδεω ὅσον οὐρανὸς ἐστ' ἀπὸ γαίης.
*Aut ipsum rapiens, proiiciam in tartarum obscurum*
*Procul valdè: vbi profundissimum sub terra est barathrum:*
*Vbi ferreæ, & æreum pauimentum,*
*Tantum sub inferno, quantum cœlum est à terra.*

Sic Polydori etiam vmbra apud Euripidem statim in principio Hecatæ testatur de tenebris inferorum,

ἥκω νεκρῶν κεύθμωνα καὶ σκότου πύλας
λιπὼν, ἵνα ἅδης χωρὶς ὤικισται θεῶν, πολύδωρος.
*Adsum profunda manium, & tenebrarum portas*
*Relinquens, vbi Phœbo à Deis, (putatitiè) degit procul, Polydorus.*

Porro cur mors atra videatur, & ideo pullati incedant qui funera persequuntur, satis ex his apparet, quia mors est partus peccati, in quacunque die comederis morte morieris. Gen. 2. ver. 17. Peccatum autem separat nos à Deo, & à Dei claritate & splendore. Esaiæ c. 49. a. opponitque orationi nostræ & inter se & nos, ob peccata nubem, quæ illam claritatem in nobis descendere non permittit, vt ait Hieremi. In lamenta c. 3. f ver. 44. Ideo apud Iesaiam, c. 44. d. vers. 22. de reconciliatione dicitur, *Deleui vt nubem iniquitates tuas,*

*& quasi*

*& quasi nebulam, peccata tua.* Ea ratione dum peccata remittuntur, sic q; reconciliatio cum Deo, *dealbari* dicimus, vt Dauid exprimit psal. 50. *Amplius lauame ab iniquitate mea.* Et rursum *Asperges me domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super nivem dealbabor.* Et apud Iesaiam c. 1. c. vers. 18 de iis qui ad Deum reuertuntur: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Deliquium in nobis patitur itaque propter peccata nostra, ille sol diuinus, & iterum lucet, dum ab iis mundamur. Vtque lucent magis, qui soli clariori exponuntur: ita & beati fulgidi & Angeli, & inter eos ardentes Cherubim & Seraphin visi quòd claritati propius ministrent. In terra hac vnita anima corpore isto adhuc opaco, non ita fulgida, nec illustres nos æquè Sed alij plus, alij minus, prout beneficium Dei emicuerit. hinc rumor, fama, & reliqui gloriæ stipatores, quæ omnia intelligentiæ sunt claritatis, ad exemplum visibilis luminis, in quo triplex lumen reperitur, directum, reflexum, fractum, vt diximus in Optica libro 14. Syntaxeon artis mirab. c. 6. & sequentibus. Sic in intelligibili lumine, gloria vel claritas directa est, quæ à nullo controuertitur, sed directò sine impedimento propalatur, & sine ambiguitate, eaque perfecta: reflexam autem voco eam, quæ ex alio in alium reflectitur, vt ea quæ est generis, in qua radij nobilitatis patris reflectuntur in posteros, filios, & vxorem, quæ vtitur dignitate & claritate maritali, vt scribit Vlpia in l. fœminæ nuptæ, l. 9. de senato. libr. 1. & tit. 9. Iustin. in §. 1. de consulibus in Authen. coll. 4. tit. 3 & l. mulieres l. 13. de dignitatibus lib. 12. & tit. 1. Et Augustus in l fin. de maneri. & incolis lib. 10. C. tit 39. cum similibus. Item & gloria reflexa illa dici potest, ex qua honor & præmium reuertitur ad ipsum clarum illa claritate. Sic dicebat Dauid, *Et reuertetur oratio mea in sinu meo*, psalm. 34. b. Et apud Diuos Marcum 10. b. & Lucam 10. b. *Dicite pax huic domui, & si fuerit ibi filius pacis, requiescet super illum pax vestra: si autem non receperint vos, pax vestra ad vos reuertetur.* Gloria fracta est, dum eo tramite quo cœpit, non currit claritas, sed diminuitur vel alterius mali, vel obliuionis immixtione, veluti corpore opaco lumen frangitur, & alia quam sit, apparet.

*De nobilitate, Ornamento, & Pulchritudine.*

## CAP. LXVIII.

DE nobilitate diximus supra in bonitate. Est autem illa breuiter vel sua, vel maiorum. Cicero, cum illi maiores exprobrarentur, quod obscuri essent, à se initium nobilitatis accipere respondit, & maiorem sibi gloriam duxit, aliis dare, quam ab aliis accipere. orat. contra Crisp. Salustium habita. Quin & vt dicebat Marius apud Salustium, in bello Iugur. *alij tantum abest vt meliores habiti fuerint maiorum nobilitate, quim & si deliquere, vetus nobilitas maiorum fortia facta, cognatorum & affinium opes multæ, clientela, omnia hæc præsidio adsunt. in alio autem est vnica spes in seipsis sita, virtute & innocentia tutari.* Tamen gloria parentum, natis præclarus est magnificusque thesaurus, vt scribit Plato, libro 30. in Menexeno, vel Epiraphio, additque mortuos maiores ad posteros dicere, *Si virtute vobis præstemus, victoria hæc nobis dedecus allatura est: sin superemur à vobis fælicitatem.* Et turpius nihil posse accidere, quam gloriam maiorum non imitari. Quia vt scribitur Prouerb. 26. a. Indecens est viro stulto gloria. *Et confusio patris est in filio indisciplinato.* Eccles. cap. 22. a. Et Prouerb. cap. 19. d. *ira patris, filius stultus: & dolor matris, quæ genuit eum.* Item Prouerb. 19 *dolor patris filius sine honore.* Nam filij perniciem pater sibi pro sua reputat, imò & magis quam sua afficitur, quia multo magis terreantur in dedecore filiorū patres, quam in suo, vt scribit Paulus Iurisconsult. in l. isti quidem, l. 8. §. fin. de eo quod met. cau. libro quarto. π. titulo secundo. Inest enim parentibus in filios naturalis quædam charitas, qua omnia illis parant, vt ordine turbato dicantur parentes filiis succedere. vt scripsit Papinian. in lege nam & si parentibus, de inoffic. testam. libro quinto. π. titulo secundo & Pomponius Iurisconsult. in l. scripto. l. 6 §. fin. vnd. liberi lib. 38. π. tit. 7. Et contra *corona senum filii eorum: & gloria filiorum, patres eorum*, vt scribit Salomo Prouerb. cap. 17. b. cano. esto subiectus, 95. distinct. & in Ecclesiast. 3. b. *Gloria hominis, ex honore patris sui & dedecus filii, pater*

*ter sine honore.* Honor & gloria, ex maiorum potissimum meritorum, dignitate, in filios, & nepotes transfunditur. in l. exemplo, l. 36. & l. nullus, l. 44. de decurio, libro decimo C. tuulo trigesimoprimo cum similibus, quæ sup tradidimus dum de gloria ageremus.

Ornamentum & honorem & laudem significare palam est, & consequenter & gloriam continere, vt sæpè apud Latini sermonis probos authores obseruare licet. *Susceptique mihi*, inquit Cicero, pro Licinio, *perpetuam propugnationem pro ornamentis tuis.* Et alibi in Verrem, *Domus erat non domino, magis ornamento quam ciuitati.* Et ornare est decorare, honestare, habet ornatus elegantiam, dispositionem congruam, aptam, cultum conuenientem, laudatum, approbatum, quod politum & splendidum est, excultum, comptum, elaboratum, lectissimum. Quæ omnia gloriam & honorem continent. Et ornamentum honor est, & dignitas, decus insigne, lumen.

Pulchritudo, teste Plutarcho in Hipperide, naturæ priuilegium à Platone appellatur. Socrates vero tyrannidem vocat. Pulchritudo, inquit Marsilius Ficinus ex Platone, in Commentar. in Hippiam, nihil aliud est quam summi boni splendor, fulgens in his quæ oculis, auribus & mente percipiuntur. perque illa ad ipsum bonum, visum, auditum, mentemque conuertens. Quò fit, vt pulchritudo circulus quidam diuinæ lucis existat, à bono manans, in bono residens, bonum & ad vnum sempiternum reflexus. Docuimus autem iam & bonum & fœlicitatem & lucem ad gloriam pertinere. Socrates in Charunde Platonis tradit etiam pulchritudinem non per se amandam, sed tanquam pulchritudinis diuinæ imaginem. Sed & pulchritudo in triplici sui specie, corporum, animorum, vocum est gratia quædam, quæ vt plurimum in concinnitate consistit ex plurium colorum linearumque concordia, in corporibus gratia nascitur. Ex plurium virtutum concinnitate gratia in animis: gratia item maxima ex plurium vocum consonantia. Corporum pulchritudo oculis animorum mente, vocum auribus percipitur. Hinc proculdubio laus, hinc honor, hinc gloria. Et toto dialogo qui Phædrus, siue de pulchro inscribitur, Plato laudes & dote pulchri-

chritudinis persequitur. Et inter cætera, ait, hanc solam pulchritudinem habuisse sortem, vt maximè omnium & perspicua sit, & amabilis. Et alibi 3. de Republic. *Quod maximè pulchrum, & amabile maximè.*

Commentariorum in lib. IV. Synt. Artis mirabilis

*FINIS.*

IN

COMMENTARIORVM

# IN QVINTVM LIBRVM SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, VBI AGITur de Prædicamentis, Liber quintus.

## *Generaliter de Prædicamentis.*

### CAP. I.

EXplicatis quibusdam generalibus conceptionibus, quibus res ex tenebris confusoque CHAO in lucem veniunt, nempe vniuersali genere, specie, differentia, proprio, accidente, postea vique ad singulare perducti, operæpretium est, vt nunc explicemus, quot modis illud singulare & vniuersale omne, esse possit: vel quot modis esse aliquid, dici possit, & vt id distinguamus veluti decem fontibus, per quos tota rerum essentia irrigetur, augeatur, & incrementum suscipiat: hoc enim verbum prædicamenti signat. Itaque primum essentiæ modos magis generales, proferemus. Omnia quæ sunt, vel sunt non in alio, sed per se, vt omnis substantia: aut sunt in alio idque vel per modum formæ, & est Qualitas: vel sunt ad aliud, & respectum hoc includit, qui duplex est: vel intrinsecus, qui facit prædicamentum relationis: vel extrinsecus, qui facit sex vltima prædicamenta, per denominationem extrinsecam, nempe per actionem vnde fiunt prædicamenta Actio, per passionem, vnde passio prædicam. Per tempus, vnde quando prædicam. Per locum comparatione facta ad locatum totum, vnde Vbi. Aut comparando locũ ad partes locati, vnde situs vel positio. Vel per ea quæ adiacent corpori humano, & brutis interdum, vnde Habitus.

Atque hic constat ex his, esse decem prædicamenta vt vocant, vel Categorias: vocat Alexander Aphrodiseus, decem φάσεις, decem voces: Porphyrius, decem νοήματα, id est, decem notiones intellectus: Iamblicus, decem voces simplices, quem sequuntur Alexander Aegeus, Ammonius Hermiæ, & Simplicius: vocat & Aristoteles decem genera in Categoriis, & lib. 14. Metaphys. Et Pachymerus in Catogoriarum Epitome. Quintilianus & Boëtius, prædicamenta. Possumus & vocare decem Elementa, id est principia, vt & Hebræi vocant prædicamẽtum, המאמרה & גבלת verbũ, & limitem siue terminum finalem. Pythagorei viginti ponebant prædicamenta & genera decem bonorum, & decem malorum, vt scribit Aristot. 1. Metaphys. & Iauellus in compendio Logices, parte secunda, tractatus quinti cap. 1. forsan non absurde, vt prima fronte videtur. Quia nihil est, quod oppositum non habeat, & bona malis opposita sunt. Cęterũ non id vsquequaq; verum est: nam docuimus dum ageremus in commentariis de Bono, nullam essentiam esse malam, quatenus esse habet. Quamobrem, nec dici possunt substantia, nec accidens, quatenus entia sunt, mala: alia tamen ratione, & mala dici posse non inficior, sed non ideo necessum est tot opponere: cognito enim altero contrariorum, cognoscitur & reliquum. Nos itaque contenti fuimus lib. 5. Syntaxeων, decem prędicamenta vel genera rerum enumerasse, atque ad illorum faciliorem memoriam, adiecimus Murmelij de his versus quos in Isagõgicis tradidit.

*Arbor sex, seruos, seruore, refrigerat, Ostos,*
*Rura, cras stabo, nec tunicatus ero.*

Quorum singulę voces ordine referunt substantiam, quantitatem, ad aliquid seu relationem, agere, pati, vbi, quando, situm, habitum. Quibus omnia quæ dici possunt continentur: exceptis quæ idem Murmelius alio disticho excipit.

*Complexum, consignificans, fictum, polysemum,*
*Vox logica, Deus, excedens, Priuatio, Pars.*

Nam primo excipitur Complexum, id est, vox composita ex pluribus, nisi complexum vnum significet. De primo, homo iustus, prædicatio complexa in nullo prædicamentorum ponitur. De secundo, corpus animatum, pro vno genere ponuntur. Secundo Consignificans, Syncategorema, quæ nihil per se, nec nisi cum alio, quicquam significant, reiicitur: vt omnis, nullus, aliquis, iste. Regula namque in

Præ-

Prædicamentis, ex octo partibus orationis, quatuor tantum comprehendit, Nomen, Participium, Verbum, Aduerbium. Tertio Fictum, reiiciuntur ficta vt Sirenes, Harpia, Acheron, &c. Quarto Polysemum, πολύσημον multa significans reiiciuntur, vt canis, lepos, &c. Quinto vox Logica, id est, termini secundæ intentionis dicti, quos Dialectici aliarum rerum gratia vsurpant, reiiciuntur: vt nomen, verbum, oratio, propositio, subiectum prædicatum, genus, species, differentia, proprium, &c. Sexto Deus, reiiciuntur quæ sunt infinita actu, & nomina quæ infinita actu significant: vt Deus nomen, æternum, increatum, creator, &c. Omnia prædicamenta finita sunt & determinata. Deum esse extra omnem Prædicamentorum conceptionem, cum sit ineffabilis, scribit & D. Augustinus tomo 9. lib De cognitione veræ vitæ c. 3. scribunt & Iudæi: nam legitur in libro Rabi mosche ben meimon, inscripto שוש עשרה עיקריה id est, *Tredecim fundamentorum legis Iudæorum*, in tertio fundamento, sic Latina versione, *Remouenda est à Deo conditio corporis: illud enim vnum quod memoramus, non est corpus, nec virtus in corpore, neque apprehendunt ipsum euentus corporis & accidentia eius*: puta motus, & statio, nec per se, nec per accidens, &c. Et Claudianus Mamercus, lib. 1. De statu animæ, cap. 19. sic scribit de Deo non dicitur qualis est: quia non potest comparari quasi ad aliud, vt dicatur talis est. Nec dicimus quantus est, quia nihil non habet, nec quomodo est, quia ipse modus est. Nec habitum eius inquirimus quia continet omnia. Nec locum, quia non nisi corpus in loco est. Nec tempus, quia sempiternalis est, Nec actum, quoniam quiete agit. Nec passionem, quia non patitur. Iam decima imò prima est ipsa substantia. Humana verò anima, sicut quantitatem non recipit, ita subiacet qualitati, estq; vel humilis, iracunda, superba, &c. Dehinc & sciendum est generaliter in compositis & formis quæ sunt in subiecto, competere accidentia, formis immaterialibus non competere, vt scribit Iamblichus lib. de mysteriis Ægypt Septimò Excedens omnia transcendentia quæ Ioannes Picus & alij dicunt, ens, vnum verum bonum, aliquid, nihil. Nos aliter docuimus de transcendētibus quæ non contrahuntur in subiectum, inquantū sunt principia prima, nec in prædicamento aliquo sunt, nisi cōsiderentur in subiecto. Octauò Priuatio, quæ priuationem significant, reiiciuntur: vt cæcitas, surditas, tenebræ, &c.

Priuatio enim nihil est, prædicamenta entia sunt. Nonè Pars, nulla etiam vox partis, principiúve materialis seu constitutiui significatiua, in prædicamenti serie reponitur: & ideo reiiciuntur forma, materia, corpus, anima, caput, venter, manus & similes partes: & quæ indeterminate dicunt aliquid, quia hæc absunt à Prædicamentis determinatis. Considerantur in abstracto & in concreto secundum Titelmanum & alios, decem genera, quod & obseruabis in his quæ ad ea referuntur. In abstracto sic in substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, vbi, quando, plus, habitus. In concreto substantificum, quantum, relatiuum, quale agere, pati, existentia in loco pro vbi, in tempore pro quando, modus positionis pro situ, habere. Deinde sciendum est horum decem generum, vnum esse quod alia substentet, veluti fundamentum omnium, nempe substantiam: alia illi inhærere, & ideo accidentia esse. Nouem autem sunt quæ substantiæ accidere possunt, & sine ipsa non subsistunt in concreto. Omne enim creatum, vel est substantia, vel est accidens. Hinc nata illa sunt, dici à subiecto, & esse in subiecto, quæ tractat Aristoteles libro Categoriarum. Quæ quatuor modis considerantur, prout ex schemate supposito, patere cuique facilius potest. Eorum quæ sunt, quædam à subiecto quodam dicuntur, & in subiecto nullo sunt, hæ membro comprehenduntur, omnes substantiæ vniuersales, videlicet omnes naturæ genericæ & specificæ, nam hæ prædicantur à subiectis essentialiter & substantialiter. Comprehenduntur & naturæ omnes differentiales, quæ species constituunt: nam & ipsæ insunt essentialiter speciebus quas componunt, & nulli insunt merè accidentaliter. Quædam in subiecto quidem sunt, à subiecto verò nullo dicuntur, & hoc membro comprehenduntur, accidentia singularia, vt hæc albedo, ista humilitas, illa fœlicitas. Rursum quædam à subiecto quodam dicuntur, & sunt in subiecto. Et hic Accidentia vniuersalia omnia, id est, in abstracto & generali, vt albedo, nigredo, virtus, scientia, & similia: & hæc accidentia, habent subiecta quibus inhærent accidentaliter. Habent & particularia accidentia, quibus insunt essentialiter. Sicut natura specifica accidentalis est omnibus suis individuis. Et natura generica accidentalis, est omnibus naturis specificis sibi subiectis. Item vt omnia communia propria, vt risibile, flebile, hinnibile, &c. Item quædam neque in subiecto sunt, neque à subiecto vllo dicuntur.

suntur. Talis substantia particularis: nempe habens omnia individua prædicamenti substantiæ, quæ neque à subiecto dici possunt essentialiter, cum nihil habeant se inferius à quo possint prædicari. Neque quemquam illud perturbet, quod cum dicimus substantiam à subiecto dici, videamur dicere substantiam in alio esse, sicut accidens. Nam id quidem verum est, substantiam inesse rei, sed alio modo quam insit subiecto accidens. Quia natura essentialis, id est generica & specifica, & differentialis, inest quidem rei in qua est, sicut pars ipsius essentialis, nimirum ipsam componens & constituens essentialiter: Accidens autem, est in subiecto, non sicut pars aliqua, neque cum subiecto aliquid vnum componens. Neque ex accidente & subiecto propriè fit vnum: sed ex aggregatione tantum vnum. Sicuti scientia, non est animæ pars, neque cum anima aliquid vnum essentialiter facit, sed aggregatiue. Sic formæ substantiales sunt tanquam partes eius, quod simul cum ea componunt ac constituunt. Quia forma cum materia rem naturalem componit. Exemplum, Anima rationalis & corpus humanum, constituunt hominem: Anima sensitiua equi cum corpore equi, equum: Anima vegetalis cum materia arboris in qua est, arborem: cum materia alterius plantæ, plantam. Ideo Aristoteles in Categoriis, in subiecto esse id interpretatur accidentis, quod cum in aliquo sit, & tamen non est sicut pars eius in quo est, & impossibile sit, esse sine eo in quo est. Non igitur tanquam pars integralis vel essentialis in subiecto est. Veruntamen illud semper quandiu est, in subiecto substentetur oportet. Quia si non est in subiecto, non est, & quandiu est, in alio sit oportet, & ab alio sustentetur: quia per se non subsistit, nec nisi in alio est.

## *De substantia.*

### CAP. II.

ARistoteles libro primo de partib. animal. cap. 1. bifariam materiam intelligi scribit: vt altera pro materia sit, altera pro substantia. Quæ quidem substantia, inquit, vt mouens, & vt finis est: talisque animalium anima vel omnis vel pars aliqua eius fit. Et Paul. Iurisconsul. in l. 4. sequitur, §. si ex lana, de vsucap. lib. 41. ff. titulo tertio substantiam considerandam esse scribit rerum. Quamobrem vt de ea prius agamus, necessarium est, quia & ea prima in omnibus, &

sine illa nihil aptum est vel potest esse, & propter hanc ea quæ sunt, singula sunt. Ideoque substantia dicitur primo Ens, & non aliquod ens, sed simpliciter ens. Quia substantia, & ratione, & tempore, & cognitione, & natura, omniũ primum est. Aliorum enim Categorematum, nullum est separabile, sed hæc sola. Ratione quoque hoc primum: necesse est enim in cuiusque ratione, inesse rationem substantiæ, vt hæc tradit Arist. lib. 7. Metaphys. cap. 1. & rursum libro 2. Ethicor. ad Eudemum omnes substantias principia quædam esse scribit, secundum naturam. & posse eas singulas, multas eius generis progignere, vt homo generat hominem: & animal in vniuersum, alia animalia: Plantęq; plantas. Et Galenus tomo 1. lib. 1. De temperam. temperamentorum, & omnium rerum generalissimum genus esse substantiam, scribit. Nomen substantiæ, duplicem habet interpretationem: nam vel dicitur substantia à subsistendo, vel à substando. A subsistendo dicitur substantia, eo quod non in aliquo insit, sed per se subsistat: & hoc modo propriè Deo nomẽ substantiæ competit: quia per se, in se, & ex se, subsistit, & nullius accidentibus substat vel subiicitur, hoc tamen extra prædicamentum: nam & admonuimus, Deum esse extra prædicamentalem constitutionem, quia infinitus, prædicamenta autem finita. Item quia Deus simplicissimus, & nihil inhæret ei vt in subiecto: neque Deus subsistit bonitati vel magnitudini suæ, idemq; in eo esse & subsistere, quare vt hîc, dici non potest substantia, vt scribit D. Augustinus lib. 7. de Trinitate c. 5. In Deo itaque, quod illi inesse dicitur, idem est quod Deus: tantaque simplicitas & puritas in eo, vt nihil sit in ea quod ipsa non sit, & totum quod in Deo est, vnum est sine compositione, vt scribit D. Hilarius lib 7. de Trinitate & lib 8 item & Boëtius 1. de Trinitate. Quamobrem si substantia consideratur in Deo, illa est non tanquam subiectum alicuius, quasi aliud sit quod ibi accidat, aliud quod subsistat, sed quidquid ibi intelligi potest, ipsa substantia est, vt admonet D. Augustinus libro de fide & symbolo. Sic itaque in Deo per substantiam designatur essentiæ vnitas, vt idem D. Augustinus tradit tomo 9. lib. de cognitione veræ vitæ c. 11. Et hæc est etiam communis vocabuli substantiæ acceptio. Quod & in libris demonstrationum docet Galenus, & tomo 1. libr. 7. de placitis Hippocratis & Platonis, definit eo modo substantiam dici, *Vnuscuiusque rei optimam naturæ perfectionem:*

*tionem*: quæ finitio facilem cognoscendi substantiæ regulam rudibus præbet. Hæc autem cum sit vna, multas habet facultates, non simul & semel & in eodem contrarias, sed diuersas, vt vrendi, secandi, agendi, patiendi, &c. vt docet Galenus tom. 1. in fi lib. 9. de Decret. Platonis. Scimus itaq; substantiam esse in Deo, sed quid sit, & quæ illa, nescimus: quia inenarrabilis est, vt scribit D Chrysostomus, tom. 5. homil 1. contra Anomæos, vbi agit de incomprehensibili Dei natura. Diciturque Ens extra Deum, per se subsistens, & in eius nomine continentur omnia simplicia & quæ composita sunt ex materia & forma: vt Angelus, homo, corpus omne, plantæ, substantiæ dicuntur, vt scribit Arist. in Categor. & libr. 1. Physic. cap. 7. & Metaphys. 7. cap 3. A substando substantia dicitur, id omne, quod accidentia sustinet, vel quod aliud quippiam à se suscipit. Et hoc modo Deo non cõuenit, quia Deus, benedictus ipse, nequaquam accidentibus obnoxius est, & semper immutabilis accidentia non recipit: prout autem substantia à substando dicitur, ita definitur, vt sit ens, in quo quippiam sedem & fundamentum habet. Et hæc appellatio in nostra arte generaliter sumpta, pro Physica, & materiali, & Logica subsistentia sumitur. Physicè, pro causis quatuor primis, quæ componunt reliqua corpora: nempe, pro quatuor primis elementis quæ substant rebus omnibus, aere, aqua, igne, terra, ex quibus inferiora corpora componuntur. Item substantia *Ex materia suppositione: sit fundamentum domus*, substantia dicitur: sic scabellum subsistentia pedum: & terra firma substantia. Item pro eo ex quo veluti fundamento alia consurgunt, & id quod subiicitur in principio ex quo & in quo aliquid immixtũ est: vt cibus bene nutriens, substantia est animalis, item reliqua velut fundamenta constitutiua, substantiua, & conseruatiua rerum substantiæ. Sed & forma naturalis substantia dicta: quoniam dat esse rei, & conseruat in esse, ipsaq; remota, desinit esse res. Qua acceptione anima est substantia hominis, & cuiusq; animati anima propria. Item essentia & quidditas cuiusq; rei, dicitur substantia cuiusq; rei: illud autem quod illi inest & sensibus patet, accidens est. Sic essentię, omnia incorporea, Angelus, Dæmon, anima, & corpora animata, plantæ, corpora cœlestia, & similia. Item & accipitur substãtia, pro eo quod accidentia recipit, vt nigredinis corui substantia, est coruus: albedinis niuis, nix, &c.

Alio modo breuius, substantia tripliciter sumitur: primò substantiæ dicuntur prima corpora, ex quibus inferiora componuntur, ignis, aqua, terra, aer: illas Physici considerant in concreto. Secundò primum cuiusque rei fundamẽtum: vel constitutiuum, vel substentatiuum, vel conseruatiuum. Constitutiuum, vt forma essentialis, quidditas essentialis forma artificialis, vt domus forma. Substentatiuum, vt fundamentum domus. Conseruatiuum, dicitur & substantia rei, vt cibus quo homo conseruatur Et quod rem conseruat in esse. Tertio substantia in quo aliquid hæret, vel subsidet: vt manus calida, substantia caloris: & frigida, frigiditatis. Substantiarum quæ substant accidentibus, alia prima, alia secunda. Prima, substantia dicitur particularis, in indiuiduis, vt Petrus, Ioannes. Secunda, dicitur vniuersalis quæ à pluribus dicitur: vt substãtia generica & specifica, & ita pluribus subiicitur, nempe indiuiduis, & speciebus, & generi. Substantiæ primæ, indiuidua dicuntur: quia primum concreta indiuiduorum, & eorum contemplatio, se sensibus nostris offerunt, posteà genera. Porrò hîc non intelligimus substantiam primam, modo quo Metaphysicus, qui primam substantiam ordine priorem essentiæ, non cognitionis metitur: nempe illam æternam sine magnitudine, & inuisibilem, vt scribit de ea Arist. lib. 12. Metaphys. c. 7. Et quia secundæ substãtiæ vniuersales prædicantur à pluribus differentibus genere, vel specie ideò & substantiæ illæ prædicantur seu dicuntur à subiecto, id est ab inferiori, vt genus prædicatur ab speciebus, & species ab indiuiduis. Primæ autem substantiæ, quia indiuiduorum sunt, non prædicantur à subiecto, quia sub se inferius quid habent à quo, tanquam genera enũtiari possunt. Et in hoc differunt hæ substantiæ: conueniunt tamen in eo, quòd nullæ substantiæ sunt in subiecto, hoc est, quòd nullæ substantiæ sustineantur ab alio. Sic substantia speciei & indiuidui. Rabbi Aben Tybbon, lib. רוח החן id est, *Spiritus gratiæ*, cap. 10. substantiam generaliter definit in concreto, vt sit quicquid alicuius rei vim naturamque constituit, & perficit, vt posteaquam ab eadem re decesserit, intereat substantia illa, oriaturque quæpiam alia natura. Quamobrem tria quæ absoluunt rem, substantiæ nomen recipiunt: nempe materia, forma, & ex his compositum, sed hoc vltimum vera perfectaque substantia est, reliqua ipsius naturæ partes sunt, quod & notat Aristot. lib. 7. Metaphys. c. 3. & rursum lib.

sum lib. 2. Metaphys. c. 6. quasdam substantias sine materia, & incorruptas, & alternas docet. Notantur in proxima finitione duo, vnum, quod substantiæ vim & naturam constituit rei ex compositione. Secundò, quòd eius interitu intereat res, in quibus differt ab accidente, quod non est res quæ substantiam constituat, suo positu, vel quòd non tollit substantiam suo interitu. Galenus tom 7. comment. in 24. Aphoris. libr. 2. aphoris. Hippocrat. temperaturam ex elementis, vocat naturam. Sequitur hinc, quia substantia capit accidentia, & accidentia sine illa esse non possunt, vt natura substantia prior sit accidente. Vocant itaq; Hebræi substantiam ΟΥΣΙΑ gerzem, id est, *robur, vel corpus, vel os:* Græci ὕπαρξιν & οὐσίαν, essentiam & subsistentiam dixerunt, vt Philo lib. de Mundo, vbi tamen οὐσίαν naturam cuiusque, ὕπαρξιν verò substantiam dicere videtur aliquibus, cùm tamen alibi, ea cum Aristotele confundat.

## *De diuisione substantiæ.*

## CAP. III.

ARistoteles lib. 12. Metaphys. c. 7. disputans de cœlo primo quod æternum esse dicebat, ab aliquo moueri illud concludit, illudque Deo tribuit, etsi, vt solet in arduis, id ancipitibus adstruat rationibus. Et tandem tamen postea, & vitam beatam Deum esse concludendo addit hæc. *Quòd itaque est quedam aterna immobilisq; substantia, & à sensibilibus, separata constat ex dictis. Offensum autem est, quòd nec vllam magnitudinem possibile est hanc substantiam habere, verùm impartibilis indiuisibilisq; est. Nam infinito tempore mouet, nihil verò finitum infinitam potentiam habet.* Optimè is quidem, si in vnitate illius substantiæ perstitisset: sed quia, & plures huiusmodi substantias definit, nõ de Deo intelligere vel credidisse mihi videtur, sed de spiritalibus substantiis, & creatis. Quamobrem nec Deum hîc miscebimus substantiæ prædicamento, cùm is sit super omnem substantiam: sed ad substantias creatas diuisionem ex earum distinctione adferemus. Itaque diuisio substantiæ secundùm Aristot. lib. 12. Metaph. c. 2. erit, vt alia sit sensibilis, alia insensibilis. Sensibilis aut quæ sensui manifesta est, aut corruptibilis mobilis: aut incorruptibilis & mobilis. Corruptibilis mobilis est, composita ex forma & mate-

ria quatuor elementorũ, aëre, aqua, igne, & terra, vt plantæ & animalium substantia. Incorruptibilis & mobilis habet corpora simplicia, inquantum elementa, qualia aër, aqua, ignis, terra: item orbes cœlestes. Insensibilis & immobilis quæ sensui nõ est manifesta, est & immaterialis, cuius substantia actu est, qualia vniuersalia abstracta, vel ideæ secundùm Platonem rerum singulariũ: item abstracta à materia sensibili secundùm Mathematicos. Et substantiæ immateriales, intellectuales, motrices orbium, & secundùm se immobiles. Substantias mobiles & etiam mobilia considerat Physicus secundùm propriam rationem: immobiles & immateriales Metaphysicus, & alias quatenus sub ente continentur: Metaphysicus est etiã Theologus qui eadem contemplatur. Materiã esse in omni substantia sensibili probatur ex eo quòd omnis substantia sensibilis mutabilis est & mobilis, quia naturalis est. Cæterùm in omni mutatione tam accidentali, quàm essentiali, necessarium est dari subiectum, quod habet rationem materiæ, quæ aliquando est sub vno termino, aliquando sub alio: vt in alteratione, idem subiectum aliquando albũ est, aliquando nigrum: in augmento, aliquando est sub parua quantitate, aliquando sub magna. Et sic de reliquis accidentibus substantiæ inhærentibus. Similiter in generatione substantiali, necesse est dari subiectũ, quod recipiat vnam formam cum abiectione alterius: & breuiter, in omni eo quod fieri dicitur naturaliter, vltra duo contraria requiritur tertiũ, id est subiectũ quod sit successiuè exceptiuum contrariorum, videlicet subiectũ in quo illa mutatio vel priuatio & additio fiat: vt latissimè docet Aristot. lib. 1. Physicor. à capite 6. vsq; ad calcem libri. Et quia materia subjicitur, & fit subiectum, ideo etiam substantia, vt tractat Arist. 8 Physic. cap 1. & 2 Neq; enim materia in quantum materia, hanc vel illam habet formam: sed in quantum est potentia. De forma non dubitatur esse substantiam, quia forma dat esse rei. Qui voluerit alias cognoscere rationes contra Platonicos, Mathematicos, circa insensibilis substantiæ tractationem, recurrat ad Aristotelem libr. 12. Metaphys. & ad eius in eum librum interpretes. Sed & generali schemate comprehendi & repræsentari par est substantiarum variationem & diuersitatem, quod & tradidimus lib. 1. Syntaxeon nostrarum cap. 4. Eritque alia increata, alia creata, & creata, alia incorporea, alia corporea, alia ex his mixta; seu in vnũ composita. Substantia increata,

immor-

immortalis, extra accidentia, & omnem mutationem, & super omnem essentiam, causaque omnis essentiæ ipse Deus omnium creator: quia entia & non entia ex Deo sunt, vt ait Porphyrius libro de occasionibus, theoremate 28. Et theorem. 24. ait *Deum* non ens, sed super ens ipsum. Creata substantia est à Deo: ideo omnis substantia creatione bona, tanquam substantia non mala. Omnia namque quæcunque Deus fecit, erant valde bona Genes. 1. & 2. Eccl. c. 39. b. 1. ad Timoth. 4 b. & substantiam rerum in singulis rebus esse scribit Aristot lib. 2 de genera. animal. cap. 1. Creata substantia aut viuens, aut non viuens. Incorporea viuens, Angelus bonus essentia: malus, propria existentia & culpa. Anima iuncta corpori bona essentia propria, & sine corpore, mala propter voluntatem. Non viuens, est abstracta materia prima secundùm Philosop. Mixta substantia est, vt homo ex anima & corpore. Corpore verò substantia, vel simplex est, vel composita. Simplex vt æther, in quo decem cœli, cœlum Empireum, crystallinum, firmamentum vbi stellæ fixæ, & septem Planetarum, orbes fixarum stellarum corpora. Planetæ, qui septem, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Quatuor prima elementa, vt elementa, ignis, aër, aqua, terra. quæ substantias vocat Aristoteles naturales, vt & composita earum, opera, libr. 3. de Cœlo, c. 1. Compositæ substantiæ, sunt quas vocat Aristoteles 2. de cœlo, c. 1 substantiarum naturalium, id est quatuor simplicium elementorum opera & motiones. Sic Philo Iudæus libro de Decalogo, contemperationem corporum, & substantiam ex quatuor illis elementis desumptam, ait. Quo factum est vt res substantiæ dictæ sint: & patrimonium, & facultates nomine substantiæ signentur, tam in sacris quàm in profanis literis. Et Galenus etiã tom. 1. lib. 2. De semine: dicit substantiæ temperaturã vnde prima generatio alicuius extitit ex mixtione quatuor elementorũ & corpus & animæ mores & facultates distinguere. Porrò corporea substantia composita vel est perfectè composita ex quatuor elementis, vel imperfectè composita. Perfectè composita ex quatuor elementis interdũ dicitur substantia nõ viuens, habens solam essentialem rẽ compositã, vt lapides, gemmæ, vitrũ, cadauera, lignũ excisum, interdũ viuens, vel vita vegetabili, qualia plãtę, arbor, frutex, herba, frumenta, legumina, & ex his fructus, flores, vel vita. Sensitiua irrationali, qualia animalia, volantia pennis, vel membranis: gressilia, reptilia terrestria, vt serpens,

pens, aquatilia vt pisces: vel vita viuens intellectuali & rationali, vt homo. Imperfectè compositam substantiam habent impressiones ignitæ ex halitibus siccis, oleaginosis & aliis, stellæ cadentes, bolides, cometæ, &c. galaxias vel lacteus circulus ex radiis solaribus solares apparitiones vt halō, parelii, virgæ, soles, &c. item & aqueæ, vt vapor, pluuia, ros, nix, grando: aereæ, vt venti, terræmotus, fulmina, &c.

Aristoteles rursum aliam substantiarum constituit differentiam lib. 1. de partib. animal. c. 5. vt substantiarum quæ natura constant: aliæ sunt ingenitæ, immortales que seculis omnibus: aliæ mortales, & ortus & interitus participes. Et Philo Iudæus libro de agricultura, cùm diuisit in bruta, & ratiocinalia, animalia corporea addit, horum pars mortalis, pars immortalis. Ingenitæ possunt dici simplices & incompositæ animæ, & angelicæ substantiæ, quæ viuentes, immortales sunt & ingenitæ, non autem increatæ. Talia etiam corpora simplicia non tamen viuentia, sed perseuerantia, & ingenita, non tamen increata. Nam vnum est increatum & ingenitum, solus Deus pater. Illa autem ingenita dicuntur creata, quia ex nihilo facta, & sine præexistente materia, vt scribit D. Damascenus libro primo de Orthodoxa fide, capite 9. Galenus Pergamenus tomo 1. operum, lib. quòd animi mores sequantur temperamentū corporis, certè valde impeditus in considerationē essentiæ animæ, quia veram non norat Christianorum de creatione & substantiæ animæ scientiam, hisce verbis & de ea, & de reliquis incorporeis substantiis loquitur, fassus eas per se subsistere, neque diuersitates temperaturarum admittere, *Essentiam*, inquit, *animæ qualisquam sit, haudquaquam noui, nimirum cùm ex incorporeorum genere eam esse supposuerimus. In corporibus namque temperaturas satis superq; diuersas inter se cerno, eas q; quamplurimas. At incorporea substantia cùm per seipsa esse possit, nec; qualitas aut species corporis sit, differentiam nullā intelligo: quamuis sapius super ea recognouerim, atq; accuratius perquisuerim, &c.* D. Chrysostomus etiam æqualem animarum substantiam à Deo dari ab initio scribit: is enim tom. 2. homil. in c. 15. D. Lucæ, parabolam prodigi explicans, ait, *Nos omnes filios Dei per creationem esse, & animabus nostris Deum æqualiter impartitum substantiam, sapientiam, & intellectum boni & mali, qua vera & perpetua sunt opes bene viuenti. Non enim*, inquit, *quisquam, aut iustus, aut iniustus nascitur, sed qua ex*

Deo

*Deo est in prima nativitate hominibus substantia rationabilibus aqualiter cunctis nascentibus. De subsequenti autem conversatione vnusquisque plus aut minus huius substantia possidere invenitur: dum in semetipsis per similitudinem voluntatum esse negligentes, deserunt, diligentes naturalia custodiunt bona, &c.* Porphy. tamen libro τῶν πρὸς τὸν νοητὸν ἐκ Φορμῶν siue de occasionibus scribit theoremate 17. differentias quasdam posse afferri incorporeorum, eius verba hæc sunt: *Ipsa corporeorum appellatio, non secundùm communitatem. sed κατὰ ψιχὴν πρὸς τὸ σώματος στέρησιν: sed secundùm nudam ad corpora privationem. Quamobrem nihil prohibet inter illa alia quidem εἶναι ὄντως, τὰ δὲ οὐκ ὄντως, id est esse essentia, alia non essentia. Et rursum alia esse corpora, alia esse νοητὰ cum corporibus: Item alia à corporibus separata. alia verò οὐ separata. praterea alia esse καθ' ἑαυτὰ ὑφεστηκότα, τὰ δὲ ἄλλων εἰς τὸ εἶναι δεόμενα. id est, alia esse per se subsistentia. alia quæ alijs vt sint indigent. Alia denique actionibus vitijs ex se mobilibus, eadem, sed alia virtutis & qualibus actionibus quodam modo permutata, nempe secundùm negationem eorum. quæ ipsa non sunt, non secundùm assistentiam eorum quæ sunt. appellantur.* Neque mirum videri debet. mortales cùm simus, si incorporalium substantiarum differentias nequeamus assequi, quando nec eorum quæ videmus substantias nouerimus, prout sunt determinatæ. Nam vt D. Chrysostom. hom. 2 aduersus Anomæos, tom. 5 *Cœlum hoc formam quidem concamerata gerere nouimus, & terram vniuersam ambire, sed qua substantia constat, nescimus. Neque quisquam quid sit, docere potest, num humor quidam in gelu concretus, num obdensata nubes, & inspissiorem obducta substantiam? num aer crassus & corpulentior.* De cæteris etiam rebus, Salomon in Eccl. c. 1. b. vers 8. *Cuncta res inquit difficiles, non potest homo eas explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Ideo & nos substantias rerum cognoscimus, non verè prout intrinsecæ sunt, sed tantùm prout nobis exerunt effectus, vel diuinitùs nobis reuelatæ sunt. Quamobrem & D Paul. 1. c. ad Cor. c. 8. vers 2. *Si quis*, inquit, *existimat se aliquid scire nondum cognouit quomodo eum oporteat scire.* In quibus non asseuerat eum nihil omnino scire, sed nihil scire, modo quo oporteat. Quod maximè in his locũ habet,

habet, quæ ex tota, vt dicunt, substantia, aliquid operantur, i. quorum actio ex naturali proprietate est, quæ rationibus comprehendi nō potest: rationibus autem tantùm comprehenduntur, quæ sensibus subministrantur. Aliquando itaq; quædam substantiæ proprietatē habent ratione incomprehensibilem, propter sui subtilitatem sensib. non subministratam, & propter magnam sui altitudinem, vt scribit Galen. in lib. ei attributo. *De incantatione, admiratione & suspensione*, qui inter eius libros ponitur tom. 6. operum eius. Sicuti nemo dicere potest, quare magnes ferrū trahat: quare plumbum adamantem frangit, quod nec ferrū facit: quare torpedo piscis manum capientis sensu priuet: nisi concedat id ex tota substantia, id est latente proprietate fieri, quæ autem illa sit, non explicat: quod & in reliquis sympathiis & antipathiis, & rerum occultarum effectibus potiùs admiramur, & Deum maximum in suis operibus veneramur, quam causam reddamus propter nostram cognitionis imbecillitatem. Hæc certè valde abstrusa mentu humanæ: sed & illud difficilius scitu, quomodo immortalis substantia, visibili & mortali copuletur: veluti anima corpori, vel quod excedit omnem humanam capacitatem, filius Dei homini, incomprehensib. lis limitato, immortalis omnino & immutabilis mortali, hocque vltimum omnipotentiæ solius Dei, & eius infinitæ bonitati relinquimus. De primo autem quædam tractant mortales more humano, vt Galenus vel alius quispiam nomine Galeni, libro de Spermate scribit, animam cum corpore coniungi, non eo modo quo elementa inter se quatuor commiscentur, ad constitutionem corporis physici: sed virtutem animæ, verbo *Dei* sensibus corporis iungi. Ideo & Porphyrium dixisse, in sapientia hominis esse verbum Dei. Quod forsan sensit Mercurius Trimegistus in Asclepio c. 3. dum ait, magnū miraculum esse hominem, & animal adorandum, quòd hoc in naturam Dei transeat, cùm partem illam quæ anima est, colit: & ad Dei cognitionem se extendit. Legerant forsan Genesin mundi Mosis, in qua cap. 1. scribitur, Deū insufflasse in faciem hominis, vel nares eius spiritum vitæ, & verbo eius facta omnia esse: quæ certè verissima sententia est, neque vltrò ratiocinandum existimo, quomodo iungantur anima & corpus, nisi quia *Dei* verbo id factū primum sit, & eius insufflatione & iussu, & creando Deus animam infundat corpori delineato & instrumenta habenti,

& in-

& infundendo creat, secundùm ea quæ tractantur à sanctis patribus, apud Magistrum sententiarum lib. 2. distinct. 7. c. Nam cætera quæ tradunt philosophi, nō ad alligationem primam corporis & animæ, sed ad societatem pertinere videntur: sicuti quod Porphyrius scribit libro τῶν πρὸς τὰ νοητὰ ἀφορμῶν vel de occasionibus, theoremate 7. & 8. *quòd anima corpori alligatur, conuersione quadam fit ad passiones prouenientes à corpore: rursumq; soluitur, quatenus à corpore nihil patitur. Quod natura ligauit, rursus hoc & natura dissoluit: rursus quod concilauit anima, hoc & anima dirimit. Natura quidem, corpus in anima denuncit, anima verò seipsam in corpore. Quamobrem natura corpus ab anima separat, animam verò seipsam à corpore segregat.* Hæc & alia Porphyrius, quæ tamen modum coniunctionis verè non exprimunt. Admonendi sunt, sacræ paginæ maximè professores, eius quod tradit D. Damascenus in Dialectica c. 11. Quosdam Philosophos distinxisse substantiam à natura, forma, persona, individuo & hypostasi, dicentes substantiam, quod simpliciter est. Naturam autem, substantiam specificatam à substantialibus differentiis simpliciter, & taliter esse habentem, siue ea fuerit rationalis, vel irrationalis, mortalis vel immortalis. Sed particulariùs existens, vocârunt hypostasin, personam in homine, Sancti tamen patres, hanc battologiam prætermittentes, specialissimas species, substantiam & naturam & formam dixerunt, vt Angelum, hominem, equum, canem, &c. quia & οὐσία, i. substantia, quæ ab εἶναι fit, id est esse. & φύσις, id est, natura quæ à πεφυκέναι idem sunt, quia εἶναι & πεφυκέναι idem sunt. Particulare autem vocauerunt individuum & personā & hypostasin, vt Petrū & Paulum: Hypostasis autem vult habere substantiam cum accidentibus, & secundùm seipsam subsistere, & sensu, id est actu, considerari. Nec fieri potest vt duæ hypostases non differant accidentibus & numero. Hactenus Damascenus. Græci ὑπόστασιν dixerunt subsistentiam, pro ea substantia, in qua aliud ut fidet, à verbo ὑφίστημι, sustineo. Hysichius πρόσωπον, i. faciem, id quòd videri vel cognosci per proprietates substantiæ attributas potest, vel quædā nota substantiæ manifesta. Nā & idem Hysichius ait, πρόσωπον ἐστι σωματικὴ ἰδιότητος,

πῶν, *Prosopon vel facies, est concursus proprietatum.* Ὑπόστασις itaque, erit idem quod ἰδιότης *proprietas*, & id cui aliquid innititur, & certitudo quædam. Sic etiam apud D. Paul. ad Heb. c. 3. & 11. ἡ πίστις ἐστι, ὑπόστασις ἐλπιζομένων, id est, *Fides est sperandorum substantia.* Textus Hebræus habet עיקר gnitier *fundamentum* & subsidentiam, significans fidem cui adhæreat, vel quæ nobis repræsentet, quæ per eam assequi speramus, veluti certitudinem illam non subsistentium præbentem. Vt etiam ibidem Theophylactus interpretatur. Est igitur hypostasis, proprietas quædam certum quid demonstrans. Qua ratione dixerunt sancti patres, in Deo esse μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις. *Vnam substantiam, tres hypostases.* D. Greg Nazian. εἰς τὸ ὅμοφ. explicat, in diuinis ὑπόστασιν, esse ἰδιοτήτα *proprietatem*, dicitque quòd in sanctissima Trinitate, sit τὸ ἀσύγχυτον τῶν τριῶν ὑποστάσεων ζῇ τῇ μιᾷ φυσεῖ τε καὶ ἀξία τῆς θεότητος. id est. *In vna natura & dignitate Deitatis, inconfusa trium personarum distinctio.* Est itaque illa hypostasis, proprietas ad Deitatem relata: tria enim sunt in Deitate vna, quæ quia propter impiam sermonis nostri, qui in rebus tantùm humanis efferendis, vel quatenus humana respicit, formalis est, non possumus exprimere, quia super omnem creaturarum omnium visibilium vel inuisibilium captum hæ sunt: ideo ad illos tres vel illa tria consubstantialia explicanda, humanis etsi non omnino vim tantæ excellentiæ exprimentibus verbis vti oportet. Dicimusque tres personas in vnitate Dei, consubstantiales, idque apud Latinos, vt docet D. Augustinus lib. 5. de Trinitate c. 10. & lib. 7. de Trinitate c. 4. Sic paternitas hypostasis & proprietas Patris, filiatio Filii, processio Spiritus sancti, quæ de Deo dicuntur non accidentaliter, sed ratione relationis in proprietate, personas maluit dicere D. Augustinus, Græci ὑπόστασις, vt doctè explicat D. Ioannes Damas. lib. 1. de Orthodoxa fide c. 8. & 9.

*Axiomata substantiæ, ex Aristotelis Categoriis, & aliorum sententia.*

## CAP. IV.

COmmune est omni substantiæ, in subiecto non esse. Inest secundis substantiis, id est, vniuersalibus & differen-

ferentiis substantialibus vniuocè prædicari. Vniuoca dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ secundùm illud nomen, est eadem. Sic nota primam substantiam, id est particularem excludi à prædicatione, & non esse illam prædicamentum, quia nullum sub se habeat subiectum.

Omnis substantia videtur hoc aliquid significare. Verius tamen hoc tribuitur primæ substantiæ particulari: hoc aliquid individuum significat, id est aliquam particularem rem & singularem, & individuam substantiam. Vt vocabulum Ioannes, hoc aliquid, id est hunc hominem significat, item hic Taurus. iste canis. &c. Secunda autem substantia & vniuersalis, videtur significare hoc aliquid secundùm appellationis figuram, id est propter modum denominandi primas substantias. Et appellatiuè per secundas substantias, veluti quia Petrum & Ioannem dicimus esse hominem & animal: sicque nominibus secundarum substantiarum, appellamus primas substantias. Ita secundùm apparentiam externam, secundæ substantiæ videntur significare hoc aliquid, & ita interpretatiuè Titelmanus lib. 2. de prædicam. c. 21. addirque secundas substantias primariò magis significare quale quid, id est communem substantialem naturam: Secundariò autem existentem in aliquibus naturam. Quod & Cæsarius in prædicamento substantiæ & eius proprietatibus probat.

Inest substantiis nihil esse contrarium: id est, substantiæ non habent contrarium, sic substantia hominis, non est contraria substantiæ equi vel bouis. Et si quando inter se videantur contrariæ, illud non per se, sed per accidens: vt substantia ignis aquæ contraria, non per se, sed per accidens qualitatis, frigidi & calidi. Contraria illa sunt, quæ propria natura talia sunt: vt albedo, nigredo, frigidum, calidum, &c. tatione quorum accidentium, possunt dici contrariæ res: & hoc commune substantiæ cum quantitate, cui nihil etiam contrarium Nam cubitus, tricubitum, sibi contraria non sunt, nec huiusmodi similib. Nota itaque, quia substantiæ nihil est contrarium, in substantia non esse motum, ut tradit Arist. lib. 4. Phys cap. 2.

Substantia non suscipit magis vel minus: vt Ioannes, non est magis homo, quàm Petrus: nec hic equus, magis equus quàm ille equus, nec homo magis animal, quàm brutum. Breuiter conclude substantiam non prædicari à

subiectis sibi indiuiduis vel speciebus secundùm magis & minus. Inter se tamen substantiæ primæ & secundæ, magis & minus incipiunt. Nam primæ substantiæ indiuiduorum, quia à sustentando dicuntur, magis substantiæ quàm secundæ & vniuersales dicuntur, quia magis primum substant vniuersalibus, ad quas relatiuũ ponere videntur. Deinde accidentibus substant, non ita secundæ vniuersales quæ nõ ita substant, quia aliis nõ supponuntur. Intellige autem magis ac minus non suscipere substantiã, respectu accidentium, non ratione intentionis & perfectionis. Nam nec vna substantia magis vel minus non dicitur substare accidentibus, tamen quantitatem ratione perfectionis & virtutis suscipit: sic dicitur magnus orator, minor & maior authoritas, & magis vnus homo alio rationalis & melior. Atque sensu patet substantias aliquando maiores, aliquando esse minores. Nam infans non adhuc ratione vtitur, homo perfectus vtitur. Fructus minores non perfecti, maturi maiores. Et de forma essentiali interdum remittitur, interdum illa augetur, maiorq; substantia in quercu annosa & magna quàm in tenera. Nec dicimus non suscipere substantiam maius & minus, nam illa suscipit, sed magis aut minus, vt vnum quod est, substantia dicatur magis substantia quàm aliud. potest tamen dici maior substantia, vt in secunda regula quantitatis etiam admonemus.

Substantiæ susceptibiles sunt contrariorum, vnum & idem numero remanentes, secundùm tamen sui aliquam mutationem. Dico susceptibiles, non suscipere: quia suscipere simul contraria nequeunt, verum possunt vnum post aliud, vt nunc corpus friget, postea calet: nunc stat, postea sedet: & incorporeæ, volunt modò aliquid, modò nolunt. At simul & semel & eodem tempore, vna & eadem substantia non debet diuerso iure censeri, Innocen. III. summus Pontifex c. 22 quia circa, de priuileg. lib. 5. Decretal. tit. 33. & in l. cum qui ædes, de vsucap. lib π. tit.

## *De quantitate.*

## CAP. V.

POst substantiæ tractationem, optimo ordine ad quantitatem descendere admonemur: siquidem in quantitate aliquid comperimus quòd coniungatur successione quadam substantiæ: & medium quoddam inter ipsam & hanc.

hanc. Nam vltra id quod sibi mutuò communicant in participatione eius quod nec substantiis nec quantitati contrarium quicquam est, adhuc vnum quoddam quantum est, quod nec substantia nec prædicamentum quantitatis sit, sed quoddam quod vtrique conueniat. Est namq; illud quantum, quod nos inter principia nostra transcendentia posuimus in magnitudine, quo gradus perfectionis & virtutis, etiam in substantiaris discernuntur in ipsamet substantia positum. In quo differt à prædicamento quantitatis, qd est ens mensuratiuum, vel dimensiuum substantiæ, videlicet quantitas, est essentia, per quam mensuramus substantiam, aut re ipsa, aut distinctione proportionum, vel per numeros. Vt autem vtriusq; diuisionem compendiariam memoriæ fideliter commendemus, subiecimus nostro more Schema lib. 5. Syntaxeωn artis mirab. cap. 2. quod ibi videto ne repetamus idem bis: aliter breuius: Quantitas alia rei, vt magnitudinis, multitudinis alia vt quot res: multiplicitatis alia rei, vt quoties: item distributionis alia rei quotuplex. Aut propositionis vel orationis vniuersalis, particularis, indefinitæ, singularis. Aut syllabarum longarum, breuium, ancipitum. Aut accidentis in extenso vt maius: in intenso, vt magis album: in remisso, minus album. Aut continua, vel discreta.

## AXIOMATA VERO QVANTITATIS HÆC PAVCA SVNTO.

1 Quantitas quantitati contraria non est, quod commune cum substantia: per accidens tamen contraria potest esse: vt dicimus lineam curuam, lineæ rectæ contrariam, quia rectum & curuum qualitates contrariæ sunt. Sic tempus hyemale æstiuo contrarium, non per se, sed ratione effectuum. Nam hyemis & æstatis qualitates contrariæ sunt. Sic dies nocti nõ per se opponitur, sed per accidens, per priuationem, & habitũ. Neque multum & paucum, & magnũ & paruum propriè quantitates sunt, sed ad aliquid, siue relationem significant: nihil enim per se magnũ vel paruum, nisi ratione alicuius dicitur. Vt homo respectu grani milii, maximus dicitur: respectu alterius hominis, magnus: sed respectu domus, paruus: & respectu montis, vel ad mundi altitudinem comparatus, paruissimus: idem de cæteris cõjicito. Porrò in his quæ ad aliquid sunt, nulla inuenitur contrarietas.

Quantitas non ſuſcipit magis nec minus. Dico magis, non maius: magis enim perfectionem denotat vt non poſſit quantitas magis eſſe perfecta quàm ſit: veluti numerus vnus ſeipſo non poteſt eſſe perfectior in ſuo numero: verumtamen poteſt recipere maius, id eſt, poteſt extendi vel contrahi, & maior & minor eſſe poteſt. Quæ habent etiam locum in ſubſtantia: verum in eo quod maius vel minus dicitur, non ſub quanto eſt, ſed ſub aliquid, & relatione.

Maximè proprium quantitati, quod ſecundùm eam æquale vel inæquale quid dicatur. Nam ſecundùm longitudinem, latitudinem, corpus, pondera, ſyllabarum quantitatem, menſuram, & huiuſmodi, quantitate res æquales vel inæquales dicuntur. Aequalitas autem hìc & inæqualitas, reſtringuntur ad quantitatis modos, non autem intelliguntur dè æqualitate vel inæqualitate quantitatum, & aliorum. In continuis quæ ſunt eiuſdem ſpeciei & menſuræ, æqualitas inæqualitas, diuerſa exiſtente menſura, eadem tamen remanente ſpecie. Sic duæ lineæ æquales vel inæquales, & duo corpora &c. Et tempus per modos menſurandi æqualis vel inæqualis, per horas, dies, & annos, &c. Breuiter ſecundùm ſpeciales modos menſurandi fiunt quãtitates vel inæquales, vel æquales.

Et ex his, quantitas conſiderata, ſatis explicat naturam eius quod quantum dicitur. Quantum namque dicitur, quod eſt diuiſibile, vel menſurari poteſt, vt ſcribit Ariſtot. 5. Metaphyſ. c. 13. Quamobrem ſi noris aliquid quantum dici, vel eſſe, ſtatim cognoſcas neceſſe eſt, certum & finitum eſſe, vel tempore, vel loco, vel aliqua menſura, vt ſcribit idem Ariſtot. libr. Problem. ſectione 5. quæſt. 25. Qua ratione & corpus ſub ſubſtantia, inquantum naturale eſt ponitur: & ſub quantitate inquantum Mathematicum eſt vel menſuratum, vt ſcribit *D.* Damaſcenus lib. Dialect. c. *33.* & Paul. Iuriſcon. certum dicit, vbi quantitas adjicitur in l. 6. certum eſt, de reb cred. lib. 12. ff. tit. 1. Sed de quantitate, quæ Iuriſconſulti ſentiant, in iure latiùs Deo fauente dicemus.

Medici conſiderant etiam quantitatem, plus vel minus, vel ratione molis, vel qualitatis, vt tractat Galenus tomo 7. comment. in aphoriſ. 17. lib. 2. Aphoriſ. Hippocrat. Sunt enim medicamenta vel pharmaca, quæ etiam in modica quantitate molis ſumpta, tamen intenſam & magnam operationem exequuntur. Sicuti mandragora, papauer, cicutã,

quta, &c. Alia verò non nisi confertim ingesta, mole sui nocent, sicut dum nimium quis cibo impletur, vel mero.

Axioma Plotini lib. 7. Enneadis quartæ cap. 7. ab omni magnitudine exceptæ sunt intelligētiæ: primùm, vt ipsum pulchrum, ipsum iustum, similiter & eorum intelligentia. Quapropter accidentia, nobis impatibili quodam animo apprehendentur, atq; in hoc ipso impatibili sita manebunt.

## *De relatione, siue ad aliquid.*

### CAP. VI.

PLato lib. 13. in Theæteto, vel de scientia, scribit, nihil secundùm se ferè quicquam esse, sed in mutuo congressu omnia fieri, & omnigena propter motum. Et nihil esse vnũ secundùm seipsum, sed alicui semper fieri, ipsum autem esse vndique accipiendum. Pachymerus itaque in Epitome decem generum scribit, ad aliquid esse ea, quorum vis omnis, aliorum esse dicitur, idque secundùm Platonem, aut secundùm Aristotelem, quorum vis omnis aliorum esse dicitur, aut quoquo modo ad alia refertur. Quæ vltima finitio substantias excludit, quas tamen prima Platonis complectitur. At faciliùs quis hæc comprehendet, si annotet, ad aliud idem esse quod relatiuum, siue id quod refertur aut dicitur in ordine ad aliud. Sic seruus, respectu domini, dicitur: pater, filij: magnum & paruum. Duplicem autem constituimus relationem, realem videlicet, & secundùm modum dicendi: & exemplis illustrauimus summatim in Syntaxibus lib. 5. cap. 3. quæ ibi videto. Aristoteles tamen lib. 4. Topico. cap. 4. aliam tradit quoque diuisionem relatiuorum: vt ad aliquid dicuntur ex necessitate, non necessariò simpliciter. Ex necessitate in eis aut circa ea sunt, ad quæ dicuntur: vt dispositio & habitus, & commensuratio: in nullo enim alio possibile est esse quæ dicta sunt, quàm in eis quæ dicuntur. Non necessariò ad aliquid, ad quæ dicantur, relatiua quæ contingunt. Quemadmodum, si scibile quid est anima, nihil prohibet scientiam sui habere animam, non necessarium autem: possibile est enim, & in alio esse hanc eandem. Alia verò non simpliciter contingunt in eis esse, ad quæ dicuntur, vt contrarium in contrario: neque scientiam in scibili, nisi scit scibile animal vel homo.

## AXIOMATA RELATIVORVM.

1 Relatio contrarietatem suscipit interdum: nam virtuti vitium contrarium, scientiæ ignorantia. Dico interdum, quia non omnis relatio contraria suscipit, qualis ea quæ est proportionis, vt duplum ad simplum, maius ad minus, &c. ideoque verius illa obtinet in his quæ secundum modum dicendi, relationem includunt, quamuis nec in illis semper.

2 Relatio suscipit magis & minus, ratione eius, vel qualitatis, vel alterius cui adhæret, si ea recipiant intentionem vel remissionem. Vnde dicuntur res similes vel dissimiles magis vel minus. Nam & hoc ad aliquid, conuenit qualitatibus.

3 Omne Relatiuum respicit Correlatiuum, vel vt dicitur, ad conuertentiam. Conuertentia porrò est mutua ex sese dependentia duorum correlatiuorum, vt seruus habet dependentiam à domino, & dominus à seruo. Sic pater à filio dicitur, & contrà. Ne tamen confundas conuertentiam siue ἀντιστροφὴν cum conuertibilitate, & conuersione, quia hæc differunt. Conuertentia namque est dependentia mutua correlatiuorum in alicuius casus declinationis expressione, vt filius patris, vel patri, &c. Dominus serui, seruorum, seruis, &c. pater filij, æquale æquali, similis simili, &c. Conuertibilitas est æqualis duorum terminorum conuertibilium verificatio: vt species & differentia specifica, definitio & definitum. Conuersio est transmutatio subiecti in prædicatum, & contrà.

4 Relatiuorum ea est natura, vt vno illorum posito aliud ponatur, & vno sublato tollatur & alterum. Quod intelligendum de positione & sublatione eius quod est relatiuum: non de sublatione vel positione essentiæ substantialis. Nam mortuo filio, remanet quidem pater substantia: sed non tamen verè pater dicitur: quia enim filius non est, ideo nec pater. Sic mortuo patre, filius remanet, non tamen filius relatiuè non est, quia correlatiuum perit: cùm enim perit caro, perit generatio paterna & materna, vt scribit D. Chrysostomus in posterioribus homiliis in Matthæum homilia 33. in cap. 20. Matth. Hinc fit, correlatiua videri habere quandam communem naturam vnam, quia vno sublato, alterum non subsistit. Nec scientia sine scibili,

nec

nec opinio sine opinabili est, & contrà. Quamobrem apud Iurisconsultos etiam relatiuum, est in eo quod refert, & eiusdem naturæ correlatiua censentur apud Papinianum in l 77. asse toto, de hæred instituend. lib. 28: π tit. 5. & apud Martianum Iurisconsultum in l. 18. cùm seruus, de conditionib. Institution. lib. 28. π. tit. 7.

5 Qui determinatè & definitè nouit vnum relatiuorum, necesse est vt per consequens noscat & alterum Qui nouit enim quid sit pater, & cur ita dicatur, nouit statim quid filius, & quare ita dictus: sic de reliquis. Quamobrem & circumfertur illa vulgaris paræmia: cognito vno relatiuorum, cognosci & alterum. & correlatiuorum eandem esse disciplinam. Si enim dicas, dominum, statim necessariò consequens est, vt scias cuius sit dominus & habere seruum. Quod & in contrariis verum est, quia relatiua etiam contrarietatem admittunt, vt primo axiomate diximus, & vtrumque tam de contrariorum, quàm relatiuorum mutua cognitione, ex altero eorum, tradit Aristot. 5. Ethicorum. Et Caius Iurisconsultus in l. 1. de his qui sunt sui vel alieni iuris, libr. 1. π. tit. 6. *Videamus*, inquit, *de hiu personiu quæ alieno iuri subiecta sunt: nam si cognouerimus quæ istæ personæ sunt, simul intelligemus quæ sui iuris sunt.* Et Iustinianus in §. 1. de tutelis libr. 1. Institutio. iuris ciuil tit. 13. *Expersonis*, inquit, *quæ in potestate nostra sunt, quædam vel in tutela sunt, vel in curatione: quædam neutro iure tenentur. Videamus ergo de iis quæ in tutela vel curatione sunt, ita intelligemus cæteras personas quæ neutro genere tenentur.* Facit l. qui accusare, ff. de accusat. item §. 1. de his qui sunt sui vel alieni iuris in Institut. ciuil. lib. 1. item l. Pomponius, §. sed & is. ff. de procura. & aliæ similes. Considerare itaque debemus, ad quid referatur actio vel oratio nostra: nam per eam considerationem multum variatur rerum & actionum tractatio. Vt qui exploraturus est facultates naturales, oportet consideret primùm ad quid sibi proponat, num spectet vel ad facultatem hominis, vel brutorum vel alicuius horum, vel inanimatorum dirigatur intentio, ni errorem committere velit, vt scribit Galenus tomo 5. lib. 3. de naturalib. facultat. cap. 2. & 4.

*De agere vel actione & passione, & de opere.*

CAP. VII.

SVperiora Prædicamenta, adiuncta qualitate, quam nos ad calcem reiecimus, Aristoteles in Categoriis explicauit, reliqua autem sex quæ supersunt, non est speciali explicatione dignatus, existimans & illa in relatione contineri, vel ex superioribus colligi posse Quamobrem & Gibertus Porretanus librum de sex principiis ad Aristotelis Categorias adiunxit, vt explicaret quæ Aristoteles tanquam facilia per se cognitu, prætermisit. Nos etiam vt latior dicendi & interpretandi campus in nostra arte pateat, illa sex seorsim explicabimus, vt ex singulis & rationes, probationes, & solutiones ad argumenta adferre possimus. Cæterùm vt ex prædicamentis decem, nouem tantùm cellulas & distinctiones secundùm numerum principiorum Metaphysicorum nostrorum colligamus, supponendas superioribus, Actionem & Passionē vnico capitulo, & vnica cellula comprehendemus. Quia etiam videntur inter se mutuò natura colligata, vt sine vno aliud esse nō possit: nec actio nisi respectu patientis, nec passio nisi intuitu agentis dicantur: quodque de vno dicitur actiuè, de alio & passiuè intelligitur. Neque enim agens, quicquam ea ratione prius est, quàm patienti congrediatur: neque patiens, priusquam agenti. Quod enim congreditur alicui, & vim efficiendi habet, vti in aliud inciderit, ibi tum primum emicat patiens, vt iisdem verbis scribit Plato lib. 13. in Theæteto vel de scientia. Quare de vtroque simul agemus, distinguendo tamen quæ alicui horum particulariter conuenire possunt. Nam & actioni & passioni vnam subiecit naturam Aristot. libr. 1. de generation. & motu cap. 6. Igitur Galenus actionem diffinit, vt sit motus ex facientе in patiens: vti sanè, & passio motus in patiente, ex facientе in patiens, tomo 3. lib. de multitudine, & libro de Symptomatum differentiis. Et Arist. lib. 2. Ethicor. ad Eudemum, Actionem motum esse scribit: Rursum lib. 2. de anima c. 5. Actionem & passionem esse respectu motus. Quod & Plato sentire videtur, dum libr. 32. in Timæo vel de natura, passionem ex his quæ vel facilè vel difficilè mouentur, breuem & longam oriri ait & transfundi. Nam passio est continens actionis: & id etiā ex illis videtur collegisse Porretanus libro suo de sex principiis, ex quibus concludit, actionem,

nem, vel id quod per se mouetur, alterius actionis causam esse. Perfectam autem (ex primo Galeni de locis affectis) definiemus, actionem siue functionem vel operationem esse motum actuum, qui à facultate procedit, quæ Græcis ἐνέργεια. Est autem facultas vel potentia, actionum causa: proinde illa pereunte nulla sequetur actio, nec per consequens opus quod est id quod iam factum & completum est per actionem. Sic nulla inde functio, quia facultate corrupta, & actio & functio sequitur corrupta, vt scribit Galenus lib. 2 de natur. faculta. cap. 8. tom. 1. Idem Galenus tom. 1. lib 1. de natural. facultatibus cap. 2. & libr. 7. de vsu pulsuum, in principio, adiicit rationem, cur dixerit motum actiuum: *Quia* inquit, *plerumq; motus fiunt patiendo, quos sanè passiuos etiam nuncupant. qui cum partibus quibusdam accidunt, cùm ab alijs mouentur. Is enim motus ineſt ossibus, quæ in brachijs & cruribus sunt, fitq; à musculis, qui ipsis insunt, nunc quidem extra, nunc autem intra ad articulationes, ossa mouentibus.* Et hæc est in genere verissima actionis diuisio, genus & causam continens, nempe facultatem à qua causatur. Quam ob rem & actiones particulares etiam variant finitionem, sumendo facultatem illis propriam à qua procedunt, & finem, nempe actum pro differentia, ad quem diriguntur: sic referunt species facultatum, vel vitalium, vel animalium, vel naturalium. Dehinc, vsum explicant ad finem. Quo fit, vt Iurisconsultorum actio, quia habet facultatem & vim agendi à iure, & finem suscipit vt consequamur debitum, & in tribunali tantum mediante iudice, dicatur optime ius persequendi quod debetur in iudicio, à Iustiniano in §. 1. de actionibus libr. 4. Institutio iuris ciuil. tit. 6. Accipiunt enim ius pro potestate & facultate, vel facilitate actionis, vt ius seruitutis, ius eundi, vtendi, fruendi, id est, potestas & facultas, passim in titulis de seruitutibus & de vsufructu. Addunt persequendi, vt actorem signent, & distinguant ab exceptione, quæ est actio defensiua vt constat titul. de exceptionibus. Et distinguunt à fine, actionem criminalem, vt titulo Codicis Iustiniani, Quando ciuilis actio criminali præiudicet. Quæ facultatis sunt, & iura agendi vel accusandi: sed vna facultas crimen, alia ciuilem respicit causam, pro differentiis. Quia & omnes æquè in iudicio, vbi ius & facultas agendi singulariter per suam facultatem, quæ intelligitur in criminali vel ciuili negotio diuersimodè, & ita termi-

natur propria materia & fine eius actio. Actiones diuisimus item & explicauimus latè in 5. lib. Syntaxeon cap. 4. & 5. vt alia transiens, alia manens, & earum subdiuisiones: item actiones corporis animales, & naturales, vt non opus sit repetitione: & inibi quoque de acceptionibus passionis, ex quibus secunda est ex Aristotelis libro περὶ ψυχῆς: Tertia ex 3 de anima: item de axiomatibus actionis & passionis. Porrò vltra in rebus naturalibus tum aliqui philosophi vt Aristoteles, & Stoici, & alij medici, inter quatuor primas qualitates, tribuunt frigido & calido actionem: atque humidum & siccum, pro patientibus ijs subiiciunt. Quod improbat Galenus, vulq; omnia agere & pati, vtpote prima principia: fatetur tamen cum Hippocrate & alijs, frigidum & calidum magis agere, humidum & siccum, magis pati, idq; scribit tomo 1. lib. 1. de natural. facultatib. c. 3. & libris de temperamentis. Maximus certè vsus actionis & passionis in omni disputatione & inquisitione. Nam & per eas, opera examinantur quæ ab his procedunt, & actus tum hominum, tum aliorum animalium, rerumque aliarum naturalium, & stirpium, & pharmacorum effectus. Vocat Galenus tomo 1. lib. 1. de natural. facultatib. c. 2. id quod iam factum atque completum per actionem est, veluti in naturalibus actionibus, sanguinem, carnem, neruum, affectionem. ipsum actuum motum: causam verò, à qua actio hæc procedit, facultatem: vbi & notat, quod licèt actionem naturalem opus quoddam appelles, seu cõcoctionem, digestionem, & si ita loqui licet sanguificationem, non tamen contrà licet, opus actionem vocare omninò. Quo fit, vt actionis verbo, & opus, & actum contineri dicere possimus, non contrà, operis & actus nomine, actionem. Et vtroq; modo apud Iurisconsultos, actio sumitur & pro actu, vt actio pia, pro facto pio, in authen. hoc ius porrectum, de sacrosanct. Eccles. lib. 1. C. tit. 1. & apud Vlpianum in l. 3. §. fina. de donatio. inter vir. & vor. lib. 24. π. titul. 1. & alibi. Accipitur & pro motu actiuo, qui à sua facultate procedit: facultas autem, ius & potestas dicitur, vt in principio diximus, ex § 1. de action. lib. 4. Institut. iuris ciuil. tit. 6. Vbi diffinitur actio, ius vel facultas persequendi in iudicio, quod debetur. Pro qua facultate annotent Iurisconsulti, primum quod diximus, secundũ genus facultatis oriri actionem, ei facultati propriã. Porro facultates, actionis vel passionis in iure, vel ex lege, vel eius ministro seu interprete nem-

te nempe principe, vel ex hominum consensu, vel ex rebus ipsis oriuntur. Ex lege inquam, siue illa sit naturalis, siue diuina, siue humana. Et rursum siue hæc humana fuerit gentium, siue ciuilis, siue canonica, vel consuetudinis legitimæ: generalis vel particularis, vt ciuitatis, oppidi, vel fori alicuius iudicis, cuius consuetudinem particularem, vocãt Stylum, quasi proprium morem descriptum. Et istę facultates agendi vel patiendi, id est non agendi, vel legis vel principis, vel magistratus, dicuntur præcepta & prohibitiones, & communi vocabulo sanctiones, maxime si cum pœna fiant. Hinc dicimus, iustè vel iniustè agere licere, vel non: vel per legem & principem licere, vel non: videlicet licere, quæ agere ab his permittuntur: non licere, quæ vetantur: vt scribit Paul. Iurisc. in l. is filius qui fuit in potestate, de condition. & demonst. lib. 28. π. tit. 7. Atque ex illa generali facultate, pendent facultates & potentiæ aliæ, quæ producere queunt actionẽ aliquam efficacem ad opus & negotium aliquod. Nam si facultates permittuntur, vel consentiant, vel non pugnent legibus & superioribus, legitimam & validam producunt actionem: contrariæ autem, illegitimam, & ex qua non licet agere, Paul. Iurisc. in l. 6 legitima conuentio, vt Vlpian. in l. 7. iurisgentium, §. prætor ait, de pactis lib. 2. π. tit 14. Imp. Anton. in l. 6. pacta quæ contra, de pactis lib. 2. C tit. 3, cum similib. Constat autem in cõuentionibus, vel hominum commercio, varia determinari, & ex voluntatis facultate quæ cuiq; adhæret, diuersa limitari mutuo hominum consensu. Quamobrem ex eorum voluntate determinati consensus, contractus, vel contractiones & restrictiones limitationesque voluntatis variæ traditæ & à Iurisconsultis generaliter selectæ seorsum & ordinatæ. Quæ dicuntur ideo contractus sub conuentionis generaliori vocabulo, veluti species in differẽtiis specificis: namque latius nomen conuentionis, contractu, vt scribit Vlpian. in l. 1. §. conuentionis verbum, de pactis. libro 2. π. tit. 14. Illa autem, authoritas contractuum legitimè determinatorum, dicta est obligatio, nempe iuris vinculum, quo necessitate adstringimur, ad aliquid dandum vel faciendum secundum ciuitatis iura, vt scribit Iustinian. in §. 1. de obligat. li. 3 Inst. iur. ciuil. tit. 14. At quia limitatio voluntatis & conuentionis, reipsa interdũ manifestatur, interdum literis, interdũ verbis, interdũ alio cõsensu: tot etiã cœperunt esse contractuum differentiæ, in §. fi. de obligat.

& apud

& apud Paulum, Iulianum, & Caium, in l. 1. 2. 3. 4. de action. li. 44 ff. tit. 7. Tot etiam cœperunt esse potentiæ & facultates ex obligationum nexibus quæ actiones sui nominis exerunt. Hinc consequuntur actiones locati, empti, venditi &c. per proprios titulos dantur & exercentur, secundùm iura, ad consequendum, vel faciendum, vel prohibendum, quæ à facultatibus vt finis, pendent. Et quia etiã nobis, non ab hominum conuentione, sed legis authoritate sæpè aliquid agere vel pati conuenit, secundùm finem & potestatem determinatam à lege, eius & nominis actionẽ vocamus. Dicimus itaq; actionem ciuilem, & criminalem, ius vel facultatem à lege, vel iniunctam vel datam accusandi vel agendi ciuiliter vel criminaliter, vt tit. C. quando ciuilis actio criminali præiudicet. Sic Iustinian. in §. Omnium, De obligationib. tit. gener. obligationes ex lege iure aliquo confirmatas, & ex prætoris iurisdictione concessas, memorat. Habes itaque ante actiones, conuentiones: dehinc determinationes perfectas, in quibus compositionis integritas, præfert vinculum obligationis. id est indissolubilem conuentionem, ex qua facultas propria agendi oritur, & actio. Sicuti & quatuor elementa, primò conueniunt, & faciunt generalem compositionem & Chaos quoddam: dehinc secundo, determinant partes similares, vt ossa, carnes & reliqua: & vltimo in loco, certas dissimilares constituunt cum suis facultatibus & actionibus proprias, vt pedes, manus, & huiusmodi, vt scribit Aristot. 2. De partib. Animal. cap. 1. In reliquis autem quæ conuentione nõ fiunt, vim illam addunt lex, princeps, magistratus, propriis formulis & præceptis. Sed dices quæ hic passio? Respondeo esse in materia, & in obligato, & in eo contra quem agitur: in materia, quod ea pati possit modum contractus: nam pleraque sunt quæ extra commercia hominum sunt, vt res sacra, religiosa, teste Vlpiano, in l. 1. Martian. in l. 6. in tantum §. Sanctæ, De rerum diuision. libr. 1. ff. tit. 8. Iustinian. in §. nullius §. Sacræ, De rerum diuisio. libr. 2. Institu. iuris ciuil. tit. 1. Vlpiano in l. 83. inter stipulantem, §. sacram, De verbor. obligationib. li. 45. ff. tit. 1. cum similibus. Notant iurisconsulti tamen, actionis verbo propriè sumpto, non contineri exceptionem, quæ est rei patientis defensio, vt scribit Paul. iurisconsul. in l. 8. Verbum erit. §. 1. De verbor. & rerum significatio libr. 50. ff tit 16. quia exceptio est actionis exclusio, vt scribit Vlpian. in l. 2. De exceptionib.

ceptionib. lib. 34. π. tit. 1. & Iustinian. in §. 1. De exceptionib. libr. 4. Institution. tit. 13. Et eo respectu impropriè actio, exceptio. Cæterùm, & quia qui excipit, agere videtur, vt ait Vlpianus in l. 1. De exceptionib. lib. 34. π. tit. & actionis verbo, latissimè sumpto, continetur. Est etiam passio ex parte obligati, quia qui cõuenitur, in ius ducitur, accusatur. In criminibus etiam actio & passio: vt qui iniuria afficit, agit, qui sustinet, patitur: & patitur quis plus vel minus, ratione dignitatis, vel vulneris, vel loci, Iustinian. in §. patitur & §. atrox, De iniurijs lib. 4 Institut. tit. 4. Vlpian. in l. 7. prætor edixit. § final. & Paul. in l. 8. vulneris magnitudo, de iniurijs lib 47. π. tit. 10. item alius occidit, alius occiditur. In testamentis, testamenti factio, actiua in eo qui testatur, is legat, instituit, substituitve: passiua, in eo qui recipit ex testamento quippiam, Pomponius in l. 16. filiusfamilias, de testamentis lib. 28. π. tit. 1. Iustinian. in §. testamenti autem factionem, de hæred. qualit. & differ. lib. 2. Institu. iuris ciuil. tit. 19. Reliqua iuris omitto. & in summa cũ Cicerone li. 3. de Finib. bonor. Actionum dico plura esse genera, ita vt etiam maioribus minora obscurentur. Talia sunt, consideratio, cognitio rerum cœlestium, occulterum & latentium indagatio: rerum publicarum administratio, virtutes & actiones. Plures loci argumentorum hinc possunt colligi, vel à varia actionum operatione, vel a facultatum similitudine, vel à cõsequentia, vel à regulis de actione traditis. Totidem & sumuntur à passione, secundùm rerum quæ sẽ offerent naturam. Semper autem obserua, quod & D. Athanasius tradit libro de diffinitionibus, & D. Greg. Nissenus, & nos supra diximus, Actum, esse cuiusque naturalem potentiam & motum, vel vt diximus melius, ex potentia motum. Nam quoduis essentiale, suã habet efficaciam, vtpote intelligentia intelligendi: sensitiua, sentiendi: mõtiua, mouendi: volatilis, volandi: natatilis, nãdi &c. Mutat tamen quod admirandum est, actionem, res naturalis interdum, priuata suis naturalibus actionibus: veluti lapis adustus, naturalem vim suam amittit, & sit inextinguibilis atque vim adurendi retinet. Et Cedrus amissa vi germinãdi, sanandi efficaciam suscipit vermesque baccharum suarum odore necat.

*Axiomata quædam.*

1. Instrumentaria omnis causa, per se omnis actionis est expers. neque agit nisi superiore & diuiniore causa excitetur. Aristot. 8. Physic. 2. Duplex

2 Duplex est potentia, altera quidem agentis, altera patientis: & illa quidem est mater actionis, hæc autem perfectionis est susceptaculum, vt ait Proclus Commentario in Alcibiadem primum Platonis,

3 Omne simul actiuè & passiuè mouens, Physice mobile existit, Aristot. Physic 3.

*De vbi prædicamento.*

## CAP. VIII.

VBi indicat esse in loco. Differunt tamen vbi & locus: quia locus, est id quod capit, vbi vero, in eo quod circumscribitur. Esse in loco generaliter, est idem quod replere locum, ab eo quod replet antea vacuum. Modi autem replendi quinque sunt ex Titelmano in Compendio naturalis Philosoph. lib. 4. cap. 15. Primus modus corpora respicit, quæ dum locum replent, aliud locum eundem accipere & occupare non patiuntur.

Secundus modus eorum quæ per se quanta non sunt, sed per accidens coextenduntur quantitati, vt formæ corporales, & accidentia reliqua corporalia, quæ implent fœlicius quàm priora, quoniam se mutuo non impediunt, nec obstat alterum alteri.

Tertius modus, qua anima rationalis replet materiam, vel corpus proprium dum in ipso est. Quæ profectio excellentius aliis formis replet: quoniam singulas partes corporis totas replet: cæteræ verò habent partes suas, partibus corporis respondentes.

Quartus modus est animæ separatæ, & spiritualiũ substantiarum, quæ positam animam in corpore excedunt: eò quòd sit quodammodo quanta, quamuis non coextensa corpori. Nam finitur eius vis & replentia, quantitate corporis in quo hospitatur. Non sic est, dum per se existit, neq; in spiritibus qui nullos terminos secum deferunt. Quoniã tamen horum replentia alicubi finem capit, nimirum vbi desinit præsentia virtutis eorum, ideò non optimè replent. Quod & Galeottus Martius lib. de doctrina promiscua cap. 38. Apud doctos communi animi conceptione receptum tradit teste Boëtio, substantias scilicet separatas, quas vitas vocat, vno instanti in locis maximè distantibus esse posse, sicut nos cogitatione & agitatione mentis, sine interuallo, & Romæ & Memphi esse possumus, vt talis vitarum spirituumq; natura censeatur.

Quin-

Quintus modus est eius quod replet sine aliquo termino, vel proprio vel alieno, cuius virtus, non potest vsquā finem capere, nec aliquando. Cuius tota virtus, similiter toti præsto est loco, & singulis partibus: qui ideo summè replet, & omnia replet intimè & penitissimè vt nihil non contineat in sese, imò verò vt ipsum semper cōtineat & cōcludat in se omnia, & à nullo cōtineatur, & hic solus Deus.

Brenius alij per triplicem esse in loco descriptionem notant circunscriptiuè, diffinitiuè, siue repletiuè, vt diximus libr. 5. Syntaxeon cap. 16. Philo Iudæus libro de Somniis, Tripliciter locum etiam intelligi dicit: Primo, spatiū quod impletur corpore: secundò, pro sermone illo Dei, quem Deus ipse expleuit incorporeis potentiis, talis locus electus à Deo sacrificiorum & altaris. Tertio, ipse Deus, vocatur locus: eò quod omnia contineat & à nullo contineatur, solus sui capax, & seipsum explens, vocant Hebræi מקום *makom*, locum. prout itaque corporalia respicit vbi, vtque solum in prædicamento accipitur, sic omnes definiunt, vt sit locatio vel circumscriptio corporis locati, à loci circumscriptione, vel ambitu procedens. Fit autem illa circumscriptio à superficie cōcaua, vel multum vel parum, qua aliud concluditur. Nam in connexa superficie non est vbi, quia illa non continet, sed continetur. Nullum enim est vacuum in rerum natura, sed aliud ab alio continetur & concluditur. Et illud, aliud concludit & continet, vt in tunicis cæpe videri potest. omnia autem vel aëre, vel aqua, vel igne, vel terra, vel ex his compositis, vel corporibus æthereis implētur, cedunt tamen mutatione rerum, alia corpora aliis. Et Deus tam perfectus est rerum opifex, vt nihil quod non seruiat atque necessarium sit in rerum natura creauerit. Et ita omne eius opus perfectum, nec abundans, nec mācum, quod accideret si vacuum esset. Vacuum tamen impropriè dicimus respectu solidorum corporum locum vel superficiem concauam corpore contento vacantem, vel cui accedere, & vbi concludi potest corpus aliud solutum, vel aliud cessione prioris posterius.

## AXIOMATA.

1 Vbi, contrarietatem non habet, idque illi commune cum substantia: intellige tamen hoc, secundum logicos, non Physicè, nam eo modo esse sursum & deorsum, quodammodo contraria sunt, quia motus contrarij.

a Vbi

2 Vbi non suscipit magis vel minus, in quo etiam communicat substantiæ. Nam qui est in templo, non magis est ibi, quam qui est in domo.

3 Notá, vbi interrogatiuum locum quærere, in quo: Vnde, locum ex quo ponitur vbi pro quando, vt vbi id factum est: vel pro postquam: pro aduerbio temporis. Sic apud Vlpianum in l. 20 confestim, Ad Senatusconsult. Tertullianum lib. 38. ff. tit. 18. confestim intelligendum est, vbi primum potuit, id est, quando potuit adire iudicem. Sed nos hic accipimus pro aduerbio loci tantum, sicuti apud Marcellum iurisconsultum in l 30. vbi cœptum, de iudicijs lib. 5. ff. tit. 1. *Vbi cœptum est iudicium, in eo loco terminari debet, cum similibus.*

## *De loco & vacuo.*

## CAP. IX.

VErum quia sedes propria Vbi, est Locus: nos qui non tam prædicamentum quam sedem & cellulam dicendi copiosè vnam, ex hac distinctione colligimus, diffundere possumus orationem per locum ipsum: quamobrem quædam de loco dicamus. Principio itaque admonendi sumus, Antiquorum longam nec adhuc determinatam fuisse quæstionem, num locus esset priusquam seculum vel vacuum quicquam esset. Thales enim & eius sectatores, vsque ad Platonem negarunt vacuum esse. Empedocles negauit intra mundum esse, extra vacuum esse consentiens. Leucippus, Democritus, Epicurus, & Metrodorus atomos quidem multitudine, vacuum autem magnitudine, infinitum esse dicunt. Stoici intra mundum nihil vacui esse, extra mundum infinitum dicunt. Alij, tantum vacui extra mundum esse, quantum ad respirationem mundi faciat: existimant enim mundum igneum, & euentatione indigere, vt scribit Galenus tom. 8. lib. de histor. Philosoph. Et hæc quæstio in vtramque agitatur partem ab Aristotele, toto 1. 2. & 3. cap. lib. 4. Physic. & à Themistio ibidem & aliis. Et à Lucretio libr. 1. de rerum natura, qui quatuor argumentis fortissimis prælibatis, tandem ita concludit obiectionibus, vt sibi videtur, sublatis:

*Omne vt est igitur per se natura, duabus*
*Constitit in rebus, nam & corpora sunt, & inane:*
*Hæc in quo sita sunt: & qua diuersa mouentur.*

Inane, vocat locum in quo corpora sunt, & in quo mutuò

tuo sese impellunt & mouentur: Nam & Aristoteles lib. 4. Physic. ca. 1. fatetur locum esse aliquid extra corpora. Dixerunt & Chaos antiqui, primum illum locum ante omnia fuisse hiantem, & suo complexu omnia complectentem: verum tamen nemo dicit, quæ sit illa prima vacuitas, vel quis sit ille locus. Et certè valde etiam curiosa est quæstio, imò valdè incerta, quanquam nos possumus effari locum beatorum esse extra mundum: verùm hic locus; non est illa vacuitas, quæ intra mundum est, sub qua mouentur res è loco in locum: ideirco nos existimamus illas controuersias inutiles esse omittendas, dicendumque quendam locum, vacuum quidem à corpore visibili & non cedente, plenum tamen alio corpore fluxo: sitne autem ille forma, aut materia, vt Plato voluit, aut vtrumque, nihil nostra nosse interest. Nam & Plato lib. 32 in Timæo scribit. cum de loco hoc quicquam dicimus generali, nos veluti somniare, nec quicquam clarè cognoscere, cum certè, vt Themistius ait, Physicor. Cõmentar. 19 locus nõ est aliquid corporis, non pars, non affectio, non habitus, non potestas.

Stoici & Epicurus, differre inane locum, & receptaculum vel loculamentum existimarunt, vt scribit Plutarchus lib 1. De placitis Philosoph. cap. 20. inane dicentes vacuitatem corporis: Locum autem quod obtinetur à corpore: loculamentum verò, quod ex parte obtinetur, vt in vini vase. Galenus tom. 8. lib. De historia Philosophica id etiã refert. Locum Plato definit, id quod formas assumere natum est, translatione quadã materiam dicens, tanquam nutricem & susceptricem, idq; in Timæo Arist. extremum dicit continentis, cum contento cõmittens. refert Plutarchus li 1. de placitis Philosoph. c. 19. Thales, maximum ideò dicebat omnium locum, quod capiat omnia, vt scribit Diogenes Laertius lib. 1. in eius vita. Vnde & Rhetores, locos vnde argumenta depromunt, dixerunt Sedes, & veluti continentiam argumenterum, vt scribit Cicero in lib. Topic. Cæterùm notandum est, locum etiam esse alicubi, sed non vt in loco, sed vt finis in eo quod est finitum, vt explicat Aristot. lib 4. Physic cap 5.

Locum diuidunt Aristotelici, ex capit. 2. lib. 4. Physic. in locum proprium, & communem Explico breuiter, proprium esse proximum quo quid continetur: communem, qui & hunc locum & alia continet, vt cubiculum, cuiusque locus proprius, domus communis cubiculorum.

Et rursum, Ciuitas, communitas ædificiorum, sic Vlpianus in l. 60. locus. De verb. & rerum significatio. lib. 50. π. tit. 16. locum à fundo distinguit, quod locus sit communis comprehensio, & rusticorum & vrbanorum prædiorum: fundus autem sit pars contenta à loco. Sic dicimus prouincias loca, nempe communia. facit etiam quod scribit Florentinus Iurisconsultus, in l. 211. fundi appellatione, de verb. & rerum signific. lib. 50. π. tit 16 De loco autem proprio eumq; accipi pro agro, pro ædificio, alioq; particulari, habes te docentem Vlpianum in l. 2. §. 1. & l. 8. ossa. §. in hac autem actione, De religios. & sumptib. funerum lib. XI. π. tit. 7. Rursum corporum loca duo Aristot. 4. Physic. cap. 4. supra, infra. Et libro de communi animalium gressu, locum tripartitè distinguit in supremum, medium, & infimum. Cicero pro indagatione negotiorum, Rhetoribus locum considerandum esse scribit lib. 2. Rhetor. ad Herennium. num celebris vel desertus, sacer an profanus, publicus vel priuatus: num qui passus est, exaudiri potuerit, vel non. Cōsiderant etiam hæc in multis iurisconsulti, vt constat ex titulis: De rerum diuisione in π. & Institutionibus ciuilibus.

## AXIOMATA.

1 Omnia mutabilia esse necesse est, quia in loco sunt vniuersa, vt scribit Aristot. 4. Physic. cap. 14. §. vt autem lex, tit. De non alien. reb. Ecclesiæ in authentic.

2 Corporum vnumquodque, suapte natura, proprios ad locos fertur, vel sursum aut deorsum pergendo, & in his manendo. Arist 4. Physic. c. 4. ferri autem in suum locum quodque nihil aliud esse dicit, quam in suam formam ferri, lib. 4. De Cœlo c. 3. & Eccles. c. 3. d. *Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum, de terra omnia facta sunt & in terram pariter reuertuntur.* Refertur & in can. in Ecclesiastico. 13 quæst.

3 Quia loca finita, & quod his continetur, finitum sit necesse est. Aristot. 3. Physic. c 3.

4 Opportunitas loci & temporis, est prima causa secundum Pythagoricos, ex qua omnibus bonum adest: fortuna quippe humana opportunitas q; omnia gubernat, Proclus lib. commentario in Alcibiadem. 1. Platon.

5 Loci dimensiones tres longitudo, latitudo, profunditas Aristot. lib. 4 Physicor. c. 1.

6 Omnibus in locis, etiam quæ viliora videtur, nec Deus immor-

immortalis deest: sic & in minimis quibusq; rebus, naturæ numen, & honestum pulchrumque inest ingenium: Quia nihil temere fortuitoque commissum sed alicuius gratia. Arist. de partib. Anima. cap. fin. vbi refert Heraclitum dixisse quibusdam illum quærentibus, & à longe prospicientibus in furnaria ad locum sedentem: Ingredimini fidenter, quoniam nec hic quidem loco, Dij, vt loquebatur idololatra, desunt immortales.

7 Pro locorum, scilicet communium, varietate, variantur etiam res, vt de æstimatione rerum habetur apud Paul. iurisconsul. in l. 63 pretia rerum, § fin ad l falcid. li. 35. ff. tit. 2. Extat integer titulus qui huic axiomati fidem facit, De eo quod certo loco, lib. 13. ff. tit. 4. Variantur & leges morales, ciuiles, & consuetudines l. de quibus. De legibus lib. 1. ff. tit. 3. Voluerunt itaque sapientissimi Nomothetæ, apponi in instrumentis, loca in quibus fuerunt celebrata, vt notatur illa solennitas, requisita inter alias instrumentorum, à glo. in l. generali. De Tabularis lib. x. C.

8 Bonum est argumentum de tempore ad locum. Nam quemadmodum si sine die res dari debuerit, tanti res æstimatur quanti erit, dum iudicium accipietur: sic de loco nihil dictum: locus consideratur quo petitur, vt scribit Caius Iurisconsultus in l. 4 si res aliqua, de Condict. triticaria lib. 13. ff. tit. 3.

9 Non propter locum gentem: sed propter gentem, locum Deus elegit. ideoq; & ipse locus factus est particeps malorum, populi postea fiet socius bonorū 2. Machabeor. cap. 5. c. & interpretatur id, Canon quælibet, 40. distinction. in Decreto Gratiani prima parte.

## *De positione vel situ.*

## CAP. X.

TRactatio de positione, rectè sequitur Vbi: eo quòd toto cognito in vniuersum, conueniens est inquisitio partium. Cæterum quemadmodum Vbi, significat & refert quendam ordinem & relationem totius locati ad totum locum, cum circumscriptionis expressione: sic positio, exprimit situm partium locati, in partibus loci correspondere. Ideo & Aristot. 1. De genera. & corrupt. cap. 6 positionē habentia in extremas partes excurrere simul ait, cum inquit positio iisdem reddatur quibus & locus. Quamobrem Iurisconsulti, ait, possessionem localem, & loci deten-

tionem: quia à positione pedum, vel secundum alios, sedium, dicatur, apud Paul. iurisconsultum in l. 1. & l. 3. De acquirend. possessione, libr. 41. π. tit. 2. Et adhæsio pedis requirebatur in possessione, quia & scribitur Deuteron cap. 11. Omnis locus quem calcauerit tuus pes, tuus erit. Porrò positionem tripliciter accipi ignorandum non est. Siquidē primo positio sumitur prò propositione & θέσει, vel axiomate sine medio existente, vt scribit Aristot. libr. 1. Resolu. posterior. cap. 2. Et alibi 1. Topicorum, cap. 9. vocat existimationem inopinabilis alicuius notorum in philosophia, existimans eam esse idem quod problema, sed non contra. Secundò pro ordine partium inter se, & per respectum ad totum, quo sensu pertinet ad punctum quantitatis. Tertio vt hic sumitur est ordinatio vel situs, siue dispositio partiū alicuius cōporis locati vel in loco. Estq; vel naturalis, vel ex voluntate, vel à casu seu accidente, vt docuimus libr. 5. Syntaxeon cap. 7. Modi situs vel positionis sunt septem quorum aliquos tradit Aristot. lib. de communi animal. gressu, nempe sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, antè, pòst, retro, item cessio, statio, iacere.

Dictiones omnes partium per ordinationem & positionem, in hoc prædicamento sunt: vt status, cessio, accubitus, iacere. raritas, spissitudo, asperitas, leuor, accliuitas, decliuitas, inclinatio, inflexio, supinitas. positionem Galenus considerat, rectam & obliquam: Obliquam autem in radio brachij, quemadmodum & in vina rectam. Obliquam duplicem dicens, vnam quæ cœpta intus, foris desinit: alterā quæ foris quidem incipit, intus autem desinit, Galenus tomo 1. lib. 2. De vsu partium corpor. human. c. 13. quæ omnia positionis naturalis sunt. Positionem & situm, reducunt Mathematici, vt Geometræ & Cosmographi, Astrologi & Rustici, generaliter ad ortum, occasum, septentrionem, meridiem.

## AXIOMATA
### *positionis.*

1 Positioni nihil est contrarium, hocq; commune cum aliis habet.

2 Positio non recipit magis & minus, commune & cum aliis hoc: quia positio suscipit fundamenta à loco, & locus est quantitas, & quantitati nihil est contrarium, nec suscipit magis vel minus.

3 Pro-

3 Proprietas positionis, quod substantiæ proximè adhæret, omnibus aliis formis prædicamentalibus, id est, accidentalibus suppositis, quæ præcedunt ipsam positionem.

4 De positione quæ propositio dicta est, vel Thesis, ex Platone lib. 15 in Sophista vel de ente, hæc est regula: Qui positioni non credit, reprobare debet: & qui reprobare non valet, credere debet.

5 Medicorum, qui ignorat positionem partium corporis humani, facile ignorat earum partium vsum & actionem, Gal. lib. 2. De vsu partium corpor human. cap. x. Partium autem situs habentur facilè ex anathome, & sensibus, non ex demonstratione, vt scribit Galen. in lib. de humana natura, Hippocrat. commẽtario 20. Et ex positu partium, indicatio non est contemnenda, vtpote quæ, per quę euacuare oporteat, atque quomodo ipsa, præcipuè demonstrat, vt scribit Galenus lib. 2. De Arte curatiua ad Glaucum tomo sexto.

## *De quando.*

## CAP. XI.

QVando, manifestat esse in tempore aliquo, non autem tempus: quia quando est accidentalis quædam habitudo rei temporalis: quæ scilicet habitudo, in ea re inuenitur, prouenies ex mensuratione temporis, & eo quod tempore mensuratur. Itaque sub quando, ponitur præteritum, præsens vel futurum, vel hora, vel dies, vel alia mensura temporis: nam hæc quantitatis sunt. Sed ponitur esse, vel fuisse in præterito: esse, in præsenti: fore, in futuro: in die, in anno, & in similibus mensuris temporis, in calendis ianuarii, in festo, in natali, in ortu, in interitu. Et per aduerbia hodie, cras, heri, nudius tertius, perindie, sub rege tali, sub principe, id est, dum regnaret ille princeps. Item dum loqueretur, quando bibebat, agebat, faciebat, re illud autem quando dormiebat, vel loquebatur, non relatiuè intelligitur, sed temporis certitudinem demonstrat. Diximus libr. 5. Syntaxeôn cap. 8. quomodo duplex sit, quando simplex & compositum, & axiomata eius non reperam, cum nihil illis addendum nunc censeam.

*De tempore.*

## CAP. XII.

SEd quia nos in nostra arte, vberrimos ex quando, & tempore colligimus fructus, sedesque plures rationum, latiùs hic quàm pro prædicamenti quando, necessitate requiratur, de tempore agemus: atque considerata sylua eorum quæ dicenda sese offerunt de Tempore, breuiùs, ne compendij fines excedamus. In primis, quanquam D. Augustinus fateatur in opere confessionum, ignorare se quid sit tempus, nos tamen antiquorum hac de re sententias in medium publicæ vtilitati communicabimus. Hippocrates itaque libro de præceptis, sic scribit, tempus est, in quo temporis occasio inest. Temporis autem occasio, in qua tempus non multum. Quæ certè finitio non quid sit tempus sed quid contineat, mihi explicare videtur. Subitóque illa dubitatio D. August. potissimùm cùm & Arist. lib. 4. Physicor. c. 10. & libr. 8 Physicor. cap. 6. videatur dubitasse, num inter existentia & quæ esse habent, Tempus sit enumerandum. Nam in illo vel fuit vel futurum est, quod fuit iam non est, sed nec quod futurum est, est nunc. Et cum partiatur quod est, partesq; remaneãt, cùm multæ sint partes transacti vel futuri temporis remanentes, tempus esse aliquid non videtur, cum ex non entibus aliquid construi non possit. Momentum autem quod sub hoc nunc significatur, non est temporis pars sed exitus terminus, & confinium temporis. Neque ex momentis componitur tempus sed ex præterito & futuro tantùm. Quibus sub dubio remanentibus, antiqui vix potuerunt temporis finitionem adferre & qui adferre voluerunt, maximè errarunt.

Varia de tempore etiam præstantiorum opinio: siquidem vt scribit Plutarchus li. 1. de placitis philosoph. c. 20. & 21. Pythagoras dicebat, Tempus sphæram extremi ambientis esse. Plato, æui effigiem mobilem, vel mundanæ motionis intercapedinem. Eratosthenes, solis iter. Dehinc Plato, essentiam temporis motum cœli. Stoicorum plerique, motionem ipsam: scribit & Galenus tomo 8. li. de Histor. philosophica.

Quidam deinde vniuersi motum, quidam autem sphæram ipsam, quod neutrum vltimorum tamen verum est: quia tempus quidem ex vniuersi cõuersione sumptum est, non tamen est conuersio. Nam & sequitur, quia conuersiones sunt

nes sunt plures plurium cœlorum, & fore diuersa tempora. Præterea vt ait Themistius lib. 4. Physicor. comment. 93. & 94. Temporis partes, præteritum & futurum sunt, cœli non sunt, tempus fit cœlum iam est: cœlum substantia est, tempus substantia esse non potest. Dehinc non esse vniuersi totius conuersionem, docet: quòd sequeretur diem & noctem, non esse, quia totius vniuersi conuersione non fiunt, sed hemisphærij. Præterea vniuersi rotatio non vna vel simplex est, sed ex diuersis motibus aduersis & obtinentibus: tempus autem, vnum & simplex. Item, motus cœli totius non est æqualis, sed qui sub æquinoctium occisimus est, sub polos retardatur, & quasi retunditur: tempus rebus omnibus idem æqualeque habetur. Quamobrem fuit Lucretij sententia, in primo De rerũ natura. *Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis, Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo, Nec per se quenquam tempus sentire fatendum est.*

Et ideo Zeno, tempus forsan existimauit incorporeum, quod interuallum sit mundani motus, vt refert Diogenes Laërtius in eius vita lib. 7. Tempus ergo, cùm sine motu esse vniuersi non possit, nec tamen motus sit, necessario dicitur accidens, affectio, vel annexio, vel adhærens, vel additum motui: illud autem, secundùm prius corruptum momentum, & posterius sequens, vt scribit Themistius lib. 4. Physicor. commentarior. 99. Quamobrem comment. 101. ex mente Aristotelis libr. 4. Physicorum cap. 11 definit tempus, ita:

Tempus est numerus, ex priore & posteriore motu collectus. Quia numerantur motus, & plures simul. Nam & motus nihil aliud est, quàm oriri & fieri, hunc autem fluxum tempus mensurat: & ita Aristot. lib 2. De generation. & interitu cap. 10. scribit, tempus non posse esse absque motu, & ob eam rem tempus continuæ rei numerum esse, & idem libro 1. de Cœlo cap. 9. Consentit Cicero li. de vniuersitate, dum annos, & menses, numerum, conuersiones Solis & Lunæ esse scribit. Quanquam, idem Cicero difficile diffiniri tempus dixerit 2. de Inuentione, cuius verba hæc sunt: *Tempus autem est, id quo nunc vtimur: (nam ipsum quidem generaliter definire, est) pars quædam æternitatis, cùm alicuius anni, menstrui, diurni, nocturnive spatij certa significatione.* Et Plato lib. 32. in Timæo dum ait, *ideirco mundi artifex, dum imaginem aui me-*

*bilem effingere decreuit, ac dum cœlum exornaret, fecit æternitatis in vnitate manentis, æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. Dies porrò & noctes, & menses, & annos, qui ante cœlum non erant, tunc nascente mundo, nasci iussit. Quæ omnia temporis partes sunt. Atqui erat & erit, quæ nata temporis species sunt, non rectè æternæ substantiæ ea assignamus. Dicimus enim de illa est, erat, erit. Sed illi reuerenter solum esse competit: fuisse verò, & fore deinceps, ad generationem tempore procedentem, referre debemus: modus enim quidam duo illa sunt. Æterna autem substantia, cum eadem semper & immobilis perseueret, neq; senior seipsa fit vnquam, neq; iunior, neque fit hactenus, neque erit in posterum, neque recepit eorum quicquam quibus res incorporeæ mobilesque, ex ipsa generationis conditione subiiciuntur. Nempe hæc omnia temporis imitantis anuum, seque numero reuoluentis species sunt. Sæpe enim dicimus quod factum, esse factum: quod fit in generatione esse: quod fiet, esse faciendum: & quod non est, non esse quorum nihil rectè & exacta ratione dicimus. Tempus verò, vna cum cœlo factum est, & vnà orta, vnà etiam dissoluantur si qualis dissolutio vnquam contigerit.* Hactenus Plato in Timæo. Et rursum libr. 9. in Parmen. vel de vno omnium principio, temporis notas exprimit, illius numerationis: *Ipsum erat*, inquit, *fuit, fuerat, nonne participatione temporis quandoque præteriti significare videtur? Quomodo. At verò erit fiet, factum fuerit, an non futurum nobis designant? futurum. Est autem, aut fit, præsentis sunt temporis nota? omnino quidem. Si ergo ipsum vnum, nullo prorsus participat tempore, nec fuit vnquam, nec fit, neque est, neque fiet, neque factum erit, neque erit. Verissima hæc sunt.* Macrob etiam definit tempus, certam dimensionem, quæ ex cœli conuersione colligitur, libro primo Saturnalior. cap. 8. Proinde constat ex motu fieri & numero tempus. Quamobrem & miror, quod Aristotel. libro octauo Physicor. Platonem vtcunque notasse, quod dixerit solus, nempe in Timæo, ipsum tempus ortum esse, & vna cum cœlo, putans Aristoteles, (vt etiam Laërtius libr. 3. de vitis philosophor. in vita Platonis, Platonem docuisse testatur) semper ipsum fuisse. Nam & ex Aristotele colligo tempus ortum fuisse, siquidem ipse fateatur factum mundum: nam cum tempus sine motu non sit, neque motus sine corpore

pore esse potest, vt idem Aristoteles scribit 1. de Cœlo. cap. 9. quare neque fieri potest, vt motus tem motam præcesserit, sed necesse est aut hunc simul, aut post existere. Vnde necessarium remanet tempus, aut æquæuum esse mundo, aut recentius. Affirmare autem illum esse antiquius, reuera alienum est à philosophia, vt docet etiam Philo Iudæus libro de Mundi opificio, & Mose cap. 1. Geneseos mundi, post mundum creatum, statim stellas & Solem, & Lunam, facta scribit in signa & tempora. Neque fuit tempus ante tempora, vt scribit *D.* Augustinus libro 5. de Ciuitate Dei, c. 16. Et tradiderunt antiquissimi Ethnici, cùm Chaos esset, tempora non fuisse, vt scribit Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 8. Quum & Hesiodus in Theogonia ex Chao omnia prodisse scribit. Et idem Macrob. lib. 2. in somnium Scipion. cap. 10. ante mundum non potuisse esse tempus, cùm illud fiat ex cursu Solis.

Temporis diuisio, communis est in tempus præteritum, vetus: præsens, recens: futurum, instans: quorum notæ fuit, fuerat, est fit, erit, fiet. Ita Plato diuidit in Parmenide, ita Cicero 2. Rhetoricæ ad Herennium, & primo de Inuentione, dum de confirmatione agit, & in Partitionibus orator. & Seneca libro de Breuitate vitæ.

Scribit Macrobius apud Ægyptios, in quadam ciuitate, vbi Isidis & Serapidis idola adorabantur, Herculem Solis nomine cultum in cuius capite calathum infigebant tricipiti capite effigiatum, leonis, canis, & lupi. Capite leonis vim & effigiem præsentis temporis significantes: Capite canis blandientis, futurum spe plenum: Capite lupi, memoriam præteriti rapti temporis. Zeno ex his præteritum & futurum existimauit esse tempus infinitum: præsens autem finitum, vt scribit *D*iogenes Laertius libro 7. in eius vita.

Iurisconsulti interdum & alii, tempus pro tempore accipiunt, potissimùm vbi non agitur definitè de certo tempore, quia tempus tunc non variatur locutione, nec notæ eius. Sic præsens pro præterito: vt occidens. pro eo qui occidit, nouit, pro cognoscit. Sic in reliquis quæ explicat Paul. Iurisconsultus in l. 8. verbum oportebit, & Pomponius in l. 123. verbū erit, De verbor. & rerum significatio. lib. 50. ff. tit. 16. Quomodo autem id intelligendum sit, interpretes in explicatione verborum Legis Attiliæ docuerunt apud Aulum Gellium libr. 17. noctium, cap. 7. Vbi dicunt notas tempo-

ris, est, erit, fuit, amittere vires suas, cùm diuersi temporis verbis iungũtur, vel participiis, quæ vtrumq; tempus significant: vt Troia capta est, pro fuit. Sed apud Iurisconsultos potissimùm inspicitur id cui nota iungitur, cuius sit capax temporis, & an subsãtia negotiis mutatione temporis mutetur: veluti ex natura stipulationis est, vt tẽpus inspiciatur, quo contrahimus, Pompon. Iurisconsul. in l. 19. Si filiusfamilias, de Reg. iuris lib. 50. ff. tit. 17. & alibi in l. si filiusfamilias, de verbor. obligation. lib. 45. ff tit. 1. Idem in natura emptionum. Proculus Iurisconsultus in l. 69. Rutila Polla de contrah. emptio. libr. 18. ff tit. 1. Nihilominus tamen potiùs quod actum est in his & reliquis contractibus sequimur, Vlpianus in l. 35 semper in stipulationibus, de Regulis iuris lib. 50. ff tit. 17.

Temporum differentiæ apud medicos, duæ sunt generales, nempe morborum & remediorum. Causarum autem motiones, morbi tempora dicuntur: motionis autem differentiæ quatuor sunt. Initium, incrementum, Summum, & Declinatio: & hæc eadem sunt temporum nomina Auxiliorum planè tempora, ea quæ ad ipsorum adhibitionem idonea sunt, prædicant. Ea autem sunt idonea, quando remedium postulantia adsunt, prohibens verò nullum: quamuis alia multa obseruentur ab aliis, quæ vide, & hæc, apud Galenum libro de optima secta in Isagogicis. Insunt etiam temporibus, illa quæ quasi naturam eorum designant, vt scribit Cicero in Partitionib. Oratoriis: vt Hyems, Ver, Æstas, Autumnus, & anni tempora: vt mensis, dies, nox, hora, tempestas, quæ sunt naturalia: quorum legem neminem euitare posse, vtpote à Deo constitutã. sed omnib. communem scribit Maximus Tyrius Sermon. 20 & 38.

De vtilitate temporis generaliter annotandum: omnia tempus proprium habere, esse tempus serendi, metendi, flendi, ridendi, plantandi, euellendi, &c. Eccl. cap. 3. & 8. Et singula suis temporibus facta proficiunt, & contrà, nocent, vt docet Hippocrat. libr de humoribus. *Quumetiam*, vt ait Ouid. 1. de arte Amandi:

*Accendas vitia irritesq; vetando,*
*Temporibus si non aggrediare suis.*

Et Cicero action. 7. in Verrem, habendam rationem temporis, maximè in republica administranda scribit. Et 1. de Inuentione, maximè oratori habendam eius rationem. Sic cuncta

cuncta fecit *Deus* bona in tempore suo, Eccl. c. 3. b. & Eccl. 1. cap. 4. c. dicitur *fili, conserua tempus & cauc à malo* Scribitur & in can. Eccl. § ecce 30. distinct. Et pro temporū qualitate res mutantur, can. piscis, & can. seq. 10. q. 3. can. ab exordio 35. distinct. in Decreto Gratiani. Et res & earū æstimatio variat ratione loci & temporis, vt scribit Paul. Iurisc. in l. 63. pretia rerū, § fin. ad leg. Falcid. lib. 35 ff. tit. 2 cum similibus. Inprimis Tempus maturat & iuuat omnia: Plutarch. oratione consolator. ad Apollonium in principio. Et Æschilus in Tragœdia Promethei ligati ἀλλ' ὁ γηράσκων χρόνος, id est, *sed omnia docet senescens tempus*. Quo argumento Macr. lib. 2. in Somnium Scip. cap. 10. optimè colligit, Mundū non fuisse ab æterno, eo quòd quotidie addiscimus, & quotidie noua quædam in tempore nouimus. Perfectionem etiā tempori adscribit Crates, dicens, χρόνος τέκνων σοφός, *Tempus artifex sapiens*. Et Diphilus, παλαιὸς τεχνίτης ὁ χρόνος, id est, *Canus & antiquus artifex, Tempus* Thales etiam dicere solitus erat, vt scribit Diogenes Laërtius in eius vita lib. 1. Antiquissimū omniū quæ sunt, *Deum* esse, quia ingenitus: pulcherrimum mundum, quia à Deo factus: Maximū locum, capit enim omnia: velocissimū, Mentem, nā per vniuersa discurrit: fortissimum, necessitatem, cuncta enim superat: sapientissimum Tempus, inuenit namq; omnia. Dicebat & Calixtus pontifex summus, nos tempore indigemus, vt maturius aliquid agamus: ne præcipitemus consilia & opera nostra, & ne rerum ordinem occupemus, in can ponderet vnusquisq; 50. distinctione in prima parte Decreti Gratiani. Tempore omnia absumuntur ac restituuntur Quamobrem & χρόνος, quem à χρέω deducunt, Saturno inquam, sub temporis significatione, faciem omnia metentem, & infantes suos deuorantem, & rursus vomentem, attribuerunt, vt scribit Phronutus de Generatione *Deorum* vt vocabat idola. & Macrob. libr. 1. Saturnal ca. 8. Et vetustas non pauca deprauat, multa tollit, vt notat Varro 4. de lingua Latina Et ideo Cicero lib. 5. Epistol. Familiar scribens C. Titio Epistol. 72. omniū Familiariū: *quod, inquit, allatura est Diuturnitas, qua maximos luctus vetustate tollit, id nos præripere consilio prudentiaq; debemus*. Sed expressè Claudianus Panegi 5. laudis Stilicon. vtrumque, & vastationem & ortū, quæ sub tempore fit, & temporis obstrusam naturam explicat his verbis:

*Est*

*Est ignota procul, nostraq; integnita mentis,*
*Vix adeunda Deis, annorum squalida mater*
*Immensi spelunca aui: qua tempora vasto*
*Suppeditat, reuocatq; sinu, complectitur antrum,*
*Omnia qui placida consumit numine, serpens:*
*Perpetuumq; timet sic ammis, caudamq; reducto*
*Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.* &c.

Et Ouidius lib. 4. de Ponto

*Tabida consumit ferrum, lapidemq; vetustas,*
*Nullaq; res magnum tempore robur habet.*

Et Cornelius Gallus in poëti:

*Cuncta trahit secum, rerumq; volubile tempus,*
*Nec patitur certa currere quemq; via.*

Sunt & his similia multa tristissima: sufficit nobis autem semel admonuisse, tacitam vim in res naturales corporeas esse temporis, vt Cicero cùm dixisset tempori cedendum, Tempus necessitatem esse dixerit lib. 4. Epistol. Familiar. M. Marcello scribens, Epist 50. omnium.

Temporum mutationes morbos inferunt, intendunt, tollunt, indicant: quia mutationes sunt frigidæ, aut humidæ, aut calidæ, aut siccæ, morbosque huiusmodi qualitatum excessus committit. Secunda enim valetudo, mediocritas est: quòd si per humidam frigidámue materiam, morbus constiterit, tempus accedens contrarium, tollere illum poterit. Sed si minus contrarium subsecutum sit, qui similis status superuenerit, intendet sanè atque interimet. Quo etiam fit, vt qui optimè valeant, ægrotare, tempore mutato incipiant: corporis proinde soluatur temperamentum necesse est: quippe quòd non nisi temporum, ætatum, locorumque statu idoneo aptum sit augeri seruariq́ue. Quamobrem cùm tempora euariant, ratio valetudinis tunc habenda diligentiùs est. Hæc sunt verba Aristotelis libr. Problem. section. 1. quæstione 3. & abundè docet Hippocrates libro Aphorismorum & eius commentator Galenus: plura etiam Hippocrates libro de Humoribus.

Hebræorum Rabini, quatuor anni tempestates, quas vocant תקופות *tekouphot*, summa cum diligentia obseruant, dicuntque vnamque *Tekoupham*, deputatum habere sibi proprium angelum & Solem. Et in illo momento quod Sol compleuit vnam Tekoupham & sequentem inchoat, priusquam vnus director alteri locum cesserit, fabulan-

bulantur quod שוום Schedim, id est, dæmones omnes, possunt in aqua exercere tyrannidem: non secus quàm cùm imperator quispiam moritur, maiores interim grassantur in hostes suos, donec alius instituatur Rex, qui eos à tyrannide cohibere possit. Quocirca & asserunt, quòd si quis in illo momento vel tantillum biberet aquæ, Hydropisim vel aliam grauem infirmitatem euadere non posset. Et hinc est quòd ita superstitiosa initia illa Tekoupharum, vel quatuor tempestarum annorum obseruent, & describant in suis לוחות luchot, id est tabulis, vel kalendariis, vt non modò horam, verùm etiam momentum obseruent: ne in eo, vt ridiculè fabulantur, potum à diabolo recipiant. Vt notat Munsterus in kalendario Hebræorum, vbi agit de anno & mensibus eorum. Posuerunt itaque minuta in hora ad faciliorem obseruationem 1080. ex Rabinorum doctrina, & Scamude Astronomo, vt legitur in illorum libro qui inscribitur ספר למצא טולדות *sepher lematze moledoth*, id est, liber, ad inueniendas coniunctiones.

## AXIOMATA QVÆDAM
### *Temporis etiam capæ.*

1 Ea quæ participant temporum, & sunt in tempore, cum ipso ætatem agunt, & seipsis seniora & iuniora dicuntur. Plato libr. 9. in Parmenide, vel de vno omnium principio.

2 Distinguenda sunt tempora, ad concordandas scripturas, canone si peccauerit 2. quæst. 1.

3 Pronomina possessiua, meum, tuum, suum absolutè prolata præsens tempus tantum indicant, Paulus Iurisconsult. in l. 8. si ita legatis, de auro & argento legat. libr. 34. ff. tit. 2.

4 Et quia simul esse in tempore dicitur, accipe breuiter triplici modo simul dici apud Aristotelem in Categoris: primò de his quæ sunt eiusdem temporis, vt simul nata, creata, facta, secundùm tempus. Secundò simul ea dicuntur ratione conuersionis, quæ simul incedunt & se referunt: vt duplum & dimidium, pater & filius, dominus & seruus, &c. Tertiò simul, quæ eiusdem generis sunt species, vt homo & brutum simul in genere animalis: equus, asinus, leo, &c. sub Bruto.

Monet

Monet Cicero in Partitionibus, in tempore considerandа, vel quæ à natura sunt, vel à fortuna. Naturalia sunt, præterita, præsentia, futura, in his ipsis vetusta, recentia, instantia. Quæ temporis quasi naturam denotant, vt Hyems, Ver, Æstas, Autumnus. Anni tempora, vt menses, hebdomada, dies, nox, hora, tempestas. A fortuna, vt sacrificia, dies festi, nuptiæ, casu facta, quæ aliter accidunt ac putabantur, euentus, consilio & animi permotione facta, ex imprudentia, errore, metu, feriæ repentinæ, & statæ.

## *De Habitu.*

## CAP. XIII.

SVperioribus proximè prædicamentis, vbi & in positione relationes quædam factæ sunt ad id quod possidet: nam esse in loco & positum esse in loco, exprimunt quòd id quod est in loco, & quod positum est, possidetur à loco. Consequenter igitur de his dicamus de habitu vel habere, quod est quiddam extrinsecè aduenies, neque innatum ei à quo habetur, imo aliud quàm sit illud ipsum, à quo habetur.

Differt tamen habitus ab habere, quia habere, possessionem quandam adfert & denotat. Habitus autem est res media inter corpora, & quæ eis adiacent, secundùm quam, vt scribit Aristot. 5. Meraphysic. cap. 20. Categoriar. hæc quidem haberi, illa verò habere dicuntur, vt arma tura, tunicatio. Habitus autem apud eos qui de prædicamentis tractant, tantum sumitur pro vestimento, vel pro ornatu aliquo hominis. In genere verò pro habitu totius corporis, vt pro vestimento omni: vt vestitum esse, togatum esse: vel pro vestitu partis, vt manicatum, ocreatum, caligatum esse, &c. vt in indiuiduo, hunc, illum, istum, tali habitu esse. Et ideo ex mente Aristotelis ita definiunt vt habitus sit adiacentia corporum, & eorum quæ circa corpus sunt: quod de corpore humano intelligunt. Quam finitionem ita vt scribit Iauellus, intelligunt. Habitus est accidens respectiuum, prouenies ex mutua adiacentia corporum humanorum, & vestium, dicunt, respectum consurgentem & mediantem inter corpus hominis & vestem non circumdatione vestis: nec tempus designant, vt differt habitus à quando, & ab vbi, & à situ. Vocare forsan habitum

genc-

generaliùs possemus omnem ornatum extrinsecum quarumcunque rerum, & descriptionem externam.

## EIVS AXIOMATA ETIAM *quædam dabimus.*

1 Habitus suscipit magis & minus: non per se, sed ratione eius cui adhæret: vt homo magis vestitus illo dicitur, ratione multiplicationis vestium: ità & ille plus ornatus ratione ornamentorum

2 Habitus non suscipit contrarietatem: nec caligatio contraria manicationi, per se: nec castitio armationi, quamuis priuatiuè sint opposita, armatus, inermis, vestitus, nudus &c.

3 Priuatio præsupponit præcedentem habitum, l. decem, de verbor obligatio. libr. 45. ff. titul. 1. Quod intellige tamen, si priuatio sit in eo quod aptum erat habere. Nam quædam priuatio dicitur de eo quod habitus aptitudinem non habet, vt planta dicitur oculis priuari, vt notat Aristot. lib. 5. cap. 22.

4 Talis is esse præsumitur, qualis est is cuius habitum defert, vbi habitus distincti sunt. Sic Thamar vt videretur à Iuda scortum, meretricis habitum induit, Genes cap 38. Sic Ester ca. 15. vt videretur deliciola, induit se vestibus deliciosis, & fucauit faciem. Sic Iudith perrectura ad Holofernũ superandum, exuto cilicio, & vestibus viduitatis depositis, lota, se vestibus pretiosis & delicatis & Venereis induit, vt talis videretur, Iudith cap. 10. Et Bonifacius VIII in can 12. si iudex laicus, § idem censemus, de sentent. excommunic. in sexto Decretal. lib. 5 tit. 10 pro clerico haberi vult eum, qui cùm tonsura & habitu clericali inuenitur, donec de contrario constet. Et Clemens III. pontifex in cap. 25. in audientia, de sentent. excommunic. lib. 5. Decretal. Gregorij tit. 39. clericum in habitu laico repertum & vulneratum, non vti priuilegio clericali scribit, nec verberantem ideo excommunicatum. Sicut, inquit, nec matrona veste meretricia induta, vtitur priuilegio matronali, & actione iniuriarum pro pudicitia attentata, vt etiam id scribitur apud Vlpianum in l. 15. item apud Labeonem, § si quis virgines, de iniuriis lib 47. ff. tit. 10. Diocl. & Maximianus. AA. in l. 22. si ea quæ stupro Ad leg. Iul. de adulter. lib. 9. C. tit. 9. Sciendum tamen est, hoc præsumptionem induere, non tamen talem eum facere, qualis is cuius est habitus. Dicitur enim,

quòd

quòd habitus non facit monachum, vt habetur in cap. 3. de regularibus, lib 3. Decret. Gregorij tit. 31. cum similibus. Non facit itaque tales, sed tales esse præsumit: vnde & argumentum potest duci ab habitu, quòd tales sint, qualem habitum vel ornatum referunt. Et optimè coniectores apud Quintum Curtium lib. 3. de gestis Alexandri ea ratione adducti, interpretati sunt, fore Alexandrum Persarum regno potiturum, quod Darius Rex Persarum in somnis vidisset Alexandrum eo vestis habitu adduci ad ipsum, quo ipse fuisset, cùm appellatus fuisset Rex, & quod initio imperij Persicam gladij vaginam in Græcorum formam redigi iussisset. Et Deus prohibuit Deuter. c. 22. mulierem non vestiri veste virili: & contrà: abominationem id existimans.

Cæterùm nos, vt latius disputationem prorogare in arte nostra possimus, omnes modos habendi etiam extra prædicationem habitus consideramus, dummodò id obseruemus, ne cum præcedentibus eadem attulerimus vel in nota quantitatis, vel ad aliquid, vel aliter. Quandoquidem nos hac arte copiam & facilitatem methodi explicamus, non superfluitatem, & eiusdem rei repetitionem: scriptum est enim Eccleſiast. c. 7. b. *Ne steres verbum in oratione tua.* Quamobrem subiciam ex Aristotele 8. modos habendi cum duobus Titelmani carminibus manuſculis literis notatis quæ illos referunt, de quibus scribit 5. Meta. hyſic. cap.

AFFECTVM: primus modus, aliquid vt qualitatem habere dicitur, vt habitum & dispositionem, sicuti scientiã & virtutem.

QVANTVM: Secundus significat quantitatem, vt magnitudinem, tricubitum, quadricubitum.

VESTITVM: Tertius ea signat quæ circa corpus, vt vestimentum, tunicam, gladium, ornatum, coronam.

DIC VELVT AVRVM: Quartus signat aliquid in corporis parte, vt in digito annulum.

MEMBRVM: Quintus signat partem, vt pedem, vel manum.

CONTENTVM. Sextus signat habere, vt in modio grana tritici, lagena vinum.

POSSESSIO: Septimus signat possessionem, vt possidere Agrum, Domum.

VIR MVLIEREM: Octauus dicitur, & habere vir vxorem,

rem, & contrà vxor virum. Neuter enim sui corporis habet potestatem: tamen potiùs vxor viro subdita cùm sit, à viro propriè haberi dicetur: etsi alij dubitent.

Secundùm Vlpianum in l. 188. habere, De verbor. & rer. signif. libr. 50. π. tit. 16. Habere duobus modis dicitur. Vno, iure dominij: altero, pro corporali possessione. Non enim omnis qui habet, dominus rei habitæ est, sicuti nec fur, nec commodato vtens, & depositarius, & huiusmodi qui habent possessionem seu detentionem nudam à dominio, vel proprietate seiunctam, vtputa vsum: vt scribit Modestinus in l. 15. quæstio. De verbor. & rer. significatio. lib. 50. π tit 16. Quæ tamen possessio nuda, etiam ab aliquo extorta domino, efficit vt is qui ante vtrumque habebat, separatione facta, rectè, id est, planè habere non videatur, orbatus possessione: quamuis habeat rem quoad dominum. & ita intelligendus est Vlpianus in l. 38. stipulatio ista, de verb. obligat. lib. 45. π. tit. 1. Nam respectu prioris modi habendi, qui vtrumq; & dominiũ habebat & possessionẽ, separata possessione nuda, habere nõ videtur, sed non habere illud respectu secundi habere. Et si quis habere se procuraturum polliceatur: habere illud, cũ effectu intelligendum est, sicut verbũ peruenire, vt notat Vlp. in l. nomen filiarũ, §. fin. De verbor. & rerũ significat. lib. 50. π. tit. 16. Sic itaque, quis respectibus diuersis. & habere & non habere videtur: & ita possidere etiã dicetur non qui nudam possessionem habet, sed qui cum possessione nuda proprietatem habet & ius dominij, accipiendo possessionem pro sua plena significatione. De qua intelligi debet quod scribit Cornelius Fronto lib. de verbor. differentiis, dum scribit. *Potest*, inquit, *habere etiam fur & alius nequam: possidet autem nemo, nisi qui aut relicta, aut donata, aut empta res dominus est.* Vocat etiam Vlpianus in d. l. stipulatio ista. §. hæc quoq; stipulatio. ff. de verb. obligationibus. Aliam possessionem naturalem, quæ nuda est, & quæ etiam non domino competit: aliam ciuilem, quæ domino competit.

## *De Qualitate.*

## CAP. XIV.

SCribit Aristoteles libro 2. de Generat animal cap. 4. qualitatem quidem substantia priorem esse, verumtamẽ esse posteriorem actu ab eisdem causis, à quibus distinguitur quantitas, & duo ex vno effici, & Paulus Iurisconsult. in l. 6.

certum est, de reb. cred lib. 12. ff. tit. 1. & quale, specie siue individuum. & quantitatem comprehendere scribit.

Qualitas est ens accidentale, & forma accidentalis incorporalis, ratione cuius vel secundùm quam, quidpiam dicitur Quale. Veluti à Iustitia dicitur iustus: ab albedine albus: sic de similibus. Quæ qualitatis finitio, sumpta est ab effectu & posteriori. Nam qualitas est causa formalis qua efficimur quales. Est & qualitas per passionem, vt dicimus, quale calefactum, refrigeratum, iustitiam, &c habet etiam ex nostra coniunctione genus & differentiam Satis autem superque constat, genus & substantiæ & accidentium generale esse ens. Dicimus autem qualitatem, ens accidentale: vt excludatur differentia specifica, quæ non est qualitas prædicamentalis secundùm rem, quanquam secundùm modum prædicandi dici possit qualitas. Re autem ipsa, est substantia & essentialis differentia: quamuis illud sit qualitati proprium vt sine substantia non reperiatur cui insit, vt scribit Galen. tomo primo lib. 1. de Elementis. Quamobrem Aristot. lib. 5. Metaphys. cap. 14. scribit duobus modis, quale, dici. Vno modo quale dici, differentiam substantiæ, vtputa inquit, quale animal homo, quoniam bipes, equus verò quadrupes: & circulus qualis, quedam figura quoniam absque angulis est, tanquam differentia quæ secundùm substantiam qualitas sit. Alio modo, vt immobilia & mathematica: veluti numeri quales quidã sunt, vt qui compositi & ad solidum vt superficies. Primus modus, non propriè accidentalis qualitas, primam simplicem dicit, aliam mutabilem & variam. Et Cic. 1. Acad. scribit, qualitates quas Græci vocant ποιότητας, alias esse principes, alias ex iis ortas. Principes esse vnius modi & simplices: ex ijs ortas, varias & quasi multiformes. vocatq; primas qualitates quatuor elementa: reliquas, ex his compositas. Et Alcinous lib. de doctrina Platonis, c. 9. qualitates incorporeas esse & accidentia docet. Primùm, quia omne corpus subiectum est, qualitas verò minimè subiectum, sed accidens, non ergo corpus est qualitas. Plures adiungit rationes Galenus in Isagogicis lib. an qualitates sint incorporeæ. Quod sit sine dimensionibus corporeis, quòd accidens, & corpus corpori non accidat, quòd mixtionem nullam habeat, vt corpus quòd & effectus sint qualitates, vt pruritus scalpendi potestas, & similia, quæ corpora non sunt. Item quòd si corporales essent, non egerent corpore pro substantia.

tia. Secundò qualitas contraria qualitati, nullum verò corpus, inquantum corpus contrarium corpori, non ergo qualitas corpus. Tertiò maximè rationi consentaneum est, vt quemadmodum materia qualitatis est expers, ita & qualitas materiæ expers sit: si autem materia careat, corpus esse non potest. Et carere materiam qualitate tradit Cic. lib. 1. Acad. quæst. Quartò dehinc si qualitates corpora sunt, duo ac tria corpora, eundem in locum concurrent quod à ratione prorsus aberrat. Dicit Aristoteles sub qualitate genera esse, quibus species insunt, nempe intrinseca & extrinseca. Nam intrinsecæ habitus & dispositio, naturalis potentia. Extrinsecæ, figura, passio, de quibus dictum pleniùs lib. 5. Synt. cap. 10. Diximus & in quarta specie qualitatis, formã tripliciter accipi, vt tractatur in 1. & 3. Physicor. Arist. & 1. de Generatione. Qualitatum certè, in omnibus ex his quæ diximus, constat esse vtilem speculationem. Et Cic. lib. 2. de Orator. Tria genera scribit esse omnino, quæ in disceptationem cadere solent & controuersiam. Quid fiat, factum, futurúmue sit: aut quale sit, aut quomodo nominetur. Nã illud quidem quod quidam Græci adiungunt, recténe factum sit, totum in eo est quod quale sit, quærimus.

Considerant & Iurisconsulti intrinsecam & extrinsecam qualitatem & substantiam, vel specificam & accidentalem. Siquidem & prædia qualiter se habere dicuntur, secundùm propriam bonitatem, salubritatem & amplitudinem, apud Iuriscons. Celsum in l. 86 quid aliud. de verbor. & rerum significatio. libr. 50. ff. tit. 16. vbi lego non æqualiter, sed qualiter, quanquam, sed num bene, ipsi viderint, Alciatus ipse, æqualiter legat, & aliter alij sentiant. Porrò extrinseca qualitas prædiorum, est illa quæ seruitutis impositio est. Vt benè Baldus in authentic. ei qui. C. de bonis authorit. iudicis possidend. definierit, seruitutem esse accidentalem habitudinem, & extrinsecam qualitatem prædij. Nam ea dum fundus vti optimus est, venditur, omninò excluditur, & liber censetur natura, vt scribit Venuleius Iuriscons. in l 75. quod ad seruitutes, De euictoni. libr. 21. ff. l. 2. considerant & in delictis seu criminibus, contractibus, testamentis, & alijs, & personarum, & negotiorum, & rerum qualitates, quæ per singula explicare non est necessarium.

Physici, Medici, & reliqui corpora concreta contemplantur & tractant, Qualitates primas & secundas maximè

considerant. Primas vocant eas, quæ quatuor elementa prima constituunt, vt admonuimus in principio istius capitis: secundas ex his composita. quatuor primas explicat Galenus tomo. lib. 5. de Composit. Medicamentor. per genera, in principio, esse caliditatem frigiditatem, humiditatem, siccitatem, atque ex harum coniugatione quasuis compositas idem scribit tomo primo lib. 1. de Elementis, & commentar. 1. in lib. Hippocra. De humana natura, quæ repetit idem tomo 5. lib. 3. De natural. facultatibus capit. 4. item 5. De simplic. medicam.

Qualitates itaque corporales ita ex medicorum mente & Physicorum diuide in primas & secundas. Primæ, quas vocat Galenus libro de Natura humana commentar. prima parte, & primo de Elementis, corporum immutatrices & agentes, humiditas, frigiditas, calliditas, siccitas, quas obtinent aër, aqua, ignis, terra. Secundæ autem gustus, astr ctio, austeritas, amaror, acerbitas, salcedo, acrimonia, acor, dulcedo, pinguedo Visus & coloris albor, nigredo, rubor & similia: Tactus, duritia, mollities, friabilitas, lentor, olfactus, fragrantia, & fœtore differentes. Et quia primæ qualitates causæ sunt omnium entium, vt ait primo de Elementis Galen. Et validæ qualitates receptæ, sibi simile corpus efficiunt, vt idem tomo primo libro de semine scribit Validas illas existima & primas, quæ totam substantiam immutare possunt prima solas, vt idem scribit lib de artis medicæ constitutione in Isagogicis. Et hæc primum docuit apertè Hippocrates: postea explicauit Aristoteles, vt idem scribit tomo sexto, libro primo Methodi medendi c. 2. & to. 1. lib. de naturalib. facultat. cap. 3. Rursum Gal. to. 5. lib. 60. De compos. Medic. per genera, tres qualitates medicamentorum constituit in genere. Primæ facultates effectiuæ medicamentorum sunt, in calore, humiditate, & siccitate. Secundæ amolientes, digerentes, repercussoriæ, attractrices, coctrices, detersoriæ, exedentes. Tertiæ glutinant vulnera, cicatricem inducunt, & carnem generant. Aristoteles etiam lib 2. de partib. animal. ca. 1. hæc vocat tria genera compositionum, quarum prima compositio fit ex primordijs inquit ijs, quæ nonnulli quatuor elementa vocant, terram dico, aquam, aërem, & ignem. Sed forsitan melius dicendum ex elementorum virtutibus confici, idque ex humiditate, frigiditate, caliditate, & siccitate, cæteræ autem differentiæ eas sequuntur, vt grauitas, leuitas, densitas, raritas,

asperi-

asperitas, lenitas, & reliqua id genus affectionis. Secunda constitutio ex primis illis natura similarium partium in animalibus est, vt ossis, carnis, & reliquorum generis eiusdem. Tertia & vltima numero partium dissimillarium est, vt faciei, manus, & reliquorum insigniorum membrorum. Quod enim Galenus in medicinis à quatuor generalibus qualitatibus, ad indiuiduam tertiam pharmacorum vim restrinxit, Aristoteles ad tertiam compositionem inferiorum particularium membrorum traduxit.

## SVNT PORRO AXIOMATA QVALITATIS: SVSCITAT.

1 Suscipit contraria, qualitas aliqua, non tamen omnis: vt virtus, vitium, salubre, insalubre.

2 Qualitas suscipit magis & minus, & tamen omnis, id est, suscipit intensionem vel remissionem, si de rebus loquamur re ipsa: si de vocabulis fiat mentio, cum aduerbiis magis & minus. Ita magis & minus suscipiunt dispositio & habitus: nam habituum & dispositionum termini, dicuntur per magis & minus Sic alius alio magis Grammaticus: salubris: durumq; quid aut molle, &c.

Hanc regulam secundam amplissimè interpretatur & illustrat exemplis Galenus tomo 7. in commentarijs super aphorismum decimumquartum libri primi Aphorismorum Hippocratis. Et in Summa, ait qualitates recipere plus & minus minimè propriè, sed ratione substantiæ, quæ, cùm corpus calidum vel frigidum sit, & sic de similibus, tales nominare facit qualitates. Verùm & abusiuè de qualitatibus id dici, vt in cæteris, improprietas probatur: & ita nos dicere magnam & paruam febrem, apoplexiam, pleuritidem, peripneumoniam, & sic reliquos morbos. Cùm tamen, inquit, melius dicatur, magis aut minus, vel vehementius aut debilius, vel similia quæ repræsentare qualitatem solent: nam paucum & multum, in sola decet substantiæ qualitate seruare. In quarta tamen specie qualitatis non inuenitur intensio vel remissio, nisi in figuris imperfectis. Imperfectæ figuræ dicuntur, quæ non sunt ita concluſæ suis terminis, quin addi eis vel subtrahi possit, citra mutationem speciei.

Huiusmodi sunt imperfectæ figuræ: Rectitudo, curuitas, conuexitas, concauitas, simum, aquilinum, & similia.

sicut perfectæ sunt figuræ, clausæ superficiei vel superficiebus, vt sphærica, cubica, pyramidalis, triangularis, quadrangularis, &c. quibus nihil potest addi sine mutatione speciei. Imperfectæ itaque suscipiunt magis & minus, quia linea vna incuruior, conuexior, &c dici potest. Et iuriscon sultus Vlpianus, magis & minus suscipere, reliquas qualitates scribit in l. 75. vbi autem non apparet, De verbor. obligat. libro 45. ff. tit. 1. Vbi & bono melius qualitates ꝙ; alias alijs maiores & minores notat.

3. Similia & dissimilia, secundùm solas qualitates dicuntur, vt triplum triplo.

4. Notandum quod scribit Aristoteles libro primo de Generatione cap. 4. circa omnem qualitatis speciem fieri alterationem: id est ex vno in alio mutationem, vel circa locum, vel colorem, saporem, motum, & huiusmodi, vt etiam scribit Galenus tomo primo de Naturalibus facultatibus cap. 1.

FINIS.

Laus DEO.

*Veritas Domini manet in æternum.*

# INDEX RERVM DIGNIORVM, QVÆ IN PRÆCEdenti Tomo primo & secundo Syntax. Artis mirabilis continentur, locupletissimus.


*Abacus appetitus* 695
*Abacus contrarietatis* 271
*Abacus eorum qua concordiam referunt* 256
*Abacus eorum qua finem referunt* 331
*Abacus eorum qua medium referunt* 321
*Abacus gloria* 813
*Abacus potentia* 625
*Abacus principium referentium* 294
*Abacus veritatis, & eius summaria explicatio* 762
*A bene vel bono cõpositi vel meli⁹ aliqd boni habet* 434
*Abominatio quid* 699
*Abrogatio cõtrariũ habet* 271
*Abstractio omnis exigit particulare & vniuersale* 654
*Abstractum actus est non potentia* 635
*Abundantia habet magnitudinem* 571
*Acceptabile quod est, bonum esse docetur* 400
*Acceptabile quid* 403
*Acceptio personarum in quibus habenda vel non habenda sit* 401.402
*Accidentia habent actionem passiuam* 636
*Accidens separabile & inseparabile quid* 211
*Accidẽs quomodo dicatur distinguere vniuersaliter* 209
*Accidens quomodo finiatur* 210
*Accidens quot modis dicatur* 209.210
*Accidens quotuplex* 211
*Accidentis differentia eiusq; finitio* 242
*Accipere semp nõ est bonũ* 401
*Accommodũ & quod cõuenit quare bonũ dicatur* 403.404
*Accusare falsò qui noluerunt & potiùs sibi linguas amputarunt* 767
*Actio est motus* 862
*Actio respectu patientis dicitur* 862
*Actionis definitio* 862
*Actio ingratitudinis* 487
*Actio & agens quomodo differant* 294
*Actio & passio apud Iurisconsultos* 867
*Actiones iusta vel iniusta, qua dicantur* 867
*Actiones q̃ sint q̃ à nobis pendẽt, & q̃ sint extra nos* 639
*Actiones quando bona vel mala iudicanda* 393.394
*Actionis & passionis argumentandi loci* 867
*Actionis & passionis axiomata* 867.868
*Actionis & passionis in inquisitione & disputatione vtilitas* 864
*Actionis nomine quomodo cõtineatur exceptio* 866.867
*Actionis nominis differentia cũ operis & alt⁹ nomine* 864
*Actionis vel agẽdi diuisio* 864

*Actionum pura genera* 867
*Actiua potestas quid* 613
*Actu & potentia nihil simul idem est* 638
*Actum vel potentiam omnia respiciunt* 44
*Actuum initia, natura, aut ars, aut casus & alia* 308
*Actus & actio quomodo differant* 864
*Actus hominum perfecti voluntate & potestate constant* 296
*Actus quilibet habent potentiã pr priã præcedentẽ* 612
*Ad aliquid, quid sit* 853
*Adamas, qui ferro nõ frangitur, plumbo scinditur* 852
*Adami lapsus* 327
*A Deo bona solùm petere debemus* 560
*A Deo immediatum initium actuum fœlicissimum* 308
*Admonitio eorũ qui magicis sibi cõciliare putãt vt familiares, malos spiritus* 106
*Adolescentia annus & terminus* 593
*Adolescentia tribuitur Planeta Veneri* 592
*Adrastia Iouis & necessitatis filia, vindex delictorũ post mortem* 531
*Adrastia Platonis quid* 312
*Adulatio peruenit in Philosophos, & malorum multorum causa fuit* 796
*Adulator à subsurrone in quo differat* 790
*Adulator quis dicatur & vnde* 792
*Adulator quomodo differat ab amico & inimico* 278
*Adulatorij & amici diuersa natura* 796
*Adulatorũ pernicies & mala* 798
*Ad vnum omnia tendũt* 240
*Aeditus vnde dicti* 196
*Aemulatio contrarietatem habet* 284
*Aenigma cuius dissoluto Homerum enecauit* 175
*Aenigma de Dei nomine à Sibylla prolatum* 363
*Aequale medium est* 414
*Aequale vel inæquale ex quantitate procedit* 838
*Aequalitas commutatiua, dicta Arithmetica* 414
*Aequalitas distributiua Geometrica* 414
*Aequalitas quid* 257. 341. *laudes eius, & quæ contineat* 257
*Aequalitas quomodo per similitudinẽ perpendẽda* 432
*Aequitas in omnibus spectãda* 410. 421. *vbi soluitur nodus Iurisconsultis indissolubilis, de æquitate scripta & non scripta.* ibid.
*Aequitatis cõsideratio & diuisio* 411
*Aequitatis interpretatio non omnib. permissa est* 421
*Aequiuocũ quid* 212. *duplex* ibid.
*Aequũ ab æquali explicatur* 412
*Aequũ esse bonũ docetur* 411
*Aequũ & æquale aliud numero, aliud dignitate quale* 321
*Aequũ inter ij mediũ est* 321

*Aequum seu aquale compositi turgia hominum* 417. & 8
*Aestas per teneros ramos fici praedicitur esse propè* 660
*Aestimatio quid* 454
*Aestimatio rerum ex locorũ diuersitate* 873
*Aetas, temporis vel Saturni filia quare dicta* 591
*Aetates quot, & diuersa earum studia* 529.593
*Aetatẽ supplet malitia* 388
*Aetates septem quare potius quam plures aut pauciores constituamus* 595
*quot sunt & quomodo considerantur apud Iurisconsultos* 597.598
*Aeterna priora corruptibilibus* 589
*Aeternitas Dei cum Deo, in Deo, &c.* 589
*Aeternum quid, & quando immutabile* 588
*Aeternum per subrogationẽ quid* 588
*Aeuitas, atum, Vnde* 590
*Aeuiterni dij* 591
*Affirmatio & negatio media quomodo* 321
*Affirmatio quid* 281
*Agaricus vis* 620
*Agendi facultates Vnde oriantur* 864.865
*Agens quomodo principium* 294
*Agere est ex potentia* 626
*Agyia cur dicatur prior gratiarum* 477
*Agnitio sui ipsius ex mortis consideratione* 53. 534
*Agonia quid* 708
*Albi capilli Vnde fiant in homine* 595
*Albi quare dicantur fieri, qui à peccatis absoluuntur* 835
*Alius & alter, quomodo differant* 245
*Alter & alius, quomodo differant* 245
*Alteratio fit in omnibus speciebus qualitatum* 890
*Altiora te ne quaseris quomodo intelligantur* 8
*A malè vel pessimè nomina orta habent malã conditionem* 435
*Ambitio & arrogantia, ex vana gloria* 823
*Ambitus & ambitio, species arrogantiæ* 789
*Amicitia & amicorum quæ cõcordia & quib. cõstat* 257
*Amicitia odium opponitur* 699
*Amicitia vera pictura* 696
*Vbi vera explicatur amicitia. Impudica amicitia pictura* ibid.
*Amicitia causa rerum, lis causa quod intereant* 255
*Amicitia cõtinet animalia, elementa & elemẽtata* 481. 482
*Amicitia & amor an differant* 699
*Amicitia & Lis rerum omnium elementatarũ causa* 695
*Amicitia inter quas dici possit* 698
*Amicitia pares admittit vel*

facit 428. 429
Amicitia pares iungit vel facit 256
Amicitia seu amor omnia genuisse à quibus dicatur & quare 478
Amicitia voluntate constat, non rebus externis 698
Amicorum omnia communia 428
Amor sui ignorantiam producit 642
Amor sui multos decipit 761
Amor purus & impurus 696
Amor quid & unde 697
Amoris vis ignea 477
Amplitudo habet magnitudinem 572
Amplius verbum extensionē habet 572
Appetitus à quibus moueatur 676
Appetitus & voluntas in rebus necessariò adiunguntur 673 674
Appetitus duos actus habet, immanentem & transeuntem 675
Appetitus naturalis quomodo distinguatur à cognitionali & libero 685
Appetitus naturalis semotus ad aliquid 686
Appetitus quid 674
Appetitus quomodo differat à voluntate 677
Appetitus diuisio 676
Appetitus obiectum quod 678
Appetituum quis sit praestantior 725
Appetuntur res vel propter se, vel propter aliud 366
Aqua lustralis antiquorū 170
Aqua zelotypia 284
Aquam bibere, quando hydropisim generare dicant Hebraei 883
Aqua quando tyrannidem damonum maximè patiatur 883
A Quo Quaestio, quid inquirat 220
Arbitrium liberum in qua parte animae, & de eo 139 140
In libero Arbitrio considerandā quatuor tempora 142
Arbor boni & mali quomodo mortem intulit primis parentibus 391
Arboris boni & mali prohibitio quomodo intelligenda 40
Arca Testamenti quod exemplar habuit 230
Archangeli Michaelis apparitio 101
Argentum omnia donat 575
Argumenta à specie sumpta 206
Argumenta ad probandam rem talem esse vel non unde sumantur 182. 183
Argumentum ab etymologia semper non esse necessarium 195. & aliquando probare 196
Argumentum à notatione nominis validum & firmū 435. 436
Argumentum à similitudine valet 204
Argumentū ab specie ad genus valet affirmatiuè 204

*Argumentum à tempore ad locum receptum* 873
*Argumentum à toto ad partes, quando recipiendū* 220
*Arithmetica aqualitas & inaqualitas qua* 424. *& in quibus ibid.*
*Arphaxad magus Babylonius* 735
*Arrogantes quomodo differant à mendacibus* 785
*Arrogantia, superbia realis, mendacium habet & quid sit* 785
*Ars certa habet principia & præcepta* 316. *quomodo differat à peritia ibid.*
*Ars eget interpretatione & res faciles reddit* 662
*Ars Hebræorum huic nostræ affinis* 58
*Ars longa, vita brevis* 16
*Ars nostra quid* 10
*Ars nostra ab arte dicendi differt* 57
*Ars nostra quorum polliceatur cognitionem* 8
*Ars nostra scientiarum continet encyclopediam* 18
*Ars quid* 661
*Ars quomodo distinguitur à casu, fortuna, necessarioue contingentibus* 661
*Artem esse ad omnia cognoscenda, aliquibus impossibile quare videatur* 3
*Analogia quid Græcis* 190
*Androdus à leone agnitus* 483
*Angelica voluntas qualis* 682
*Angeli cuiusque duplex virtus, intellectus & voluntas* 737. 738
*Angeli inferiores à superioribus discunt* 651 *& à sanctis in terra & ab ecclesia cui Deus revelauit mysteria abscondita* 651. *quomodo diuersi in scientia* 651. 652
*Angeli non sunt ex materia & forma, sed ex esse & essentia* 455
*Angeli præceptores Patriarcharū, & cuius nominis* 101
*Angeli præpositi quatuor anni partib* 882 883
*Angeli qua ratione dici possint cognoscere & scire* 650
*Angeli qui apparuerunt docentes* 100
*Angelorū loquendi mod⁹* 102
*Angelorum potestas qua bonorum & malorum* 619
*Angelorum qua cognitio, & scientia* 650
*Anima essentia qua, & vnde* 850 851
*Anima oculus, intellectus eſt* 161
*Anima fœmineus fœtus male* 382
*Anima sanitas & morbi, quomodo colligantur* 607
*Anima à Deo purissima eius pars ratio* 549
*Anima & sine corpore & cū corpore operatur* 82
*Anima mortuorum præsaga, & sui boni vel mali præcognitrix* 525
*Anima purganda à peccatis sapientia & scientia studenti* 169
*Anima quomodo mori, & viuere dicitur*
*Anima quomodo sana & morbi-*

morbida 44 45
Anima recipit semina doctrinæ vel ut ager 44 45
Animarum corpore excedentium quæ est voluntas & quomodo ea immutabilis
Animi latitudo in quo 570
Animus ad negotium, & bene inducet, ex integro colligendus 172
Animus hominis divinus 34
Animus noster similis tetrachordo 137
Animus purus & à vitiis impollutus facilius discit 35
Animalia bruta cognoscunt, & quomodo 657 658
Animalia aliqua esse docibilia, alia minime 29 30
Animalia singula quandā habent à natura cognitionē 23. 24.
Animalium in benefactores gratitudo 482. 483
Animalium propria quædā voces 209
Annibal mollitia resolutus 327
Anni quatuor tempestates tekaphot gubernant singuli angeli 882. 883
An sit, quæstio omnia in dubium revocat 177
An sit quæstio, præcedit in cognitione 180
An sit quatuor modis quærit & habet tres solutiones 182
Antecedens est Principium 294
Antigonus monoculus ob mendacium aula Alexandri pulsus 766
Ἀντιπαθία rerum quid 246
Antonius Caracalla cōscientia agitatio 71
Antonius divus Eremita prophetiā clarus 38
Antonius Picentes Impostor insignis abstinentiam mentitur 814
Artibus singulis proprium subiectum & finis 14
Artificia quædam, singula animalia, excepto homine à natura accipiunt 134
Artificium Dei & hominis & differant 356
Artificium idea tres 225
Artis cuiusq; proprium recta cum ratione dicere vel facere 15
Artis nostræ & eius necessitatis rationes 59. 60
Artis nostræ & literarum similitudo 56
Artis nostræ primi delineatores & inventores 56. 57
Artis nostræ scopus 14. 15
Artotrogus, insignis parasitus apud Plautum 792
Asinorum cognitio 206
Assentator quis 778
Astartes dea habita Sidoniorum 408
Auarorum insatiabilium in inferno pœna 532
Auctio magnitudinem habet 572
Audacia ex ignorantia 632
Audacia interdum cum ratione, interdum sine ea 709
Aues voces & idioma linguarum imitantes 29
Aures cur erubescentibus rubeant

rubeant 495
Aurum expugnat ciuitates alias inexpugnabiles 628
Auspicia ante omnes res gerendas sumebantur 165
Authoritas quid 626
Authoritas quomodo principum rerum 294
Authoritas tutorum, legum, rerum iudicatarum, &c. 626
Azo. Vnde declinetur 450

B

Babelis turris imperfecta quare 539
Balaam magus, nihil potuit contra populum Dei 735
Barieu magus à D. Paulo in nomine Dei exacatus 735
Beatitudo quibus gradibus perficitur 469.470
Beatitudo quid, perfecta & imperfecta 457
Beatitudo, vera gloria 823
Beatorum locus apud Gentiles qualis describatur 532
Bella vnde 546
Bellorum finis pax 544
Bellorum damna, & pacis vtilitates 546
Bellum & pugna quomodo differant 271
Bellum habet contrarietatē & vnde dictum bellum 271
Benedictio Dei rerum, causa fertilitatis & abundantia 610
Benedictio mensa non omittenda, nec gratiarum actiones 371.372
Benedictiones fiebant per inuocationem & pronuntiationem nominis Dei 358
Beneficio hominem affici, hominis interest 429
Beneficium & pœna, duo dij Democriti 344
Beneficium retribuitur etiā voluntate 473
Bene viuendi & bene morendi, eadem regula 523
Benevolentia quid, vtq; differat ab amicitia 702
Bene vt agamus, Deus exigit 491
Biantis de bonis dictum 416
Bilinguis quid 790
Bilis flaua expurgatur rhabarbaro & scammonio 620
Bona à Deo solum petere oportet 561
Bona externa quomodo media 322
Bona finis, & ad finem 369
Bona finis, & bona ducentia ad finem & qua præstantiora 561
Bona huius mundi malis annexa 458.459
Bona in vita nostra quare nobis suspecta esse debent 528
Bona non dicuntur qua plus habent incommodi, quam commodi 494
Bona omnia à Deo 377
Bona vel mala omnia esse 366
Boni dij etiam gentilium dicti sunt 370
Boni finitiones plures 396 397
Boni proprium se alijs communi-

*municare* 444
*Boni quæstio difficilis* 343
*Bonitatem esse & malitiam ostenditur* 343
*Bonitatis & malitiæ nominis notationes Latinæ, Græcæ & Hebraicæ* 354
*Bonitatis finitio* 354
*Bonitatis quæstio cur accuratè tractanda* 557
*Bono melius esse præferendū* 366 367
*Bonum aut malum quomodo appetitus subiectum* 678
*Bonum & Bonitas non sunt substantialia nomina Dei* 379
*Bonum & malum idem dicitur diuersis respectib.* 578
*Bonum & malum num duo principia* 344
*Bonum & malum quomodo dicantur contraria* 351
*Bonum finis rerum* 339
*Bonum maius minori præponendum, aliter erratur* 559
*Bonum melius quomodo eligibilius, & quid melius dicitur* 561
*Bonum naturâ desiderabile, & contrà malum fugiendum* 558 559
*Bonum proprium singulis rebus inest* 563
*Bonum summum in quibus constituerunt antiqui falsò* 368 369
*Bonus coniectator, bonus vates est* 106
*Brumalem primū diem quæ norunt florentes herbæ* 660
*Brutis num ratio insit* 658

C.

*Cabala quid* 678.357
*Cadauer vnde dicitur* 610
*Chaos quid* 871
*Calcaneo insidiari hominis, est insidiari in fine* 328
*Calidus quis* 717
*Calor infrigidat per accidens* 619
*Calumnia imago seu pictura* 782
*Calumniæ quare non sunt contemnendæ, sed reijciendæ* 782
*Calumniam excusat vnius testis probatio* 781
*Calumniantiū pœna qua* 781
*Calumniari quid* 780
*Calumnia plura malorum genera causat* 782
*Canescit primum in homine quod primum ortum fuit, vt pubis pili & temporum* 596
*Cani capilli vnde fiant* 595
*Canis admiranda gratitudo* 482 483.
*Canis Æsopici decepti per phantasiam apologus* 128
*Canis syderis ortum quæ sentiant, vt mare terra vua, canes* 660
*Cantharides interim assumtæ solam vesicā vlcerāt* 660
*Capacitas quid* 572
*Carbonum qua sit materia proxima* 306
*Caro vnde dicitur* 609
*Castitas bonum est* 491
*Castitas triplex* 491
*Casus est causa p accidēs* 307
*Casus & fortuna differentia* 314

*Casus opera inanimatorum sunt, aut bestiarum quomodo* 315
*Casus quid* 315
*Casus seu species facti quomodo apud Iurisconsultos differat ab hypothesi* 178.179
*Categoria quid* 213
*Causa constare sibi debet* 317
*Causa cessante, cessat quomodo effectus* 318
*Causa & rationis differentia* 299 300
*Causa naturalis à causis per accidens differentia* 311
*Causa per accidens sunt casus, fortuna, occasio* 307
*Causa rerum Aristoteli materia, opifex, forma, propositum* 301
*Causa rerum generales quatuor efficiens, formalis, materialis, finalis* 301 *quinque Platoni, duæ Ciceroni* 302
*Causa rerum non sunt permiscenda propter differentias* 319
*Causa rerũ vniuersales duæ, Diuina & Humana ad vnã tendentes* 298
*Causa separatione quando affectus tollatur* 317
*Causa apud oratores quid & eius genera* 305.307.
*Causa efficiens quid* 302
*Causa ex qua aliquid fit, quid sit* 303
*Causa finalis quid* 304
*Causa formalis cessante, cessat res* 318
*Causa formalis quid* 303
*Causa impulsiua quomodo consideretur* 318
*Causam omnia habent* 293
*Causa omnium qua, & quomodo Deus* 300.301
*Causa per se & per accidens quid* 306
*Causa prior suo causato* 295. *quomodo differat à principio* 290.295
*Causa propinqua & remota qua* 306
*Causa propinqua magis influit causato, quàm remota* 306
*Causa qua communis, quæve propria* 307
*Causa qua in potentia, qua in actu* 307
*Causa qua simplex, & qua composita* 307
*Causarum & concausarum genera* 317.318.
*Causarum initia varia* 308. 309
*Causa sine patientis aptitudine non agit* 317
*Causas omnium scire esse Dei solius* 13
*Causa vna Stoicorum sola qua* 298
*Causa vnde dicta, & quid* 299
*Cedri materia æterna* 588
*Celebritas quid* 824
*Celebritas Solis filia* 827
*Centrum omnium Deus, cur* 569
*Certum nihil cognosci secundùm Academicos* 663
*Certum quid* ibid.
*Certum ex quantitatis adiectione* 858
*Cerui vitæ anni* 590
*Cessante causa finali quomodo cess.*

do cesset effectus 318
Chamos, idolum Moabitarũ 408
Chilo latitia obiit 711
Cicẽdula lucentes signũ sunt maturitatis hordei 660
Ciconiarum pietas, & mutuus amor 482
Cincia lex de muneribus non accipiendis 401
Circuli quatuor moti circa Deum vt centrum mentis animæ, naturæ, materiæ 569
Ciuitatis defensoris iuramẽtum 423
Ciuitatis calamitas, dum homines non seruant suos ordines 252
Claues subiecisse vxori repudianda suffitiens causa mariti 282
Clericis cum quibus tantum permittatur habitare fœminis 390
Clericus in habitu laico inuentus, priuilegio clericali non vtitur 88
Clisophus adulator Philippi regis 795
Clitia cur vna gratiarum dicta 481
Coactio quomodo repugnet libero arbitrio 723
Cœlestium apparitionum & impressionum causa 850
Calum primũ ab aliquo moueri concluditur 848
Cœlestium rerum distinctiones 238
Cogitatio ebullitioni vini non absimilis 129
Cogitatio mẽtis agitatio 129. 130
Cogitatio solius hominis 128
Cogitatio quid 281. 643
Cogitationes in exortu earũ malas cohibenda 232
Cogitationes mala in triplici specie. 231
Cogitationes posteriores prudentiores 130
Cogitationis solius pœna nulla est iure ciuili 225
Cognitio à notoribus incipienda 186
Cognitio à quo nomine declinetur 643
Cognitio cõnata nobis, & data, à Deo pendet, & intellectualibus tantùm concessa 648
Cognitio creaturarum quomodo sumatur, & distinguatur à cognitione Dei 644
Cognitio Dei alia ab ordine cognitionis nostræ 181
Cognitio increata, & creata, qua 645
Cognitionem esse principium transcẽdens ostenditur 641
Cognitionem sui habere expedit homini. 1
Cognitionis abacus 660
Cognitionis Angelorum, & Dei differentia 650
Cognitionis Dei, Angeli & hominis differẽtia 647. 653
Cognitio nostra respectu incognitis ignorantia 641
Cognitio oculus mentis 657
Cognitio sui, omnium rerum est cognitio 1

Cognitiuæ vires animæ mens, ratio phantasia 660
Cognoscendi tres modi, coniectura, definitio, consequutio 644
Cognoscere clarè cur non valeamus 177
Cognoscere, interdum pro cõmixtione vtriusq; sexus, quare 644
Cognoscere iudex quomodo dicatur 643
Cognoscere seipsum, sapientis esse 674
Collatio rerum pertinet ad veritatem eliciendam earum 757
Collegia studiorum & artificum ob quoddam bonum probata 448
Color lux opaca 831. 832
Commixtio mediũ inter simplicia 321
Commune & proprium quomodo idem dici potest 573
Commune vt singulorum & vt plurium 573
Communia aqualiter naturâ qua 412
Communia & vniuersalia quomodo magnitudinem habent 573
Communicatio bonum est 444
Communicationis plures species 444. 445
Communio rerum humanarum quomodo violata 417
Cõmuniones malæ quæ 447
Commutatiua æqualitas qua 424
Communia quæ dicantur in risi consultis 209
Communio & commune quid 260
Communio rerum discordiã parit 246
Comos, damon incentiuus amorum impudicorum, & eius pictura 698
Compositio rerum duplex 455
Comprehensio & cognitio catalipsis 643
Completio finem dicit 332
Comprehensio quomodo medium sit 322
Conatus solus delinquendi quando plenè non punitur 225
Cõcordantia qua inter omnes res 240
Concordia in scientia causa 256
Concordiam quæ referũt 256
Concordia, seu concordantia quid 255 quarũ rerum 261
Concupiscentia quid 701
Cõcupiscentia in bono & malo posita 702
Concupiscentia distinctio facilior 702
Concupiscentia num per se sit peccatum 703
Concupiscentia animæ alia, carnis alia 705
Concupiscentia & cupiditatis differentia 706. 707
Confidentia quid & confidens quis 680
Confusio opponitur ordini 670
Confusio quid sit 252. opponitur separatio 252. eius acceptationes 253. & species 253. 254

*Coniectura qua factum concludunt* 173
*Coniectura verum vel falsum extorquet* 665. *quomodo à commentatione differat* ibid.
*Coniugatio verborum quid* 258
*Coniunctio apud Iurisconsultos triplex, realis, verbalis, mixta, & quid illa sint* 358
*Coniunctio, copulatio quid* 257
*Coniunctio quomodo medium constituat* 321. 322
*Connexum quid* 258
*Conscientia faciem mutat* 71. 72
*Conscientia iudex noster incorruptibilis* 72
*Conscientia pædagogus animi* 70. *& sequentibus.*
*Conscientia sceleris perpetuus tortor* 75
*Conscientia tranquillitas testimonium optimum* 76
*Consecratio corporis & sanguinis Domini* 376
*Consensus ex scientia, sine errore* 259
*Consensus quid* 259
*Consilium ex quibus, & quomodo sumatur* 664. 665
*Consilium scientiam habet, & quid consilium* 664
*Consistentia corporum quid apud Medicos* 321
*Consistentia quid* 600
*Consonantia conuenientiam habet* 260
*Consonantia & dissonantia apud antiquos nouem gradus* 248
*Consonantia maior in tertia chorda* 248
*Constantia quomodo durationem habet* 599. *constans quid* ibid.
*Constructio, destructio, priuatio, quomodo media* 322
*Consuetudinis bona authoritas* 424
*Consuetudo habet authoritatem ex tacita vtentium voluntate* 709
*Consulere de vnoquoque, scientis est* 664
*Consultatio de dubio, non de eo quod scitur, est* 684
*Consultatio est de euentu & fine rerum* 330
*Consummatio finem habet* 332
*Contentio de quibus ambigit* 279. 280
*Contentionis duo genera* 272
*Contentio quid* 272
*Contentus sua felicitate nemo viuit in hoc seculo* 468
*Continentia quid, & vnde* 599
*Continuatio quid est* 258
*Continuum quid* 260
*Contractus nominati & innominati quid* 259
*Contractuum firmitas* 599
*Contradicere & dissentire quomodo differant* 276
*Contradictio eorum quæ medium non habent dicitur* 269
*Contradictio perfecta quæ requi-*

requirit 266
Contradictio quid sit 273
Contradictoria propositio qua sit 266
Contraria allegans non auditur 273
Contraria contrarijs quomodo commisceantur 268
Contraria medio iunguntur 317
Contraria oppositio quid sit 267
Contrarietas in genere accepta, quid contineat 265
Contrarietas in rebus quid, & quare posita 240
Contrarietas summa differentia rerum 264
Contrarietatem qua referãt 271
Contrariorum leges 354
Contrariorum oppositio qua sit 266
Contrariorum quomodo dicatur eadem disciplina 269
Contrariorum vel à contrarijs regula 273
Contrarium non est sine contrario altero 273
Contrarium non inest substantijs 855
Contrariorum susceptibiles sunt substantia 856
Conturbatio quid 701
Conuersionis & conuertentia differentia 860
Conuertentia correlatiorũ quid sit 860
Conuertentia cum conuersione differentia 860
Conuertibilitas aliud quàm conuersio & quid 860
Conuiuia antiquorum non fiebant sine Dei veneratione 370.371.372
Controuersum, & controuersia quid 273.274
Conuenire, & conuentio quid 259
Conuitiari & contradicere in quo differant 279
Copia quomodo habeat magnitudinem 573
Cornicis viuendi tempus 590
Corona in psalmis quid significant 468
Corporis extrema partes cur magis sensibiles 595
Corporis partium ignorans positionem, ignorat vsum & actionem 875
Corpus quid 568
Corpus nostrum in hac vita regit actus vtcunque anima: in resurrectione verò animam sequetur corpus 806
Corpus impedimento est animæ philosophanti 171
Corruptio albi, serui, tabularum, & quid 333
Corruptio quid 332. species, eod. cum interitu differentia ibid.
Corruptio quomodo patiatur contrarietatem 282
Corui nigredo qualis sit 211
Crimina iudicantur maximè ex causa 304

Crœsus ex felice infelicissimus 817
Crucis signum quare benedictionibus & omnibus actibus Christianorum additum 373
Crucis signo victi magi 735
Crucifragiũ pœna calumniatoris 783
Cuius quæstio quærit possessionem aut dominium 231 quomodo differt à quæstione de quo 232 quomodo ei respondeatur ibid.
Culex podice protuba & stur 174
Cunctatio quid 700
Cupidinis diuersa nomina, ratione cupidorum 706
Cupidinis pictura 696
Cupiditas in tres partes diuisa ab Aristotele 708
Cupiditas malorum & scelerum radix 707
Cupiditas quid 706
Cupidus insatiabilis 708
Curculio parasitus 793
Curiosi & vanis inhærentes, vix veritatem vnquam cõsequuntur 743
Cynocephalus horas ostendit 660
Cyrenaicorum secta errat 760
Cyrus quotidie vbi Sol illuceret, Deo offerebat sacrificia & preces 167

D.

DÆmones an generent cũ mulieribus 509
Damones Dei opera imitantur vt decipiant 104
Damones nulli boni 343
Damones quando in aquam exercere possint tyrannidem secundum Rabinos 883
Damones quomodo concitent in aere miracula & tempestates 734
Damon falsis & apparentibus gloriolis & rebus homines decipit & huic resistendum 816.817
Damonis potestas à quo 637
Damonum actus in decipiendis hominibus 328
Damonum inter se bellum & inter animas 282
Damonum voluntas quomodo bona & mala 681
Damon vnde reuelationes hauriat 98
Damnati inglorij 823
Damnum quid 557
Debitum cuique quid, & ex iustitia restituendum 419
De Christi Domini nostri diuinitate & humanitate hæreses 684.685
Decorum quid 824
Decus & dignitas quam gloriam habeant 824
Dedalus aptauit alas filio 324.325
De Deo quomodo tractandũ 5.6
Defensor vnde dictus 197
Definiẽdi quatuordecim modi 188
Definiendi quinq; species 191
Definiendi quot species tot adferantur 191

Definitio à materia, & à forma quomodo fiat 192
Definitio bona debet conuerti cum suo definito, & quid sit illa conuersio 192
Definitio de omnibus quarenda non est 193
Definitio nominis & rei in quo differant 186
Definitio omnia vel generũ, vel specierũ, vel duorum, & per qua fiat vnaquaque 194
Definitio perfecta genere & differentijs constat 191.192
Definitio quid est 184
Definitio tantùm de his quæ sunt vel intelliguntur 186
Definitio substantialis & accidentalis, quomodo differant 198
Definitionis duæ species, vel duo modi 185
Definitionis ignoratio habet errores circa rei naturam 185
Definitionis partes 186
Definitionis regula 193.194
Deformitas turpis 512
Dei cognitio qualis 644
Dei est vias nostras dirigere 411
Dei & animæ in aliquibus similitudo 146
Dei imago in homine 31.32
Dei nomini creatura obedierunt, & exemplis docetur 803
Dei nos esse cooperatores 167
Dei notio cognitionis fundamentum 37.38
Dei omnipotẽtia docetur 632. 616. 617
Dei ope omnia agent 42
Ad Dei opem potiùs quàm dæmonũ recurrendũ 106. 107.
Dei opera bona 353.354
Dei opera, etiam in exiguis animalibus admirabilia & incomprehensibilia 803
Dei opera medium ferè semper tenuerunt 325
Dei semper est sine fuit vel erit 583
Dei virtus admirãda & imperscrutabilis 732. 582 583.
Dei voluntas quid in Deo, & de eius consideratione. ibid.
Delatio quid 781
Delatorum pœna 783
Delicta nostra omnium malorum quæ in mundo existunt, causa sunt 311
Delphinus maior minores comitatur, & defendit 483
Democriti de Deo error 344
Democritus definiendi morem inuenit 193
Demonstratio à definitione quid differat 190.191
Demonstratio eius esse non potest cuius non est prius 56
Demonstratio facit certum generale 215 216
Demonstrationem qua faciãt 215
Demosthenis Sanitas 359
Dentes quando excidant hominibus 596
Deo assidentes propiùs, cur lucidiores 835

*Deo seruire, est vera libertas* 516
*Deo sunt facilia quæ inspe-rata & impossibilia sunt hominibus* 162.163
*Deo sacrificandum esse natura ipsa admonet* 166
*De quæstione Cuius* 231.232
*De quo, quæstio quid quærat* 220
*Derogatio quid sit* 275
*Descriptio quid* 187
*Destructio, est priuatio formæ* 275
*Desiderium à desiderabili quid differat* 448
*Desiderium sui conseruandi naturale, & quomodo vocetur* 674
*Desiderium quid* 710
*Desperatio quid* 725
*Detractor vt susurroni conuenit, & detrusque delicto* 791
*Deum esse omnium causam & creatorem abunde docetur* 358.359
*Deum honorans, honoratur* 553
*Deum omnipotentē esse quæ rationes ostendāt* 616. *cansamq; in alijs potestatis* 617
*Deus à nobis non cognoscitur per abstractionem, & reliqua* 654
*Deus, bonitas, bonorūq; causa* 365 366
*Deus, centrum omnium rerum quomodo* 369
*Deus est vera gloria, & laus populi eum colentis* 802
*Deus largitor veritatis & veritas vera* 750
*Deus quomodo voce & mente inuocatur* 164
*Deus habet ideam omnium rerum* 229
*Deus omnium rerum solum verumq; principium sine principio* 286
*Deus est omnium causa* 300. *& qua & quomodo: & error quorundam in eo* 301
*Deus natura præest* 310. 311
*Deus principium & finis quomodo* 326
*Deus reuelabat vt plerunq; per somnia* 101.102
*Deus vita* 41
*Deus lumen, omnia illuminans* 832.833
*Deus non est Ens, sed super Ens* 849
*Deus non potest concludi aliquo prædicamento* 841
*Deus nullius ope indiget* 616
*Deus quare dicatur Hebraïce locus seu Makom* 869
*Deus quomodo verè substantia dici potest solus* 844. 845.
*Deus simplicissimus* 845
*Deus sine passionibus sine habitu medio, sine mutatione* 736. *Omnes creaturarum virtutes continet* 737
*Deus solus summus & sibi sufficiens nullis indigens* 369

Deus summum bonum 369. 370
Deus vbiq; 873
Deus vera fœlicitas 466
Deus verum ens & habet solus verum esse 356. 357
Διάβολη 782
Diagoras pra gaudio mortuus 711
Dialectica vtilitas maxima & ars necessaria 244
Diana templum ob cupiditatem gloriæ & famæ incensum 816
Dictionum commutationes quatuor ob causas commutantur 442
Dictorum interpretatio ad mentem dicentis reuocanda 224
Diebus festis qua facere licuit, & qua non permittebantur 827 828
Dei perfectio & defectus 596
Dies profesti & intercisi qui 829
Differentia acceptiones cùm communiter, propriè, & magis propriè sumitur 242
Differentia generum & specierum propria & impropria 207
Differentia plures & admiranda inter res humanas 238. cœlestium angelorum, damonum, ibid. hominum 239. armorum naturalium ibid. membrorum, stirpium, stellarum ibid.
Differentiam inesse qua vocabula doceant 244. & qua repugnent. ibid.
Differentia per magis pro. pria 243
Differentia propria qua 242
Differentiarum distinctiones 242. 243
differentia vnde notationem nominis habet 241
Differtas pro differentia 242
Differt quid à seipso secundùm accidens 242
Dignitas honorem addit 451
Dignitas quam habeat potestatem 573
Dignitas quid, & in quibus sit 450. 451. 573
Dignitas quid 824
Dignum bonum esse 450
Dilectio Dei & proximi, duo pracipua pracepta 428
Dilectio quid 710
Dionysius Sicilia Tyrannus, ex rege factus praceptor ludi literarij 818
Dionysius Siracusanus suis diis mensas argenteas ademit 370
Dionysius Sicilia Tyrannus, gaudio mortuus 711
Disciplinarum inuenta debemus maioribus 759
Discordia vnde dicta & quid 245
Discretio & discernere quid 246. circa qua versetur in personis ecclesiasticis. ibid.
Disiunctio tot modis fit, quot coniunctio 258

disiunctiua & subdisiunctiua oratio quid 275
disiunctum quid dicitur 247
disiunctum quid vocetur & eius natura 275
disparitas, malum 406. in nuptijs qua 407
dispar & disparitas quid 247
dispreporto quid 247
disputare de omnibus suaue & possibile 11
dissensus quid 276
dissensus quomodo differat à contradictione 276
dissentiens & consentiens pugnant 242
dissimilitudo quid 248
dissonum quid 248
distantia quid 250
distantia differentiam facit 250
distinctio quid 249
distinctiones rerum vnde sumenda 238
dissimulator quis 778
distinctio scientiã arguit 665
distributiua aequalitas 414
diuersa quadrantes 249
diuersitas quid 249
diuiduum & indiuiduũ quomodo considerentur apud Iurisconsultos 215
diuiduum reale & legale & solutione, obligatione, iure 215
diuina ob nostram infirmitatem non possumus perfectè comprehendere sine fide 4
diuina non esse curiosè indaganda 3
diuinũ de rebus quatenus disputamus 8.9
diuisio debet sequi finitionem 217
diuisio necessaria & conducens ad intelligentiam rerum 217
diuisio quid sit 217
diuisionis sectio quomodo fiat, & quomodo in ea peccetur 217
diuisua & indiuisua qua 578.579
diuinatio optima, bonũ consilium 664
diuinatio quid 664.670
diuisio differentiam facit 250
diuisio habet subdiuisiones interdum 219
diuisionem non faciunt plus & minus 219
diuisio rerum mala ingentia mũdo inuexit, & qua 417
diuites vrbibus expulsi exilio, quare 630
diuitia quam habeant potestatem 628
diuitia quid 574
diuitias non facere beatã vitam 464
diuortium quid, eiusq; ex Platone lex 276. qui illud primi fecerunt 277. quomodo à repudio differat 278
diuortium quis primus olim Roma fecerit 277
doctrina & res idem principium 292
dolia duo mali cum vno bono mista 458
dolores & tristitia num mala sint 350

*dolum malum quatuor modi ex tacitis actibus colligunt Iurisconsulti* 777
*dolus fugiendus & detestabilis* 777
*dolus malus & bonus quid* 776
*dolus malus quid, & delictū esse docetur* 776
*dominatio quam potestatem habeat* 627
*Domitianus quos occidere volebat, fingebat se amare* 788
*Domitiani pœna* 789
*dona Spiritus sancti interdū cum Spiritu sancto, interdum sine eo* 450
*donatio vnde dicitur* 196
*draconis in nutritorem suum gratitudo* 483
*dubitatur ferè de omnibus in rerum natura* 178
*dubium quomodo certum fieri & probari possit* 183
*duellum quid* 271
*durationem qua admittant* 611
*durationem referentium synopsis, & hu repugnantia* 587
*durationis divisio* 582
*durationis regula* 611
*duratio quid* 581
*durum & durare quid* 581

E.

Ecstasis 83
*educatio proba ad nobilitatem conducit* 542
*effectus nō est sine causa* 319
*effectus quid* 333
*efficiens causa quid* 307. *divisio in vniuersalem, & subordinatas & particulares ibid.*
*effœminati principes dantur abira Dei* 623
ἀμαρτία *quid* 812
*electio in malis nulla* 558
*electio principium est* 295
*electio quid* 558
*elementa mundi & literarum genera cur dicuntur* 201
*elementi & principij differentia* 295
*elementorum actio & passio* 866
*elephantis in educentem è fouea gratitudo* 483
*Elymas magus excæcatus* 735
*elysius campus* 533
*ens quid antiquis, & nobis* 355.356
*ens & vnum duo principia generalia* 200
*ens quid contineat* 845
*ens transcendens dicitur* 841
*entia rationis qua* 657
*epicures falsò omne iudicium veritatis sensibus tribuerunt, & voluptati* 760
*Episcopis esse obediendū* 233
*Episcopis nullas licet secum habere fœminas nec propinquas* 390
*Epithymij vis* 620
*equitum ordo vnde Iudices* 320
*Ergastulum parasitus* 793
ἔρως *amor, vnde dicatur* 706

*Erotema quid* 179. 180
*Error in principijs multos alios secum trahit* 292
*Error in bonis ducentibus ad finem, & non in finis bono* 561
*Error & dolus differunt* 777
*Error vnde nascitur* 649
*Erubescentes quare manum ante faciem ponant* 495. *rubeant auribus, oculosq; claudunt* ibid.
*Erubescentia iuuenes, non senes, quare deceat* 494
*Erubescentia quid* 700
*Eryx reuixit à mortuis, eiusque de vita alterius seculi narratio* 530
*Esse Iudaorum qui* 377
*Esse in loco definitiuè, circumscriptiuè, repletiuè quid* 869
*Esse in subiecto & dici de subiecto, quomodo explicandum* 842
*Essentia bonum habet, qua sint quæ referant essentiã* 455
*Essentia magnitudinem quomodo habet* 575
*Essentiam habeas vel est vniuersale vel individuum* 198. 199
*Essentia quid* 455
*Esther illustris fœmina factũ* 885
*Est & Erit verbum quomodo pro præsenti & præterito accipiantur* 182
*EST, nomen verum Dei* 357
*Etheocles rex Boetorum sacrificauit Gratijs* 481
*Etymologia, species finitionis quid* 186. 189
*Etymologia argumentum nõ esse necessarium* 195. *aliquando probat* 196
*Euentus quid* 333
*Euidentia ad incognita viam parant* 757
*Eunomij hæretici error* 348
*Eunomius Sophista ob verborum fastum vrbe pulsus* 15
*εὐφροσύνη secunda Gratiarũ quid significet* 480
*Euridices reuocata ex orco & eius significatio* 329
*Eusebij calumniatoris pœna* 783
*Eusebius quidam linguam sibi abscidit, ne falsò alios accusaret, interrogatus* 767
*Euthicis hæresis* 684. 685
*Eutrapelus cui nocere volebat, vestimenta dabat* 788
*Exanimatio quid* 701
*Excellens quid* 575
*Exceptio num contineatur nomine actionis* 866 867
*Excessus omnis in omni re malum est* 432
*Exemplar quinta causa verùm à Platone adiecta* 302
*Exemplar originale authenticum idem* 228
*Exemplaria duo Platonis, vnum diuinum, aliud Dei expers* 227
*Exemplarij forma in mente artificis operis faciendi* 225

*Exemplaris forma quid* 304
*Exemplatum, sumptum, index, memoria idem* 228
*Exemplatum vel transcriptum instrumentum quãdo fidem faciat* 227
*Exemplum & exemplaria dicuntur qua imitationem prabent* 227
*Exilio temporali aliquando damnati diuites* 630
*Eximium quid* 575
*Existens vel est principium vel ex principijs* 293
*Existentia durationem arguit & quid sit* 600
*Existimatio quid* 573
*Exitus quid* 333
*Ex nihilo nihil fit, quomodo intelligendum* 349
*Experientia artis mater* 665
*Experientia ex memoria plurimum fit* 666
*Experientia loco causa est* 319
*Expertis in ijs qua experti sunt, credendum* 665. 666
*Exploratores hostium capite puniendi* 788
*Extensio quid* 575
*Extrema medijs opposita* 321
*Extremum quid* 333
*Exuperantia addit omnibus* 575

F.

*Fabula homines commouet* 231
*Facere quin dicatur* 223
*Facies conscientia testis* 71. 72
*Facilia ad difficilia viam parant* 758
*Facti quastio quare prudentissimos fallere possit* 173 & *quomodo solui possit.* ibid.
*Facultas actionis causa à qua procedit* 865
*Facultates naturales qua dicuntur apud Physicos & Medicos* 619
*Facultas quid, & quasi facilitas agendi* 631
*Facultas rerum à tota substantia quid* 620
*Fallere & mentiri in quo differant* 770
*Falsitas contraria veritati, & sibipsi* 748
*Falsitas & veritatis ignorantia fons & origo malorum* 742
*Falsitas in alterius praiudicium cum dolo malo, quomodo dicto & facto committatur, & puniatur* 780
*Falsitas quid* 554 555
*Falsitas rei quid* 753
*Falsum intellectus quid dicitur* 754
*Falsum quid quòd mendacium* 779
*Fama bona procuranda, & conseruanda est* 826. 827
*Fama in bono & malo quid, quomodo differat à rumore, laude & gloria* 825. 826
*Fame mori, dura mors* 427

*Fames vnde oriatur* 610
*Familiarum nobilium nomina vsurpantes falsò, & quomodo puniti* 813.814
*fatum anima vniuersi* 312. *prouidentiaq; diuina ibid.*
*fatum cum necessitate an idem* 311
*fatum, & necessitatem quomodo à Deo dicat Seneca* 308
*fatum quid* 311
*fatum syderum improbatum* 311
*Fausti in libero arbitrio haresis* 720
*Faustina vxor Constantini magni, & eius mors* 783
*febris quid* 197
*feciales quo ritu fiebant à Romanis* 551
*feria priuata vel familiarũ, quæ* 830
*feria publica & priuata, quæ species quatuor* 829
*feria stativa, quæ conceptiua, quæ imperatiua* 829.830
*fertilitas quid, & quod magnitudinem habeat* 575
*festa gloriam habent* 827
*festa Martyrum cur celebremus, & sanctorum* 830
*festi dies curati ab Ethnicis magistratibus & quid habeant, & à quibus abstinendum* 827
*fidestussor idoneus quis, & locuples* 633
*fides Christianorum, etiam in elementa & dæmones cur operatur* 735
*fides gradus ad intelligentiã* 667
*fides quid* 666.667
*fiducia quid* 600
*filij terræ qui* 823
*filiorum generatio reddit immortales parentes* 602
*filios relinquere successores, donum Dei* 458
*finalis causa quid* 304
*finem ob aliquem omnia fiũt* 316
*finem nostrum debemus meditari & quare* 327
*finem referentium Abacus* 311
*finem nõ dicitur habere quod principium non habuit* 338
*finem omnia habent certum* 339
*fines proprios singula & artes habent ad quos respiciant* 326
*fines plures per se & propter aliud* 338
*finis alius perfectus, alius imperfectus* 330
*finis cuiusque vita considerandus* 468.469
*finis fini præstat* 338
*finis non statim cum principio aduenit* 338
*finis optimus quid* 338
*finis quid* 304
*finis quid dicatur & pro termino vnde diuersi fines* 330
*finis re posterior, sed ratione prior* 326
*finis spectandus negotiorum est antequam aggrediamur* 330
*finis vltimi cõtemplatio Deum & ipse fælicitat* 338

*finis vltimi hominis, & animalium, diuersi* 472. 473
*finita sunt, quæ in loco sunt* 872
*finitenis locus in quæstione quid sit* 185. 186
*finitum quid* 326
*finiuntur res lege, naturâ, arte, fortunâ, quomodo* 330
*firmitudo quid* 601
*florent quæ arida herba suspensa primo die brumali* 660
*fœlicitas finis optimus quare* 338
*fœlicitas gloria est* 827
*fœlicitas humana in finis contemplatione* 325
*fœlicitas in quibus constituenda esset varia sententia* 461. *nullam autem in rebus hominis esse docetur* 463. *sed post mortem hominis* 464
*fœcunditas quid* 575
*fœlicitas quomodo bonum esse doceatur* 457
*fœlicitatem quinq; partitam constituit Plato* 461
*fœlicitatis lux est, tenebræ damnatorum* 833 834
*fœlix nemo dici ante mortem potest quare* 329
*fœlix quis dicatur* 457 461
*fœmina non debent interesse conuentibus virorum* 390
*fœmina malorum in mundo causa* 384 385
*forma cuiusque res in perfectione consistit* 303
*formalis causa quid* 303
*formam esse substantiam ostenditur* 848
*forma quomodo substantia dici possit* 845
*formas species dicit Cicero* 204
*fortitudo quomodo potentiam habeat* 631
*fortuita non sunt in hominis potestate* 313
*fortuitum à Dei prouidentia* 314
*fortuna bona & mala* 313
*fortuna cur dicta cæca & mobilis* 315. 316
*fortuna & Casus differentia* 314
*fortuna nomina* 313
*fortuna est causa per accidens* 307
*fortuna quid & quomodo causa* 313
*Fotini hæreses* 685
*Foulz. de Princes contumelioſi principibus ipsis quare sint* 725
*frustrà sine ratione aliquas finis nihil facit Deus aut Natura* 304
*fucatarum mulierum tandem pœna & nota fuci* 773
*fuci mulierum ad pulchritudinem comparandam, quibus rebus fiant* 772
*fucus mendacium est* 769
*furtum ex animi voluntate arguitur* 390

G.

*GAllus Solem orientem salutat* 688
*Gallus terret Leonem* 620
*Gaudere, & voluptatem capere,*

pere, quomodo differant 712
Gauaere in Domino quid 713
Gaudio ingenti perierũt quidam 711
Gaudium duplex 713
Gaudium gloriam habet 830
Gaudium quid, & vnde procedat 710
Gellius sibi contrarius vbi 277
Generaliter dictum quomodo intelligendum vel restringendum 202. 204
Genera omnia vnum faciunt 201
Genera principia sunt 295. item generans 296
Generatio, immortalitatis fons 602
Generationis & corruptionis causa 274
Genera tria maximè generalia, Ens, Status & Motus 200. Varroni ibid.
Generi per speciem derogatur 260
Generis topica argumenta 202. 203.
Genij boni & mali distinctio 105
Genus de quibus praedicatur 204
Gens & Gentiles, vnde dicuntur 201
Genus Generalissimum & subalternum 205
Genus pro specie specialissima apud Iurisconsultos 201
Genus quale adhibendum sit finitioni 195
Genus quid est, eius acceptiones 200, 201
Geometra in magnitudine pertractanda versantur 580
Geometrica aqualitas, vel inaqualitas 424. 425
Gilberti Porretani liber de sex principijs 862
Gloria Dei omnibus beatis cõmunicata diuersis gradibus 652
Gloria Deo propria nõ communicata 809. quomodo ab alijs apertius, ab alijs minùs consideratur. ibidem.
Gloria de rebus seculi inanissima quare, & summum 813. 814. &c.
Gloria directa & reflexa quid 835
Gloria abactus 822
Gloria inanis similitudo & ab ea cauendum 829
Gloria falsa & vana ex triplici capite oritur 813
Gloria inanis quomodo à nobis depellenda 829
Gloria inanis vnde oriatur eiusq; mala 805. 806
Gloriam omnes homines cuiuscunque sint gradus, appetunt 798
Gloriam suam & laudem referunt in Deum creatura tanquam in artificem 803. & cur referre teneantur 804
Gloria non ex rebus exigua,

quis, sed ardua 799
Gloria pro mercede laborum expetitur 799
Gloria pro ornatu laudato rerum, & honore & maiestate 803
Gloria quadam propria Dei, quadam communicata ab illo creaturis 802
Gloria quid sit, eius diuisio, sequentib 800. 801
Gloriari in Domino quid sit 804
Gloriari in rebus pessimis iniquissimorum est hominū 816
Gloriari quando & quomodo homo debeat 808
Gloria vana à mundo infertur quomodo 817
Gloria vana ex parte dantis quomodo fiat 816
Gloria vana ex parte eius qui sibi assumit unde 822
Gloria vana ex parte hominum quomodo dicatur 819
Gloria vera hominum vita aterna 812
Gloria vera quid sit, & quòd ea non sit in hoc mundo 801
Gott Germanis Deus cur appelletur 379
De gradu cognitionis primo, qui obiectum habet 112
Gradus primus artis nostræ, animā sine sordibus esse 17
Gradus quibus communiter perficitur cognitio 108
Gradus secundus artis, confusorum dispositio & ordinatio 17
Gramen herba festalibus data 551
Gratia Dei operans, præcedens voluntatem hominis & cooperans quid 475
Gratia ad sacerdotia quare dicantur 474
Gratia gratis data & gratis Deo faciens quid 475
Gratia perficiens & consummata qua 475
Gratia quid dicatur & quotupliciter accipiatur 474. 475
Gratiarum nomina alia 481
Gratiarum trium nexus & circuitus 478
Gratitudo animalium in hominem 482. 483
Gratus quis dicatur 473

## H.

Habendi octo modi 886
Habere dupliciter apud Iurisconsultos, iure & possessione 887
Habere & habitus quomodo differant 884
Habere in hac arte, latius patet, quam in Prædicamento habitus 886
Habitus quomodo non suscipiat contrarietatem 885
Habitus quomodo suscipiat magis & minus 885
Habitus vel habere quid 884
Hæreditas quomodo finiatur à Cicerone 195
Hæreticis quòmodo adversari de-

ri dicuntur Episcopi 282
haereticorũ hypocrisis quomodo detegatur actu, voce, passu 774
haeretici hypocritae dicũtur 773
Vulpecula dicti, quare eod.
hasta aurea 628
Hegesias Niceus, adulator Alexandri 795
Helpides à leone nutritus 483
Heraclitus res molles interdixit 602
Herba sacra qua 551
herba quadam quibus locũ crescant fertilius 687
Hercules sanctus cur dictus 552
Herculis statua triceps, Solis nomine adorata ubi 879
Hermodorus ob sobrietatem urbe pulsus 368
Hierarchiarum Angelorum perfectiones, & intelligentia 650
Homeri aenigma, & mors 175
Hominem cur Deus voluerit mori, & corpus eius resolui 535
Hominem odit & eius imaginem Pardalus 98
homines cur Deus voluerit in initio mundi diutius vivere 759
homines immortales per generationem 602
homines qui, & quare dicantur honorabiliores alijs, & praestantiores 562. 563
homines virtuosi non nascuntur, sed fiunt 731
homines unũ corpus sunt 429
hominis dua substantia, corporis & anima 32
hominis & mundi similis studio 80
hominis in corpore quàm vilis conditio in anima nobilis 806
hominis praestantia 31. Dei imago & eius compositio 33. 34
hominum aetates quot & à quibus Planetis dicantur temperata 592
hominum diversi mores 239
hominum ingenia cur ex sanguine, natione, coeli temperie, doctrina, & alijs diversa sunt 648. 649
hominum perditio ex ipsis, nõ ex Deo 382
hominum supra alia animãtia data qua fuerunt praecipua 804
homo ad agendum & intelligendum natus 30
homo ad similitudinem mundi corporalis & spiritalis creatus 230
homo creationis ultimũ opꝰ 8
homo cur creatus à Deo 234
homo cur creatus sui arbitrij à Deo, qui fores eum peccaturum 721
homo divina subiturus, se disponere debet 167. 168
homo & si divinat, mediũ vinit tantùm 534
homo idem quomodo differat à seipso 239
homo in medio scala rerum 145
homo liber non recipit aestimatio-

*mationem* 518
*Homo omnium rerum epitome* 1
*Homo planta, & eius cum illa similitudo* 596
*Homo tabula abbreuiata, & epitome mundi* 231
*Honesta quæ dicãtur, & quòd bona sint* 489
*Honesti ratio finis rerum factarum* 339
*Honestum laudabile* 489 *appetibile ibid. tale lege, natura, æstimatione vulgari* 490
*Honorans Deum, honoratur ab aliis* 553
*Honore digni tantùm boni, & idonei muneri* 452. *& qui & quare honorandi* 453
*Honoris laus & æstimatio apud antiquos* 452
*Honoris partes* 453
*Hora & commoditates, diuinum munus* 405
*Hora quot minuta habeat apud Hebræos* 883
*Horas agricolis quæ herbæ etiam nubilo sole ostendunt* 660
*Humorum quatuor qui agant & qui patiantur* 864
*Hypocrisis & hypocrita quid* 769. 771
*Hypocritæ cur Tygridi similes dicuntur* 775
*Hypostasis quid, & quomodo in Deo intelligatur* 853
*Hypothesis & casus vt differant in iure* 178

I.

*IActabundi & ex minimũ gloriam quærentes, similes pueris* 815
*Iactantia est, sibi plura quàm sint, arrogare* 748
*Iactantia quid* 778
*Iactantia vnde dicta* 778
*Iactatione peccatur quadrupliciter* 778
*Icarus alatus* 325
*Ichnographiæ artificium quid* 225
*Idea artificij qua* 226
*Idea boni Platonicorum* 365
*Idea causa rerum* 302
*Idea artificum ante opus tres* 226. *aliæ oratorum. ibid.*
*Idea omnium rerum in Deo* 229
*Idea quod sint docetur* 229
*Idea singulis speciebus à Platone posita* 205
*Idealis forma quid* 204
*Ideas esse adstruitur contra Aristotelem* 301. 302
*Idem tripliciter dicitur, numero, specie & vtroq; modo* 260
*Idoneum potentiam habere dicitur ad eum cui idoneũ est* 632
*Iehouah, nomen absconditum* 357
*Ignis vbi incorruptus* 268
*Ignorantia, d formitas est animæ* 642
*Ignorantia mala* 68
*Ignorantia finis habet ignorantiam rerum ad finem* 338

*Ignorantia fugatur cognitione* 644
*Ignorantia quid* 676
*Imaginatio de rebus creatis* 126
*Imaginatio est de rebus sine sensu, mente comprehensis* 125
*Imaginatio necessaria animalibus, potissimùm perfectis* 124
*Imaginatio quomodo differat ab intellectu & opinione* 127
*Imaginatio sensus non est* 127
*Imaginatio tamen cum sensu participat* 127
*Imaginatio vel phantasia unde oriatur* 125
*Imagines magorum sub certis constellationibus factæ praedicentes* 735
*Imitatio habet exēplar quod imitamur* 226
*Immensum infinitum* 575
*Immobilitas quid, & immobile* 601
*Immortale, & immortalitas quid* 601
*Immortale mortali quomodo coniungatur, difficillimum scitu* 852
*Immortalitas substantiæ cum mutatione accidentiū* 603
*Immortalitatis gradus* 601. 602
*Immortalitas vera in Deo* 604
*Imperiorum & regnorū status* 599
*Impossibilium nulla obligatio* 638
*Impostores gloriæ causa insignes* 814
*Impuberes qui* 538
*Impudente homine nihil peius* 506
*Impudentia malum* 506
*Inæquale constitutum differentiam* 250
*Inane, num sit in mundo* 870
*Inanis gloria unde oriatur, eiusq; mala* 805
*In Christo Domino duæ volūtates, diuina & humana* 684. 685
*Incoctio morborū author* 307
*Incognita tria homini singulariter Deus, Angelus, anima* 654
*Inconstans quid* 599
*Incontinentia quid* 599
*Incorporeorum quadam ex Porphyrio differentia* 851
*Indefinita æquipollent vniuersali* 204
*Indifferens est medium extremorum* 322
*Indifferentia inter bonum & malum quomodo interpretanda* 562
*Indifferentium rerum typus* 564
*Individuum durationem habet* 604
*Individuum ex determinatione* 217
*Individuum ex hypothesi* 216
*Individuum ex potentiori significatione* 216
*Individuum quid* 214
*Individuum vel singulare, quibus modis dicatur apud logicos* 215

*Individuum & agum quid 216*
*Inducia & pax quomodo differant 271*
*Industria scientiam quandã & cognitionem habet, & quid sit 667*
*Infamia contraria dignitati & honori 454*
*Infantia apud Iurisconsultos quot annorum 597*
*Infantiũ à pœna excusatio 550*
*Inferiora ad superiora appetitũ habẽt naturaliter 687*
*Infernũ locus tenebrarũ 834*
*Inferorum pœna 531. 532*
*Infidelis dicitur dubius in fide 667*
*Infinitum à finito pati non potest 339*
*Infinitum, excepto Deo, nihil 326*
*In infinitum non fit processus 339*
*Infinitũ qualem habeat magnitudinem 575*
*Infinitũ quando respectu quodam & secundum quid 337*
*Infinitum quomodo pugnat finito 336. 337*
*Inflatum quid 575*
*Infortuna error antiquorum unde 314*
*Ingratitudinis actio 485*
*Ingratitudinis detestatio & malum 484*
*Ingratitudo quid 477*
*Ingratorum pœna 485. 486*
*Ingratorum tres species 486. 487*
*Ingressus quid 296*
*Inimicitia ab odio, qui differat 699*
*Inimicitia & ira differentia 278*
*Inimicitia quomodo contrarietatem habeat 278*
*Inimicus etiã Christiana perfectio benefacit 431*
*Inimicorum testimonium & amicorum quomodo reiiciatur 279*
*Inimicus ab adulatore in quo differat, & quare inimicis non communicandum 278*
*Initium negotiorum Iurisconsulti considerant 763*
*Initiũ spectandũ rerũ 221 222*
*In nominũ explicatione quatuor consideranda 441*
*Insania quid 608*
*Insolubile quid 604*
*Insomnia damoniaca & cautio contra ea 93. 94*
*Insomnia immitti à Deo revelatione & à diabolo 92 93*
*Insomnia vera & falsa 94*
*Insommorum ratio quare suspecta 98*
*Insomnorũ reprobatio à iure diuino 99. 100*
*Instrumenta actioni debent esse apposita 224*
*Instrumentalis causa nõ agit nisi à superiore causa excitetur 867*
*Instrumenta media qua sint 322*
*Instrumentis cur loca, vbi gesta negotia sunt, apponi debent 873*
*Instrumentum quid, & instrumenta artificum & artium varia numerata 223*

*Insufflatio Dei in animam viuentis hominis qua* 34
*Insula beatorum* 533
*Intellectuales virtutes quæ* 737
*Intellectualis scientia qua, & quorum* 650
*Intellectus humanus quomodo dupliciter dicatur actionis & cognitionis* 654
*Intellectus quomodo per media sensua fit* 654
*Intelligentia cognitionem habet* 668
*Intelligentia Dei & nostra, valde diuersa* 636
*Intelligentia omnes magnitudine carent* 859
*Intelligentiam præcedit fides* 867
*Intelligentia rerum ex tribus consideratis, nempe perpensis rebus personis, & modis quærendi* 172
*In tempore orta, cum tempore senescunt* 883
*Intensum magnum, minus suo extenso* 577
*Intentio & remissio, in quibus* 575
*Intentio quid* 333
*Interciſi dies qui* 829
*Interpretatio ex voluntate pendet* 714
*In terra scribere quid* 823
*Inuidia quid* 712
*Inuidia superatur vera gloria* 799
*Inuocandum Deum abnitio cuiusque operis, probatur sacris, & prophanis literis per totum ferè cap. 1. lib. 2. Maxi numerum* 161. 163
*Inuoluntarium pugnat arbitrio* 723
*Ioab proditorie occidit Amasam, & Abner, & eius pœna* 787 788.
*Iosua fides stare fecit Solem, & Lunam* 736
*Ira alia anima, alia carnis* 705
*Ira & inimicitia differentia* 699
*Ira impedit, ne veritas agnoscatur* 756
*Ira quid, ratione materiæ & ratione formæ* 190
*Ira quid* 278. 279
*Ironia quid* 786
*Iubilum cordis inter gaudia* 712
*Iudæi hypocritæ in fide discuntur* 773
*Iudæorum in festis seruandis superstitio* 828. 829
*Iudas proditor* 787. *eius pœna* 789
*Iudicata etiam malè authoritatem habent* 294
*Iudices selecti* 320
*Iudices veritatem inquirere debent* 741
*Iudicij postremi seculi tempus* 500
*Iudicium hominis duplex particulare & generale, apud Deum* 529. 530. *quid de iudicio animarum senserunt Ethnici* 530. 531
*Iudith fœmina virile factum* 885
*Iulia Pompeij uxor dolore subito expirauit* 711

*Iunonis pulchritudo qua sit* 511
*Iuramenti qua constantia* 599
*Iuramento periuri & si ad alios decipiendos* 784
*Iuramentum iudicum* 423
*Iurgij & litis differentia* 280
*Iurisdictio contentiosa & voluntaria, qua* 272
*Iurisdictio non est sine aliqua potestate* 627
*Iurisprudentia scientia est* 668
*Ius ex facto oritur, quid sit dicere* 174
*Iustitia artem boni & aqui docet* 417.418
*Iustitia propria habet aqualitatem* 257
*Ius summum, summa iniuria* 423
*Iuuenes qui dicantur apud Iurisconsultos* 598

K.

Κατάληψις *quid* 643

L.

*LAban maximus Orientalium magus* 735
*Labor in cognoscendo primis principia dulciores facit progressus* 291
*Latitia & gaudium* 710
*Lapis qui consumptionem Solis & Lunæ demonstrat* 688
Λάθε βιώσας *præceptum, quemodo intelligendum* 824
*Latitudo animi in quo consistat, & altitudo & profunditas* 570
*Laudabilia honesta* 489
*Laudare seipsum improbatur* 778.779
*Laus propria Dei, & quedam alia communicata creaturis* 802
*Laus ab hominibus vana & fragilis* 819.820
*Legatorum regni sumendorum antiqua solemnitas* 551
*Leges donum Dei, & ad Deū relata* 419
*Legis condendæ authoritas penes quos fuerit, & sit nunc* 709
*Leonis in benefactores gratitudo* 483 *inseruiuit D. Hieronymo, & fratribus.* ibid.
*Lepus marinus assumptus solos pulmones & ulcerat* 659
*Lex cognitionem habet, & quid sit* 668
*Lex qua finem rebus imponat & quomodo* 331
*Lex tyrannus hominum* 264
*Libera voces in ciuitate libera* 514
*Liberalitas bonum est* 445
*Liberalitas, magnitudo est* 576
*Liberi arbitrij, duo: gratia Dei, & voluntas nostra ad bonum* 720. *Et hæreses circa hæc duo:* ibid.
*Liberi qui dicantur* 340
*Libertatem bonum esse argumentis docetur* 516

*Libertas habet voluntatem* 714 715
*Libertas omnibus rebus praponenda, & iucundior omnibus, & exemplis etiam docetur* 516 *præferenda vita seruili* 517. *sine æstimatione* 518
*Libertas quid, & quòd bona sit* 514
*Libertas vera in quo consistit* 215
*Liberum arbitrium, aliter in Deo, aliter in Angelo, aliter in homine accipitur* 723
*Liberum arbitrium, voluntatis nostræ est* 716. 717
*Libertatis Dei, hominis, animalium differentia* 717
*Libri de causis, tributi Aristotelis quis author* 589
*Licentia bona & mala, & quomodo liberum habet arbitrium* 723
*Lienem iuuant Asplenium, Capparis, Tamarix* 660
*Limes quid* 334
*Limitum ex positu descriptio* 8, 4
*Linea termini* 568
*Lis & amicitia rerum, omnium elementatorũ causa* 695
*Lis quid sit* 280
*Literarum mirabilis inuentio & vtilitas* 55
*Literas docuit rex ante a Dionysium* 818
*Litis & Iurgij discrimen* 280
*Lites finiunt transactio, iuramentum, sententia rei iudicata* 331
*Litigium quid, & duplex* 280
*Loca propria singula appetunt* 872
*Loci ad tempus argumentum receptum* 873
*Loci axiomata* 872
*Loci dimensiones tres, longitudo, latitudo, profunditas* 872
*Loci diuisio in proprium & communem, supra, infra supremum, medium, infimum* 871
*Loci oportunitas plurimum valet* 872
*Locum Deus elegit propter gentem, non contra* 873
*Locum replendi quinq; modi* 868
*Locus, inane, receptaculum, quomodo differant secundum Stoicos* 871
*Locus num fuerit ante creationem rerum* 870
*Locus quid* 871
*Locus quomodo differat ab vbi* 868
*Locus variat rerũ variorẽ* 873
*Loquela talis cuiusq; est, qualis vita* 171
*Loquendi vis & necessitas verborum* 437
*Loquentes suauiter cauendi & scurra & adulatores pessimi* 797
*Lotus cum sole folia explicat, & claudit* 688
*Luces tres cognitionis Hebraicæ* 95. 149
*Lucifer lapsus* 327
*Lucifer quomodo Dei nomen* 364

Lucra turpia restituenda & extorquenda 513. 514
Ludi seculares qui 590
Lumen à luce fluit 832
Lumen quid & quod sit causa visi 832
Lumine triplici homo à Deo praditus 161
Luminis tres species Diuinū, Intellectuale, visibile 832
Lux homo dicitur φῶς 831
Lux quid sit 831
Lucis tres species 831 832
Luxuria quantum ingenio noceat 48. 49 50. &c.
Lysimachi cadauer catuli ab anibus custodiuit donec sepeliretur 482. 483

M.

MAcharius vir sanctus remuneratº à Leana q̄ catos curasset catulos 483
Magia ab Hæreticis inuocata 98 99
Magi ab alijs pijs victi 735
Magi Pharaonis victi à Mose 735
Magis & magus differūt quomodo 858
Magistratus gradatim ad maiores dignitates aduocati 320
Magistratus quomodo medij 322
Magistratus vnde dicti 196
Magis vel minus non dicitur de substantia, ratione accidentium 855. nisi inter primam & secundam 856
Magna cum magnis parualis 580
Magnanimitas quid, & qualis 568
Magna paruis non dicuntur contraria 577. quando cōtraria 578
Magnetis dua species, & vires 620
Magnetis vis in ferro impeditur, si illud vngatur oleo 686
Magnitudinem qui considerent 79
Magnitudinem referentium Synopsis, & oppositorū 571
Magnitudinis corporalis & spiritualis similitudo 568. 569
Magnitudinis corporalis tres species, linea, superficies, corpus 568
Magnitudinis distinctio 567
Magnitudinis & eius natura Caroli Bouilli quatuordecim regula 571. quomodo finita, qua partes similares, quot sint magnitudines, quot earum interualla 579. 580
Magnitudinis nomen, definitio 566
Magnitudo abest ab Intelligentijs 859
Magnitudo in spiritualibus quid 567
Magnitudo omnibus reb. 564
Magnitudo rerum spiritualiū in duob. versatur 570
Magnitudo substantia spiritualis non dicitur duuidi, sed remitti 578
Magnitudo suprema & vnica, Deus: & qualis 565
Magnū & Paruū diuersis re-

*ſpectibus dici poteſt* 566
*Magnum & paruum relatiũ ad aliquid* 857
*Magnum & Paruum relatione ad aliud dicuntur* 565
*Mahometici credunt omnipotentiam Dei* 617
*Maieſtas Dei principium magiſtratuum, priuatorum* 574
*Maieſtas quid* 574
*Maieſtas vnde nata* 574
*Maior dignitate Deus* 341
*Maiores qui dicantur* 340
*Maioritas quid* 340
*Maioritas & minoritas numeri quid* 341. *numeri & qualitatis ibid.*
*Maioritatis & minoritatis ſpecies* 340. *de quibus dicantur ibid.*
*Maiorum gloriam & virtutem non imitari turpiſſimum* 836
*Maiorum nobilitas dedecori poſteris alienis à virtute* 542
*Maius & minus in ſubſtantia* 856
*Mala in ſacra pagina aliquãdo qua dicantur* 351
*Mala nobis ex improuiſo accidunt* 526. 527
*Mala non dici poſſunt entia* 340
*Mala quò diuturniora, eò peiora* 395
*Mala quomodo orta dicantur ex bonis* 352. 353
*Mala vlla an ſint, & vnde* 380
*Maledicentium vindicta & pœna* 791
*Maledictiones, quibus contra ſe vtuntur damnati apud inferos* 823
*Mali error infinitus* 345
*Mali etiam ſpeciem fugiendam eſſe* 560
*Malũ vocem exemit Deus* 527
*Malitia nominis notatio* 354
*Malitia non fuit cum bono ab initio genita* 348
*Malo peius inuenitur* 367
*Malorum noſtrorum cauſam non eſſe ad Deum referendam* 392
*Malum eſſe aliquid, qua adſtruere videantur & ſolutiones* 348. 349
*Malum & bonum, oppoſita* 344
*Malum minus non eſt eligendum* 559
*Malum non eſſe in agentis vel patientis ſubſtantia, ſed in actu* 346
*Malum non eſſe ingenitum, aut Deo coæternum* 347
*Malum non eſt à tempore boni quid ſit* 344 345
*Malum non eſt ens* 345
*Malum odibile, & bonum deſiderabile natura* 40
*Malum potentiæ mala, non à Deo* 637 638
*Malum rotundum quare dictum morbus ad bonum* 346
*Mandati principium mandans* 296

*Mandatorũ differentia* 296
*Mane orandum* 167
*Manichaeorum & aliorũ sequentium de principio error* 344
*Manichaeorum error* 685
*Manifestum quid dicatur* 183
*Manus organum organorum* 134
*Manus quibus, & pro quibus delictis amputata* 744
*Maria beatissima Virginis Dei genetricis praestantia & laus* 388
*Maritis in uxorem potestas* 233
*Maritum quàm astutè quidam se finxit Uxoris relicta a marito militante* 814
*Mascᵘˡ, nomen unde tractum pro persona* 772
*Materia causa proxima & propria* 306
*Materialis causa quid sit* 303
*Materia & causa duo principia rerum apud Stoicos* 298
*Materia & forma creata omnia constat* 301
*Materiam inesse omni substantia sensibili probatur* 848
*Materia in substantiam & materiam diuisa* 843
*Materia non est separabilis à corporibus* 221
*Materia rerũ principiũ* 309 311
*Materia secunda* 220
*Materiatum sua materia sequitur naturam* 221
*Mathematica scientia circa qua versetur* 657
*Matres cur non habeant filios in potestate* 628
*Matrimonia cum infidelibus contingere prohibitum est* 259
*Matrimonij alij thori separatio in quibus causa fiat hodie* 283
*Matrimonij finitio* 257. 258
*Matrimonij pessimum malum discordia* 276. 277
*Matrimonium cum infidele mala* 407
*Matrimonium indissolubile nunc est* 283
*Matrimonium propter quid inuentum* 235
*Matrix mulierum fugatur fœtidis, trahitur odoriferis* 620
*Media discendi* 82
*Media in medicina quomodo considerantur* 320
*Media qua referant* 320. 321
*Media quomodo considerandа sunt in essendo vel in causando* 324
*Mediatores qui* 323
*Medicamenta variari debẽt pro modo temperamentorum quibus adhibentur* 255
*Medicarum praedictionũ nomina* 670
*Medij axiomata* 324
*Mediocritas quid* 322
*Medio omisso ad maiora non licet conscendere* 320
*Medium cuiuscunq; rei inuenire difficile* 321

*Medium in extrellis tenere optimum* 324
*Medium in Syllogismis quid* 321
*Medium inter contraria duplex esse potest* 269
*Medium inter extrema, & principium tendens ad finem* 319. 320
*Mediũ quomodo possit in aliquo exuberare, aut deficere* 324
*Mediũ rei & quoad nos quomodo differant* 324
*Melancholicum humorem expurgant epithymum, polypodium. Sene.* 620
*Meliora in bonis qua dicantur, & pejora contrà in malis* 561 563
*Melius quid dicatur* 368
*Membrorum numerus in homine* 32
*Memoria bona cõstitutio qua requirat* 158
*Memoria ex ordine firmatur* 669
*Memoria non inest omnibus animalibus* 157
*Mendacij divisio, in commodum, iocosum, ex malitia, item octo mendacij species* 770
*Mendacij pater damon, vt Deus veritatis* 764
*Mendacijs se assuescere, veritatem pellit* 761
*Mendacium opponitur veritati* 764
*Mendacium peccatorum causa & abominatum à gentibus* 765
*Mendacium prohibitum in lege divina* 765
*Mendacium quid sit* 764
*Mendacium verborum fucu & labore indiget* 747
*Mendax omnis homo quare dicatur* 765
*Mensa nõ debent esse sine Dei memoria & veneratione* 371 372
*Mens hominis cernit ex nostro intellectu* 756
*Mens intellectus dicitur* 144
*Mensura magnitudinem habet* 576
*Mensura quid* 312
*Mente captus nec in favorem anima testatur* 549
*Mentientium pœna ex omni iure* 767
*Mentiendum quacunque de causa non est Christiano* 770. 771
*Mentiri & fallere quomodo differant* 770
*Mentiri & simulare, an sint idem* 766
*Mentiri pro aliquo an liceat* 766
*Mentis & rei in multis similitudo* 146
*Mentis explicatio* 143 &c.
*Mercatores edulium pessimi homicida* 427
*Meretrices & Lenones turpissima vita* 513
*Meropes aues, earumq; pietas in parentes & fœtus* 483
*Metus quid & divisio eius in sex species* 709
*Meum, tuum, suum, de praesenti*

*ſenti intelliguntur* 883
*Micylli ſomnium* 815
*Milites iniuriosi præſtantiores ducuntur* 547
*Militum feriata machara, ſuperbaq́, tactantia repercuſſa, id eſt, ſine actu* 813 814
*Minerua in conuiuium Neſtoris mutata* 371
*Minoritatis & maioritatis explicatio* 339
*Minoritas quid* 340
*Minus ſibi arrogare quàm ſit, diſſimulationis eſt* 748
*Minuta hora quot apud Hebraos* 883
*Miracula à Deo facta, quando diſcrepent ab his quæ fiunt per Angelos, & occultas virtutes* 733
*Miraculum quid* 733
*Miſericordia quid* 712
*Mixtura confuſioni ſimilis & quid* 253
*Mobilia, & immobilia, & ſe mouentia quæ apud Iuriſconſultos* 601
*Moleſtia quid* 712
*Molle aut durum quot modis dici poſſit* 581
*Moloch, idolum Ammonitarum* 408
*Momentum temporis quid* 608
*Monachi non ſunt ſuæ poteſtatis* 233
*Monachis in monaſterio monialium habitare prohibitum* 390
*Monachi vagantes non gaudent priuilegio Monaſtico* 318
*Monetam falſare quot modis quis dicatur* 780
*Monopolia mala* 447
*Monotheletarum hæreſeos origo & authores* 684
*Morales virtutes quæ* 738
*Morbi acuti, peracuti, diutini qui* 576
*Morbi contrarijs quomodo curentur* 355
*Morbi quando* 607
*Morborum author incoctio* 307
*Morborum ex tempore cauſa* 882
*Morborum initium, augmentum, & conſiſtentia* 576
*Morborum quæ ſint obſeruanda tempora* 880
*Morbus ſonticus quis* 197
*Mori commune omnibus, bene tamen mori paucis* 538
*Moriendum potius quàm turpiter viuere* 538
*Moritur id vel non interit, cui nullum eſt contrarium* 268
*Morituorum mala acta vita pœnitentia* 524. *eorum iudicium de futuris* 525
*Moriuntur in mundo fere omnia & exemplis docetur* 535
*Mors anima peccatum* 42
*Mors à quibus non timetur* 536
*Mors bona aut mala quando dicatur* 518. 519
*Mors duplex hominis* 43
*Mors & ſomnus ſemper in tenebris inuiſibles* 526
*Mors, finis quomodo* 331. 334

*Mors, morbi & mala sine voce, vt dum accidunt, nō intelligantur* 527
*Mors naturalis & violenta* 334
*Mors nigra & atra, quare* 834
*Mors optimum bonorum* 461
*Mors quid* 609
*Mors rerum vltimum* 518. 521
*Mors secunda qua apud Diuum Ioannem* 604
*Mors triplex* 604
*Mortis bonum* 538
*Mortis cogitatio bonum esse docetur* 521. 522. &c.
*Mortis consideratio quomodo nos ducat ad cognitionem nostri* 533
*Mortis & consumptionis differentia* 332
*Mortis metus quid boni adferat* 528
*Mortis tempore cur maiorem in modum insidietur hominibus Sathan* 328. &c.
*Mortis tempus incertum* 525. 526.
*Mortuorum vita scribitur apud Indos* 766
*Morus germinans frigus transisse admonet* 660
*Motus corporis hominis, voluntarius* 726
*Motus in actione & passione, quis* 862
*Motus in tempore fit* 604
*Motus musculorum ex appetitu* 676
*Motus non est in substantia* 855
*Motus quid* 877
*Mulier bonum hominis* 388
*Mulieres cur velatae erant & cur domi se debeant continere* 496
*Mulieres fucantes faciem hypocrita & de fucationis malo* 772
*Mulieres pudica non debent directò aspicere homines* 495
*Mulieres pudica non debent interesse consortio hominū* 495
*Mulier forma vix bona, & quare* 508
*Mulier mala malum sine remedio & quantum* 386 387
*Mulier mala per se malum tamen non est* 387
*Mulierum assiduitas quomodo decipiat homines* 390
*Mulierum desiderium partus edere* 389
*Multiplicatio & multiplex differentiam faciunt* 250
*Multitudo habet aggregationem* 576
*Mundanarum rerum distinctiones* 238
*Mundicies num bonum* 512
*Mundi creatio comparata cum hominis vita* 596. 597
*Mundi duratio secundùm Sibyllam & Hebraos* 500
*Mundi quæ sint, quibus rationibus contemnere debent Christiani* 819
*Mundum respirare qui dixerint* 870

*Mundus & vana gloria quomodo decipiant nos 817*
*Mundus non ab æterno quare 881*
*Mundus num factus sit quærere superfluum putat Galenus 617*
*Mundus triplex 228*
*Mundus Vrbs communis vniuersis 413*
*Mutabiles sunt omnes res naturales 585*
*Mutabilia quare omnia esse necesse sit 872*
*Mutui cum deposito & commodato differentia 425*
*Mutuum habet æqualitatem arithmeticam 424 425*
*Mutuum Vnde dictum 196*

## N.

*NAbal stultum significat 197*
*Naboth ob Vineam occisi figura quid præstitit 774*
*Natum finitur necesse est 338*
*Natura animalia docuit 26*
*Natura & fati distinctio 312*
*Natura & substantia quibus distinguitur modis 853*
*Naturalia cur necessaria 309. 310*
*Naturalis hominum & animalium cognitio 67*
*Natura pro facultate omni naturali apud Medicos 311*
*Natura qua principia constituit & quomodo causa sit 309*
*Natura rerum & animalium à Deo 28. 29*
*Nauis ædificanda ars, quid 190*
*Necessarium omne molestum est 634*
*Necessitas cur natura insit 310*
*Necessitas habet Vim cogentem 633*
*Necessitas quibus insit rebus, quid necessitas 309*
*Necessitas quomodo repugnet libero arbitrio 723*
*Necessitatem & fatum quomodo tribuat Deo Seneca 308*
*Necessitatis natura, & fati differentia 312*
*Negatio quid 281. factis & Verbis fit ibid.*
*Negatiua an probari possit 281*
*Negatiua duæ æquipollent affirmatiuæ 281*
*Negato altero duorum simul propositorum, alterum approbari Videtur 282*
*Neronis conscientia terriculamenta 70*
*Neronis sera pœnitentia 525*
*Nestor Mineruam ad conuitium inuitauit 371*
*Nestorij hæresis 685*
*Nicias Athenensium Imperator deliquio Solis perterritus 734*
*Nigredo oculi, & Aethyopis vnde causetur 211*
*Nihil, aliquid nõ producit. Ex nihilo nihil fit physicè 221*

*Nihil factum sine causa* 235. 299
*Nobiles delinquentes cur mitius puniantur* 543. *grauius eorum peccatum* ibid.
*Nobiles ne omnes sint ex nobilib. nati, vel contrà ignobiles ab ignobilibus* 541. *nõ nascuntur, sed fiunt* 542
*Nobilis fit à virtute tantùm* 541
*Nobilitas ex genere quid probatur quid bonum sit* 540. *&c.*
*Nobilitas habet perseuerantiam* 604
*Nobilitas honorabilis* 543
*Nobilitas principium dignitatis & quid* 296
*Nobilitas quid, & nobile* 540
*Nobilitas similis numismati, quod nisi apud certos recipitur* 542
*Nobilitas sua, vel aliena* 836
*Nobilitates rerum praestantiaq; nouem gradus* 540
*Noe inebriatis significatio* 774
*Nomẽ Dei pronunciare, quãdo permissum* 358
*Nomen & appellatio, in quo differant* 187
*Nomen rei finita si non conueniat culpam rei, non conuenit etiam finito* 195
*Nomina ciues in templo Dei sua & parentum scribebant quare* 251
*Nomina distinctionem faciũt* 251
*Nomina propria cum quadam significationis qualitatis nota imp. sita* 440
*Nomina rerum, earum sunt imagines* 440
*Nomina rerum & quomodo res ipsa perpendenda* 757
*Nomina rerum primas cognitiones tribuunt* 187. *immutabilia.* ibid. *Vtendum vulgaribus* ibid.
*Nomina substantiã rei referentia* 39
*Nomina vniuoca, & synonyma, aquiuoca qua* 212. *& polyonyma qua* 213. *heteronyma & alia nominum appellationes* 213
*Nominis acceptiones priùs distinguenda, quàm definienda* 194
*Nominis allusio seu etymon cedit finitioni substantiali* 196
*Nominis dissimilitudo diuersitatem rerum arguit* 197. 198
*Nominis negatiua notatio vel argumentatio, non valet: contrà affirmatiuè* 197
*Nominis notationem interdum natura rei nominata significare, exemplis docetur* 197
*Nominum appellatiuorũ impositio ex rerum cognitione* 39
*Nominum inconsideratio errores gignit* 436
*Nominum propriorum, & appellatiuorũ distinctio* 436

*Nominum significatio quid operetur* 436
*Non entia nulla sunt qualitates* 181.455
*Non idem differentiam habet* 252
*Nosce teipsum quale præceptū* 77
*Nosse seipsum fœlicitas* 461
*Notatio quid* 670
*Notitia cur non eadem omnibus ratio* 46
*Nouerca Fausta Crispum priuignum per calumniā interfici fecit* 783
*Nudum se cognouit Adam & Eua quare* 40
*Numerationes Rabinorum ad scientiam* 149
*Numi introductio* 426
*Numus æqualitatem constituit* 321 323
*Nunc existentiam significat* 581
*Nunc non est pars temporis* 584
*Nunc semper in Deo, non præteritum, vel futurum* 583. 584
*Nundinæ, feria qua* 810
*Nuptiæ quomodo castitatem habere dicantur* 492
*Nuptiarum bona, & fauores* 389
*Nuptiarum bonum* 406
*Nympha quot annis viuant* 591

## O.

OBduratio contra veritatem unde nascatur 760
*Obduratio peccati* 503
*Obiectum appetitus* 678
*Obiectum quid* 334
*Obligationis initium considerandum* 222
*Obligatio quid dicatur* 865
*Obscuritas quid* 824
*Obtrectatio quid*
*Occasio est forma per accidēs* 307
*Occasio quid* 315
*Occidere hominem an bonum vel malum* 394
*Occidere unde dictum* 196
*Occultarum proprietatum in rebus causa* 620
*Oculi carnalis & mentis similitudo* 161
*Oculi cur erubescentibus ferè claudantur* 495
*Odium nullam inter animalia, sed cuiusque iuris conseruādi desiderium* 674
*Odium opponitur amicitiæ* 699
*Odium quid* 278 283 *quomodo ab inimicitia differat* 278
*Odium quid sit, quod sit bonum & malum, & quomodo differat ab inimicitia* 699
*Oenomaum oracula refellit Pythia* 106
*Omne dicens nihil excludit* 203
*Omnipotentia Dei docetur* 636
*Opera nostra quadam voluntate nostra reguntur, quadam minimè* 716
*Opes à iuuando dictæ* 629

*Opinio à fide quomodo & ab intellectu differat 666*
*Opinionem, non scientiam, esse in omnibus qui dixerint 8. 9*
*Opinio quid 127*
*Opimo quid sit & quomodo à scientia differat 668. 676*
*Opinio quomodo dicatur species scientiæ 668*
*Opposita magis, qua magis à medio distant 324*
*Oppositio ex complexi quid 267*
*Oppositio subcontraria quid 266*
*Oppositionis natura 282*
*Oppositionum regula 270*
*Oppositionum species 265*
*Opprobrium sempiternis damnatorum quid 823*
*Optimum unum in unoquoque genere 562*
*Opus & Actio quomodo differant 864*
*Orare Deum, proprium hominum est 166*
*Orationis veritas & falsum, quid 765*
*Orationis virtus & vitia 729. 730*
*Oratio qua facienda Deo seria prolocuturis & acturis 266*
*Oratio quid 281*
*Oratoris antequam agat idea præsia orationis qua 226*
*Oratoris materia & perfectio, benè, non multum dicere 13*
*Ordinem non habens confusum dicitur 253*
*Ordo & methodus ad scientiam idonea, quidve ordo 669*
*Ordo in examinandis quæstionibus quis seruandus 180*
*Ordo in quibus inspicitur 669. 670*
*Origo principium 296*
*Origo vel initium rerum fore in omnibus spectandum 221 222*
*Orgæ impetus quid sit 674*
*Ornamentum habet honestas & gloriam 817*
*Ornatus rerum gloriam habet 803*
*Orthographia artificium quid 226*
*Ostentatio quid, & qui se ostentent 786*
*Ostracismus, iudicium in diuites 630*
*Otiosorum hominum misera & vana vita 175. 176*

## P.

*PAcem esse bonum ostenditur 544. 545*
*Pactorum firmitas 599*
*Paleas seu festucas quas occulta trahant 620. 686*
*Pallorem faciei quo pacto quidam inducant 771*
*Palma arbores iunguntur venereo complexu 686*
*Panis æterni & corporis Dominici consecratio 375*
*Panis baculus & fundamentum nutritionis Dei benedictio 610*
*Panis vulgaris quare honestè con-*

*ſic contrectandus* 375
*Panthera in beneficium gratitudo* 483
*Parabola ſeminis Dei vna explicata* 381
*Paradyſi delicia* 532.533
*Paraſiti adulatores regij* foulz des Princes 795
*Paraſiti omnes ferunt iniurias, dummodò edant* 793
*Paraſitus quis, & quid faciat, & nomina quorundam paraſitorum* 792. *& paraſitorum alia nomina* 795
*Parentes quidicantur* 340
*Parentum in genitu ſimilitudo Vnde proficiſcatur* 262
*Pares cum paribus facilè congregantur* 264
*Participatio quid* 323
*Partitio quid, quomodo à diuiſione differat* 218.219
*Parum quid* 566
*Paſſio ex impotentia* 612
*Paſſiones animæ ſunt concupiſcibilis appetitus* 724
*Paſtores fuerunt patres ſapientiores, quare* 413
*Pathognomonicum quid* 670
*Patientia in quibus conſiſtit* 605
*Patriam reliquerunt plures, vt alibi liberiùs philoſopharentur* 818
*Patria poteſtas quando finiatur* 331
*Patria Vbicunq; bene* 429
*Patris honor, filius, vel dedecus* 836
*Patrum in filios poteſtas* 233
*Pauperes ne opprimantur à diuitibus legibus proſpectũ* 631
*Pauperibus bona diſtributa ab Ethnicis & Chriſtianis* 431
*Paupertas philoſophis voluntaria potior* 818
*Pauſanias deliciis ſuperatus* 327
*Pax quid* 261
*Pax, & indiſcia quomodo differant* 271
*Peccare cur boni & mali timeant* 529
*Peccata non eſſe æqualia probatur* 367
*Peccata nos tenebroſos faciunt* 834 835
*Peccata noſtra impediunt, ne Dei illuſtrationem recipiamus* 178
*Peccatum hominis ignorantiam peperit* 1
*Peccatum viſionem Dei & ſcientiam ademit Adam* 43
*Pecunia omnibus potiores quibuſdam, & earũ vſu* 628. 629
*Pecunia, ſunt proditionis inſtrumenta* 787
*Pecuniam infodientium peccatum, & malum* 428
*Pecunia, medium commerciorum* 323
*Pelagij de libero arbitrio error* 720
*Per calumniam accuſati & necati* 782.783
*Peregrinos cur ſe dicerent*

*patres antiqui* 413
*Perfectum quid* 547. & *quomodo impropriè malum perfectum dicitur ibid.*
*Perfectum quomodo habeat finem* 334
*Peritia quomodo differat ab arte* 316
*Periurium hominibus pernitiosum mendacium* 783
*Permanentia est obligatio temporis* 581
*Permanentia qua* 606
*Permissio ad liberum arbitrium pertinet* 724
*Permissio est de futuro* 724
*Permissum quatenus bonum dicitur* 424
*Permutatio nō habet proportionem arithmeticam* 425
*Perpetuum per subrogationem* 602
*Perpetuum quid* 605
*Per quem, quæstio quid significat* 222.223
*Perseuerandum in bono vsq; ad finem* 327
*Perseuerantia qua* 605
*Perseuerantia quando bonū habeat* 456
*Persona quomodo in quæstionibus soluendis consideranda* 176
*Personati hypocrita sunt, & mali* 772
*Persuasio quid* 127.129
*Perturbatio delinquentiū vnde causam habeat* 74
*Perturbationum causa vnde* 317
*Perturbatio quid sit* 252
*Phantasia vn* 122
φαος φορ ☉ *nomen Dei* 164
*Phœnix quot annis viuat* 590
*Philenes draconem educauit* 483
*Philippides Cōmœdiarum author, gaudio mortuus* 711
*Philosophantes optimè omnia terrestria contemnūt* 805. 806
*Philosophi antiqui cur veritatem rerum & fidei non potuerint comprehendere* 743
*Philosophia vera mortis meditatio* 521.522
*Philosophorum plurium nomina & patria* 818
*Pigritia quid* 701
*Pili in diuersis partibus hominū qui primò nascantur* 597
*Pituita agarico purgatur* 620
*Placidus, comes, & adulator vt differant* 796
*Planetarum amicitia & inimicitia* 688
*Plan Gallis, aut Plataforma quid* 225
*Planta desideria habere dicuntur dicta & ab alijs animalia* 686
*Planta gradum in vita* 596
*Planta in quibus regionibus singula feliciùs crescāt* 687
*Planta quando differant à seipsis* 239
*Planta homo* 596
*Plato vilis quæstionis difficultate mortuus* 175
*Pluralitas differentiam habet* 206
*Plus & minus quomodo constituant*

*ſtituant differentiam 247*
*Plus quod eſt minus continet 341*
*Poculum boni damonij quid 370. ab Hebræis mutuatũ 372 373*
*Pœna cur delinquentibus impoſita 235*
*Pœna graviores grauioribus delictis imponenda 367*
*Pœna quam ferantur animabus apud inferos 531. 532*
*Pœna pro Deo, Democrito 344*
*Pœnarum cum delictis qua ſit aqualitas 426*
*Pœnitentia bonum, & efficacia 497. locus & tempus 500*
*Pœnitentia contrarium peccati obduratio, & pertinacia 503*
*Poetarum damnanda laſciuia 514*
*Polipadij vis 620*
*Populi favor citò perit: non eſt fidendum 820 821*
*Populus leuiter reprobat quæ probauit: & contrà 820*
*Populus vt mare ventis, ſic ductibus mutatur 820*
*Portus quid 335*
*Poſitionem dictiones quæ ſignificent 874*
*Poſitioni nihil contrarium, non recipit magis vel minus, adhæret ſubſtantiæ 874*
*Poſitioni quis vel credere vel eam reprobare debet 875*
*Poſitionis axiomata 874*
*Poſitionis cauſa & modi 874*
*Poſitionis, & vbi differentia 873*
*Poſitionis nominis acceptiones 874*
*Poſſediſſe maiore parte anni quo dicatur 340*
*Poſſeſſionis initium conſiderandum 222*
*Poſſeſſio, pedis poſitione adepta 874*
*Poſſeſſio vnde appellata 196*
*Poſſibile & impoſſibile quot modis quid dicatur 615*
*Poſſidere & non poſſidere, quo diuerſis reſpectibus dicitur 887*
*Poſſidere verè quis dicatur 887*
*Poſteri qui dicantur 340*
*Poſterius finem habet 336*
*Poſterius non poteſt eſſe, niſi ſit prius 293*
*Poſtremus quis 336*
*Potens quis 619*
*Potens, potentia, poſſibile, tria diſtinguenda 614 615*
*Potentia actionem producit, & ſi ſine actu aliquando, ex impotentia paſſio 612*
*Potentia alia infinita, alia finita: & qua vtraq; 616*
*Potentia creata actiua vel paſſiua 618*
*Potentia alia regula 635*
*Potentia duplices in omnibus rebus creatis, elementariis, & cœleſtibus ſeu diuina 620*
*Potentia & actus, partes entis 618*
*Potẽtiæ rationales & irratio-*

*nales in quibus differant 619*
*Potentiam quare ferant 625*
*Potentia naturalis & acquisita siue habitudo eruditorum consideranda 22.23*
*Potentiane prior, an actu, controuersum 613*
*Potentia passiua habet relationem actiuam 638*
*Potentia præcedit actum 19*
*Potentia quale principium actus 296*
*Potentia quid 618*
*Potentia quomodo quis sciat 20*
*Potentia quot modis accipiatur, eius diuisio 625 626*
*Potentia rationalis quid 21*
*Potentiarum distinctarum omnium abacus 640*
*Potestas agendi vnde ducenda 864 865*
*Potestates cœlestes, Angeli 619*
*Potestas & potentia corporearum rerum qua & vnde 619*
*Potestas in actu perfectior quàm in fieri 636.637*
*Potestas in liberos, seruos & vxorem 627*
*Potestas in malis peior 637*
*Potestas omnis à Deo 618. 637*
*Potestas qua inter homines est, vel ex iure, vel consuetudine 621 639 Alia secularis, alia spiritalis 62*
*Potestas varia in res & personas variis iuribus probata 233*
*Potestates maiores præferuntur inferioribus 234*
*Potestatis nomen, relatione eius ad quod refertur, diuersa significat 622*
*Potestatis nostra non sunt, quæ facta legibus repugnat & moribus 638*
*Potestatum alia efficiens, alia in fieri 636*
*Practica facultas scientia circa quæ versetur 657*
*Præcepta vera artium tria habere debent, verum, stile, consensum 742*
*Prædestinatio quid, & quòd habeat scientiam 678*
*Prædestinatio quomodo differat à præscientia 678 679*
*Prædicabile quid 213*
*Prædicabilia quæ dicantur 199.200*
*Prædicabilium communia & differentia 212*
*Prædicamenta accidentia sunt 209*
*Prædicamenta decem sunt rerum fontes dicendi 839*
*Prædicamenta in abstracto, & concreto, qua considerentur 842*
*Prædicamenta omnia bonum continent 456*
*Prædicamenta principia sunt 297*
*Prædicamentum quid 213*
*Prædicamenta quos sint, eorumq; nomina 839.840*
*Prædicamentis quæ concludi non possunt 840.841*
*Prædicamentorum distinctio & necessitas 839*

Prædicari genus per speciem quid 205
Prædicatio est ℭ minoca 212
Prædicationes per obseruationem animalium 23
Prædicatum quid 213
Prænotio scientiã habet 670
Præpositiones differentiã faciunt 252
Præscientia quomodo differat à prædestinatione 678 679
Præstigia dæmonum quomodo tolluntur 735
Præsumens de sua scientia, vix discit 643
Præsumptio sui malorũ causa 383
Præterita quid futurum sit, indicare possunt 293
Prænaricari quid 780. 781
Primogenitus est, & post quem alius natus non est 288
Primum ante se nihil habet, esse tamen sine sequente potest 288
Prius & posterius interdum ℭ num 293
Principes & rectores reipublica simulachra Dei 573
Principes mali cur permittãtur supra populos 623
Principia examinantia quare nuncupata classesq; tres eorum 241
Principia naturalia Aristoteli Priuatio, materia & forma 289. alia à facto casus fortuna, ars & cognitionis demonstrationes & principia artium 289
Principia nostra artis ℭ variãtur subiectis & temporibus 398
Principia omnium difficilia & laboriosa 291
Principia referentium abacus 294
Principia rerum & actionũ nostrarum, vel ab his quæ intra, vel quæ extra nos sunt, & quæ ea sint 639
Principia rerum ℭ universalia Stoicis materia & causa 298
Principia respectiua qua, & quare ita dicantur 241
Principia sibi contraria esse non possunt 270
Principiata malè ℭ ix bonum sortiuntur exitum 293
Principia ℭ universalia constituta à natura, fortuna, arte & alijs 289
Principibus, & ab ijs præpositis obediendum etiam malis 622. 623
Principibus subijci, beneficium est Dei 516
Principij consideratio 285
Principij & causæ differentia 295
Principij & Elementi differentia 295
Principijs admissis admitti principiata necesse est 319
Principijs mutatis, multa cõsequentia mutari necesse est 292
Principijs negatis, quæ consequuntur negata censentur 292
Principiorum axiomata seu regula 292

Principiorum diuisio, in illud quod sine principio & quod cum principio 285
Principiorum ex cognitione quæ certitas 291
Principium à Deo trahendum 169
Principium dimidia pars præcipua negotij 291
Principium in quo principium primum est 288
Principium, medium finis, idem diuersis respectib. 293
Principium, medium, finis, quomodo in rebus considerantur 240
Principium non in omnibus, sed in aliquibus necessariò quærendum 293
Principium num sit bonum & malum 344
Principiũ omnia præter Deũ, habent 285
Principium primum omnium quod sit 286
Principium vel est, vel fit, vel est à cognitionis initio: & quomodo hac 289. & sequentibus.
Principium unde ita dictum, eius q; finitio 287
Principium unum num sit 285
Principium singulis rebus, unum aliorum quæ in illis sunt 564
Priuatio præsupponit habitũ, non contrà 345
Priuatio præsupponit habitũ quando 885
Priuatio quomodo finis 335
Priuatio quomodo principiũ secũdùm Aristotelem 297
Prius & posterius quid dicitur quinq; modis 290
Prius quid dicitur & quinq; modis prius 297
Probatio firmissima à veritate vel verisimilibus 742
Probatio negationis an fieri possit 281
Proditiones placent quibus vsi sunt, sed non proditores 789
Proditio, pessimũ genus mendacij 786
Proditio quid sit 787
Proditio sub specie amicitiæ, ideo perniciosior 787. 788
Proditores quidam enumerati 787
Proditores qui merentur dici 788
Proditori minimè credendũ 786
Proditorij mores & pæter 786
Proditorum supplicium 788. 789
Producens est principium 297
Prognostication scientiam habet 670
Prohibitio permissioni obijcitur 724
Promethei & Pandoræ fabula explicatur & quid significet 383
Pronomina inducunt differentiam 252
Propheta videns dictus 38
Prophetari non facit beatos 38
Prophetia & vaticinij distinctio 92

Propinquitas addit conuenientiam 261
Proportio quid, & quatuor eius rationes seu considerationes diuisi & continui 261. ea & Geometrica & Arithmetica ibid.
Propositiones ablatiuo deseruientes 297
Propositiones accusatiuo deseruientes, contrarietatem habent 284
Propositionum oppositio contraria quid sit 266
Propositionis quantitas quid & quotuplex 265 qualitas quid 266
Propositio per se, & per accidens qua 210
Propositio vniuersalis, particularis, indefinita, singularis, quid sit 265
Propositum in mente retentum non consideratur in negotijs contrahendis 224
Propositum quid 333. 334. 677
Proprietas quare sit potior possessione 208
Proprij cuiusq; quid & distinctio eius 298
Proprium quatuor modis dicitur 242
Proprium quot modis dicatur 208
Proprium quod non commune 408
Protagora error in vero 760
Prouidentia dupliciter accipitur & quid sit vtraq; 671
Prouidentia rerum in Deo vniuersalis & particularis 671
Proxeneta quis 323
Proximus quis 297
Prudentia cognitionem habet 671
Prudentia Dei & mundi 672
Prudentia cum sapientia distinctio 672
Prudentia quid sit 671
Pubertas & puberes apud Iurisconsultos 598
Publ. Rutilius dolore expirauit 711
Pudicitia & pudor quando bonum 494
Pudor à delictis retrahit 498. 499
Pudor arx & propugnaculum formae 509
Pueri constant calidi & humidi, quare 592
Pueri principes 623
Puericia Iurisconsultis quot annorum 598
Pugna quid 284
Pugna & differt à bello 271
Pulchritudinis duae species, venustas & dignitas: alij tres 508
Pulchritudo in mulierib. difficulter cum pudicitia custoditur 508 509
Pulchritudo animi & rerum spiritualium 511
Pulchritudo naturae priuilegium & quid 837
Pulchritudo sapientia 511
Pulchritudo triplex 837
Pulchrum à Deo in nos permeans hebetatur 507
Pulchrum desiderabile 508
Pulchrum docetur esse bonum 507

Pulicis saltum per soleas eius Socrates mensuravit 174
Puniendus quis in eo in quo deliquit 744
Purgatio delictorum apud Ethnicos cum aqua lustrali 170
Purgationis animarum tria loca 531
Purificationes per aqua aspersionem 170
Putredo quid 335
Pyrrhi virginis proditricis sua civitatis pœna 789

Q.

QVæstio à quo & de quo, quid inquirat 220
Quæstio, hypothesis & casus in iure differunt 178
Quæstiones argumentandi causa tantùm reijciendæ 175
Quæstiones quæ non egent ratiocinatione & discursu, quæ sunt 174
Quæstiones quib. nõ valde interest respondere 174
Quæstiones quomodo soluendæ 172
Quæstioni secũdùm quid, per quæ respondetur 231
Quæstionis nominis acceptiones apud Iurisconsultos 178
Quæstionũ diuisio vt sint factorum, dictorum, verborũ, voluntatum, rerum 179
Quæstionum examinandarũ quis ordo seruandus 180
Quæstionum finis, vel cognitio, vel actio 179
Quæstionum resolutio nouem mediijs exquirenda 179
Quæstio per quem, quid quærat 222
Quæstio propter quid, desiderat finem 234
Quæstio quare examinatur 236.237
Quæstio quid dicatur 178
Quæstio secundùm quod, quid quærat 223
Quæstio vnde, quid quærat 221
Quale duobus modis dicitur 887
Qualitas alia princeps, alia ex illa orta 888
Qualitas non est corpus, sed incorporea 888
Qualitas non est sine subiecta cui insit 888
Qualitas propositionum quid 266
Quantitas propositionũ quid sit 265
Quare quæstio solutione reddit res dilucidiores 237 per quæ respondeatur ibid.
Qualitas quid 888
Qualitas, substantia prior, posterior actu 887
Qualitas suscipit contrariũ, magis & minus 891
Qualitates primas & secundas, quomodo physici & medici considerent 889
Qualitates sunt genera, & habent species extrinsecas & intrinsecas 889
Qualitatis considerata vtilitas 889
Quando manifestat esse in tempore, & tamen non est tem-

*est tempus* 875
*Quantitas causa aequalis vel inaequalis* 858
*Quantitas in quo similis substantia* 856
*Quantitas non recipit magis, sed minus* 857
*Quantitas quantitati quomodo contraria, & non* 857
*Quantitas quomodo concludatur terminis & metienda intervallis* 568
*Quantitatem quomodo medici considerent* 858
*Quantitatis divisio* 857
*Quantitatis praedicamentum mensuratiuum substantia* 857
*Quantum continuum, & discretum quid in mathematicis* 657
*Quantum & Quantitas differunt* 858
*Quid de quib. quarit, & quot modis dicatur in aliquo esse* 198
*Quid proprie quaestio. substantiam quarit* 198
*Quid sit quaestio, sequitur quaestionem, an sit* 183
*Ques quomodo finis* 335
*Quintus Fabius dolore subito expirauit* 712
*Quoties, divisionem numeri & ordinis indicat* 219
*Quotuplex quaestio quid quaerat* 217


R.


*Ratiocinari quādiu oporteat* 108
*Ratio à Deo* 549
*Ratio bonum à malo distinguit* 129
*Ratiocinationem non admittunt sensibus exposita, manifesta à maioribus tradita & diuina* 155. 156
*Ratiocinatio quid* 237
*Ratio ac omnib. reddenda* 10
*Ratio differre hominem facit à brutis* 233
*Ratio dirigit actus hominum* 673
*Ratio maior minori praponitur* 136
*Ratione adhibita omnia fieri debent* 135. 136
*Rationē habere debet actus hominis* 236 237
*Rationem in homine bonum esse docetur* 548
*Rationem vincit experientia* 665
*Ratione num vtantur bruta animalia* 658
*Rationes habent cognitionem quandam cum rebus quas exprimunt* 237
*Rationes omnīū adferri aliquibus posse, aliquibus nō, videtur* 1
*Rationes reddemus operum nostrorum Deo* 237
*Rationis duplex vis* 137
*Rationis & causa differentia* 299 300
*Rationis finis veritas* 741
*Rationis officia* 233
*Ratio quibus est principium* 420
*Ratio quid in homine operatur* 672

Ratio rationem tollit 10
Rebus omnibus à Deo certa & propria vis data 729
Recognoscere Instrumenta quid 643
Redeunt omnia ad proprium centrum & locum 466
Regia potestas ei per populum data 614
Regis iura 624
Regnorum status 599
Regula ad insomnia vera distinguenda 94
Regularum constitutio facilem habet doctrinam 673
Relatio duplex, realis, & secundùm modum dicendi, & quid 859
Relatio interdum recipit contrarium magis & minus 860
Relatione omnia participant ferè 859
Relatio quid 859
Relativa alia necessariò, alia non necessariò 859
Relativa quomodo se mutuò ponunt & tollunt 860
Relativum & ad aliud idem 859
Relativum respicit correlativum 860
Religionis causa sodalitia etiam apud Ethnicos approbata 448
Religionis disparitas in contugio vitanda 407. quando non impediat matrimonium 408
Religio quid & in quo à superstitione differat 550
Reminiscendi vis non est in animalibus 658
Remotio differentiam facit 252
Remuneratio ex naturali lege debetur 483
Reparatus nomine de pœnis inferorũ quæ retulerit 532
Repentia animalia quomodo incedant 172
Reprehensiones benignè fieri debent 412
Reprobatio impiorum quomodo præscientiam habet Dei 679
Repudium à divortio in quo differat 279
Repudium quid verba concepta eius, causa, & quando permissum 277. 278. 282
Repugnantia duarum dictionum quid 267
Repugnantia quid 284
Rerum omnium colligatio per media 319. 320
Rerum omnium est æqualitas, vel inæqualitas 339
Rerum principia quæ sint 309
Rerum usus tantùm hominum proprietas Dei 412
Res nullas interire qui dixerunt 602
Res omnes quodam vinculo mutuo annectuntur 240
Res variantur per subiecta, & tempus 397
Resurrectio Eri Armenij, eiusq; de inferis narratio, alia Solet 530. 531
Retributionũ sex differentiæ 487
Revelat Deus aliis modis quàm per insomnia, & quibus

quibus 100
Reuelationes & per somnia fieri 98 99
Rhemnia lex de calumniatoribus 781
Rhabarbari vis 620
Rosa creata primùm sine spinis, cur & quando postea spinas acceperit 459
Ruminatio quid in animalibus mundis, in lege Dei significet 760
Rumor quomodo differat à fama 826
Rustica opera bona, si accommodatè fiant 405

S.

SAbbathi Iudaeorum superstitiosa obseruatio 828
Sacerdotes omni tempore puritatem animæ conseruare debent 170
Sacerdotes scientia excellere cur debeant 559
Sacerdotia seu Beneficia bona 452
Sacerdotum qua debeat esse peritia & discretio 247
Sacra res qua 550
Sacris interesse non debent profani & impuri 448
Sagacitas cognitio extremorum est 673
Saga quid 552
Sagmina quid 551
Salomon à mulieribus in senectute deceptus 448
Salomonis lapsus 327
Sampsonis lapsus 327
Sanctificare quid & sanctificari quid dicti 551
Sanctio quid 552
Sanctitas quid, & bonum est 550
Sanctum bonum est 552
Sanctum quid 551
Sanctus & ipsa sanctitas, omnia sanctificans Deus 553
Sanitas quid 606 607
Sapientia cognomen maximum cui conueniat 673
Sapientia & morum hominũ differentia 674 675
Sapientia quid 673 quæstem diuina qua humana ibidem.
Satietas omnium rerum in hoc seculo 468
Saturnus filium deuorans quid significet 398
Saturnus quare fingebatur cum falce, & filios suos deuorare 881
Scala cognitionis 143
Scammonea qua melior 320
Scammonij vis 620
Scarus piscis vt iuuet scarib 482
Sceleris sibi conscij semper timent 73
Scem hamephoraſch quid 357
Scenographia artificum quid 226
Sciendi & cognoscendi methodus & via 659
Scientia alia ratione & visu, alia testimonio & fide constans 677
Scientia boni & mali in arbore paradisi quomodo explicanda 391 392

*Scientia Dei diuersa nomina secundum nos* 648
*Scientia Dei quemadmodum à mortalibus consideretur* 645. *hæc tantùm non de omnibus est vniuersaliter, sed etiam in individuo* 646
*Scientia duplex in potentia & in actu* 676
*Scientia actiua qua* 657
*Scientiæ concordia vnde procedat* 256
*Scientia opinionis & fidei differentia* 676
*Scientia per secula præcedentia inuenta & exculta* 759
*Scientia est de vniuersalibus & finitis, non de particularibus* 172. 173
*Scientia & cognitio hominis per quæ fiat* 653
*Scientia & in insipienti esse potest* 675
*Scientia & Philosophia manis in loquacitate garrula* 24
*Scientia vtilitas* 61
*Scientia ex sensibus qua certior* 676. 677
*Scientia hominum imperfecta est* 852
*Scientia infusa, & acquisitia, quid* 655
*Scientia in homine alia insita, alia aduentitia* 53. 54
*Scientiam Deus largitur & ab eo petenda* 163
*Scientiam & cognitionem consequimur vel propria inquisitione vel aliorum eruditione* 649
*Scientiam non esse inter homines dixit Galenus* 676
*Scientiam quæ impediant vt non omnes eodem modo & eadem sciant* 46
*Scientia nobilitat* 63 64
*Scientia non est in sensibus exterioribus constituenda* 112 113
*Scientia non est recordatio vitæ alterius alia* 53
*Scientia per causas* 676. 677
*Scientia quid* 675
*Scientia quomodo distinguatur à prudentia ab Aristotele* 676
*Scientia rectoribus & magistratibus quantum necessaria* 81
*Scientiarum alia practica alia speculatiua secundùm Platonem* 656
*Scientiarum genus vnum vt aliarum verum esse* 11
*Scientiarũ subdiuisiones* 656 657
*Scientia speculatiua realis & rationalis qua* 656. 657
*Scire Dei, nostro respectu quid sit* 647
*Scire est per causas cognoscere* 2
*Scire nihil posse quidam dixerunt, & an bene* 743
*Scire omnes desiderant* 59. 60
*Scire prima perfectio animæ* 642
*Sciri quicquam non posse qui affirmauerint* 61
*Scire volens animam à peccatis purgare debet* 169

Scit

Scit Deus omnia solus 7
Sapiu quid 336
Scribentes istius temporis quàm vanissima edant 175
Scribere in terra, quid 823
Scriptura sacra non omnibus patens intelligenda 441
Scriptura transscripta quando, & quomodo fidem faciat 227
Seculares ludi 590
Seculum à sene, & quot annis constat 590
Selenitis lapis motum Lunæ sequitur 688
Sempiterna duratio quid 583
Sempiternum omne, actus est non potentia 635
Senæ vis 620
Senatus seminarium equestris ordo 320
Senecæ sententia improbata de non danda actione ingratos 487
Senescere & interire omnia docetur 536
Senes cur incurui fiant 596
Senes frigidi & humidi sunt 592
Senes unde dicti 595
Senes utiles vel inutiles in quibus annis dicantur Iurisconsulti 598
Senium via ad mortem 593
Sensibus apparentia quomodo iudicanda 757
Sensibus omne iudicium Epicurei falsò tribuerunt 760
Sensualis cognitio communicata brutis & hominibus 657
Sensus ab intellectu multum differt 146 differentia inter sensum & intellectum 116
Sensus communis sensuum exteriorum receptaculum commune 114
Sensus & intelligentia diuersitas in sciendo 653
Sensus non sunt iudices veritatis 396
Sensus num fallaces in iudicio sint, longa & pulchra disputatur 117
Separatio quid 252
Separatorum separata debet esse consideratio 397
decem Sephirot, quib. Hebræi ad intellectum perueniunt 148
Septem ætates hominis cur tantùm, non plures aut pauciores 594 595. &c.
Sergius Damascenus monothelita, damnatus hæreseos 684
Sermonem nobis à Deo datum, quis ille & quando visitatur 764
Sermo veritatis simplex: mendatij verò varius & multus 746
Serui omnes ferè cuiusdam passionis & affectus 515
Seruitus Deo exhibita, vera libertas 516
Seruitus & libertas duplex, corporis & animæ 521
Seruitus habet voluntatem non liberam 715
Seruitus in quibus mortis comparetur 519

Seruitus quare non dicatur esse contra naturam 519
Seruitutis personalis definitio 516
Serum nihil sibi acquirere potest 518
Sibylla Erithrea tempus 500
Sibylla Hebraa fuit, eius de Deo anigma excussum 363
Si exemplar desiit. exemplatum fieri non potest 228
Signum quid 670
Simile nullum est idem 261
Simile simili attrahitur, contrario expellitur 270
Simile simili natura cognatum 264
Similia & aißimilia secundùm solas qualitates 892
Similia qua dicãtur 261. quomodo in alio participent 262
Similitudo in mente Dei & hominu 373 8
Simon magus victus à D. Petro in nomine Dei 735
Simulatio à mendacio quid differat 770
Simulatio & dißimulatio in quo differant 786
Simulatio latiùs patet, quàm hypocrisis 775
Simulationis tres species, una ad cautionem 775. alia instructionis, alia & improba fallax 776
Simul in tempore est & quot modis esse dicatur 883
Situs modi 874
Sobrietas punita à Voluptuosis in Hermodoro 368
Societas ciuilis, communicatio bona 445. alia rerũ 446
Societas hominum ratione continetur 552
Socrates irrisus ab Aristophane 174
Sodalitia bona nũ sint 447
Solet resurrectio & narratio de inferis 531
Solem sequuntur heliotropij, & lupinum 600
Solis ad Phaetontem de ducenda luce admonitio 324. 325
Solis deliquium quos perterruit 734
Solis ortum & occasum opẽdit lotus 688
Sol quando nobis maiores parat aestus 595
Solui non potest aliud pro alio inuito creditore 245
Somno mortis similitudo inest 89
Somnum quies corporis ideo anima libertor 90
Somnus & mors filij noctis 526
Somnus & mors inuisibiles 526
Sophocles gaudio mortuus 711
Speciei ad genus valet affirmatiuè 204
Species argumenta 206
Species abusiuè apud Iurisconsultos pro Individuo 201
Species à speculando dicta 205
Species logica quid 205

*Species principia sunt* 297
*Species quomodo plus vel minus ex genere participent* 202
*Species quot modis accipiatur* 205
*Species relativum generis & contra* 204
*Species semper repræsentat genus* 206
*Species subalterna & specialissima* 205
*Species substantiæ sunt* 206
*Speculativarum scientiarum divisio* 656. 657
*Spes quid, eiusq; conditiones, quodq; sit de bono, arduo, futuro, & possibili* 725
*Spiritualia facilius construuntur quam destruantur: contra corporalia* 275
*Spiritus Dei, causa vitæ & essentia omnium rerum* 729
*Spiritus Dei quòd bene loquamur causa* 35.36
*Spiritus sancti dona bona* 450
*Spiritus vadens & nō rediens quid significet* 719
*Splendor quid* 832
*Spurius Coruinus primus divortium Romæ fecit cum uxore* 277
*Stabilitas quomodo habeat perseuerantiam* 606
*Status quietis speciei & quid* 336
*Stellarum mutua concordia & odium* 688
*Stoicorum una causa, id quod facit* 298
*Stultis non debent præferri sapientibus* 481
*Stupor quid* 700
*Subalterna propositio vel oppositio quid* 267
*Subcontraria propositio qua* 266
*Subdiuisio quid* 219
*Subiectum quid* 214
*Sublimitas habet extensionē* 576
*Substantia accidentia quæcunq; inhærent sustinet* 842
*Substantia à natura rerum quibus distincta* 853
*Substantia à substando quid* 845
*Substantia communis omnium rerum substantia* 285
*Substantia creata & increata, & mixta, & earum membra quæ* 849
*Substantia diuisio, in sensibilem & insensibilem* 847
*Substantia non est contrarium* 855 *Susceptibilia tantùm contrariorum* 856
*Substantiæ prima & secunda differentia* 855
*Substantiæ secundæ vniuocè prædicantur* 855
*Substantia tres alias distinctiones* 846
*Substantia hoc aliquid significat* 855
*Substantia in concreto quid apud Rabinum Tybonem* 846
*Substantia in subiecto non est* 855
*Substantiam rerum potissimè incorporalium, cognoscere homines nequeunt* 851

*Substantia non suscipit magis vel minus, ratione accidentium nisi inter primã & secundam fiat relatio 855*
*Substantia principium secundum naturam 844*
*Substantia qua prima, qua secunda, ratione accidentium 846*
*Substantia quid 844*
*Substantia recipit magis & minus 856*
*Substantia rerum soli Deo sicuti est cognita 113*
*Substantiarum alia divisio Aristotelis, in ingenitas, immortales, & genitas, & mortales 850*
*Substantia unde, & quare hoc nomine dicta 844. 845*
*Succinum attrahit paleas 620*
*Sufficientia 576*
*Summum bonum quid 368*
*Summum, infra, supra, & inter fines 336*
*Summus, & summum quid 309*
*Superdivisio quid 219*
*Superficies quid 568*
*Superstitio quid, & in quo differt 550*
*Susarion omnia sciens 58*
*Susurro ab adulatore in quo differat 790*
*Susurro quis 790*
*Susurrum quid 790*
*Suum cuique tribuendi duo Divina & absoluta praecepta 428*
*Symptoma quid 670*
*Syndrome quid 670*
*Synopsis eorum quae bonitatem referunt 399*

T.

*TAcere medium inter cõsentire & dissentire 321*
*Talea Pinarij Soror prima Romana cum marito divortium fecit 277*
*Tandali Voluptas 52*
*Tarpeia virginis proditricis Romanorum supplicium 789*
*Tekuphot Hebraorum observatio 883*
*Tellus Sir cur à Solone existimatus felicissimus 461*
*Temperatura quid, & quot sint species confusionis 255*
*Tempestates quomodo concitentur in aere 734*
*Templum Honori & Virtuti dicatum 452*
*Tempora distinguenda ad concordandas scripturas 883*
*Temporibus tantum commodi res certè finit 230*
*Temporis considerationem quae admittunt 884*
*Temporis divisio 879*
*Temporis se accommodare sapientis est 406*
*Temporis mutationes morborum & sanitatis causa 882*
*Temporum differentia apud medicos, morborum remediorum causarum 880*

*Tempus an sit, quid sit & quòd sit ex motu* 876
*Tempus docet multa* 881
*Tempus mensura rerum* 580
*Tempus mutabilia omnia mutat* 239
*Tempus non est in Deo, sed à Deo & extra Deum* 583
*Tempus omne duationem metitur* 608
*Tempus omnia consumit & restituit* 881
*Tempus ortum habuisse contra Aristotelem* 878
*Tempus proprium omnia habent & per melsora fiunt* 880
*Tempus pro tempore accipitur* 879
*Tempus variat rerum considerationem* 398
*Tempus vita hominum breue & thesaurus seriis expendendus* 174
*Tenebra infernum occupant* 834
*Tenebra quid* 831
*Tergiuersari quid* 781
*Termini secunda intentionis* 840
*Terminus omnis nō est principium* 285
*Terminus quid* 336
*Terra benedicta & maledicta propter hominem* 610
*Terra filij* 823
*Terra vbi ter in anno fructus adfert* 533
*Terribilia qua sint* 700
*Terror quid* 700
*Testamenti facilis actiua & passiua* 867
*Testamentum vnde* 196
*Testari non potest furiosus etiam in fauorem animæ & pia causa* 549
*Testes de ratione & causis testimoniorū interrogādi* 617
*Testes falsi & mendaces quomodo iure diuino puniendi* 768
*Testimonium inimici reijcitur & amicorum inimici* 278. 279
*Testis idoneus quis* 632
*Testis enim depositio excusat à calumnia* 781
*Tetrapharmacum medicorū quibus conficitur* 252
*Thallia tertia Gratiarū quid significat* 480
*Thamar simulatio* 885
*Thamar vt pro meretrice haberetur, operuit vultum & mutauit vestem* 772
*Thoas liberatus à dracone alumno ex periculo latronum* 483
*Tygridis hypocrita similes quare* 775
*Timiditas ex impotentia* 632
*Timore mortis* 711
*Timor non peccantis duplex* 528
*Tinnunculus auis amica columbis* 482
*Toga vnde dicta* 196
*Tolli quid* 307
*Tormenta seu tortura quare quæstionis nomine efferuntur* 178
*Totius ad partes duo modi argumentorum* 220

*Tractio ad salutem non est coactio* 719
*Transactio finem litibus imponit* 331
*Transcendentia non sunt in aliquo praedicamentorũ* 841
*Tres proprietates animae quae* 64
*Tristitia gaudio opponitur, & quid sit, & quatuor eius species* 712. *duplex quoque* 713
*Tristitiam immittit daemon aliquando vt revocet animum à bonis* 713
*Tristitia quid* 701
*Tugurium unde dictum* 196
*Tumultus quid* 271
*Turbith quomodo attrahit phlegma* 270
*Turpe quod nõ cognouit* 404
*Turpia lucra à possessoribus & eorum haeredibus extorquenda* 513. 514
*Turpia natura* 513
*Turpitudinis definitiones* 512
*Turpitudinis species quatuor* 512
*Tutela quando finiatur* 331
*Tutores unde dicti* 196
*Tutor vel curator idoneus quis* 632
*Tutorum authoritas quid* 626
*Tyranni & mali principes, carnifices voluntate Dei* 624
*Tyrannorum causa* 623

V.

*VAcuum an sit in rerum natura* 869
*Vacuum num unquam fuerit* 870
*Vagum individuum quid* 216
*Vates repentè facti* 38
*Vbi & positionis differentia* 873
*Vbi indicat esse in loco* 870
*Vbi praedicamenti axiomata* 859
*Vbi quomodo definiatur in praedicamentis* 869
*Vbi quomodo differat à loco* 870
*Vbi quomodo non habeat contrarietatem vel magis aut minus* 870
*Vbi quot modis accipiatur* 870
*Vehementia quid* 576
*Velle non creditur qui iussu alterius debet audire* 715
*Venatione abstinebant Ethnici etiam diebus festis* 828
*Venere abstinendum diebus festis docent etiam Ethnici* 829
*Venerei amplexus in Palmis arboribus* 686
*Venia criminum sapiùs delinquentibus non data* 396
*Ventris necessitas ingenium varium largitur parasitis* 793. 794
*Venus in quo gradu vita licita* 491
*Venus unde dicta, de eius contentione cum Iunone & Minerua de pulchritudine* 508
*Veracis viri signa* 761
*Verba debent aliquid significare* 186
*Verba coniunctim conferenda, vt*

da, vt intelligantur 441
Verba quomodo personis accommodanda 404
Verba quomodo sunt intelligenda, & explicanda 438
Verba secundum negotia, de quibus agitur, sunt intelligenda 443. & qualitatem personarum ad quas referuntur & cum effectu ibid.
Verbena herba sacra 551
Verborū interpretatio à mente trahenda 224
Verborū seu nominum vsus quomodo considerandus 442
Verecundia quando bonum vnde oriatur 494
Verecundia quid 709
Veritas à Deo omnis, ipsaq; veritas 750
Veritas donum Dei 554
Veritas dux virtutum 555
Veritas ex redargutione falsitatis apparet 758
Veritas, finis rationis, eaq; inquirenda 741
Veritas, fundamentum omnium bonorum 742
Veritas honoranda 555
Veritas inquirenda 554
Veritas intellectus quid 754
Veritas intellectus quando interdum perfectè & quādo imperfectè elicitur 765
Veritas inter arrogantiā & dissimulationem, medium 748
Veritas lucē habet 744. eius nomina, & mendacij, & vnde dictū nomen, eiusq; definitio 745
Veritas non est immutanda vel abscondenda 760
Veritas non nisi cum labore percipitur 760
Veritas orationis quid 765
Veritas, probatio etiam inter Barbaros 742
Veritas quid 554
Veritas quomodo indaganda 748
Veritas quomodo sit assequenda 765. 766. &c.
Veritas rei quid 753
Veritatis septem requisita ex Galeno 766. 767 &c.
Veritas tandem victrix mendacij & falsi euadit 749
Veritas, veritatisq; sermo citr dicatur simplex 746
Veritas vna est, falsitates plures circa illam 748
Veritatem docuit mundū Dominus noster Iesus Christus 744
Veritatem quidam inueniūt, alij purgant inuentam, alij purgata vsum docent 759
Veritatem sectantes proximiores Deo 745
Veritati quæ se obijciant 756. 760. 761
Veritatis abacus & eius summaria explicatio 762
Veritatis comprehensionem quatuor impediunt 756. 757. Eius imago seu pictura Hippocratis, & Philostrati 747
Veritatis imaginem ferebant in collo & pectore sacerdotes, & quare 741
Veritatis partitio 752

*Veritatis regula duæ* 797
*Versutus quis dicatur* 777
*Ver venisse viola alba docet* 660
*Verum aut certum quidam dixerunt nihil esse inter homines* 740
*Verum bonum esse docetur & quid sit* 554
*Verum & falsum consistunt in actu, non circa potentiã* 638
*Verum, & veritas quomodo differant* 750
*Verum non pendet ex nostro intellectu* 754
*Verum Prothagoras dicebat, quod cuique videretur* 760
*Verum quid* 745
*Verum vel falsum in quinq; inuenitur* 661
*Verus & simplex sapiens est* 778
*Veste muliebri virum vestiri, & contrà, abominatio* 886
*Vestitus ostendit qualitatem personæ & plerumq;* 885
*Via concessio quomodo interpretationem recipit* 204
*Via publica non esse ingrediẽdum quid sit* 821
*Vidua castitatem quomodo habeant* 491
*Viduas ducere diebus festis licebat* 828
*Vinea Domini populus Dei est* 774
*Vineas ducere festis, & veteres fossas purgare, licuit* 828
*Vinum Amineũ, durabile* 601
*Vinum in conuiuijs quando & quomodo merum Hebræi propinabant* 374 375
*Vinum merum quare potil cœnam sorberetur* 370
*Vinum quomodo calefaciat & refrigeret* 268
*Violentia agit contra naturam* 634
*Violentia maxima vis* 633
*Violentia quid* 272
*Violentũ obsistit arbitrio* 723
*Vires infinitæ infiniti, finitæ finiti* 338
*Vir frigidus dicitur & siccus* 592
*Virgines ducere & vim non inferre diebus festis non licuit* 828
*Virginitatem bonum esse docetur* 491
*Virginitatis status melior* 492
*Viri à mulieribus separatim degere debent* 390
*Virilis ætas cur fortior in homine* 595
*Vir quis dicatur Iurisconsultus* 598
*Virtus cœlestis ab elementari quid differat* 739
*Virtus continet vniuersa* 727
*Virtus est vnius cuiusque rei perfectio* 729
*Virtus fortitudine seu potentia eget* 631
*Virtus honesta est* 489
*Virtus in Deo quomodo esse, & non esse dicatur* 736
*Virtus immediocritatis tantùm excessu & defectu corrumpitur* 432

*Virtus non est in potentia, an sit in actu* 731
*Virtus quid sit* 728
*Virtus quomodo medium habeat* 323
*Virtus roboris corporis, & efficacia* 738
*Virtus superintellectualis quæ dicatur* 732
*Virtus una aut plures, quomodo dicantur esse homine* 729.730
*Virtus unde dicatur* 727
*Virtus una & dispersa quid* 577
*Virtus unita maior, quàm dispersa* 172
*Virtutem esse summum bonum, qui & quare dixerint* 432. *Donum Dei* 433
*Virtutes hominis via ad fœlicitatem* 731
*Virtutes omnes rerum omnium creatarum in Deo* 717
*Virtutes rerum cur semper non iuxtà rebus* 731
*Virtutes sine Deo non fecerunt veram gloriam* 801. 802
*Virtutes sunt ordinata naturæ effectiones* 718
*Virtutis præmium, gloria, & condimentum laborum eius* 799
*Virtutis quadam regula probata* 740
*Virtutis templum coniunctum cum templo honoris* 452
*Virtutum in homine, ratione spiritus & animæ diuisio, in intellectuas & morales: & qualis* 717.738
*Vis aduersatur tam animo quàm corpori* 635
*Vis quomodo habet potentiam* 634 *& seq. quidnam cœlestis, & inferior* ibid.
*Visus & aliorum sensuum vnde deceptio* 120.121
*Vita cur brevior nunc, quàm antiquioribus* 610
*Vita durationem habet quid & quotuplex* 609
*Vita hominis status in hac vita & post mortem* 457
*Vita hominis tempus* 590
*Vita hominis tres status* 469
*Vita nostra occasus* 595
*Vita hæc temporalis tota data ad pœnitentiam agendam mortalibus* 500.501
*Vita hominum brevis discenti* 174
*Vita hominis duplex* 42
*Vita hominis misera peregrinatio* 414
*Vita mediocris tutior* 324
*Vita nostra navigatio ad portum salutis* 537
*Vita politica per Dominum nostrum Iesum Christum præcepto amoris Dei optimè constituta* 430
*Vita primata in gloria est, cum gloria futura* 825
*Vita satis longa ad artes discendas, si eam illis nō vanis demas* 17
*Vitium, corruptio virtutis, quomodo* 729.730
*Vitium opponitur virtuti & quibus nominibus dicatur* 727
*Viuendi bene &c. finem, perpulchra exemplaria ad*

monitiones vtilissima 327
Viuere malè satius, quàm bene mori, quis dixit 825
Vltimum quid 336
Vnda quæ maiores 595
Vnde quæstio, inquirit originem 221
Vnio Ecclesiarum quomodo examinanda 263
Vniones maiores fersunt concha minores 577
Vnio tripliciter consideratur 263. Vnionis alia species 264
Vnitas generis vt sit orationis & aliorum plurium 240
Vnitas quid 262
Vnitate participantia, conuenientiam aliquam habent 262. 263
Vniuersale cur à nobis separetur à reliquis vocibus predicabilibus 209
Vniuersale & generale quomodo distinguantur 199
Vniuersale quid, & tres eius gradus 199
Vnnoca qua dicantur 855
Vnum & ens, duo generalia 199. 200
Volauit in aere Icarus 325
Voluntas Angelica quid est 682
Voluntas bona quomodo sit in damonibus, & damnatis 681
Voluntas circa melius, melior: circa peius, peior 674. 676
Voluntas Dei beneplaciti, & conditionata signi, quid 682
Voluntas & propositum distinguunt maleficia 225. 390
Voluntas & propositum in operibus hominum inspiciuntur 677
Voluntas homini morte finitur 522
Voluntas in hominibus mali origo 380
Voluntas libera initium actionum hominis 316
Voluntas pro bono desiderio sumitur 449
Voluntas quid 677
Voluntas quomodo habeat rationem comitem 679. rationalis & irrationalis 679. mutabilis, & à quare mutetur. 679. & mortuorum immutabilis 680
Voluntates duæ in Domino nostro Iesu Christo 684. 685.
Voluntatis conceptio in actibus quomodo indaganda 224
Voluntatis Dei, & hominis differentia 683
Voluptatem capere & gaudere quomodo differant 712
Voluptates & delitia vicerunt inuictos 327
Vox quid 171
Vox timentibus acuta, trepidantibus grauis cur 495
Vria mortis vindicta 789
Vrina distantes qua dicantur medicis 250
Vsus experientiaq; pro causa sunt 319

Vtile quid sit 555
Vtile quid non boni contineat 556
Vtili bonum esse docetur 555
Vtilitatis duæ partes tuta & honesta 556
Vulgi sententia quare reijciẽda 820.821
Vulpeculæ cur hæretici dicti 773
Vultum suum operiunt qui malè agunt 772
Vxor debet esse eiusdem religionis cum marito 407. 409
Vxor ex parib. ducenda 409
Vxoris complexibus abstinendum diebus festis 829
Vxor si claues subiecisset, repudiari poterat 282
Vxor Lotb conuersa in statuam salis 329
Vxoris non ducendæ dilemma 247

X.

XErxes cur lachrymârit super ingenti suo exercitu 815.535
Xerxis de vanitate hominũ sententia 535

Z.

ZAroes & Arphaxat magi signo crucis victi 735
Zelotypia quid & expiationis eius lex & morbi 284
Zeno Eleates sibi in tormentis linguam abscidit, ne falsò alios accusaret 767
Zenonis lapsus 675
Zeuxidis & Parrhasij in pictura deceptiones 128

FINIS.